

Tomellini
29 = N°4

FERDINANDI
QVIRINI
DE SALAZAR,
CONCHENSIS
E SOCIETATE IESV
THEOLOGI,

IN COMPLVTENSI COLLEGIO SACRARVM
Literarum Interpretis.



PRO IMMACVLATA DEIPARÆ VIRGINIS
Conceptione DEFENSIO.

Ad Philippum III. Hispaniarum, & Indiarum Catholicum Regem.

Conuentus S. Mariæ de Victoria Carmelitarum Excalceat.



COMPLVTI;
ET
PARISIIS Venundantur.

M. DC XXI.

SVMA DEL PRIVILEGIO.

TIENE El Padre Hernando de Salazar de la Compañia de IEsvs, priuilegio Real por diez años, para imprimir el libro intitulado *Defensio Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ*: como consta de su fecha. En Madrid a doze dias del mes de Iunio, de mil y seyscientos, y diez y ocho años: por Pedro de Contreras, Escriuano de Camara del Consejo de su Mageftad.

FACVLTAS P. PROVINCIALIS.

EGO Rodericus Niño, Prouincialis Societatis IEsv, in Prouincia Toletana, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P. N. Mutio Vitelefchi, Generali Pręposito, facultatem concedo, vt *Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ* DEFENSIO, à Patre Ferdinando de Salazar, Societatis nostræ Presbytero, & in Complutensi nostro Collegio Scripturę Sacræ Professore elaborata, & eiusdem Societatis Patrum Gundisalui de Albornoz, Ioannis de Albarado, & Didaci Alarcon iudicio examinata, & approbata, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & nostri officij sigillo munitas dedimus. Toleti die 28. Aprilis, anno Domini 1618.

Rodericus Niño.

CENSVRA DOCTORIS FRANCISCI SANCTII DE VILLAnueua, Catholicæ Maiestatis Regis N. Philippi. A Concionibus, & Sacris.



PHRICA Semper aliquid noui. Boni semper aliquid sacra Societas: vt monstrorũ illa Circi spectatores, ita & hæc ingeniorum feracissima, Ecclesiæ Theatra quotidie in admirationem, iocunditatemque rapit. En R. P. Ferdinandus Salazar eximius huius Societatis Theologus, post primos in Prouerbia Salomonis foeliciter exantlatos labores, *inuenta à se Sapientia, ad quam mane vigilauit, & ad cuius postes quotidie obseruat*, præclarum hoc opus (in quo Incarnatæ Sapientiæ Sanctissimæ genitricis intemeratam Conceptionem tuetur, illustrat, ostendit) manifestissimum specimen dedit. Illud dum ex præscripto sũmi Regij Senatus euoluo, in re desideratissima, & ardenti animo concupita, quæ exactissima cura, & peruigilanti elucubratione tractaretur, sicque Beatissimæ Deiparæ claritudo lucesceret, nihil mihi reliquit desiderij. Quin potius Autorem (in quo omnia magna) tã in Scholastica, quam in expositiua palæstra inuictum Athletam iudico; verum qua in parte maiorem sit laudem adeptus, prorsus ambigo. Scholæ enim inextricabiles nodos, quæstiones Cymerijs obductas tenebris, ea perspicuitate soluit, ea iudicij trutina pendit, eo ingenij acumine persequitur, ea soliditate definit, vt mirum sit eundem sic in Sacræ Paginæ expositione multiplici, abstrusa, & vere arcana pollere, linguarum peritia præstare, in enodandis Orthodoxorum Patrum decretis nitere, & tanta mentis dexteritate selectissimorum locorum abdita reserare, & ad amussim expendere. Vnde non solum eos, qui Cathedram subtiliori stylo Controuersias exagitandi ergo, sed qui suggestum conciones ad populũ habituri ascendunt, magno, & incredibili emolumento, hoc opere omnibus numeris absoluto fruituros esse censeo, mecũq; docti censebunt. Dat. Mad. 19. die Maij. Anno 1618.


D. Franciscus Sanctius de Villanueua.

SVMA DE LA TASSA.

ESTE Libro intitulado *Defensio Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ*: Compuesto por el Padre Hernando de Salazar de la Compañia de IEsvs, esta tassado a cinco marauedis el pliego, y tiene ciento y 29. pliegos, y monta seyscientos y 45. marauedis, como consta del testimonio de la tassa, que dio Lazaro de Rios, oficial mayor de Pedro de Contreras, Escriuano de Camara del Consejo de su Mageftad. En catorze dias del mes de Nouiembre, de mil y seyscientos y diez y ocho años.

PRAE

PRAELVDIVM
OPERIS AD LECTOREM.




N Ego (Lector candide) nouus, & rudis athleta in arenã prosilio, vt pro immaculata Deiparæ Virginis Conceptione depugnem. Vereor, ne apud te audaciæ, ac temeritatis proiectissimæ propterea insimuler, quod post doctissimos, & eruditissimos viros, qui hoc stadium fœliciter emensi sunt: post Herculeos passus, quos multi in hoc curriculo hactenus confecerunt: post fortissimos Agonistas, & partas de aduersarijs preclarissimas coronas, iam nunc eundem cursum aggredi, & eiusdem certaminis aleam periclitari non dubitem. Sed tamen hanc temeritatis suspicionem facilè depones, illosq; ausus (vt spero) boni consules, vbi hanc nostram Defensionem relegeris, ac videris plane nos nequaquam actum agere: sed in antiqua controuersia pro nostro erga sanctissimam Deiparam studio, non antiquato prorsus, & obsoleto modo versari. Iudices sint oculi, quibus causam istam committo. Te autem interim monitum velim disputationem istam eo primùm animo à nobis inchoatam, & susceptam, vt illam nostris Cõmentarijs in Prouerbia Salomonis insereremus ad Caput octauum, cuius de Virgine Deipara non perfunctoriam interpretationem contexuimus: nimirũ super illa verba: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Sed quia opus hoc sensim, cunctatisque augmẽtis ita excreuit, vt iustum fermè volumen complere posset: eapropter illud seorsim dare, formam tamen, ac methodum eandem seruare decreui. Atque adeò in discutiendis, pendendisq; prescriptis verbis non parum operæ vbique ponens, precipuas quasque rationes ad tuendam Virginis Deiparæ immunitatem, siue à culpa originali, siue à debito illius ex illis excitabo. Rem verò totam ita transigam, vt ex vtraque Theologia, tam scholastica, quàm expositiua ad præfatã immunitatem defensandam fundamenta depromam. Placuit enim mihi nec Scholastico tantum more ieiunam, & gracilem: nec concionatorio, aut oratorio stylo laxam prorsus, & elumbem disputationem instituere (luculentius dicam) nec carnem tantum sine ossibus, ac neruis: nec sine carne ossa tantum nuda, neruosque exhibere: sed ex vtrisque aliquid conflare, ac compingere, quod cute tenus pulchrum, & formosum, & confirmatis etiam ossibus, validum, & robustum sit. Qualis autem futura sit huius Defensionis constructio, ordo, ac series, sub finem primi capitis attexam.

ERRATA.

FOlio 52. pagina 1. linea 59. *Ignoret*, lege *norit*. Fol. 98. col. *1*. lin. 29. *suspicit*, lege *suscipit*. Colum. 2. lin. 3. dele, *&*. Fol. 100. col. *1*. lin. 4. *be*, lege *bæ*. Fol. 148. col. 2. lin. 13. *Virgini*, lege *Virginis*. Fol. 150. col. *1*. lin. 47. *oportet*, lege *oporteret*. Fol: *151*. col. 2. lin. 41. *merito*, lege *merita*. Fol. 26*1*. col. 2 lin. 30 *fuiss:*, lege *fuisset*. Fol. 266. col. 1. lin. 4. *gratia*, lege *gratia*. Fol. 269. col. 1. li. 34. *Do ni*, lege *Dominam*. Fol. 277. col. 2. lin 46. *Bernardus*, lege *Bernardinus*. Fol. 282. col. 2. lin. 27. *Insan's*: postquam hæc typis mandata fuerant, accepi similem vsum huius vocis in autore alio Catholico taxatum, ego quidem proprietatem lingue Latine secutus sic scripsi: Latini enim *Insanum* pro *Magnifico* sumere solent, tamen si cui displicuerit, legat *magnificis*. Fol. 311. lin. 21. *Imperatore*, lege, *Impostore*. Fol. 352. col. *1*. lin. 27. *glena*, lege *plena*. Fol. 391. col. 1. lin. 22. *esset*, lege *esse*. Fol. 196. col. *1*. lin 10 *cuius, vel promissio*, lege *cuius voluntas, vel promissio*. Fol. 442. lin. 12. *quadraginta*, lege *quadringenti*, lin. 37. *dissensisse*, lege *neminem dissensisse*.

Vidi hunc librũ P. Ferdinãdi de Salazar è Societate IESV de Immaculata Conceptione Beate Virginis Marie, & demptis his mendis omnia suo respondent Archetypo. Compluti, die 8. Mensis Nouembris, Anni *1618*.

Corrector. *Magister Sebastianus de Lirio.*



AD PHILIPPVM TERTIVM HISPANIARVM & Indiarum Catholicum Regem.



HÆC Nostra imbellis, atque inermis pro immaculata Deiparæ Virginis Conceptione DEFENSIO (Princeps orthodoxe) ab obtrectatorum iniurijs profuga, ad tuam se se recipit fidem, vt quæ Authoris sui nomine tuta satis non est, Regali numine protecta, in arma ruere, & Mariam *gratiæ arcem, sanctitatisque munimentum* (sic eam appellauit Thaumaturgus) propugnare, aduersariorumquè contra ipsam erectas moles expugnare possit. Te vtiq; DEFENSIO ista defensorem quęrit, ac vendicat suum; ne si ipsa indefensa sit, id, quod sibi defendendum proposuit, tueri non valeat.

Et sanè id prorsus tuetur mea DEFENSIO, quod hactenus tua semper defendit, & nunquam non defendet tuitio: quod ego verbis, orationeq́; defendo, id tu quoquè potestate, maiestate, & Imperio tuo tutum præstas. Ergo quia magnum quid, ac sublime est, de magnis rebus cum potestate loqui, quod de Christo pronunciauit Euangelicus sermo: *Loquebatur tanquam potestatem habens & non sicut scriba*. Ne in tam graui, excelsaq; materia verba mea humilia prorsus, ac demissa essent, ea propter illa tibi sacra esse volui: vt nimirum ex te dignitatem, & potestatem quasi mutuam acciperet tenuis sermo: atq; adeò ego in tam sublimi materie *tanquam potestatem habens* profari possem. Accidit autẽ ex animi mei sententia. Nam ex quo mea scripta Regi potentissimo sacrare apud me constitui, non iam *scriba* humilis, obtrectatorum iniurijs obuius mihi videri cœpi, sed tanquam Princeps, vel Heros aliquis cum potestate, & dignitate verba faciens. Erunt autem mutua tuæ maiestatis, & meæ tenuitatis auxilia: quia ne muta, & elinguis videri possit tanti Principis authoritas, & potentia, hæc mea DEFENSIO verba illi accommodabit: & ne oratio itẽ mea imbellis, atq; infirma appareat, ex te potentiam, & dignitatem

¶ sibi

ſibi conſciſcet. Atq; ita demum fiet, vt ego per Regalem poteſtatem verba liberiùs fundere,& ipſa etiam Regia poteſtas per ſuppeditata ſibi verba liberiùs quoq; agere, ac cœpta vrgere poſſit.

§. II.

AVdi (ſi libet Rex potentiſsime) quantam rem defendas, quàmq; dignum Regia maieſtate negotium tranſigas. Deiparæ Virginis ab omni labe immunem innocentiam propugnas(ò nobilem pugnandi cauſam,cui triumphus & palma deeſſe non poteſt!) Ego tibi victoriæ ſponſorem memet offero , obſidem , & vadem præbeo , caputq; meum in ſponſionis certitudinem , atque fiduciam libens trado , ac deuoueo , ſtrenuiq; militis olim ad Caium Cæſarem prope Rhodanum pugnantem verba conſtantiæ plena demum ſubijcio, *Morior , ſi non vincis.* Sed quod caput eſt,Chriſtus ipſe humani generis aſſertor ſpondet tibi,& in eius victoriæ fidem vitam,mortem,& cuncta merita ſua exponit : hæc enim omnia non ſatis vtiliter & efficaciter ab eo collocata,& impenſa quiſpiam putare poſſet , niſi Matri à Patre ſuo perpetuam innocentiam exoraſſent. Ipſa etiam Virgo Deipara in cauſa ſua fideiubet , remq; iſtam in capitis ſui periculum ſuſcipit,adeò vt nobiliſsimam Matris Dei dignitatem , qua gaudet,& ſupremum in omnes latè creaturas imperium, quo potitur,ac Beatitudinem quoq; ipſam,qua nunc in cœlum aſſumpta fruitur, in promiſſæ victoriæ ſecuritatem vltrò deuoueat. Mallet enim proculdubio hæc omnia graui iactura ſibi omninò perire , quàm originali iuſtitia , vel ad momentum orbatam fuiſſe.

Quid plura ? Pontificia ſedes Vicaria Chriſti, poteſtate locuples ſponſionem tibi facit,& Spiritus Sancti , quæ illi nunquam non præſto adeſt, aſsiſtentiam,cunctamq; authoritatem ſuam in futuræ victoriæ certitudinem,fidemq; deponit.Nam poſtquam tot argumentis ac documentis ſuũ de Virginis perpetua ſanctitate nutũ vniuerſali Eccleſiæ palã expoſuit, vix illa omnia ſibi tuta eſſe crederet,niſi originalem Marię iuſtitiam vbiq;, ac ſemper profiteretur,denunciaret,ac prædicaret.Conciliorum,Patrum, & vniuerſę demum Eccleſiæ ſenſus ſpondet tibi , atq; vt te de futura victoria ſecurum eſſe iubeant,eius veritatis conſtantiæ,ac certitudinis,quæ illis ineſſe ſolet , robur omne pignoris loco ponunt : quia poſtquam Virginis innocentiæ originali toties adſauerunt,illa omnia vix ſibi ſarta,tectaq; futura autumant , ſi originalis Mariæ ſanctitas denegetur. Deniq; Angeli, & homines cuncti,ac reliqua creaturarum vniuerſitas vadimonium iſtud facit,& tam gratiæ , quàm naturæ diuitias omnes,quibus â ſuo cõditore affatim ditatæ ſunt , in promiſſæ quoq; victoriæ fidem arrhæ nomine contradunt : quia his omnibus ſe orbari , & nudari libentiùs ſuſtinerent , quã non ſine ingenti naturæ,& gratiæ iniuria eam Reginã , & ſupremam Dominam perpeti,quã originalis culpę turpis,impuraq; labes dehoneſtaret. Audi,ſi libet, S.Ildeph. victoriam tibi certiſsimè pollicentem in libro de Virginitate ac Parturitione Mariæ.*Pro Maria*(inquit) *dimicare,ac vincere opus eſt Spiritus Sancti, & virtus Altiſsimi, &c.* Nota emphaſim verborum: illa duo coniunxit,*dimicare,*ac *vincere :* nam fieri non poteſt, vt pro Virginis gloria quiſquam depugnet,& victoriam,palmamq; non reportet.Nec

mirum-

mirum: cùm Spiritus Sancti operatio, & *Altissimi virtus* ad pugnandum, & vincendum præsto sit.

§. III.

O Grauem, excelsam, ac Principe rerum omnium Domino dignam côcertationis causam! in quam defendẽdam ac propugnandã Regia Maiestas decentissimè, ac gloriosissimè impensa, & collocata est. Succedãt memoriæ antiqua sæcula, excutiamus vetustatis monimenta, conferamus antiqua cum nouis, anteacta cum præsentibus in lancẽ veniant. Prisci Imperatores orthodoxi Christianæ fidei assertores, ac vindices, inter alia suæ Maiestatis præconia illud cum primis splendidum, atq; gloriosum duxerũt sibi, quod Virginis gloriam, & splendorem tuendi ac defensandi, nati eorũ ætate errores nobiles admodũ, occasiones ipsis obtulerunt. Nam vt docet sanctissimus Martyr Rophensis omnes illi antiqui Hęresiarchæ ab Ario, & deinceps omnes Antimariani fuerunt, vt facili quadam inductione conficere licet. Nam Arius Dei Verbum creaturam esse asseuerans, consectariè docebat Mariam non creatoris Dei, sed creaturæ prorsus parentem fuisse. Post Arium suffectus est Nestorius, qui duas personas in Christo adstruens, aliam hominis, & aliam Dei, ita Deum ex Deo, & hominem ex Maria natum, & procreatum latrabat, vt Mariam θεοτόκον, id est, Deigenitricem côpellandam esse prorsus abnueret. Nestorij virus hausit Eutiches, illo posterior, qui vnius personæ singularitatem in Christo facilè concedens, duas naturas, diuinam & humanam diffiteri cœpit, affirmans hanc ab illa ita demum consumptam, extinctamq; fuisse, vt Christus per temporalem generationem Patri consubstantialis manserit: eiusdem verò cum Maria substãtiæ nequaquam euaserit. Quod nefarium dogma Matris, nô solùm Dei, sed etiam hominis (cuius naturam respuebat) dignitate Virginem callidè admodum spoliabat. Eutichẽ proximè excepit Macharius, qui duas in Christo voluntates, diuinam, humanamq; fateri abnuens, humanitatem, atque eius cum matre consubstantialitatem consequenter abnegare Patribus visus est. His probatum, confectumq; manet, omnes illos Hæreticorum proceres Antimarianos, seu Mariomachos fuisse: qui nimirum suis sæculis bellum Virgini inferentes, excelsam dignitatem Matris Dei ipsi eripere pro suo quiq; marte contenderunt.

Sed tamen inanis, & irrita fuit hæc contentio. Attende Princeps potentissime, contemplare Principes illos, qui antiquis sæculis pro Virgine decertarunt. Contra Arium excitatus est Constantinus Magnus Imper. qui ex consensu Sancti Syluestri PP. tria Episcoporum centena ad Nyzenam Synodum euocauit, & ipso non solùm conscio, sed etiam præsente, nefarium Arij dogma condemnatum, & Mariæ gloria vendicata est. Contra Nestorium emersit Theodosius Iunior Imperator Augustus, qui ex venia Celestini Romani Pontificis totidem, & his plures Episcopos ad Ephes. Concilium appellauit: vbi Nestorius anathemate confixus, & Virgo communi omnium calculo θεοτόκος, ac Deigenitrix côclamata est. Contra Euthichẽ opportunè processit Martianus Imperator, qui maiorem Antistitum numerũ ad sacram Synodum Chalcedonẽsem accersiuit, annuente S. Leone I. Pontifice Maximo: vbi Imperatore etiam præsente, & id contendente

Eutichis impium dogma conuictum est,& Christus,Dei,simulatq; Mariæ naturalis filius,vtriq; consubstantialis pronunciatus fuit. Subinde autem cùm Eutichiana hæresis ex suis cineribus quodammodo excitata, & rediuiua denuò grassaretur,à Leone primùm,deinde a Iustiniano Imperatoribus semel,& iterum iugulata fuit. Contra Macharium denique voluentibus sæculis, ab Imperatore Augusto Flauio Constantino sexta Synodus Constantinop.ex nutu Agathonis Papæ coacta,& compellata est,& ipso quoq; Augusto præsente,teste,atq; arbitro, Macharius hæreticus proclamatus est,& Christi Domini vna,& altera operatio,& voluntas in duplici natura,Patri,Matriq; consubstantiali asserta, & decreta fuit: alia diuina, quam Filius cum Patre,& Spiritu Sancto communem habet:altera humana,per quam Patri obedientiam,& Matri pietatis obsequia deferebat.

Hi sunt antiqui Marianæ gloriæ, & splendoris assertores, & vindices, quos aduersus Antimarianos illos diaboli satellites Deus zelo religionis armauit.Inter hos non dispari obarmatus zelo militat quoque pro Maria Philippus noster.Pro Maria Philippus noster decertat,nouus Cōstantinus, nouus Theodosius,Martianus alter,nouus Leo, Iustinianus recens, nouitius quidam Flauius Constantinus; in quem vnum,non singulorum tantū, sed omnium simul Augustorum pietas & fœlicitas videtur influxisse. Qui licèt ex eo fœlices ac beati fuerint,quia pro Mariæ gloria decertarunt, ac vicerunt:tamē nescio qua ratione infœlices, atq; infortunati alio nomine censeri debent,quatenus ita pro Maria ipsis pugnandū fuit,vt simul,vnâq; hæreticorūDuces & grauissimos ipsorū errores,cladē atq; perniciē eorundem sæculis afferentes expugnare,ac subertere opus fuit. Nam causa Virginis,quam veteres illi Augusti propugnabant,ita cum præfatis erroribus conserta erat,vt faustum fœlixq; certamen pro Virgine suscipere non possent, quin vnà simulque infaustum infœlixq; prælium contra errores atq; hæreses sui temporis inirent. Te vnum(Rex fœlicissime)hæc fortuna beatitasq; manebat,quam vna & sola tua religio, & fides pro meritis obtinere potuisset, vt nimirum ita pro Virginis gloria sedulò & acriter decertares, vt nullus contra error obsisteret,qui tuam,nostramq; ætatem miseram prorsus efficeret,susceptiq; pro Virgine certaminis fœlicitatem extenuaret.

Est igitur recens altercatio pro Virginis originali innocentia, non quidem contra perniciosos aliquos errores,sed contra probabilem tutamque hactenus opinionem;non contra impios hæreticos,sed contra catholicos & pios viros:sed eò vel maximè victoria illustrior,& palma nobilior.Nam quò validior,atq; robustior aduersariorum exercitus, victoria de ipso parta eò fœlicior,ac dignior existit.Iam non de imbelli hæreticorum acie,quā *sua ipsorum infidelitas exanimat* (vt cum August. loquar) sed de fortissima Catholicorum manu,quam fides omni armorum genere instruit,ac roborat,triumphus reportandus est.Non ab infidelibus,qui causæ diffidunt suæ, sed à fidelibus,quibus fides confidentiam addit,palmam referre oportet.*In ciuili bello* (verba sunt Vegetij de re Milit.lib.1.) *difficilis, ac dubia magis victoria est: quia vtrinque comperta est natura locorum,copiæ aduersariorū agnitæ,& consilia,siue rationes non ignotæ*. Quòd si difficilis,ac dubia magis est victoria,magè quoq; illustris,ac nobilis putari debet. Cogita ergo de origi-

nali Deiparæ iustitia ciuile quoddam prælium in Ecclesia geri, & tractari. Vtraq; acies strenua est: Scripturæ loca, quibus altera seipsam munit: Patrū copiæ, quibus se cingit: Theologicæ rationes, quibus se roborat: pia quoq; consilia, quibus se instruit, vtrinq; nota, & explorata sunt. Operosa igitur, ardua, & plena negotij: atq; adeò fœlicior, clarior, & illustrior victoria erit.

Addis etiam de nihilo, aut certè de leuissima re certamen susceptum. Non assentior. An non grauitatis, & sanctitatis plena fuit antiqua illa cōtrouersia, quæ tot Augustos Imperatores distinuit, tot sanctissimas Synodos compulit, vt pro Maria decertarent, & eam Dei parentem esse defenderēt? Illud igitur apud te constitue (Rex potentissime) nouam controuersiam, aut de eadem Virginis gloria fuisse susceptam, aut de alia quæ sanctitate, & grauitate nō est inferior. Imprimis enim si hac de re cum ipsa Virgine deliberes, atque illud ab eadem exquiras, quid ipsi antiquius? quid potius? quid item data optione sibi omninò eligendum, amplectendumque putaret, Matrem Dei semper esse, ac censeri, an originali iustitia ne ad momentum quidem nudatam fuisse? Id profectò Virgo sanctissima (audens dico) non eligeret solum, sed eligere, & amplecti deberet, satiusque duceret, & maioris putaret sanctitate originali ne breuissima quidem mora defraudari, quàm ea dignitate in æuum potiri. Deinde si rem teneas, & ea, quę passim sancti Patres, ac Doctores pronunciant, mente combibas; ideò in Maria iustitiam originalem adstruunt, quotquot piè, ac solidè sentiūt, quia illam dignitas Dei Parentis exposcit, ipsamq; huic dignitati quasi obstrictam, & deuinctam esse credunt. Quapropter ex illorum sententia originale peccatum cum dignitate Matris Dei ita confligere videtur, vt simul conuenire non posint.

§. III.

SED vlterius aliquid subijciam, quod recentis causæ dignitatem mirū in modum amplificat, & ei, quam orthodoxi illi Augusti olim propugnarunt, non parum affinē reddit: quia nimirum si de Virginis originali iustitia certa, & constans apud Catholicos doctrina sit, hæc quidem cōtra veteres illos Hæresiarchas, & contra ipsorum errores Orthodoxorum acies validissimè instruet atq; cōmuniet, fideiq; dogmata olim definita mirum in modum constabiliet, vt ex his quæ iam subijcio, liquidò constare poterit. Arius Christum creatorem esse negabat, creaturam esse annuebat, & consectariè Mariam creaturę, non creatoris, serui, & non Domini matrem statuebat. Audi nunc id quod pro Christi gloria, & pro Virginis originali innocentia pronunciauit D. Ildephonsus infrà citandus in lib. de Parturitione Virginis. *Alioqui si materna viscera, quasi pro peccato corrumperet, & sordibus ex vitio primæ damnationis coinquinaret, non esset Dei filius naturalis, sed adoptiuus, vt cæteri: imò nec adoptiuus, quia non esset alius, per quem adoptaretur ipse, si non esset proprius; sed seruus.* Quid illustrius?

Nestorius item duas in Christo personas, Dei videlicet, atque hominis, adstruens, communicationem idiomatum negabat, atque ex his humanam tantummodò ex Virgine procreatam, & genitam impiè affirmans, inde Mariam non esse Dei, sed hominis cōmunem matrē nefariè conficiebat. Audi D. Anselm. contra eos, qui Virginis Conceptionē originali labe

Bernard. de Bustos. impuram concedunt. Cuius verba Bernardinus de Bustos in suo Marial. serm.4.hoc tenore præscribit. *Peccatũ fuerat, quod homines à pace dirimebat, & vt illud Filius Dei euacuaret, sicque ad pacem reuocaret humanum genus, homo fieri voluit; & talis, vt nihil in eo aliquatenus remaneret, quod non concordaret ei, vnde homo à Deo discordabat. Quia ergo ita fieri oportebat, Matrẽ, de qua talis lis tolleretur, mundam ab omni peccato esse decebat. Alter quo pacto illi tam summa puritati tanta coniunctione vniretur, vt indifferenter, quæ sunt hominis, essent Dei, & quæ sunt Dei, hominis quoq; essent?* Quasi dicat. Aut hæc communicatio idiomatum, quæ duarum naturarum, diuinæ, atq; humanæ in vna hypostasi vnitatẽ consequitur, prorsus neganda, & respuenda est: aut cõcedendũ planè eã, quæ Dei simul atq; hominis mater, ac genitrix est, à peccato originali immunẽ fuisse, ne sit opus fateri fœminam quampiam peccato infectam indifferenter Dei, atque hominis parentem extitisse.

Ad hæc Eutiches, siue Dioscorus humanæ naturæ veritatem in Christo infitiari ausi, eiusdem cum Maria consubstantialitatem abnegarunt. Sed enim audiendi etiam hîc sunt, tum Augustinus, tum Anselmus cõtra eos, August. qui Mariam originali peccato sordidã fateri non verentur. August. enim de symbolo ad Catechumenos lib.4.cap.4. sanctitatem Mariæ extollẽs sic addit. *Quod tanta Matri contulit, & in sua carne seruauit, hoc etiã vobis donauit Virgo, Mater sancta, caro Christi, ab omni contagione integra,* id est, quæ ideò ab eo peccato, quod per contagium serpit, libera, & immunis esse debuit quia Christus verã, & eandem cũ ipsa carnem assumpsit. Sed luculentiùs Anselm. contra hæresim Eutichianam pronunciat D. Ansel. de Cõceptu Virginis, & de peccato originali cap.18. *Nempe decẽs erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicũ Filium suũ, quẽ de corde suo æqualẽ sibi genitũ tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt vnus, idemq; esset cõmunis, & consubstantialis Dei Patris, & Virginis Filius, & quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem eligebat.* Sed vehementiùs in Eu-Anastas. tichẽ, atq; eius hæresim inuectus pro Mariæ innocentia pugnat Anastasius Synaita lib.6. Anagogicarũ Quæstionum. *Quis mihi, dic quæso, aut ex hominibus, aut ex dæmonibus audebit dicere, quòd ea quæ est eiusdem simul cũ Deo essentiæ, quod ad carnẽ attinet, non sit ad imaginem & similitudinẽ eius, qui ex ipsa natus est? Quomodò enim est mater eiusmodi filij non ferens integrã, & illæsam fœtus sui imaginẽ?* Ne fugiant te extrema verba, *integram & illæsam fœtus sui imaginem*, quæ originalem iustitiam non tinniunt tantũ, sed clarè insonant. Ex his autem comperies, quàm sit familiare Patribus, vt Eutichiani dogmatis saporem omnem, & nidorẽ detestentur, Virginis perpetuã, & ab omni labe puram sanctitatem prædicare, & adstruere.

Denique Macharius vnam tantùm Christi voluntatem, & operationem, nempè diuinam afferebat, humanam tam voluntatem, quàm operationem diffitebatur. Cuius nefarium assertum non eò solum Mariæ iniurium, & contumeliosum erat, quia humanam voluntatem auferens, naturam quoque ipsam humanam, per quam matri consubstantialis est, callidè Christo eripiebat: sed etiam quia eam voluntatem, per quam matri suæ deferre, & eam colere, & obseruare filiali pietate debebat, eidem per summam ipsius matris iniuriam adimebat. Ergo simili quadam ratione

pro Virgine & pro Christo argumẽtari videtur S. Anselmus aduersus eos, qui Deiparam originali peccato, vel ad momentum, commaculatam esse aiunt. Subnecto illius verba, quæ aliter & aliter ab alijs, paucis mutatis, citari solent, sub eo tenore, quo producuntur ab antiquissimo, ac locupletissimo Theologo Ioanne Bacõ in Quodlibetis cap. 4. *Deus* (inquit) *qui castaneæ hoc confert, vt inter spinas ab spinis remota concipiatur, alatur, ac formetur, non potuit hoc facere matri suæ? Planè potuit, ac voluit: si autem voluit, ac fecit; aut voluntatem & potentiam non habuit.* Quid illustrius? Et sanè consecutio hæc in morali doctrina validissima, & fortissima est: quia non aliter filius ab hoc officio pietatis erga matrem excusari posse videbatur, nisi volũtas, potentia, & operatio in illo desiderarentur: aliter enim si hæc adessent, impietatis reus apud omnes meritò censeretur. Id argumẽti desumpsit Anselmus ex August. qui Virginis corpus post mortem à corruptione Dei beneficio seruatum fuisse eadẽ prorsus ratione cõficit in serm. 4. de Assumpt. Et ad probandam perpetuam Mariæ Virginitatẽ illud deriuauit D. Ildeph. in lib. de Virginit. Mariæ. Et ad euincendam mundissimæ Cõceptionis sanctitatem ab omnibus ferè scholasticis Theologis passim adhibetur, & celebratur. Sat scio his omnes illationes, & consecutiones, quibus sancti Patres eos perstringunt, qui Marianæ conceptionis puritatem diffitentur, tãtummodò (in ipsorummet Patrum opinione, ac sensu) probabiles esse: nõ enim est animus oppositæ sententiæ aliquam notam inurere, aut de illius probabilitate aliquid derogare. Sed tamen id volo, ac sentio, iuxta mentem horũ Patrum, eos, qui modò pro Deiparæ iustitia originali decertant, causam quandam defendere, ac tueri, valde affinem & cognatam eis dogmatibus, quæ veteres illi Augusti, & sanctissimæ Synodi contra Antimarianos hæreticos propugnarunt: atq; adeò antiquæ concertationis, & recentis pugnæ causam non esse inæqualem nobilitate, aut disparem gloria, sed horum Patrum æstimatione, eiusdem prorsus meriti, dignitatis, ac pretij.

Anselmus.

Nihil ergo non magnum, nihil non excelsum defendis (Rex potentissime) Religiosissimorum Imperatorum zelum, & pietatem æmularis, atque in te exprimis. Pro Nyzena, Ephesina, Trullana, Chalcedonẽsi, pro quinta & sexta Synodo certamen suscepisti: suæ Maternitatis, & innocẽtiæ nouum assertorem, & vindicem te Virgo nuncupauit. Age igitur, lacesse, insectare, vrge aduersarios, donec paria victoria, laureaq; insignis per te Maria triũphet, atq; ex hostium exuuijs præclarum, ac nobile trophæum illi figas.

§. IIII.

CÆterùm non eo solùm nomine causa ista tanti Principis patrocinio digna est, quia pro Deiparæ gloria suscipitur, sed etiam quia pro Sacerdotum, atq; adeò totius Ecclesiæ pace & cõcordia geritur, nam cùm de hac nostra ætate id enuntiare liceat, quod Theodosius Imperator in Epistola ad Ioannem Antiochenũ scripsit, *Cernimus Ecclesiasticæ pacis Doctores, ipsosq; concordiæ fontes eò discordiarum prolapsos, vt talibus indigeant, qui suo hortatu ad id eos impellant, quod pro officij sui munere vltrò præstare obligabantur.* Nũc ergo pietate insignis Princeps (liceat sic dicere) sacerdotali animo, ac studio inter Sacerdotes intercessit, & Ecclesiæ turbas sedare, & ad pacem cuncta componere aggressus est: atque ideò vel maximè Sacerdotum dissidi-

Theodos. Imper.

temperare,& paci restituere enixè contendit, vt ex his,qui *pacis fontes* sunt, puri,atq; illimes concordiæ latices in reliquam Ecclesiam defluere possint. Et sanè in Sacerdotum discordijs ex humanitate, & pietate intercedere, & eorum dissidia componere, & paci reddere, Catholici Principis proprium munus esse pro comperto habeo. Subijciam ex multis pauca,quæ id suadere,ac demonstrare videntur. Qua verò ratione, & quo animo religiosus,atq; orthodoxus Princeps Sacerdotum pacem curare debeat, docet nos Constantinus Magnus Imper. qui inter Arium, & Alexandrum Patriarcham Alexandrinum obortam contentionem authoritate sua, & literis ad vtrumque datis,sedare conatus est,(quæ literæ in fronte Nyzeni Concilij præfixæ sunt.) Obseruare autem oportet per id tempus, quando Imperator cum Ario,& Alexandro de pace componenda seriò per epistolas tractabat,in ea ipsum mente fuisse, vt putaret eam controuersiam de dogmate aliquo susceptam,quod ad fidem minimè pertineret. Nam inter alia sic rescribit. *Neque enim de summo in sacris literis præcepto vobis ansa ad digladiandum oblata est,neque nouus vllus de religione diuina introductus error: sed vnam, eandemque tenetis de fide sententiam, ita vt facilè possitis ad ipsum communionis consensum venire.* Sed quamuis hæc persuasio in religiosissimi Imperatoris sederat animo, & tota discordia inter Ecclesiæ Alexandrinæ terminos eatenus se se continuerat; nihilominus tamen studiosus concordiæ Princeps ad duos Sacerdotes de pace grauissimè scripsit,eorũque dissidia imperatoria authoritate sedare pro virili contendit. Ac primum quidem qua ratione in Sacerdotum discordijs sæcularem Principẽ intercedere oporteat,luculentis verbis demõstrat. *Quapropter ad hanc epistolam scribendam necessitate adductus,non solùm ad vestram vtriusque prudẽtiam scribo,sed etiam diuinam prouidentiã in hac re adiutricem fore obtestor: meque etiam communem vestræ dissensionis arbitrum tanquam pacis moderatorem non sine causa adhibeo.* Et nequis suspicari posset, Imperatorẽ aliquid ex iure agere, & sacram potestatẽ inuadere: sic statim attexit. *Quandoquidem Deo Optimo Maximo mihi opem ferente,quamuis maior esset dissentiendi occasio:tamen spero oratione mea pijs audientium mentibus adhibita,quemque ad id, quod sit vtilius, facilè me posse traducere.*

Constant. imper.

Cæterùm quo loco poni,quantique fieri debeat Sacerdotum in doctrina concordia,ex his, quæ in eadem epistola ad duos illos discordes Constantinus scribit, licet coniectari. Imprimis enim per ea, quæ inter duos exorta fuerant dissidia,prohibitum opinione sua affirmat, ne ipso imperãte, & id contendente, totum Romanum Imperium ab infidelitate ad fidẽ restitueretur: atque adeò sperare se dicit, vt sedatis turbis, restitutio illa quamprimum fieret. *Persuasum* (inquit) *habens, si omnes veros Dei cultores communi concordiæ vinculo, sicut mihi in optatis est, deuincire possim, vniuersæ Reipublicæ nostros ciues ad pia eorum instituta breui conuertendos esse.* Et subinde damna persequens intestinarum simultatum, quæ eiusdem Ecclesiæ filios distrahunt,pleraque in hanc sententiã eleganter,ac piè suggerit. Atq; in sermone Prosphonetico,quem ad Patres in Nyzena Synodo collectos habuit,addit,orthodoxos Christianos,quandiu inter se dissident, fidei suæ aduersarios lætitia implere,illisque se se quodammodo irridendos propi-

nare.

nare. Accipe grauitatis plena verba: *Graue enim esset, imò quàm acerbum hostibus iam profligatis, & nemine ex aduerso se opponere audente, inuicē oppugnare, & lætitiam inimicis, atq; adeò risum præbere.* Quid plura? In præcitata epistola pijssimus Augustus aliquid vlterius attexit, quod illi zelus religionis extorsit: affirmat enim prophanā, & sæcularem pacem, quam ipse domitis, debellatisq; Imperij Romani hostibus assecutus fuerat, tamdiu pro nihilo à se duci, ac putari, quamdiu Ecclesiam vnam, duorum Sacerdotum iurgijs interturbari constabat. Quomodò autem hæc solicitudo, & cura animum eius coqueret, ac sauciaret, ex his, quæ iam subijcio, verbis cōstabit: *Date* (inquit) *mihi dies tranquillos, & noctes curæ, ac molestiarum expertes, vt voluptas, quæ tum ex syncera concordiæ luce, tum ex vita quieta capi solet, mihi integra in posterum conseruetur. Quod quidem si minus contingat, necesse est ingemiscere, lachrymis, & mærore omnino confici: nec fieri potest, vt vitæ cursum de reliquo tranquillè, & sedatè transigam. Nam quamdiu Dei populus (eum dico, qui commum mecum erga Deum obsequio fungitur) tam iniqua, perniciosaq; contentione à se mutuò dissidet, quomodò fieri potest, vt ipse animo tranquillo cōsistam? Atq; vt incredibilem huius doloris morsum intelligatis, sic accipite. Nō pridem ad Nicomediensem ciuitatem aduentans extemplo iter versus orientem maturè facere constituebam: sed me quidem ad vos citato gradu properantem, cùm maiorem itineris partem confecissem, vt prope iam vobiscum esse viderer, literarum istarum nuncius in contrariam cogitationem compulit, ne oculis ea videre cogerer, quæ ne auribus quidem tolerare me posse existimabam. Deinceps ergo vestra concordia patefacite mihi ad Orientem aditum, quem vos vestris dissidijs vltrò, citroq; feruentibus interclusistis: & efficite breui, vt cùm vos pariter, tùm reliquum vniuersum populum lætitia gestientem cernam, & omnes vnà pro communi omnium concordia, & libertate, consentientibus laudis præconijs, debitas gratias Deo Optimo Maximo agamus.* Hæc Constantinus Magnus, antequam sciret controuersiam, quæ inter Arium Presbyterum, & Alexādrum Patriarcham coorta fuerat, ad religionem spectare. Talis erat in religioso Imperatore Ecclesiasticæ pacis ardor, ac zelus, quē Nyzenæ Synodi Patres probarunt, & commendarunt. Adeste igitur mecū omnes, quotquot piè sentitis, & omnipotenti numini ex animo grates persoluite, quod Constantini religionem, ac zelum hoc nostro sæculo in Philippo instaurauit, ac reparauit. Constantinus certè opinione mea antiquus Philippus appellari debet: Philippum verò nouum Constantinum reor: par vtriusque religio, æqualis pietas, non dispar de Sacerdotum pace studium, similis de Ecclesiastica disciplina solicitudo.

Sed enim Constantini Imperatoris religionem Theodosius Iunior nō longo pòst tempore æmulatus est: cuius in conciliandam Sacerdotum pacem collatum studium non semel etiam Ephesina Synodus commendauit. Quanti verò apud ipsum esset Sacerdotum concordia, ex duplici epistola ad Cyrillum, (qui tunc in Ephes. Concilio præsidem agebat) rescripta aucupari licet. In altera enim sic ferit. *Hoc tempore magis nobis curæ est, vt sancta pax, optataque tranquillitas Ecclesijs restituatur, quàm vt priuatas nostras iniurias prosequamur.* Et paucis interiectis. *Ne igitur clam te sit, quenā in statu res nostræ versentur. Noueris Ecclesias, & Regnū nostrum coniuncta esse,*

nostraq; accedente authoritate, & Imperio, & Christi seruatoris nostri aspirante prouidentia, magis subinde coitura esse, &c. Hæc Imperator ad Cyrillum, tūc cùm aduersariorum falsis denunciationibus deceptus putabat illum turbis in Concilio excitatis causam aliquam obtulisse. Deinde verò veritate cō-perta, alias ad eundem literas suo, & Valentiniani Augusti nomine submisit, quibus suam de Sacerdotij concordia solicitudinem pluribus aperit: & inter alia hæc attexit. *Reipublicæ optima constitutio, & religio ex se inuicem pendent, & vtraque prosperis alterius successibus incrementa sumit, quandoquidem sicut vera religio iusta actione perficitur: ita respublica religionis ope nixa florescit. Cùm itaq; Deus Optimus Maximus Imperij habenas nobis tradiderit, hisque, qui Imperio nostro parent, pietatis & iustæ actionis vinculū nos esse voluerit, harum inter se societatem indiuulsam perpetuò hactenus cōseruare enixè contendimus. Ante omnia autem operam damus, vt Ecclesiasticus status* (scilicet Sacerdotum ordo) *eiusmodi sit, qui & Deum deceat, & temporibus nostris quā maximè congruat, idemq; ex omnium concordia, & consensione suam tranquillitatem obtineat, & per Ecclesiasticarum controuersiarum pacem, à turbis, & seditionibus liber existat, eorumq; vita, qui vel inter clericos cēsentur, vel magno quoq; inter illos sacerdotio funguntur, omni prorsus næuo, & culpa vacet.* Hactenus Theodosius, & Valentinianus, quorum zelus vsq; adeò Patribus reliquis, & Cyrillo probatus est, vt rescriptis ad eosdem alijs literis, tota Synodus id voluerit contestari. *Vestra* (inquit) *pietas, pijssimi, ac Christianissimi Principes, rectam fidem à progenitoribus semel haustam quotidianis incremētis augere non desinit.* Et subinde. *Vestra Maiestas sanctas Ecclesias diu multumq; turbari, veraq; fidei, ac pietatis dogmata adulterari neutiquam est passa.* Et alia multa per totam Synodum sparsa sunt, quibus Imperatorum pro pace Sacerdotum concilianda suscepta solicitudo laudatur. Maximum quoq; præconium huius Imperatorij ardoris intueda Ecclesiarum pace, maximū etiam incitamentum accepit ex Celestini PP. Epistola ad eundem Theodosiū, quæ sic habet. *Sufficiat licet solicitudo vestræ clementiæ circa fidei Catholicæ defensionem, cui pro Christi Dei nostri amore, qui vestri imperij rector est, adesse modis omnibus festinatis. Maior vobis fidei causa esse debet, quàm Regni: amplius pro pace Ecclesiarū clementia vestra debet esse solicita, quàm pro omnium securitate terrarū: subsequūtur enim omnia prospera, si primitus, quæ Deo sunt chariora, seruentur. Abraham fide floruit, omnemq; orbē gloria suæ prosperitatis impleuit. Moyses populi liberator zelū Dei contra eos, si quos à Dei cultu recessisse probauerat, armauit. Dauid Regē sua præcepta seruantē in Regno, vt ille inimicos suos subderet, Dominus custodiuit. Hoc ergo exēplorum vallati præsidio, fidei obseruatione, & virtute, vniuersalis Ecclesiæ in Deum nostrū pijssimū cultum, ne sibi aliquid dissensio vendicet, custodite. Pro vestri enim Imperij salute geritur, quidquid pro pace Ecclesiæ, vel sanctæ religionis reuerentia laboratur.* Hactenus Celestinus.

Sixtus. Sed illustris admodum est laus illa, qua Sixtus PP. post Celestinum in Cathedram Petri suffectus, in Epistola ad Ioannem Antiochenum Patriarcham submissa, duorum Imperatorum de pace Ecclesiastica zelum prosequitur, his verbis. *Quàm super hoc* (nempe de pace Sacerdotij, & integritate fidei) *esse soliciti nos debeamus, clementissimorum, ac Christianissimorum Regum cura testatur. Aspice frater charissime cœlesti negotio, quā se vigilāter impēderint:*

cogita-

cogitationum ferias nescierunt, nec dignati sunt terrena curare, nisi cælestibus paruissent. Quoties Apostolicam Sedem, quoties diuersos fratres eorum sermo commouit, impenderunt se huic negotio. Quis eorum vnquam negauit imperio? Sciunt se illi fœnerare solicitudinem suam, qui eam cũ grandi reddat vsura: de qua re nos conuenit gloriari, quia cælestem Regem videmus fœderatos Reges habere terrarũ.

A Theodosio ad Martinianum contendo, qui inter Catholicos Augustos nulli religione, & pacis Ecclesiasticæ studio inferior fuit. Hunc ergo Leo Magnus PP. semel atq; iterum mirificè collaudat, & ardentem eius zelum summissis denuò facibus inflammat. Nam in Epistola congratulatoria ad eundem Imperatorem sic habet. *Magnam materiam congratulationis accepi, quia studiosissimos vos Ecclesiasticæ pacis agnoui, vt quem statum esse cupitis religionis, eundem habeatis & regni.* Et rursus in alia Epist. ad eundẽ pro Chalcedon. Synodo colligenda sic iterum ipsum affatur. *Sed quia pio studio humanis negotijs diuina præponitis, & rationabiliter, ac religiosè regni vestri viribus creditis profuturum, si nulla sit in Sacerdotum sensibus dissonantia.* Quid plura? Non est reticenda Iustiniani Imperatoris sentẽtia, qui quò suum de conciliandis Sacerdotum discordijs studium contestaretur, in constitutione contra Anthimum, & Seuerum, (quæ habetur in sexta Synodo generali) sic demum pronunciat. *Hæc pro communi pace sanctissimarum Ecclesiarum statuimus, hæc sententiauimus sequentes Sanctorum Patrum dogmata, vt omne sacerdotium imperturbatum de cætero nobis permaneat, quo in pace seruato, reliqua nobis exuberabit politia.* In Græcis codicibus est **ὑπερβαίνει**, id est, exundauit. Et quidẽ appositè: nam cùm Sacerdotes, & Religiosi, vt nuper ex Theodosio Imperatore præscripsimus, *concordiæ vberrimi fontes sint*, quamdiu isti inter se consentientes sunt, tanta vbertate, & affluentia in reliquam Rempublicam pacem influunt, vt eam quasi collectis riuis exundare faciant, & totas latè regiones infundere.

Leo PP.

Iustinian. Imper.

Iam igitur ex dictis satis constat in Sacerdotum discordijs ex zelo religionis intercedere Regiæ Maiestatis nobile, ac gloriosum munus esse quod orthodoxi Imperatores seriò gesserunt, quod Pontifices Summi, & grauissima Ecclesiæ Concilia non solum probarunt, ac commendarunt: sed etiã illud tanquam imperij robur, & politicæ administrationis præcipuum fundamentum eisdem Imperatoribus indixerunt, demandarunt, præscripserunt. Liceat ergo mihi verba illa Magni Leonis ad Philipum Regem nostrum conuertere. *Magnam congratulationis materiam habemus, quia studiosos vos Ecclesiasticæ pacis tantoperè experimur, quia humanis negotijs diuina præponitis, & rationabiliter, ac religiose regni vestri viribus creditis profuturum, si nulla sit in Sacerdotum mentibus dissonantia.* Non inuidemus priscis sæculis Constantinos, Theodosios, Martianos, & Iustinianos suos. Imò potius futurum credimus, vt si tempora nostra præcessissent, & illa succederẽt, ipsis certè ex Philippo nostro inuidia non modica pareretur. Habuerunt enim illa tempora orthodoxos Principes, singula tamen singulos: nostra verò in vno Philippo omnium antiquorum collectionem obtinent. Perge igitur (Rex potentissime) Ecclesiasticæ concordiæ procurandæ totus incũbe, & in id vel maximè enitere, vt si fieri posit, de Virginis originali iustitia vnã omnes concordibus animis teneamus sentẽtiam, & de reliquo pax affluet,

concordiaq; exundabit. An non Virgo sanctissima in omnibus Ecclesiæ contentionibus, pacis, & concordiæ arbitrium habet? Ita profectò docet Synodus Constantinopolitana 7. ad Hormisdam PP. *Quia intercessione sanctissimæ Virginis olim, quæ fuerant membra diuisa, ad vnitatem, & charitatem perfectè sunt redacta.* Et Epiphanius Constantinopolitanus Patriarcha ad eundem Hormisdam. *Nullomodo* (inquit) *licebit iam sanctam dilacerari Ecclesiam precibus Deigenitricis Virginis Mariæ.* Si ergo circa ipsum communis concordiæ, pacisq; nostræ fontẽ contendimus, pugnamus, & digladiamur, quis de cætero nostræ discordiæ finis erit? Dissidiorum nostrorum compositionem, & sedationem vnde sperabimus, si ipsam concordiæ scaturiginẽ exturbemus?

Syno. Constant.

Epiphan.

Leo PP.

Hoc enim Imperatoriæ authoritatis nobile exercitium Sancti Leonis Pontificis Maximi calamum ad Theodosij Augusti laudes euocauit. Nam in Epist. 5. ad eundem Theodosiũ ita rescribit. *Quantũ præsidij Dominus Ecclesiæ suæ in fide vestræ clementiæ præpararit, his etiam literis, quas ad me misistis, ostenditur: vt vobis non solum Regium, sed etiam Sacerdotalem animum inesse gaudeamus: siquidem præter imperiales, & publicas curas piissimam solicitudinẽ Christianæ religionis habetis. Ne scilicet in populo Dei, aut schismata, aut hæreses, aut vlla scandala conualescant.* Et in Epistola 57. ad eundem. *Ineffabiles* (inquit) *Deo gratias ago, qui eo tempore, quo oboritura hæreticorum scandala præsciebat, vos in imperij fastigio collocauit, in quibus ad totius mundi salutem regia potentia, & sacerdotalis vigeret industria.* Et rursus in Epist. 78. sic eundem affatur. *Sanctum pietatis vestræ studium circa religionem Christianã gloriosis perseuerat, & crescit augmentis: & hæc fides vestræ clementiæ non solum me, sed & omnes Domini Sacerdotes consolatur, & roborat, dum in Christiano Principe Sacerdotalem experimur affectum: quem si orientalium partiũ sacerdotes studeant imitari, nihil scandalorũ, neq; pax, neq; fides Christiana patietur.* En quibus laudibus in cœlum vsq; vexit sanctissimus Pontifex Leo Primus Theodosij in fidei causis sacerdotalem affectum, & sacerdotalem industriam. Audi nunc Leonis Secundi de Flauij Constantini fide, ac religiõne testimonium, qui non solum pijssimum illum Imperatorem eo nomine collaudat, quòd se in sacerdotum collegium adscribi, & inter sacerdotes cooptari impensè vellet. Sed vlterius etiam postquam talem animum ipsi Imperatori à Deo inditum dixit, quale sit sacrificium, quod illius sacerdotio respondeat, luculentis verbis declarat. *Vnde diuinitus præordinata vestra Christianissima pietas, & habitaculum dignissimum sancti Spiritus in sui cordis arcano præparans, quãdo caput Ecclesiæ Dominum Iesum Christum, veræ pietatis regulã amplectendo, concessi sibi ab eo regni demonstrat authorem, sanctum, & venerabile corpus eius, quæ est sancta mater Ecclesia, vt syncerus, ac principalis filius, largiendo atque fouendo sancta facit soliditate gaudere.* Pende energiam verborum: nam Põtificis ea planè mens est, vt Imperatorem orthodoxum Ecclesiasticæ pacis studiosum cum Sacerdote ita componat, vt inter vtrumq; id tantum diuersitatis agnoscat, quod Sacerdos corpus ipsius Christi naturale verbis consecrat, & conficit suis: Imperator verò eiusdem Christi corpus morale, ac mysticum, sanctam nempè Ecclesiam per fidei, atq; concordiæ studium componit, ac coagmentat. Ideò opposité ad dicta subtexit. *Scriptũ*

est

est igitur de vobis (clementissime Principum) & de eadem sancta Ecclesia toto terrarum orbe diffusa: Erunt (inquit) Reges nutritij tui. Pariter que scriptum est: Honor Regis iudicium diligit, quia dum diuina rebus humanis praeponitis, & orthodoxam Ecclesiæ fidem curis sæcularibus incōparabiliter anteferetis, quid aliud quàm iudicium rectum Dei cultui mancipatis, & sacrificium purissimum, atque holocaustum diuinæ suauitatis odore fragrans in ara vestri cordis eius inuisibili maiestati mactatis.

Aures igitur, & animum aduerte Philippe Rex potentissime, Austriacæ domus gloriosa soboles, tuæ familiæ omnium, quæ aut sunt, aut fuerunt, fœlicissimæ, antiqua stemmata memoria repete. An nō hæc tua Augustissima familia fœlicitatis suæ omen, & auspicia ex studio, & religione erga sacrosanctum Christi Domini naturale corpus in Eucharistia consecratū suscepit? Ita profectò. Aliud tibi nunc demonstro morale, ac mysticū eiusdem Christi corpus, quod non solum religiosè venerari, & colere, sed etiā sacerdotali quadam potestate per fidei Christianæ zelum, & Ecclesiasticæ pacis studium conficere, & coagmentare possis: Ecclesiā dico, quæ Christi corpus per omnem iuncturam connexum, & compactum existit. Perge igitur vt facis, Ecclesiam istam defende, Christianæ fidei causis, & concordiæ Ecclesiarum curandæ maiestatem tuam impende: atq; id polliceri audeo, maiorem te ex hoc pietatis officio, & mystico sacerdotio ad minores tuos fœlicitatis omnem transmissurum, quam maiores tui tibi ex veneratione corporis Christi reliquerunt.

§. V.

PErge igitur, vt facis (princeps omnium clarissime) in Sacerdotum pacem, & concordiam procurandam omni studio incumbe, inter publicæ administrationis curas religionis negotia sedulo gerenda suscipe: atque illud apud te ipsum cogitā, quia dum tu Mariæ originalē innocentiam tāto ardore defendis, eam omnibus Christianis efficacissimè persuades, qui eam mentē non sine speciali prouidentia tibi à Deo inditam putantes, illud libentius credunt, & amplectuntur, quod te libentissime credere, & amplecti conspiciunt. Primò, quia vix fieri posse putāt, vt orthodoxo Principi fidem, & religionē cæteris rebus facilè præferēti aliquid nō verum tam altè animo insederit. Et quidem ita putandum ad summā Dei prouidentiā spectare, vt Catholicus Princeps in religionis, ac fidei causa, cum non ex licentia potestatis humanæ, sed ex zelo, & pietate, non inconsultè, ac temerè, sed virorū doctrina ac religione præstantium auditis consilijs inducitur, à veritatis, ac fidei certissimo tramite minime vel deflectat, vel deerret. Id sibi voluit Ioannes PP. in altera Epistola ad Iustinianū Imperatorem, quæ lecta est in Concil. Toletano secūdo: nam cū Imperator quasdā ad eum literas dedisset integram fidei confessionē continentes, summissis ad eundē alijs literis, Pōtifex confessionē ipsius probauit, & inter alia de Augusti fide sic fatur. *Patet igitur in vobis impletū, quod scripturæ sacræ loquuntur: Per me Reges regnant, & potentes scribunt iustitiā. Nihil est enim, quod lumine clariore præfulgeat, quā recta fides in Principe: nihil est, quod ita nesciat occasui subiacere, quā vera illius religio.* Quæ verba de Principe veritatis, ac fidei studioso capiēda sunt, quem Deus prouidentia singulari ad veritatem semper informat.

Et

Libaniæ Episcop.

Et eodem sensu donanda sunt illa verba, quæ Libaniæ Prouinciæ Episcopi ad Leonem Primum Catholicum Imperatorem sequenti tenore scripserunt. *Verè cor Regis in manu Dei est, & cor Dei in consilio Regis: propterea qui ab eo Regni retinacula sunt sortiti, nunquam decipiuntur, subiectis magna solicitudine gubernatis: Dei enim cor habent, vnde possident donum sapientiæ, atque consilij, vnde & meruerint coronari. Ex illa siquidem manu (rerum Domine) adeptus sapientiam, habes immobilem, atque robustam in te fidei crepidinem.* Hæc Ioannes Papa de Iustiniano, hæc Libaniæ Antistites de Leone Imperatore, quæ longè melius in Catholicum Regem nostrum cadere mihi videntur. Nam si ex his, quæ præsentia sunt, de futuris statuere licet, eius fides, atque religio occasum nesciens semper vigebit. Quomodò enim ad occasum vergere possit illa religio, & fides, quam auroram versus, hoc est, ad Mariam, eiusque auream Conceptionis horam semper spectat, semperque illi intenta hæret? Rursus nullus in illo lapsus, error, aut falsa de rebus fidei opinio timeri potest, quia *cor eius in manu Dei*, cui illud moderandum permisit, *& Dei etiam cor in ipsius consilijs*, & rationibus, in his maximè, quæ pro amplificanda Deiparæ gloria suscepta sunt: tantus enim ardor in Religioso Principe non nisi Dei corde ipsum inflammante, & quasi inanimante, euenisse credendus est. Vnde enim talis, tam beneuolus, tam tener, tamque effusus Philippi ergaMariam amor accidere potuit, nisi quia ipsemet Deus Mariæ filius suum illi indidit, atq; impressit cor? Quapropter inde factum, vt Mariam Philippus filiali prosequatur studio, & nō secus de illius gloria, & splendore, quàm de matris cuiusdam amantissimæ honore solicitus sit: & Maria vicissim Philippum materno amplectatur affectu, & eidem tanquam filio vnicè dilecto omnia fausta, atque fœlicia deprecetur.

Isauriæ Episcop.

Quapropter (Rex potentissime) dignus planè mihi videris, vt de te enunciari possint illa verba, quæ decem & octo Isauriæ Episcopi de Leone Primo Augusto olim protulerunt in Epistola ad ipsum data, quæ in Concilij Chalcedonensis appendicibus extat. *Quem alterum* (inquiunt) *Imperatorem decebat talia pro talibus facere nobis præter vestram solummodo pietatem, quam ipse propriè Deus elegit, & ex totius mundi potentia coronauit?* Et paucis interceptis. *Æmulatus es actibus tuis tranquillissime Imperator Constantinum illum memoriæ immortalem, maximum, pium, amatorē Christi, & indubitanter apud omnes beatum, qui Abelis viuens imaginem in animabus hominum possedit in æternum: qui cum Dauid quidem sicut Rex, & Propheta stat apud Deum: cum Petro autem, & Paulo, & tonitrui filijs, quasi similis eis in prædicationibus veritatis effulget.* Hæc illi, quæ si libræ tradantur, optimi Principis perfectissimam imaginem omnibus suis lineamentis ductā continent. Nam tres omninò iuris differentias agnoscimus. Aliud est ius naturale, aliud ciuile & politicum, aliud diuinum, seu Ecclesiasticum. Igitur optimi Principis curæ, & industriæ omnia isthæc iura à Deo commissa sunt: naturale quidem, ne illud ex improbitate violari sinat: ciuile, & politicum, vt illud ex imperio iustè moderetur; diuinum, & Ecclesiasticum, vt illud ex religione, & pietate defendat. Ex his capitibus Isauriæ Antistites Constantini Imperatoris commendationem deriuant, asserentes illum

pro iure naturali Abel, pro ciuili, & politico Dauid, & pro diuino denique Petrum & Paulum, Ioannem & Iacobum extitisse. Hæc quoque Philippi Regis nostri propria, & germana laus, qui inter curas humanæ, ac publicæ administrationis diuinis etiam, & Ecclesiasticis rebus solicitudinem suam nunquam non seriò impendit, Abelis probitatem, Dauidis iustitiam, ac Petri, Pauli, Ioannis, & Iacobi zelum in se exprimens, & adumbrans: nimirum in defensanda Apostolica Sede Petrum, in tuendis fidei dogmatibus Paulum, in Virginis Deiparæ honore defendendo Ioannem, & in totius Hispaniæ salute, ac fide propugnanda Iacobum æmulatus.

Denique alio etiam nomine hæc tua de pura Deiparæ Virginis Conceptione tam tenax offirmataq; sententia ad eandem reliquis fidelibus persuadendam, plurimum conducit: quia nimirum in ea, quæ Princeps sentit, ac tenet, reliquæ multitudinis sensus facile conspirat, ac confluit. Liceat ergo mihi de te, ac pro te (Regum potentissime) illa verba vsurpare, quæ sexta Synodus Constantinopolitana in Flauium Constantinum coniecit, tunc cùm inter Episcopos insignis considebat. *Cum omnipotenti Christi conregnatore Pius Imperator simul decernebas, tu qui à Deo decoratus es. Eleuatus est Sol, & Luna stetit in ordine suo (ait Propheta) In lumine leuatus est Sol, id est, mens vestra ad iustitiæ solem ascendit purissimum, puram respicere reconciliationem, quam nobis, ex hoc apportauit. Et Luna stetit in ordine suo, id est, Ecclesia, & sponsa Christi sui decore amicta est, & pietatem tanquam virginitatis stolam induitur, & orthodoxæ fidei plenitudine pleniùs sarta, perpetua pace mundum illustrat.* Verba sunt obscuriora, & accommodatio loci non obuia. Mentem ergo sanctissimorum Patrum accipe. Imperatoris Constantini mens (inquiunt) ad iustitiæ solem intendens, veritatis, ac fidei lumine irradiata, solis ad instar obtinere cœpit: non tamen radios suos contraxit, sed illos in Ecclesiam vniuersam tanquam in lunam demisit, quæ illius splendore continuò incanduit, pacis, ac fidei lumine collustrata. Hinc agnoscere licet, quantum vnius Catholici Principis fides, atque religio ad reliquam Ecclesiam in fide, ac religione firmandam possit, ac valeat. Sed tamen si Philippi Regis nostri potentissimi in ea, de qua nobis sermo est, causa qualis sit animus, ac mens, planè cognoscere vis: finge tibi ad eundem modum mentem illius in eam, quæ amicta est Sole, mulierem, hoc est, in Mariam originalis gratiæ (fortasse etiam & gloriæ) radijs candidissimè fulgentem, intenta acie spectantem, & omnes illius radios, & splendores pleno haurientem obtutu. Quid inde? An non ex ea, quæ tanquam *Sol electa est,* irradiata tanti Principis mens solis etiam ad instar promicare, atque effulgescere cœpit? Ita planè. Ergo sol iste candidissimam, quam inde haurit, lucem non contrahit, non abscondit, sed in vniuersam Ecclesiam tanquam in lunam effundere impensè cupit, vt ex ipso illustrata, de Virginis perpetua, & originali sanctitate, eadem prorsus, quæ ipse sentit, tota sentiat, ac iudicet. Alia subinde attexunt verba Constantinopolitani Concilij Patres, quæ in Philippum etiam nostrum conuertere integrum est. Ea igitur subijciam, pro Flauio Constantino Philippi nomen adscribens.

Omnes

Omnes vnanimiter acclamamus: Saluum fac Domine Philippum Regem nostrũ, qui post te corroborauit fidei fundamentum. Benedicito vitam eius, dirigito gressus cogitationum eius. Conterat Deus virtutem inimicorum suorum, & resistentes ei continuo corruant, quia fecit iudicium, & iustitiam sempiternam, quia veritati manum porrexit, populumq; tuum saluauit, ad eadem sapere nos concilians. Gaude Hispania, glorificata nomine principali. Ecce Rex tuus fidelis sedet fortissimus, & accepit armaturam æmulatricem eius virtutem, indutus est loricam iustitiæ, & sanctitatis, circumposuit sibi galeam prudentiam, quæ est specula virtutum, & scutum assumpsit, inexpugnabilem in Deum pietatem. His armatum cum aspiciant Barbari, speramus in Deum, eos obtemperaturos dominanti. Gaude, & fiducialiter age (Rex speciosissime) Dominus Deus tuus in te potens, præcingens te virtute, saluabit te, adducet super te iucunditatem, & exultationem, ampliabiturq; imperium tuum, & exaltabitur brachium tuum, & dominabitur cunctis aduersis, atq; obstantibus: lamentabitur quidem hostilitas, gaudebit autem obedientia, &c.

§. VI.

QVID plura? Vnum aliquid mihi desiderare videor, quod sæculũ istud fœlix, ac beatum prorsus reddere, & ad sanctissimæ Virginis causam promouendam, atq; ad Conceptionis illius puritatem propugnandam, tuendamq; plurimum opinione mea præstare posset, si nimirũ inter viuos adhuc superstes ageret imperij tui consors, orthodoxa coniux Margarita Augusta: quæ pro suo in Virginem, eiusq; illibatam innocentiam studio nihil non ageret, vt zelum tuum per semetipsum satis flagrantẽ subiectis denuò facibus inflãmaret, atq; fœmina ipsa, Reginaq;, pro fœminarũ gloria, & Regina Maria validissimè, ac robustissimè decertaret. Sed tamen quãuis eam (o ingentẽ huius ætatis cladem!) fatum tibi, ac nobis eripuit, sui verò erga sanctissimã Virginẽ studij pietatis, ac religionis vicarias reliquit clarissimas atq; generosissimas fœminas, quas tu (Rex inuictissime) loco illius pro fœminarũ splendore, ac corona Maria suppliciter tibi prouolutas deposito Regiæ Maiestatis fastigio, & supercilio beneuolè audis, & placidè auscultas. Serenissimã Margaritã, dico Consobrinã tuã, quæ oblata sibi sceptra, & coronas nudo protriuit pede, & nunc eius, quæ serpenti caput pede suo calcauit, decus, & gloriam ante omnes alias fœminas affectat: Excellentissimam quoq; Heroinam, ac Dominam Annam Infantati Ducissam, quæ Virginis originalem iustitiam defendere ad originis, natalium q; suorum splendorem pertinere existimauit: aliasq; generosas, & pias fœminas, Virgines pro Virgine, & Matronas pro Matrona satagere, exerceri, ac solicitas esse marte suo cõtendentes. ¶ Quantum verò possit, ac valeat fœminæ vnius generosæ pro fœmina Deipara solicitudo, & labor, nõ vna tantùm, sed plures valde insignes fœminæ contestantur. Ex multis aliquas producam. Primò Galla Placidia Honorij Imperatoris soror, Constantij coniux, & Valẽtiniani mater pro Virgine pugnacissima fuit: hæc enim suis adhortationibus cum Constãtio coniuge egit, vt reliquias idololatriæ prorsus euerteret; Pelagium, Scelestiumq; ab eodem in exilium mitti curauit. Deinde verò Valentinianum filium, qui simul cum iuniore Theodosio Augusto Imperij habenas tenuit, ad Ephesinam Synodum contra Ne-

ſtorium pro Virginis gloria defenſanda cogēdam ſuis precibus excitauit. Necnon etiam paulò poſt pro eadem Synodo Epheſina, cuius dogmata Neſtorij reliquiæ collecto quodam profano, & exotico conciliabulo labefactari curauerant, literas ad Pulcheriam Theodoſij ſororem, & Theodoſiū ipſum dedit pietatis,ac religionis pleniſsimas, quæ extant inter præambula ad Synodum Chalcedonenſem:quibus tantum profecit, vt Theodoſium contra falſam Synodum concitarit,vti Hæreticos auxilio,& bonorum ſuorum proſcriptione mulctaret.

Incidimus in Pulcheriā Theodoſij Auguſti ſororē,& Martiani amantiſſimam coniugem. Quis autē verbis conſequi valeat huius heroinæ ad tuendam Virginis præcipuam, & maximam dignitatem, ſcilicet *maternitatem Dei* contra Neſtorianos,nauatas operas,laborem, ſolicitudinemq; impenſam?Hæc igitur à D.Cyrillo Alexandrino in vera fide edocta,& confirmata(vtpote cui Cyrillus ſecundum librum de recta in Deum fide, quem *ad Reginas* inſcribit,dicatum,ac ſacratum eſſe voluerat)tanto ardore in Virginis cauſa defendenda,virgo etiam ipſa tunc ante nuptias, flagrare cœpit, vt ipſa prorſus Theodoſio fratri de Synodo Epheſina cogenda mentē indiderit,in qua Maria vera, & germana Dei mater communi omniū Patrum calculo proclamata,& Neſtorius anathemate perculſus eſt. Et cùm poſteà Eutichiani hæretici veritatē humanæ naturæ in Chriſto negantes, Virginem quoq; Theotocon,& Deigenitricem abnegarent, Martianum Imperatorem,cui non pridem nuptui data fuerat,ad Chalcedonenſem Synodū euocandam incitauit,eumq; ad Illyricum contendentē ſuis precibus Chalcedonem conuertit, vt ſimul cum ipſo Synodalibus Actionibus intereſſet, in quibus Euthichiana hæreſis execrata,& damnata,atq; Virgo iterū Theotocos conclamata fuit. Id quoq; Pulcheriæ acceptum refert S. Leo Papa: nam in Epiſtola ad eandem Pulcheriam hunc ad modum ſcribit. *Per te hæreſim ſuam tueri impietas Neſtoriana non potuit. De quo virtutum agone proceſſit, vt per ſolicitudinem veſtram, ea, quæ per Eutichem diabolus molitus eſt, non laterent, & qui ſibi ſingulas partes geminæ impietatis elegerāt, vna Catholicæ fidei virtute procumberent. Secunda ergo hæc vobis de perempto Eutichetis errore victoria eſt glorioſiſsima Auguſta. Libet igitur exultare cum gaudio, & pro veſtræ clementiæ proſperitate digna Deo vota perſoluere, qui tibi per omnes mundi partes, in quibus Domini Euangelium prædicatur, duplicem iam & palmā contulit, & coronā.* Duas iſtas Pulcheriæ palmas,& coronas,quibus de duplici Holopherne iugulato Iudith noua triumphauit, celebrauit etiam Synodus Chalcedonēſis:nam in Actione 7. cūcti Patres Synodicè Martiani,& Pulcheriæ pietatem clamoribus ſic proſecuti ſunt. *Martiano nouo Conſtantino, nouo Paulo, nouo Dauid multos annos: Auguſtæ multos annos, vos luminaria orthodoxæ fidei. Lumina pacis Domine tu cuſtodi; luminaria mundi Domine tu cuſtodi. Quæ ex genere orthodoxa eſt, Deus eam cuſtodiat. Cuſtodem fidei Deus cuſtodias: eam, quæ ſemper pia eſt, Deus cuſtodiat. Pia orthodoxa, quæ contraria eſt hæreticis, Deus eam cuſtodiat. Omnes hæreticos tu fugaſti Neſtoriū, & Eutichem perſecuta. Pulcheria noua Helena, zelum Helenæ tu ſectaris, &c.* Hæc de Pulcheria,cui tota Eccleſia id ſe debere fatetur,quòd ſanctiſsimam Mariā Dei Matrem,& genitricem pleno ore compellare poteſt. *Synodus Chalced.*

Sed audi vlterius alterius generosissimæ, ac sanctissimæ fœminæ pro ea lem Virgine tuenda zelũ. E latebris, in quas religionis causa olim secesse-at, in apertũ prodijt, & in campũ descendit S. Melania iunior, fœmina Cõ sularis: nam Hierosolyma Constantinopolim repetens cõtra Nestorianos pugnacissima fuit. De illa enim sic Metaphrastes apud Baroniũ tom. 5. anno 434. *Illa* (inquit) *cùm tunc esset exorta Nestorij blasphemia* (contra Deipa rã) *& malignus multos in errorẽ abduceret, etiã ex his, qui erant in verbo veritatis: ipsa erat, quæ magnũ aduersus illum inibat certamen, & vanũ, & inane reddebat eius sophisma, à mane vsq; ad vesperã eis respondens, qui illã interrogabãt, multisq; ex eis, qui decepti fuerant, persuadens, & eos reducens. Quamobrẽ malignus dæmon se ab ea vinci non ferens, in virũ eius conuersus (nempe Piniani iam defuncti personã induens) & ei apparẽs miserabilis, cũ lugubri, & nigra veste accedit ad eã terrens, & grauia minitans: & primũ se ipsius Imperatoris, & famulorum eius cor mutatũ iri, & in contrarium traductũ iri: deinde etiam vt miserabili exitu finiret vitã, procuraturum, grauissimis confecta doloribus. Illa autẽ hanc esse artẽ maligni intelligens, Christi nomen inuocãs effecit, vt is statim euanesceret.* Vlterius etiã Melania Virginis gloriæ propugnandæ se totã impẽdens, Impe ratorem Theodosiũ, & Eudociam Augustã audacter adijt, eosq; cõtra Nestorianos cõfirmauit, incitauitq; , adeò vt eius precibus adductus Imperator Nestorij libros edicto publico vetuerit, atq; igni exurendos tradi iusserit, vt narrat Baronius loco citato. Missam facio Euphemiã Augustã, Flauij Constantini Imperatoris vxorẽ, quæ fidei etiã propugnatrix in sexta Synodo conclamata est, contra Machariũ, quem hęreticũ Antidicomarianitam fuisse sæpè præfati sumus. Prætereo etiã ex nostris Reccesuinthi Gothorum Regis matrẽ Ricimbergam, & vxorẽ Druisillam, quæ Mariæ Virginitatem contra Heluidiũ, & illius nefariam sobolẽ validè quoq; defenderunt, & tam Reccesuinthum, quàm D. Ildephonsum cõtra hæresiarchã concitarunt (vt quidã Hispanicarum rerũ perscrutatores scripserunt) qui addunt etiã sanctissimũ Præsulem librũ de Virginitate Deiparæ ipsis dicasse, & cõsecrasse: quod non obscurè indicant illa verba, quæ in aditu operis præscribit. *Sed quia quorundã nunc fratrum rursus impudica quasi percunctando laborat temeritas, decreui ad vos Matronæ his scribere, &c.* Taceo alias, & alias generosissimas fœminas, quæ Virginis Deiparæ latus cingentes, ipsam (si licet dicere) tanquam Penthesileam aliquam Amazonides vndiq; stipant, & satellitiũ illi præstant, ita vt Virginem ipsis vallatam sic affari integrum sit.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea

Quis ergo deinceps nouarũ Amazonidũ pro Virgine pugnacem solicitudinem, & earũ assiduas apud Catholicũ Regem interpellationes insimulare audeat: & nõ potius admiretur Gallas, Placidias, Pulcherias, Melanias, Euphemias, & Ricimbergas hac nostra ætate rediuiuas plures esse? Quis Regis etiã pijssimi, ac religiosissimi ad eas audiendas placidã beneuolentiam carpere non vereatur: & non potius in vno Philippo Theodosium, Valentinianum, Martianũ, & Reccesuinthum vereatur, atq; suspiciat? Ego quidem non lego tam pium fœminarum in propugnandis Mariæ laudibus laborem inhibere, & Principis fauorem contra illas incitare, & commutare,

alium

alium aliquẽ voluisse,ac contendisse, nisi dæmonem quempiam nefarium Piniani forma,& persona indutum, vt nuper de sancta Melania dicebam.

§. VII.

MEOS igitur conatus,aususq; meos beneuole admitte,ac boni cõsule (Rex inuictissime) atq; hoc mihi præmiũ suscepti laboris sit, vt quandoquidem per munus istud,quod humillimi obsequij ergo tibi sacrum esse volo,zelum tuũ per seipsum flagrantem,& ardentẽ vlterius inflãmare,& accendere nõ queam;tamen id valeam saltem,ac possim, vt quod hactenus egisti,hoc semper agas. Virgo sanctissima suæ iustitiæ originalis propugnatorem,& vindicem te nuncupauit: ex te pendere voluit illa, ex qua omnes pendemus:tibi debere cupit ea,cui omnes debitores sumus: te suæ sanctitatis sponsorem vendicat ea,quæ pro cunctorum salute spondet: te apud sanctissimum Patrem nostrum Paulum V. in præcipua suæ gloriæ causa patronum,& aduocatum eligit,quę omnium est apud Deum cõmunis aduocata,& patrona:tuam pro se maiestatem intercedere, atq; interuenire cupit,cui pro cunctis intercedere,atq; interuenire proprium munus est:te supplex rogat illa, ad quam rogandam supplices omnes venire oportet. Nihil suadeo, quod non prius tua tibi persuaserit pietas, & religio: imò etiam aliquid maius tibi consuluit, quàm quod ego consulere fortasse auderem. Id quod te aliquando dixisse certò constat, non possum non hîc adscribere. *Si necessarium omninò putarem* (verba sunt tua) *me Romæ adesse, & ad pedes sanctissimi Patris nostri prouolui, vt pro Virginis originali iustitia extremam sententiam ferre, & causam istam per Sancti Spiritus assistentiam definire, ac terminare vellet: quamprimum fieri posset, alijs quibuscumque rebus posthabitis, & omnibus superatis difficultatibus, Romam contenderem, & sanctissimo Patri memet sisterem.* O dignam orthodoxo Principe vocem! O fœlix istud sæculum! quod non potest priscis ætatibus inuidere Constantinum Magnum,qui Constantinopoli Romam contendit, vt cum S. Syluestro in primo Romano Concilio interesset: neque Martianum Augustum,quem ad Illyricum pergentem suscepta pro fide, & pace Ecclesiæ solicitudo Chalcedonem reuocauit, vt Synodum ibi collectam sua præsentia vnà cum Pulcheria Augusta honestaret atque exornaret:ita enim ipse testatur in literis ad Synodũ datis(verba illius hîc supprimo, quæ tuis inuictissime Rex pietate,ac religione faciliè cedũt.)Sed dum tuam pietatem,& impensum erga S. Virginem amorem, & studium mecum ipse verso (Regum potentissime) illud in mentem venit pro ingenti, & longè maximo beneficio, quo Virgo sanctissima (dum adhuc inter viuos ageret) Iberiam nostram afficere dignata est, compensationem à te ipsi redditam,ac restitutam fuisse. Ipsi enim ex Palæstina, vbi tunc degebat, in Hispaniam venire, & eam causa nostra inuisere pergratum fuit, tunc cum Diuo Iacobo Cæsaraugustæ se videndam exhibuit, & Nationem nostram præcæteris sibi in amoribus esse testata est. (Addunt etiam nonnulli tunc de puritate suæ Conceptionis celebrãda,& Hispanis deprædicanda ipsi Iacobo demandasse.) Hoc ergo tam nobile beneficium Philippus præclaro quodam officio,quamuis non exæquare,& remetiri, tamẽ aliquo modo restituere, ac referre sanctissimæ Virgini voluit, ac valuit

promit-

promittens se eius causa, si ita opportunum esset, Romam venturum, vt Conceptionis illius immaculata puritas tanquam certum, & cōstans fidei dogma vbiq; gentium proclamari possit:atq; ita seriò,& ex animo promittens,vt protectionem istam Virgo ipsa pro facta æstimet, atq; in obsequij sibi omninò iam præstiti loco ponat.

Perge igitur vt facis (Rex inuictissime)& cum auita Maiorum tuorum veneratione, & cultu erga sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, hoc ergo purissimam Mariæ Conceptionem studium adiunge, & minoribus tuis hæreditarium relinque:vtraq; enim mirificè inter se cohærēt.Ita enim addecet,vt ea,quæ nequissimum hæreticorum caput paribus odijs prosequutum est (Lutherum dico, qui virulentam illam vocem vsurpare ausus est, *Nullum festum magis odit anima mea,quàm festum corporis Christi,& Cōceptionis B.Virginis*) eadem tu Princeps Catholicè, hæreticorum seuerissime domitor paribus quoq; obsequijs,pari religione amplectaris. Item caro Christi,quam in illo præstantissimo Sacramento vereris,atq; adoras,caro Mariæ est:vna enim est filij atq; matris substantia,& vna caro.Quapropter cauere plurimum debes,ne id vnquam dici,aut existimari possit, eam carnem,quam tanta religione venerari à tuis progenitoribus didicisti, ex ea desumptam carne,quæ peccato commaculata,& coinquinata aliquando fuit. Si panis cœlestis tibi venerationi est,sit etiam venerabilis illa,quæ panem istum lactauit.Sic enim Augustinus: *Lacta o Virgo panem nostrum*, in sermone de Annunciatione.Et caue omninò, ne quis amplius dicere queat panem istum lacte non omninò puro irroratum fuisse. Si sanctum panem Angelorum admiraris,sit tibi quoq; admirationi clibanus, in quo panis iste excoctus est.Ita enim Virginem affatur S.Epiphanius in Oratione de Laudibus Virginis:*Salue clibanus intellectualis.* Fac igitur, vt de hoc clibano id sentiant omnes,quod grauissimus, ac doctissimus Petrus Cellensis in lib.de Panibus cap.4.prefatus est. *Oportuit nempè hunc prius clibanū non vili flemmate,neq; more consuetudinario fabricari, quatenus in plenitudine temporis panis,qui dat vitam mundo,de cælo descendens pro dignitate sua congruum inueniret locum,vbi posset opportunè carnem assumendo decoqui.* Et post pauca.*Virgo igitur Virginum clibanus est ad panem cælestem suscipiendum, non ad vrendum:ignem enim vrentem nunquam admisit, quæ carnis concupiscentiā non sensit:ignem fumantem non nouit,quæ non concepit iniquitatem,&c.* Deniq; si hostiam,& sacrificium colis,ac suspicis,eam etiam suspicere debes, quæ sacerdotis munere functa est.Audi Epiphanium loco citato. *Virginem appello velut sacerdotem pariter, & altare, quæquidem mensam ferens dedit nobis cælestem panem in remissionem peccatorum.* Caue igitur, ne quis deinceps putare possit talem,& tantam Virginem, quæ secunda post Christum Sacerdos,& Sacerdotij illius comes est,his carere dotibus,quæ primum,ac maximum Sacerdotem exornant:vt sit nimirum *sancta,innocens,impolluta, segregata à peccatoribus,& excelsior cælis effecta*.Nam si ad hūc modum hæc duo pia,& sancta studia coniunxeris,& fœdere mutuo copulaueris,Matre exorante,&Filio donāte,tibi,ac minoribus tuis perennis fœlicitas affluet,exuberabit,exundabit. VALE.

Luther. August. Petrus Cellens. Epiphan.



THESIS AVT CONSTITVTIO sequentis disputationis.

CAP. I.

1 VIVS QVÆstionis, quę propria, & germana sunt, antequã disputare aggrediar, thesim constituere, & quædam etiam vniuersaliora principia non tam præscribere, quàm perstringere operæ pretium est.

In hoc ergo tractatu illud certè in disputationem præcipuè vertitur, an Virgo Deipara ab originali culpa immunis fuerit: quæ prisca, ac bene vetus quæstio est; illa quidem recens, & noua, *An Virgo in Adamo peccauerit*, hoc est, an debito originalis culpæ cõtrahendæ in Adamo, aut in se ipsa obstricta, & obærata fuerit. Recẽtem dico, ac nouã, quia licet ab antiquis Theologis hac super thesi aliquid dictum, ac pronunciatum fuerit, minùs tamen accuratè, ac diligẽter discussa res est. Nostra verò ætate dum quotusquisq; pro suo in Virginem studio illius innocentiam, & illibatam puritatem extollere, & amplificare adnititur, grauissimi, ac locupletissimi Theologi audacter pronunciarunt, ac decreuerunt MARIAM non modo à culpa originali, sed etiam à debito, & obligatione illius liberam prorsùs, ac solutam fuisse. Quorum ausus non modo supremæ Inquisitionis consilium per dissimulationem quandam boni consuluit, sed commune etiam populi votum, grauissimorum Theologorum accedente suffragio, & calculo studiosissimè probauit. Quapropter hoc erit etiam nostri tractatus argumentum: vtrũ Virgo ab eo debito prorsùs immunis fuerit. Neque verò diuersos de vtraque difficultate tractatus ordiri placet: sed quandoquidem puto vtramq; immunitatem à peccato originali, & a debito illius ab ijsdem principijs deriuari, ac defluere, vnà simulque de vtraque disceptare est animus: atque adeò ita sententias de libertate virginis à culpa originali præscribam, vt quid de illius contrahendæ debito consentaneè, ac consectariè ad sua quælibet principia pronũciet, aperiam, & examinem. Ergo ne quis fortasse terminos huius quæstionis nõ satis cõpertos habeat, quid peccatũ originale, quid & quotuplex debitum illius, præfari necessarium duco: inde enim ad ea, quæ posteà de propria thesi huius disputationis dicturi sumus, facilis erit lapsus, procliuis decursus.

DE NATVRA, ET *essentia peccati originalis.*

§. II.

1. *Peccatum originale nõ est actuale peccatum Adæ posteris imputatum.*
2. *Non reatus, seu obligatio ad pœnam.*
3. *Non morbida qualitas.*
4. *Non aliquid ex auersione, & conuersione coalescens.*
5. *Non priuatio subiectionis mentis in Deum.*
6. *Peccatum originale est absentia, nuditas, aut priuatio iustitiæ debitæ.*
7. *Suadetur authoritate.*
8. *Confirmatur ratione.*

2 T Enim animus non est perplures de natura, & essentia peccati originalis sententias conflare, ac refellere: id enim alterius est negotij. Legendus cum primis noster Gabriel Vazquez, qui 1.2.d.sp.132.cap.2. Albertum, Pighium, & Catherinum asserentes nihil esse in paruulis, quod rationem peccati sortiatur præter ipsum Adæ actuale peccatũ, quod ipsos extrinsecè peccatores denominat, ad Pelagij dogma compellit, & ex Tridentini authoritate perspicuè reuincit, quod asserit peccatũ illud propagatione transfusum omnibus inesse vnicuique proprium. *Vazquez.*

Et cap.3. permultos alios, qui Augustinum sibi auxiliarem euocantes dicebant originale peccatum esse reatum, aut obligationem quandam paruulorum, validissimè confutat. Quia si reatum illũ obligationem ad pœnam esse affirment, vt sensit Rofensis, hic certè posterior est ipsa culpa: omnis enim pœna, aut pœnæ debitum culpam præsupponit. Si autẽ eiusmodi reatus, vt alijs placet, ipsa sit culpæ obligatio, aut vinculum, hoc certè vel nihil est aliud nisi debitum culpæ contrahẽdæ, vel ipsius culpæ iam contractę nexus, aut nodus, atq; adeò non est ipsa culpa, sed aliquid, quod vel ipsam præit, vel eandem insequitur.

3 Item c.4. quamplures alios, qui docuerũt peccatum originale esse morbidam qualitatem ex corruptione appetitus in animã velut contagione quadam deriuatam, facili negotio expugnat: quia nequit intelligi, quanam ratione peccatum primi parentis sua efficiẽtia præfatam qualitatem appetitui imprimere potuerit, vt ex illo ad voluntatem, & animum efflueret. Nam Adami peccatum, cum nihil reale sit, imò potiùs cum id, quidquid fuit, iam esse desierit, nihil certè in appetitu physicè causare valet. Rursùs etiam appetitus corporei efficientia, & vis spiritualem animã attingere, & in ipsa spirituale quidpiam producere non potest. Quapropter affirmare debent præfatam qualitatem morbidam à Deo ipso sponte effici: atque adeò illum peccati originalis authorem, & causam esse.

4 Ad hæc c.5. eiusdem disputationis illorum sentẽtiam, qui asserebant peccatũ originale ex duplici coalescere, scilicet ex auersione habituali à Deo fine vltimo, & ex conuersione positiua ad prauum obiectum (hæc enim duo ex Adami culpa in filios deriuata fuisse certo certius est) meritò respuit: tũ quia vnã peccati essentiam ex his duobus conflare difficile est: tum etiam quia authores huius sententiæ non satis explicant, quonam modo parentis conuersio, & auersio ad filios redundare potuerit. Nam si naturaliter ab illo in liberos suos effluere dicant, eadem ratione aliorum parentum auersio, & conuersio in filios descendet: si autem ex diuina voluntate, & institutione emanare affirment, ipsi faciunt Deum originalis culpæ reum efficient, quod nefas est.

Deniq; in 6.c. illis bellum mouet, qui peccatum originale in sola priuatione subiectionis mentis in Deum ponendũ esse dicebant: eos autẽ nullo negotio cõuincit, quia quemadmodum subiectio mentis erga Deum non esset ipsa iustitia originalis, sed effectus, & præmiũ illius: ita etiam priuatio huius subiectionis non potest esse peccatum originale, sed pœna eiusdem peccati ipsum præsupponens. Lege ibi plura, quibus doctissimus Vazquez de præfatis sententijs triumphat seriò: hæc enim compẽdio dixi, vt repudiatis alijs, veriorem sententiam stabilirem. 5

Aio igitur originalis peccati essentiam in priuatione iustitiæ originalis debitæ inesse constituendam esse, cum commotatione voluntariæ culpæ, qua primus noster parens Adamus non sibi solùm: sed nobis etiam eam iustitiam amisit. Hæc sententia habet grauissimos, ac locupletissimos patronos, ex Scholasticis Caiet. & Conr. in 1.2.S.Tho.q.82.a.1.2.Sot.lib.1.de natura, & gratia c.6. Ruard. ar. 2.§. *Ex his videmus*. Scot. in 2.dist.32.§. *Quoad primũ*. Marsil. in 2.q.19.ar.3.in 2.p. concl.6. Occam in 2.q.vlt.circa fin. Alex.2.par.q.105. mẽb.2.ar.3. Bonauẽ. in 2.dist.30.ar.2.q.1. Richar.artic.4.q.1. Gabr. Vazq. disp.cit.c.8.9. & 10. Bellarm.tom.3. controu.2.lib.5.c.17. Azor.1.par.inst.mor.lib.4.cap.16. Valent. tom.2.disp.6.quæst.12.pun.1. Salas 1.2.q.81. tract.13.d.11.sect.2.& 3.& alios non paucos. 6 *Caietan. Conrad. Sotus. Ruardus. Scotus. Marsil. Occamus. Alexan. Bonauen. Richard. Gab.Vaz. Bellarm. Azor. Valent. Salas.*

Adde etiam S.Thomam 1.2.q.82.art.2.& 3. vbi expressè docet causam formalem originalis peccati esse priuationem iustitiæ originalis. Affirmat etiam concupiscentiam prauam ad originalis peccati integritatem aliquo modo tanquã materialem partem accedere: sed de hac compositione modo nõ disputo. Hanc sententiã expressè tradit D. Ans. in lib.1.de cõcep.Virg.& de peccato originali nã c.3. sic habet. *Quod si ita est, originale peccatũ non est aliud, quam iniustitia, id est, absentia debitæ iustitiæ: non enim videtur esse iniustitia nisi in natura, quæ cũ debet habere iustitiã, non habet*. Et c.26. sic affixit. *Hoc peccatũ, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus nisi ipsam, quã nuper dixi factã per inobediẽtiã Adæ, iustitiæ debitæ nuditatẽ*. Pende illud, *aliud intelligere nequeo*. Id enim facilè ostẽdit præfatã iustitiæ originalis priuationẽ, prout Adamo voluntariã, solam vtiq; ac merã peccati originalis essentiã, & naturã continere. *S.Thom. Anselm.*

Tribuitur etiã sentẽtia isthæc Dion. Areop. de Ecclesiast. Hierarch. c.2.p.3. vbi postquam dixit Cathecumenũ nudũ, ac discalceatum ad baptisteriũ deferri solitum, sic attexit. *Id quod signorũ traditio præclarè, atq; obscurè significãs, cũ eum, qui accedit, quasi superiori vita exuit, & ad extremos vsq; illius habitus exspoliauit, tũc nudũ eum, nudisq; pedibus collocat occasum aspicientẽ, manuũq; depulsione obscuri vitij commercium, consuetudinemq; respuentẽ, & sibi insitum* *S.Dionys.*

dispu-

dissimilitudinis statum quasi exsufflantē, profitentemque se nuncium omnino remittere ei, quod Dei similitudini est contrarium. Itaq; statum, & conditionem illam, quā habet is, qui peccato originali obstrictus est ante baptisma, *dissimilitudinis statum* appellat: quia nimirum cū familiaris eiusdem Dionysij doctrina sit proprium esse gratiæ, & sanctitatis Deiformes efficere, nomine dissimilitudinis nihil aliud significare vult, nisi illam, quam diximus, gratiæ ac sanctitatis absentiam, vel nuditatem.

8 Con. Tri. Ratio etiam hanc sententiam cōmendat, quia vt alma Synodus Tridentina docet, ac definit sess. 5. in decreto de peccato originali, Adamus gratiam, atq; iustitiā, quā ex Dei beneficio nō sibi solùm, sed minoribus etiam suis transfundendam accepit, per mandati trāsgressionem non sibi solùm perdidit, sed etiam posteris eandē gratiam, & iustitiā amisit. Quid inde? certè ob parentis peccatum filij iustitia priuati sunt; hæc autē iustitiæ, vel potiùs amicitiæ Dei priuatio ad voluntatem Adami relata, & prout ab illa fluxit, mala est moraliter, ac Deo ipsi meritò displicet, vt propterea illos, quos ea ratione gratia sua, & amicitia orbatos videt, ex iure, & ex causa beatitudine, ac fœlicitate priuet: est igitur talis priuatio verè ac propriè peccatum. Mitto faciles quasdā obiectiones, quas contra præfatam sententiam aliqui commenti sunt; his enim aptè admodum occurrit Vazquez loco citato. Hæc autē omnia propterea breuiter transfigere volui, quia tota mihi lis cum Neotericis Doctoribus, qui hæc, quę hactenus statuimus, conuellere volentes non pauca (me iudice) absurda miscuerunt.

SENTENTIA RECENTIORUM.

§. III.

9. *Ipsum actuale peccatum Adami, quatenus nostrum ad complendum peccati originalis essentiam accedere sentit AEgidius Augustinianus.*
10. *Suadet sententiam ex Paulo.*
11. *Ex Augustino.*
12. *Ex Anselmo.*
13. *Confirmat ratione.*

9 AEgidi. ERGO Grauissimus ac doctissimus vir Ægidius, de Præsentatione, cuius valde elaboratum opus de pura Virginis Conceptione nuper lucē aspexit, lib. 2. q. 1. art. 2. §. 2. satis licenter in nostrū Gabrielem inuectus præfatam sententiā de natura, & essentia peccati originalis parū in fide tutam esse dicit, atq; ad eo neq; audiendum, sed magè reprehendēdum eius authorem. Sed videamus an aliquid ipse tutius afferat, vt propterea audiri omninò, ac minimè reprehēdi debeat. Asserit ergo Doctor ille peccatum originale non esse solum, ac meram iustitiæ priuationē, sed includere formaliter actionē. Nā in eo articulo sic ait: *Quare non est audiendus, sed reprehendendus Vazquez Bellomontanus, dum simpliciter affirmat peccatum originale non esse actionē, oppositum enim euidenter colligitur ex Paulo, &c.* Et art. 5. eiusdem quæstionis perspicuè docet peccatum originale in sua ratione formali claudere trāsgressionem ipsius Adami, non quidē quatenus ipsius actio est, sed quatenus nostra; nam Adamo, inquit, peccante omnes nos in illo peccauimus eandem cum illo inobedientiæ actionem operando, ita vt illa eadem numero inobediētiæ actio (verba sunt Ægidij) etiā fuerit actio nostra à nobis simul cum eo operata, & elicita, non quidem personaliter, sed originaliter: quatenus scilicet Deo instituente, Adamus per dignitatem capitis, qua fuerat insignitus à Deo, erat nos omnes, & omnes item eramus ipse Adamus. Hanc sententiam tribuit doctor ille Paiuæ, Pighio, Catherino, Ruardo, Vegæ, & ex nostris etiā Bellarminio, Toleto, & Suario. Et sanè si Deo placet, meritò tribuitur Catherino, & Pighio: cæterū reliqui ab eadem quàm longissimè abierint, ipsorū scripta relegenti facilè constabit. Quamuis enim seriò dicant nos in Adamo peccasse, atq; idē cum illo peccatū, imò eandē actionē quodammodo transegisse: nullus tamen ausus est dicere Adami actionem, siuè quatenùs eius propria, & personalis est, siue quatenus nostra originaliter censetur, in essentia, & ratione formali peccati originalis includi.

Confirmat autem Ægidius suā sententiam testimonio Pauli ad Rom. 5. *Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi;* ergo inobedientia Adami nos inobedientes, & trāsgressores, atq; adeò peccatores formaliter effecit. Et in eodē capite sic serit: *Si enim vnius delicto multi mortui sunt, &c.* Ergo delictum Adami peccatū filiorū perficit, id enim mortis nomine significatur. Subdit præterea: *Sicut per vnum hominē peccatum in hunc mundū intrauit, & per peccatum mors, ita & in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* At quid aliud est peccare in Adamo, nisi cum ipso simul peccare, & eandem cum illo peccati actionem operari? 10 Paulus.

Augustinū etiam sibi patronum euocat Ægidius, lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum, c. 3. vbi ad præfata verba Pauli: *In quo omnes peccauerunt,* sic addit: *Rursus vt in illo primo homine peccasse omnes intelligantur, quia in illo fuerunt omnes, quando ille peccauit, vnde peccatum nascendo tri-* 11 Augusti.

buitur. Et lib.3.de peccatorum meritis, c.7. sic scribit: *Nõ sic dicuntur aliena peccata, quia ad paruulos nõ pertineant, quia in Adamo omnes tunc peccauerunt, quãdo in eius natura insita, in qua eos generare poterat, adhuc omnes ille vnus fuerunt.* Et de ciuitate, lib.27. eadem Pauli verba expendens: *Quis paruuli,* inquit, *non secundum vitæ suæ proprietatem, sed secundũ communem generis humani originem omnes in illo vno testamentum Dei dissipauerunt.* Et non lõgo verborum interstitio exponens illa Genesis verba: *Quia testamentum meum dissipauit*, sic attexit: *Deleatur anima illa de genere suo, quia testamentum meum dissipauit, quando Adam cum omnibus & ipse peccauit.* Ad eundem sensum accersendos putat author iste omnes illos Patres, quotquot asserunt filios in primo parente gustasse cibũ vetitũ, irritũ fecisse diuinũ pactum, defecisse, deliquisse, peccasse, quos difficile esset enumerãdo percẽsere.

12 *Ans.l.* Potest etiam præmissa sententia roborari ex Anselmo, qui in libro illo primo de Conceptione Virginis, & de peccato originali, cap.7. sic habet: *In Adamo omnes peccauimus, quando ille peccauit.* Quomodo autem omnes fuerimus in Adam, quando ille peccauit, vti cum ipso simul peccare, ac delinquere potuerimus, perspicuè explicat Anselmus, c.22. *Et quidem negari nequit infantes in Adam fuisse, cum peccauit, sed in illo causaliter, siue naturaliter, velut in semine fuerunt, in se ipsis personaliter sunt, quia in illo fuerunt ipsum semen, in se singuli sunt diuersæ personæ, in illo non alij ab illo, in se alij quàm ille, in illo fuerunt ille, in se sunt ipsi; fuerunt igitur in illo, sed non ipsi, quia nondum erant ipsi. Forsitan dicet aliquis istud esse, quod alij homines in Adam fuisse dicuntur, quasi nihil, & inane quoddam est, nec est nominandũ esse. Dicit ergo illud esse fuisse nihil, aut falsum, siue vanum, quo fuit Christus secundum semen in Abraham, in Dauid, & in alijs Patribus, & quo omnia, quæ sunt ex semine, fuerũt in seminibus, & nihil fecisse Deum, cũ omnia, quæ procreantur ex semine, ipse fecit priùs in seminibus ipsis, & dicat nihil, vel vanũ aliquid esse, hoc quod si verè non esset, hæc, quæ videmus esse, non essent. Si enim verũ non est ea, quæ natura procreat ex seminibus, in illis priùs aliquid fuisse, nullo modo ex ipsis fuissent. Quod si hoc certè stultissimum est, non est falsum, vel vanum, sed verum, ac solidum esse fuit, quo fuerunt omnes alij homines in Adam.* Hactenus Anselmus: ex quibus licet colligere omnes Adami filios, antequam generentur, tunc cum peccauit pater, sufficiens in illo esse habuisse, vt pro eo etiam tempore in eodem peccare, & cum ipso simul transgredi potuerint.

13 Præterea sententia ista ratione fulciri potest, quia si dicamus peccatum originale solam, ac meram priuationem iustitiæ originalis esse, negantes actionem illam Adami peccantis, & transgredientis legem Dei, tanquam partem formalem ad eiusdem peccati integritatem pertinere, non satis apparet, qua ratione præfata priuatio iustitiæ fuerit volũtaria, & libera, sine quo malitia moralis subsistere non potest.

REFELLITVR SENtentia superior.

§. IIII.

14. *Retunditur AEgidij censura.*
15. *Sententia illius est contra Anselmum.*
16. *Et contra D. Thomam.*
17. *Pelagij dogma sapit.*
18. *Cum decreto Concilij Tridentini pugnat*
19. *Per extrinsecam formam nos peccatores constitui ex eodem efficitur.*
20. *Peccatum originale indelebile comminiscitur.*
21. *Peccare in Adamo non est illius transgressionem nobis appropriari, sed ipsum nobis peccati causam extitisse.*
22. *Confirmatur ex solenni scripturæ loquendi modo.*

ANE Isthæc sententia vsq; adeò mihi falsa videtur, vt si censorina mihi adesset ipsius Ægidij mens, 14 qui passim seuerioribus notis aliorum etiã doctissimorum hominum opiniones configit, non dubitarem grauius aliquid in ipsam pronũtiare: tum vel maximè, quia AEgidius ipse fatetur se opinionem sequi Alberti, Pighij, & Catherini, quam nobiles Scholastici non pauci ad Pelagianũ errorem planè referendam putant.

15 Ergo AEgidij sententia, quatenus asserit originale peccatum in suo conceptu formali includere actionem ipsam transgresionis, prout nos vnà cum ipso Adamo illam operati sumus, est contra D. Anselmum in libro de Conceptione Virginis, & peccato originali, c.7. vbi illud addubitans qui fieri possit, vt homines in peccatis concepti dicantur ante animationem, ad hunc modũ occurrit. *Anselmus* *Sæpe vtiq; diuina scriptura asserit aliquid esse, quando non est, idcirco quia certum est futurum esse: sic quippe Deus de ligno vetito dicit. In quacũq; die comederis ex eo, morte morieris; non quod ea die mortuus sit corpore, sed quoniam die illa necessitatem accepit aliquando moriendi: & Paulus similiter ob necessitatem moriendi aliquando ait Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationem; non enim corpora eorum, quibus loquebatur, mortua erant, sed moritura propter peccatum, quia per vnũ hominem peccatum in hunc mundum intrauit, &*

per

per peccatum mors. Sicut in Adam omnes peccauimus, quando ille peccauit: non quia tunc peccauimus ipsi, qui nondum eramus, sed quia de illo futuri eramus: & tunc facta est illi necessitas, ut cum esse mus, peccaremus, quoniã per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, &c. Hactenus Anselmus, qui (me iudice) huius quæstionis nodum paucis recidit, & omnium locorum tam scripturæ, quàm Patrum, quotquot asserunt Adami peccato filios etiam peccasse, germanum sensum eruit. Cum verò ait. *Non quia tunc peccauimus ipsi, qui nondum eramus,* facilè demonstrat in originalis peccati essentiam nullam ingredi actionem neque Adami, neque nostram.

16 D.Thom. Reluctatur etiam D. Tho. qui præterquam quod 1.2. in quæst. illa 82. art. 2. & 3. absolutè pronunciat causam formalem peccati originalis esse priuationem iustitiæ debitæ: causam verò materialem esse concupiscentiam ipsam. In art. 4. eiusdem quæstionis planè asserit peccatũ originale supra nudam, & purã priuationem iustitiæ nihil aliud addere nisi relationem ad peccatum primi parentis, à quo per vitiatam originem deducitur. Rursùs, q. 5. art. 5. in corp. & q. 87. art. 7. in corpore docet substractionem gratiæ ac iustitiæ originalis in filijs Adæ comparatã cum peccato patris esse pœnam illius. Et in eisdẽ locis, ac sæpè alibi negat esse pœnam peccati originalis proprij. Ergo ex Diuo Thoma actio illa transgressionis paternæ nullo sensu est propria culpa filiorũ. Si enim eorũ propria esset illa transgressio, substractio gratię, & iustitiæ originalis, quæ illius actionis, seu transgressionis pœna est, non tam alienæ, quã proprij peccati pœna dici deberet. Ad hæc in quæst. 83. art. 2. addit subiectum peccati originalis esse animam paruuli secundum essentiam, & substantiam: sed in hac anima paruuli tantummodò inest priuatio iustitiæ & relatio ad peccatum primi parentis: actio verò paterni delicti in ipsa recipi non potest: sentit ergo Sanctus Doctor actionem istam in peccati originalis essentiã, & quidditatem nequaquam ingredi.

17 Sed quod caput est, præfata sententia Pelagianum quid sapere videtur: nam cum absolutè pronunciet priuationem iustitiæ, quæ paruulis inest, per se sumptam cum sola relatione ad delictum primi parentis non esse peccatũ, sed insuper addendam actionem ipsius Adami paruulis appropriatã, quæ non in ipsis, sed in Adamo recepta est, affirmare tenetur in paruulorũ animabus non esse peccatum inhærens ipsis. Hoc autem erat præcipuum, & maximè falsum in hæresi Pelagij, vnde ipse colligebat paruulos, vt deleatur peccatum originale, non indigere baptismo, aut expiatione aliqua: quià cum nihil agnosceret in ipsis inhærens, quod peccati nomen mereretur, nihil etiam expiatione, aut ablutione dignum putabat. Quæ ratio Pelagij contra præscriptam sententiam robustè admodum confirmari potest: quia si priuatio iustitiæ cum relatione ad delictum primi parentis, quæ sola in paruulorum animabus re ipsa inest, ac inhæret, non est peccatum originale, frustrà impenditur illis medicina baptismi, & expiatio, quæ in Adamo potiùs fieri deberet, in quo inerat forma constituens, ac perficiens eiusmodi peccatũ.

Iam vero intelliges, quantùm etiam pugnet ista doctrina cum decreto Concilij Tridentini de peccato originali. Nam Concilium inter alia sic habet: *Adæ peccatum quod origine vnum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest vnicuique proprium.* Si enim forma constituens originale peccatum esset actio ipsa transgressionis paternæ, quã nos omnes cũ illo, & in illo operati sumus, quæ non in nobis, sed in parẽte inhæsit, no affirmaret Concilium peccatum originale singulis inesse vnicuiq; proprium: quandoquidem id quod inest singulis, scilicet priuatio iustitię originalis cum præfata relatione ad peccatum primi parentis, si excludat actionem illius, non est peccatum originale. 18 Con.Tri.

Ad hæc, sententiam istam manifesta ratio conuellit, quia id quidquid est actionis, siue Adami proprium, siue nostrum in ipso Adamo existens, forma est extrinseca: quemadmodũ ergo nullus per extrinsecam formam sanctitatis, & iustitiæ sanctus, & iustus effici potest, vt definit Concilium Tridentinum sess. 5. de iustificatione, cap. 7. ita etiam nullus per extrinsecam formam peccati, peccator, & iniustus constitui potest. 19

Respondebis actionem Adami, non esse posteris extrinsecam formam, sed intrinsecam, & propriam, vt pote, qua singuli præuaricati sumus. Verum nec sic fit satis obiectioni, non enim contendo, in huius doctoris sententia, fore, vt redderemur maculati, & peccatores per formam, quæ dicenda sit extrinseca nobis: sed solum obijcio, quod si opus ab altero physice elicitũ & trãsactũ, ex eo, quod ille caput nostrum constitutus est, potest nos iniustos, & maculatos efficere, poterit etiam nos iustos, & sanctos reddere opus alterius si caput nostrũ existat, videlicet opus à Christo, vel ab ipso Adamo factu. Quare si Adã in præcepti obseruatione obediens perstitisset, per illam illius obedientiam nos iustos, obedientes, & sanctos fore tenetur concedere prædictus Doctor. Id autem manifeste aduersatur Trid. loco citato: modo opus illud dicas formam extrinsecam (quod verius, & necessario dicendum existimo) modo intrinsecam, & propriã operationẽ: parũ enim de hac loquutione curauit Concilium. 20

Rursùs, doctissimus Ægidius propterea tanto studio asserit nos in Adamo, & cũ Adamo eandẽ inobedientiæ actionẽ transegisse, atq; adeò in ipso verè peccatores, ac demor-

nos tamen, ne nihil sit in Virgine Deipara, à quo per Christum redimi, & saluari potuerit. Nam cum serio affirmet reconciliationé propriè dictã, & redemptioné in his tantũ inueniri, qui aliquo modo re ipsa peccatores, & inimici sunt, posita (inquit) præseruatione eiusdẽ Virginis ab originali, nihil pecati habuit in propria persona, à quo redimi potuerit, atq; adeò dicendum est illud habuisse in aliena. Sed præterquam quod ista doctrina non satis cohæret cum his, quæ idem author AEgid. tradit infra, li. 4. q. 9. ar. 1. §. 2. de redéptionis proprietate, vbi duplex redemptionis genus agnoscit, aliud preseruatiuũ, aliud liberatiuũ cũ reliquis Marianæ innocẽtiæ assertoribus ad redéptioné propriè dictam in Virgine defendendã frustrà postulat actioné illã peccati in Adamo, & cum Adamo cõmissi: hæc enim si qua fuit, à Christo non fuit deleta, & expiata, imò potiùs ab illo deleri, & expiari nõ potuit. Quia eiusmodi actio per aliquã formã gratiæ ipsi oppositã emaculari debuit. Nunc igitur sic inquiro: an deleta fuerit per gratiã, quę in Christo fuit? Absit: repugnat enim definitio Concilij Trid. quod asserit nullũ peccatum per extrinsecã Dei, aut Christi iustitiã expiari. An per iustitiã ipsi Adamo ex meritis Christi collatã? minimè verò: nam si hæc ad delédã malitiã præfatę actionis satis fuit, ab eo tẽpore, quo Adamus iustificatus fuit, non amplius in illo peccaremus. An per gratiã, & iustitiã, quã paruuli ex meritis eiusdẽ Christi donantur? minimè gentiũ: quia cum ista actio, & malitia illius non sit in paruulis, sed in Adamo per mutationé in paruulis factã ablui, & emundari nõ valet. Constat igitur nullo modo Christi merita talé eius actioné, eiusq; maliciam emundare potuisse. Quò spectat ergo iste conatus, quo authores isti Virginem ea ratione in Adamo verè ac propriè mortuã asseuerant, cũ illã ab ea morte, quam ipsi (liceat sic dicere) filiis suis illi intulerũt, postea excitare nõ possint? Et sanè vel ex eo fides admitur huic opinioni, quia iuxta sua principia de Virgine minus decorè hoc affirmare tenetur, scilicet ipsam peccati originalis parté aliquã habuisse: nã cũ eã actioné nostrã in Adamo, quã ipsi cõminiscuntur, ipsius originalis peccati præcipuã parté continere asseuerent, illamq; in Virgine ponãt, in eadé ipsius originalis peccati aliquid perperam agnoscant, necesse est.

21 AEgid. Deniq; idem Ægidius explicãs modũ, quo nos præfatã peccati actioné in Adamo, & cũ Adamo transigere potuimus, asserit nos in illo, & cũ illo ita tunc fuisse, vt ex diuina institutione iã tunc ille (vt cũ Augustino loquar) *esset omnes nos, ac nos essemus vnus ille.* Vnde factũ, vt illo agente, & volente, nos etiam cum illo vellemus, & ageremus: sed tamen cõmentitia, inanis, ac vana prorsus est actio ista, quã Ægidius contéplatur. Cogita ergo diuina institutione, & per pactum cum Adamo initum hoc positum in voluntate Adami, vt in iustitia perseuerans gratiã originalé ad nos quasi iure hæreditario transmitteret: à iustitia verò per mandati transgressionem excidens eandẽ gratiã non sibi solum, sed nobis etiã infœlici iactura deperderet. Nostra igitur ad hunc modũ in eius voluntaté salus redacta fuit, atq; inde factũ, vt ipso peccante, iustitiã originalé amitteremus. Ait ergo Ægidius hanc positioné esse veram, causalem, & à priori: Propterea gratiam originalem amisimus, quia in ipso peccauimus. Sed non audiendus: cum potius isthæc vera sit: Propterea in Adamo peccauimus, quia eius causa gratiã originalé amisimus. Nam quia effectus transgressionis paternæ in nos redũdauit, eo propter quod in nobis ipsis contrahimus peccatũ, in illo causaliter, id est, ab illo, & per illum, contrahere dicimur. Hęc autẽ fuit Ansel. mens loco citato, cum ait. *Sicut in Adã omnes peccauerunt, quando ille peccauit: non quia tunc peccauimus ipsi, qui nondũ eramus: sed quia de illo futuri eramus, & tunc facta est illi necessitas, vt cũ essemus, peccaremus.* En quo modo non aliunde colligit Ansel. nos peccasse in Adamo, nisi quia per illius peccatũ necessitaté contraximus peccandi: aliquod verò peccatum nostrũ in illo, & cũ illo operatũ nõ agnoscit. Neque alio modo peccatũ Adami ex pacto Dei nostrum fieri potest. Anselm.

22 Et sanè modus iste loquendi familiaris admodũ est scripturæ sacræ. Actorũ 17. *Quamuis nõ longe sit ab vnoquoq; nostrũ, in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus,* in ipso, inquã, id est, per ipsũ. Et Pau. ad Ro. 8. *Lex enim spiritus in Christo Iesu liberauit me a lege peccati, & mortis,* id est, per Christũ & per merita illius. Et ad Gal. 2. *Quod si quærẽtes iustificari in Christo:* id est, per Christũ, & passim alibi. Quapropter cũ Aug. asserit Adamũ pro eo tẽpore fuisse omnes nos, & nos itẽ vnũ Adamum, nihil aliud sibi vult, quã Adamũ omniũ nostrũ personã sustinuisse: quippe qui omniũ nostrum princeps, ac caput ex diuina institutione nũcupatus fuerat, vt nõ suã solũ, sed causã communé ageret. Cũ verò alij Patres dicũt nos in Adamo gustasse lignũ vetitũ, & similes alias locutiones vsurpant, nõ ita exponẽdi sunt, vt sentiant nos simul cũ Adamo eandẽ actioné moralem aliqua ratione operatos fuisse: sed quia tunc cũ Adamus gustauit pomũ vetitum, non solũ ipse, sed nos etiã per ipsum, gratiã amisimus: ideò peccatũ illud, quod istius iacturę nostrę causa fuit, nostrũ dicitur, quia nostra in illo causa acta fuit. Quemadmodũ Paul. dixit Leui in lũbis patris sui Abrahæ decimas exoluisse Melchisedech Regi. De qua locutione vide infra scripta, c. 24. vbi Magistri de Virg. Concept. sententiam enucleabimus.

Acto. 17.
Ad Ro. 8.
Ad Ga. 2.

EXPLICATVR PAVLUS ad Rom. 5.

§. V.

23. Paulũ ad Rom.5. de cõſortio filiorum in præuaricatione Adami interpretatur Ægidius.

24. Seueritas eiuſdem contra expoſitionem grauiſsimorum Theologorum incuſatur.

25. Interpretatio AEgidÿ ex Tridentino reuincitur, & aliorum, qui Paulum de actuali contractione peccati originalis exponunt, adſtruitur.

26. Eos, qui dogma Pauli non de logica, ſed de morali vniuerſalitate accipiunt, immeritò notat AEgidius.

27. In notatam interpretationem inconſtans recidit.

28. Vniuerſales poſitiones in ſcriptura, etiam quæ nullam legem continent, exceptiones patiuntur.

29. Exceptio, & diſpenſatio, quæ in humanis legibus non niſi ex ignoratione accidit, perperam ad diuinas leges traducitur.

30. Et immutabilitati decretorũ Dei opponitur.

31. Alia Pauli loca ad eundẽ ſenſum traducẽda.

23 MIRVM Eſt quantoperè contendat AEgidius per illa verba Pauli, *in quo omnes peccauerũt*, ſignificari actionẽ illam à nobis ſimul cũ Adamo operatam, & perfectã: quam ita præclarè illis verbis expreſſam aſſeuerat, vt eos, qui oppoſitũ affirmant, erroris inſimulare nõ vereatur; adeò vt Soto, Driedoni, Medinæ, Palacio, Mayronio, Stellæ, & ex noſtris etiam duobus præclariſſimis Doctoribus Gabrieli Vazquez, & Benedicto Pereiræ hanc notam affigat, quod aliquid in fide minimè tutũ dixerint, cũ docuerũt illa verba Pauli de actuali contractione peccati originalis eſſe capiẽda, & non de illa actione morali, quã ipſe ſibi defendendam propoſuit. Quid verò cauſæ
24 AEgidium alioqui doctum, & inſignem virũ permouerit, vt in Doctores vſq; adeò graues, ac doctos tam ſeuerè ſtatueret, nõ ſatis aſſequi poſſum. An non error, & temeritas eſt maxima probabiles, atq; receptas apud Catholicos ſentẽtias cẽſuris ſugillare? Teſtatur hoc bulla Greg. XIII. Pontificis maximi contra Baium, qui non tantùm errores illius Doctoris: ſed etiam notas graues, quas alijs immerito inuſſerat, perſæpè damnat. AEgidius ipſe viderit.

Sed quod caput eſt, tãtùm abeſt, vt præfati
25 autores aliquid aberrauerint affirmãtes verba Pauli de cõtractione actuali peccati originalis eſſe accipiẽda, vt credam omninò verã illius loci ſententiã tenuiſſe. Nam vt Patres antiquos miſſos faciã, ex quibus nullus eſt, quod ſciam, qui Paulum aliter, quàm de actuali cõtractione peccati originalis acceperit, planè
Cõc.Trid. id euincit cenſura Conc. Trid. ſeſſ.5. in decreto de peccato originali, vbi Patres decernũt: *Si quis Adæ præuaricationẽ ſibi ſoli, & nõ etiam propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptã à Deo ſanctitatẽ, quam perdidit, ſibi ſoli, & non etiã nobis eum perdidiſſe, aut inquinatum illũ per inobediẽtiæ peccatũ mortem, & pœnas corporis tãtùm in omne genus humanum transfudiſſe, nõ autem, & peccatum, quod mors eſt animæ, anathema ſit: cum contradicat Apoſtolo dicenti: Per vnũ hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſyt, in quo omnes peccauerũt.* Et ſanè extra quæſtionem eſt Patres in hoc decreto de actuali trãſfuſione, ac deriuatione culpæ originalis verba facere. Quapropter cũ ſeriò dicãt eos, qui illam abnegare audent, Paulo apertè cõtradicere, Paulũ de actuali contractione illius culpæ exponendũ ſuis calculis annuerunt. Quapropter illi (me iudice) errãt maximè, & Cõcilio planè aduerſantur, qui vt de vniuerſalitate harũ propoſitionũ nihil detrahãt, & Virginẽ etiam ijſdem cõprehenſam dicãt, ita docuerũt tam hæc Pauli verba, quàm alia tũ ſcri pturæ, tum Patrũ teſtimonia, quę tradunt omnes homines in Adamo peccaſſe, ita de debito contrahendæ culpæ originalis explicanda eſſe, vt actualẽ eiuſdem contractionẽ excludant: quandoquidem Concilium actualem tranſfuſionem non aliunde ſibi comprobandam cenſuit, quam ex præfatis teſtimonijs. Lege plura de acceptione harum generaliũ propoſitionum infrà cap.41. can.1.

Interim etiã obſerua ſeueriſſimam criſim 26
A Egidij, necnon etiam illius incõſtantiam. AEgid.
Nam q.5. art.2. §.2. cõtra eos, qui fatẽtur propoſitiones illas generales de actuali transfuſione, & contractione peccati eſſe intelligendas, vlteriùs addit illas non eſſe logicè accipiendas, ſed moraliter: ita vt ſine iniuria veritatis, quæ ipſis ineſt, poſsit Virgo ab eiſdem
excipi (Hi ſunt Martin. de Martines in lib.1. Martin.
hypothip. c.1. Ouand. ad 3. Scoti d.3. q.1. & 2. Martin.
dub.6. Palac. in 3. diſp.1. ad 1. Maior ibid. q.1 Cuand.
ad 2. & ex noſtris P. Franciſ. Turr. in epiſt. de Palac.
peccat. origin. p.1. Caniſ. lib. de Virg. Deipa- Maior.
ra c.6. & Gabr. Vazq. 3.p. diſp.117. c.8. & alij Franciſc.
quãplures grauiſsimi, ac locupletiſsimi Do- Turrian.
ctores, quos difficile eſſet enumerãdo percẽ- Caniſ.
ſere) contra illos, inquã, ad hunc modũ ſeue- Vazquez.
riſsimè pronũciat: *Hæc opinio indigna eſt, quæ à Catholico recipiatur, tum quia inuenta, & excogitata eſt à Pelagio in ſui erroris confirmationem, & ab Auguſtino contra eũ acerrimè impugnata: tum quia definitiones Conciliorum, quibus generaliter docemur omnes Adami poſteros in peccatis cõcipi, ſunt vniuerſales: & tamen ex prædictis ſcripturæ propoſitionibus deſumuntur.* Ac rurſùs à ſe ipſo inconſtanter diſſentiens Cõ- 27
cilij authoritate inductus affirmat tam Paulum, quàm alios Patres vniuerſaliter affirmãtes cunctos homines in Adamo peccaſſe, nõ ſolùm accipiendos eſſe de peccandi debito: ſed etiam de actuali contractione. Et infrà art.2. §.3. ſubtexit generales illas propoſitiones non eſſe intelligendas de vniuerſalitate

logica, sed de vniuersalitate iuridica, & legali; quia leges (inquit) vniuersales ex sua natura omnia particularia complectuntur: semper tamen salua, & integra manet autoritas legislatoris, vt ex priuilegio speciali eos à legis seueritate excipiat, quos voluerit, nec propterea exceptione facta, lex redditur falsa. Quapropter cum lex illa Adamo denunciata, quod ipso delinquente, omnes eius filij in illo peccarent, sit purè positiua, salua eius veritate, integra mansit Dei autoritas, vt Virginem excipere posset. Illud ergo nûc ab isto Catone percontari libet, cur in Gabrielem Vazquez, Pereiram, Sotum, & in alios grauissimos Theologos eam notã protulerit, affirmans eos, cum illa Pauli verba (*in quo omnes peccauerunt*) de actuali contractione culpæ originalis exponunt, parum in fide tutum sensum tradere, quandoquidem ipse statim à priori sententia labascens in eandem recidit, quam tam graui censura confixerat. Rursus cur exprobrat etiam authoribus nuper adscriptis, quod indignam Catholicis Doctoribus, & Pelagij dogma sapientem interpretationem his Pauli, & aliorum Patrum generalibus propositionibus accommodent, eas non de logica, sed morali vniuersalitate exponentes. An non etiam vniuersalitas illa legalis, quam ipse agnoscit, moralis est? ita profectò. Quorsùm ergo spectat tam seuerũ, & acre iudicium? Ego sanè non satis assequor quid secum voluerit author iste, cum hęc diceret. Crediderim sanè illum non serio, sed ad palum, vt aiût, pugnare, & fictos quosdam Sotos, Canisios, Ouandos, Maiores, Turrianos, Bellomontanos, & Pereiras sibi proposuisse, quibus tam luculentas plagas infligeret.

28 Denique ne putes hunc authorem aliquid accommodatum, & opportunum afferre, cum dicit præfatas propositiones de vniuersalitate legali esse capiendas, contra istum dicendi modum multa obijcere licet. Primò, quia aliæ in sacra Scriptura passim occurrût vniuersales positiones, quæ nullam continent legem: & tamen sine aliqua veritatis iniuria exceptiones admittunt, vti illa: *Omnis homo mendax*: nulla enim Dei lex hominibus necessitatem mentiendi imponit. Adde etiam alias & alias: *Omnes, quotquot venerunt, fures sunt, & latrones. Omnia traham ad me ipsum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Omnia mihi licent.* Et id genus alia sexcenta, de quibus nulla Dei lex suppetit. Si ergo nullam Scripturæ sacræ, neque eius veritati vim affert, qui eiusmodi positiones generales de vniuersalitate morali, & non logica esse capiendas dicit, cur non etiam de illis, quæ omnes homines in originali conceptos asseuerant, eodem modo sentire, ac decernere liceat?

Secundò in eo aberrat iste exponendi modus de vniuersalitate legali: quia illi tantùm opinioni accômodari potest, quæ sentit Virginem in generalem legem communi cum alijs consortio ingressam fuisse. Atqui plures sunt Doctores, qui id valde probabiliter abnegant; atque adeò eorum sententiæ præfata interpretatio aptari non potest. Quapropter illa melior, & accommodatior expositio eorum locorum censeri debet, quæ omnes probabiles Catholicorum Doctorum opiniones capit: talis autem est interpretatio illorum Doctorum, quos tanta seueritate Ægidius confixit.

Sed quod caput est, expositio istius autoris (me iudice) ipsi Deo nô parum iniuriosa est, quatenùs ipsum humanis metitur legibus, & ignoratione. Nã humani legislatores eapropter leges vniuersales ferunt, quibus postmodum suis priuilegijs derogare coguntur: quia tunc cû leges istas condunt, non ipsis occurrunt rationes, & causæ, quæ in illis dispensare tempore succedente cogunt. Deinde verò pro re nata vti se se rerum euentus dant, mutata voluntate priuilegia indulgent, & exceptiones faciunt. De Deo verò ita sentire temerarium est: nam lex Dei semper aliquod decretum efficax in se côtinet, quo vult nos obligari ad aliquid, vel agendum, vel patiendum. Si autem semel dicamus istiusmodi decretum efficax esse vniuersale, & generale: atq; adeò omnes complecti, non potest deinceps exceptioni subesse: ne cogamur fateri Deum humano modo mobilitati, & inconstantiæ subiectum esse. 29

Iam ergo id à te percontari libet, quale sit hoc decretum priuandi re ipsa omnes Adæ posteros iustitia originali, quod præfatæ positiones vniuersales includunt: quod nimirũ prius erat conditionale ante peccatum, ac demum posito peccato migrauit in absolutum? Si dicas illud efficax fuisse circa reliquos: non autem circa Virginem, fateri debes Virginem lege minimè comprehensam: si autem circa nullum efficax fuisse affirmes, nullus erit legi subiectus. Sin verò asseras circa omnes, etiam erga Virginem efficax fuisse decretum Dei, vt propter peccatum parentis iustitia priuarêtur: atque adeò peccatum incurrerent, posteà verò Deum authoritate, & potestate sua vsum fuisse, ac Virginem vnam ab ea lege liberasse, certè Deum mutationi, & inconstantiæ submittes. Quis enim vnquam decretum Dei efficax violari posse dixit? Manet ergo vniuersalem istam legem, quam isti authores sibi excogitarunt, ad exponenda sacræ Scripturæ loca idoneam non esse. Quapropter ob eam causam Vazquez noster, & alij (quotquot solidè sentiunt Virginem Deiparam ab originali immunem, & tamen eam communi aliorum lege comprehensam fuisse) communem legem à Deo latam ab initio non eam esse dicunt, vti omnes homines re ipsa peccatum incurrerent: sed tantùm vt debitum, & necessitatem illius 30

incurrendi

incurrendi contraherent. Quod licet mihi nō omninò probetur, vt infrà dicam cap. 16. tamen puto consectariè dictum ad principia sumpta, & sententiam Ægidij ex hoc capite inconsequentiæ meritò coarguendam.

31 De alijs verò Pauli locis, quibus suam sententiam fulcire contendit Ægidius, idem iudicium ferendum est. Nam quod ait illam vel maximè roborari ex illis verbis: *Sicut enim per inobedientiam vnius peccatores constituti sunt multi*: vnde colligit per transgressionem parentis, quatenus ex Dei instituto nostra etiam fuit, peccatores nos formaliter constitui; facilè subuertitur ex consequentibus: addit enim Paulus: *Ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Sicut ergo Christus obedientia sua non iustificauit nos formaliter, sed causaliter: ita etiam de Adæ inobedientia, & præuaricatione censendum: nos quidem ab illa non formaliter, sed causaliter peccatores effectos fuisse, vt nuper dicebamus.

DE VOLVNTARIO culpæ originalis.

§. VI.

32. *Quale voluntarium filiorum in patre postulent Recentiores ad peccatum originale.*
33. *Ex voluntate paterna filiorum consensum interpretantur, & confirmant.*
34. *Peccatum originale soli Adamo voluntarium fuisse verius est.*
35. *Diuina institutio non potest reddere paruulis voluntariam transgressionem Adæ.*
36. *Consensus interpretatiuus nunquam non supponit expressam aliquam voluntatem.*
37. *Exemplum Adami non fauet opinioni Recentiorum.*

32 PRÆCIPVA Ratio, qua suæ sententiæ fidem faciunt præscripti Doctores, inde sumitur, quia peccatum esse nequit sine volũtate aliqua libera eius, qui peccat: atq; adeò nisi dicant paruulos aliquam voluntatem liberam habuisse, aut in se, aut in parente, non satis capiunt, qua ratione in ipsis peccatum esse possit. Et sanè plures sunt Recentiores Doctores, qui quamuis non sentiant cum Ægidio actionem illam, qua Adamus præceptum Dei sponte violauit, quatenus propria filiorum fuit, modo suprà dicto peccati originalis essentiam ingredi: tamen magno studio vestigant aliquam voluntatem filiorum in Patre, per quam non tantùm Adamo: sed etiam ipsismet filijs voluntaria dicatur priuatio iustitiæ originalis, vt ea ratione peccati nomine censeri possit.

Aiunt ergo primò ex Dei institutione ab eo tempore, quo Adamum humanæ naturæ caput, ac principem esse iussit, omnium hominum voluntates in vnam Adami voluntatem delatas fuisse eo iure, vt quidquid ille vellet, hoc ipsum omnes alij velle putarentur. Nam apud homines, inquiunt, hoc vsu venit, vt magna aliqua multitudo vnum aliquẽ sibi in principem deligat, vt omnibus iura dicat, ac leges ferat: postquam verò iste ad eum modum electus est, cum imperat, aut legem aliquam indicit, verum est dicere illum totius communitatis nomine imperare, ac præcipere, & imperium illius toti communitati voluntarium esse. Ita vt ratione voluntariæ illius subiectionis, per quam communitas talem Principem delegit, ac ei se voluntariè demisit, teneatur illi parere, & ad nutum obsequi. Quod ergo communitatis conspiratio, & consensus agit in electione Principis: hoc etiam, inquiunt, Dei institutio efficere potuit in Adamo: Deus enim illum omnium hominum caput, ac Principem nuncupans, omnium voluntates in vnam illius voluntatem deferre potuit, vt quidquid ille vellet, id omnes sponte velle, & amplecti censerentur.

Sed vti suam sententiam luculentam magis efficiant isti authores, cogitandas esse docent pacti cum Adamo initi conditiones valde iustas. Tale enim, inquiunt, cum Adamo fœdus percussum est, vt siquidem in accepta iustitia constans esset, gratiam originalem & sibi seruaret, & eandem ad posteros iure hæreditario transmitteret: sin verò præceptum violans à iustitia sua ipse excideret, sibi, atque minoribus suis eãdem gratiam amitteret. At verò vt constanter ageret, atque datam sibi gratiam seruaret, non modo illi præsto erat ipsa iustitia originalis: sed etiam Dei auxilia permulta, quibus illum Deus nunquam non roborabat, & ad peruincendas quaslibet tentationes obarmatum præstabat. Iã ergo sic percontãntur, si omnes filij quotquot ex Adamo deinceps temporis decursu, aut fuerunt, aut futuri sunt, iam tunc viuerent, atque huius pactionis celebrationi interessent, nonne illi sponte acquiescerent, atque libenter in omnes illius fœderis conditiones venirent: ita vt vellent prorsus ab omnium parente suæ posteritatis amatore omnium causam agi, ac tractari, & libenter huic aleæ, atque fortunæ se committerent? Ita sanè putandum est. Atque adeò integrum est ex vna Adami voluntate omnium filiorum voluntates interpretari, vt propterea rectè dici possit filios id planè voluisse, quod pater voluit: atque adeò priuationem iustitiæ, qua posteà mulctati sunt, non parenti solùm, sed etiam ipsis filijs prorsùs voluntariam fuisse. Et sanè mirandum non est, si filios ad eum modum, etiam quando non erant, aliquid 33

sponte sua voluisse dicamus, quandoquidem multi authores seriò affirmant decretum illud, vel legem, qua apud se statuerat Deus, vt Adamo peccante, cunctam illius sobolem originali iustitia priuaret, ipsi Adamo haud significatam, & manifestatam fuisse: & tamen asserunt priuationem iustitiæ originalis, qua posteà filij eius spoliati sunt, eidem sufficienter voluntariã fuisse. Si ergo (aiunt) id quod nequaquam nouerat, nec in mentem eius venerat, ex censura istorum Doctorum Adamo voluntarium esse potuit, quid mirum, si dicamus filios eadẽ voluisse, quando non erant? nam erga illa, quæ quis non cognoscit, vt ea velit, quandiu ita non agnoscit, perinde se habet, ac si non esset.

34 Verũ enim verò adduci non possum vt doctrinã istam veram esse credã. Quapropter cũ nostro Gabr. Vazq. loco suprà citato, & cum alijs plerisque ita decerno, peccatum originale non alij, quàm ipsi Adamo voluntarium fuisse. Probatur autem facili ratione, quia id peccatum non est personæ, sed naturæ: atque adeò illi tantùm voluntarium esse oportet, qui naturæ caput, & princeps à Deo constitutus fuit. Rationẽ verò istam vrgere sic licet, quia priuatio gratiæ originalis in paruulis existens cum sola relatione ad voluntariam transgressionem parẽtis est mala moraliter, Deo displicens, atque ipsum hominem hæreditatis æternæ iure priuans, ergo peccatum. Quod vel ex eo licet colligere, quia si eiusmodi spoliatio, seu denudatio iustitiæ originalis liberè facta fuisset à Deo in paruulis: ita vt nulla transgresio libera parentis illi occasionem, vel causam dedisset, non displiceret ipsi Deo: ergo ex voluntate Adami habet vt displiceat, ergo ex eadem habet, vt mala sit, & peccatum. Et sanè præfatos authores falsa quædam existimatio deludit: quia nimirum de originali peccato, tanquam de actuali, & personali cogitant, ideòque voluntariũ personale requirunt. Quibus illud è vestigio obijciendum est, quia si prædicta priuatio iustitiæ originalis ab aliqua propria personali, & actuali voluntate voluntaria existeret, esset prorsus actuale, & personale peccatum, & non originale tantùm.

35 Rationes ergo, quibus adducti aliter statuunt, robustæ non sunt. Imprimis enim similitudo illa electi, & nuncupati Principis, hic non tenet: quia communitas, quæ Principem eligit, habet voluntatem expressam, & liberam ipsius eligendi: atque adeò ea voluntate consequenter velle censetur omnes illius electionis effectus. At verò Dei institutio efficere non potest, vt paruulis aliquid voluntariũ sit. Quemadmodum enim si Deus aliquem Principem authoritate diuina efficeret, non expectato consensu populi, tunc quidem si quas leges, & iura talis Princeps ferret, eas certè non populus, sed Deus ipse diceretur velle. Ita etiam de paruulis decernendũ est, quibus Deus authoritate sua Adamum in caput præfecit. Nam cum in hac institutione voluntas paruulorũ nulla ratione intercesserit, nõ est caput aliquod, vnde colligatur eos id ipsum voluisse, quod parens voluit.

Rursùs voluntas illa interpretatiua, quam prædicti authores excogitant, commentitia 36 est: non enim licet voluntatem aliquam interpretatiuã colligere nisi ex aliqua expressa. Nam si ita liceret voluntatem humanam interpretari, vt aliquid homini aut vitio, aut virtuti verteretur, nullo iure Augustinus epi- *August.* stola 105. & 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 11. & 12. & 2. de bono perseuerantiæ cap. 9. & 10. Prosper, & Hilarius in epistolis ad *Prosper.* Augustinum, qui sunt ante librum de præde- *Hilarius.* stinatione Sanctorum, erroris insimularent eos, qui dicebant paruulos propterea ante baptismum è viuis rapi, quia superstites si forent, peccata multa perpetrarent, quæ Deus scientia sua conditionali prænouerat. Quia in his etiam locus est interpretationi, & qualis esset eorum voluntas futura, omninò compertum Deo est. Item innumera etiam adultis possent imputari peccata, & crimina, quia satis Deus scit illos, si his aut alijs tentationibus impeterentur, fore vt laberentur in culpas: atque adeò interpretari etiam prauas eorum voluntates inde liceret. Est igitur certo certius nullam voluntatem interpretatiuam in quopiam esse ponendam, nisi hæc ex aliqua expressa certa coniectura colligatur. Quapropter cum paruuli expressam voluntatem non habuerint, antequam essent, non est caput, vnde interpretatiua colligi queat.

Denique accommodatum non est illud exemplum Adami, quem aliqui Theologi 37 pacti conditiones ignorasse ferunt: quia spoliatio, aut denudatio iustitiæ originalis in filijs cũ Adami crimine comparata pœna est, ac supplicium: qui verò admittit aliquod delictum, omni pœnæ, ac supplicio, quod delictum condignè meretur, se sponte subijcit, etiamsi quale illud sit, ignoret prorsùs. Quomodo autem hoc voluntarium, quod non est expressum, & explicitum, sed consequens, atque implicitum, seu virtuale, ad peccati constitutionem sit satis, ex dicendis §. sequenti constabit. Neque verò in ea sententia sum, vt credam pacti conditiones, pactumque ipsum, ac legem diuinam Adamo prorsùs incompertam fuisse: probabilius enim est pacti conditiones ipsi propositas ab initio, vt statim dicam. Tamen id assero cum nostro Gabriele Vazquez loco suprà citato, hanc manifestationem ex natura rei minimè requiri, vt peccatum originale voluntarium sit, vt ex sequenti §. ampliùs patebit.

DE NATVRA, ET conditionibus pacti ab initio cum Adamo initi.

§. VII.

38. *Ad transfusionem peccati originalis necessarium omnino fuit pactum.*
39. *Prior modus, quo Virgo à transfusionis pacto excipi potuit.*
40. *Posterior modus exponitur, & præfertur.*
41. *Legem transfusionis Adamo denunciatam aliqui inefficaciter probant ex scriptura.*
42. *Idem ex ratione voluntarij parum robustè confirmant.*
43. *Ex definitione tamē originalis peccati apertè conuincitur.*
44. *Solum decretum Dei necessitatem, & debitum conseruandi iustitiam non potuit inducere.*
45. *Nuda prohibitio arboris vetitæ dictam obligationem non infert.*
46. *Quale præceptum ad id requiratur.*
47. *Fœdus transfusionis Adamo innotuisse, ex scriptura deducitur.*

38 CERTVM Est omninò gratiam originalem ea lege, & conditione Adamo collatam fuisse, vt si in accepta iustitia constans foret, eam quasi iure hæreditario ad posteros transmitteret: sin verò diuini præcepti metas prætergressus delinqueret, eandem iustitiam non sibi solùm: sed etiam posteris suis amitteret. Hoc verò pactum ita necessariũ fuit, vt illo sublato, tollatur etiam transfusio culpæ: nam si hæc transfusio, etiãsi nullum intercederet Dei pactum, ex natura rei sequeretur, non Adamus solùm, sed reliqui parentes suas ad prolem culpas transmitterent, quod absurdissimum est. Quapropter quotquot pactum diuinum ea ratione ad transfusionem culpæ requiri putant, fateri tenentur illum, quisquis pacto Dei inclusus non foret, ab originali peccato, & à debito illius prorsus immunem fore.

Duos autem inuenio modos apud autho-
39 res, quibus aliquem à pacto Dei excipi, & consequenter à culpa, & debito illius liberari posse asseuerant. Alter est satis vulgaris apud nostræ ætatis Theologos, scilicet in ipsa constitutione pacti: si nimirum Deus legem illam Adamo indicens, quod omnes illius posteros, ipso delinquente, iustitia priuaturus, ac spoliaturus esset, in ipsamet legis indictione vnum aliquem exciperet, quem pacti conditionibus subiacere nollet. Hunc exceptionis modum agnoscunt omnes illi, qui prædestinationem Christi, & ipsius MARIÆ electionem, ad maternitatem ante præuisionem primi peccati præmittentes, eam à debito culpæ liberatam putant, & neque in se ipsa, neque in Adamo aliquo sensu peccasse affirmant, quorum censum infrà suis locis dabo. Et sanè quamuis dubium sit, an is, qui ea ratione exceptus foret, per merita Christi excipi, ac seruari potuerit: tamen eam exceptionem secundum se esse possibilem, & exceptum ea ratione à culpa, & debitò illius liberum, expertemque futurum certo certius est.

Alter modus est æquè certus, quem nouit 40 AEgid.
F. Ægidius de Præsentatione, vir eximiè doctus, & inter principes huius ætatis Theologos meritò censendus, in suo libro de Immaculata Conceptione quæst. 4. artic. 3 §. 6. his verbis: *Quoniam si aliquis per generationem naturalem nasceretur ex Adamo præter eos, quos Deus ab illo generandos fore ab initio decreuit (quod absolutam Dei potentiam minimè excedit) iste non contraheret peccatum originale, etiamsi nulla præseruaretur gratia, vt ostendimus in tractatu de peccato originali, non ob aliam rationem nisi, quia in lege Adami non fuit inclusus: quia Deus in Adamo solos eos obligauit, quos voluit ab eo propagandos fore. Cum verò ille in ea lege comprehensus non fuerit, nec Adamus de facto fuerit caput morale illius, vtique peccante Adamo, ipse non peccaret, & ex consequenti propagatus ab Adamo absque vllo debito contrahendi maculam conceptus esset, nec vlla indiguisset gratia, qua à tali macula præseruaretur.* Hactenus Ægid. cuius sententiam, & rationem vsque adeo probo, vt nullis argumentis labefactari posse credam. Eam tamen robustiùs confirmatam dabimus infrà cap. 16. & 17. & in compendio nostræ sententiæ, quam ad calcem huius tractatus attexemus. Ex hac verò doctrina aliquid inferre licet notatione dignum, & quod illi non parum lucis, ac splendoris conciliat: quia nimirum in veriori, ac certiori opinione, quæ tradit Christum Dominum secundum substantiam post præuisionem culpæ prædestinatum, ac præfinitum fuisse, illum hoc solo iure, etiamsi alia deessent, à peccato originali, & à debito illius immunem futurum. Luculentiùs dicam: si humanitas Christi Domini, neque ex Virgine absque viri commixtione progenita, nec diuinitati in eadem hypostasi copulata, & sociata foret, hoc solo nomine, quod eius substantia, & existentia tunc non erat futura, nec decreta à Deo, quando pactum pro futuris iam tunc Adami filijs initum fuit, atque adeò in pacti conditiones venire non potuit, ab originali culpa, & à debito illius prorsus libera foret. Sed alia huius doctrinæ fundamenta subscribemus locis citatis.

Aliqui

41 Aliqui etiam Recentiores Theologi circa pactum istud addubitant, an illud ab initio fuerit Adamo manifestatum, qui nostrũ item Gabrielem Vazquez in ea sententia fuisse dicunt, vt seriò affirmaret Adamum neque pactum, neque pacti conditiones agnouisse. Sed tamen falsò eam sententiam ipsi adscribunt. Vazquez enim id tantùm affirmauit, vt peccatum originale voluntarium esset Adamo tanquam capiti, opus non fuisse, vt pactum, & conditiones pacti ipsi notæ essent, quod nos etiam nuper seriò docuimus. An verò de facto illas agnouerit, non valdè curat. Id tamen graues aliqui Theologi ex Recentioribus magno studio contendunt. Et quidem suam sententiam roborant ex illis verbis Oseæ: *Sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me.* Sed locus iste valde alienus est ab hac sentẽtia: quia licet hęc vox *Adam* ipsissimum Adamum humani generis principem notet. (Quod tamen plures negant, propterea quod Septuaginta Interpretes sic restituerunt: *Ipsi autem sunt, vt homo præuaricans testamentum, ibi consumpsit me Galaad*) & licet de originali peccato ibi sermo fiat, vt sentiunt Hieronymus, & Rupertus in eum locum: tamen nullus est, qui ibi per pactum intelligat fœdus transfusionis, sed pacti nomine intelligunt præceptum abstinendi ab esu pomi vetiti, iuxta solemnem scripturis loquendi modum, quæ sæpiùs pacti vocabulo Dei præcepta compellant. Et quamuis hoc daremus, per pactum inibi legem transfusionis significari: tamen inde colligere non licet pactum eiusmodi Adamo manifestatum fuisse. Eodem etiam modo neque pactum, neque illius notitiam in Adamo aucupari licet ex illis verbis Genes. 17. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Quamuis enim Augustinus contendat his verbis significari Dei pactum aliquo sensu à pueris violatum, tamen nomine pacti non intelligit fœdus transgressionis: id enim nullo sensu à pueris violari potuit: sed præceptum Dei Adamo impositum non comedendi pomum prohibitum. Quo autem sensu præceptum illud à pueris violatum dici queat, suprà ostendimus §. 5. Adde etiam iuxta veriorem sententiam per pactum eò loci intelligi circumcisionis præceptum: *Deleri autem de populo*, nihil aliud est, quàm non cooptari in censum populi Hebræi. Itaque sensus est: Infans, qui circumcisus non fuerit, non referetur in numerum populi Hebræi Deo sacri, & addidi: *Quia pactum Dei irritum fecit*, quia nimirum circumcisionem à Deo demandatam omisit. Intelligit autem non de formali, & culpabili, quæ in paruulis esse nequit: sed de materiali irritatione.

Oseæ 11.

Genes. 17.

42 Addunt etiam præmissi authores rationem eiusmodi, quia si Adamo pactum, & pacti conditiones non fuerunt perspectę, sequitur illum inuincibiliter ignorasse: atque adeò ipsi culpæ verti non potuisse, quod nos iustitia spoliarit, ac denudarit. Adde etiam quod isthæc spoliatio illi ignota si fuit, non potuit esse ipsi voluntaria: atque adeò priuatio iustitiæ originalis in paruulis non habebit veram rationem peccati. Istius verò rationis neruos elidit facilis, atque obuia solutio. Aio igitur ablata pacti notitia ex priori ratione rectè colligi in Adamo fuisse ignorantiam inuincibilem spoliationis nostræ: atque adeò ob defectum cognitionis culpam ipsius ad eam speciem peccati non transijsse, in qua esset, si malum illud, quod posteris inferebat, perspectum haberet. Tamen sic assero: licet Adamus ignoraret prorsus præscriptum pactum priuationis iustitiæ originalis ex illius delicto in posteris consecutæ, nihil deesset voluntarij ad rationem peccati. Ratio est in promptu, quia prædicta priuatio iustitiæ originalis in posteris, vt paulò antè dicebam, cum transgressione, & præuaricatione parentis comparata, pœna est, ac supplicium illius: is autem, qui delictum aliquod perpetrat, omnibus supplicijs, ac pœnis semetipsum sponte, ac voluntariè obnoxium reddit, quæ ex condignitate tali delicto respondent: etiamsi quantæ, qualesuè illæ sint, ignoret prorsus (quomodo autem peccatum primi parentis cunctam eius sobolem gratia priuare, & nudare condignè meruit, alterius est negotij.) Id autem voluntarium quamuis non sit expressum, sed in causa, satis esse, vt prædicta priuatio iustitiæ peccatum sit verè, & propriè, vel ex eo licet colligere, quia in peccatis actualibus, & personalibus non inuenitur maius voluntarium. Nam qui, verbi gratia, furtum, aut fornicationem committit, formalem rationem peccati non vult expressè: sed tantùm in causa: eius enim voluntas in solam delectationem expressè fertur. Quia tamen inde sequitur, ac redundat necessariò malitia, ideò illam velle, & amplecti dicitur. Idem ergo de peccato originali iudicium ferendum est, nec requiritur ad illud expressius voluntarium.

43 Sed licet cognitio pacti non requiratur ex natura rei, vt priuatio iustitiæ, quæ in filijs consecuta est, voluntaria esset Adamo: tamen præfatam cognitionem, & insinuationem legis ad transfusionem peccati necessariam omninò fuisse pro certo habeo. Id autem validissima quædã ratio mihi suadet ex definitione originalis peccati petita: nam eiusmodi peccatum sic finiri consueuit: *Priuatio iustitiæ originalis debitæ inesse.* Quam definitionem ab Anselmo petitam suprà dedimus §. 3. cuius illa sunt germana verba: *Peccatum originale est absentia debitæ iustitiæ:*

Anselm.

non enim videtur esse iniustitia, nisi in natura, quæ cum debeat habere iustitiam, non habet. Cum igitur constet hoc debitu habendi iustitiam non esse paruulis naturale: natura enim nullã habet gratiæ, & iustitiæ insitam sibi exigentiam, non potuit certè aliunde oriri, nisi ex præcepto Dei Adamo ipsi imposito, quo ipsi seriò demandatū est, vt à pomo vetito abstinens, non sibi solùm: sed etiam posteris gratiã asseruaret, quia nimirū non ipsius modo, sed etiam filiorū causa ageretur. Quã rationem sic vrgeo: Gratiã esse debitam paruulis ex aliqua obligatione nascitur: omne enim debitum obligatio quędã est: atqui obligatio ista habendi gratiam non est in paruulis per naturam, vt nuper dicebam, neq; etiã in Adamo ex natura rei fuit obligatio illã transfundendi: nascitur ergo tota ex diuino præcepto, quod parentem ad transfundendam gratiam obligans, in filijs etiam obligationem, ac debitum habendi illam causauit. Quapropter cū nullum præceptum obligationē inducat, nisi ei cognitum, ac perspectum sit, cui imponitur: inde sequitur eiusmodi præceptum Adamo compertum fuisse, quandoquidē tali tum illum: tum etiam posteros eius per illum obligatione, ac debito obstrinxit.

44 Sed dicet aliquis, ad hoc vt gratia dicatur debita omnibus Adæ filijs, satis videri ordinationem Dei, per quam decreuerat apud se Deus, Adamo perseuerãte, posteris eius gratiam conferre. Respondeo hoc decretū sublato præcepto nullã posteris obligationē inducere potuisse habēdi gratiam. Nam cum decretum esset æquale, & anceps in vtramq; partem scilicet conferendi, vel auferendi gratiã, prout Adamus perseueraret, aut non perseueraret, non magis inducebat obligationē habendi, quã non habēdi illam, atq; adeò oportuit, vt præceptum Dei ad alteram partem, id est, ad transfusionem gratiæ Adamum obstringeret, alligaretq;. Luculētius dicã. Cum obligatio, aut debitum habendi gratiã, quod in paruulis vestigamus, non potuerit nasci ex pacto illo conditionato cū Adam inito, quia hoc pactū ad vtramq; partē indifferens erat, necessum fuit, vt ex obligatione, seu debito patris in filios debitum descēderet: ita nimirū, vt, quia pater obligatus, obstrictusq; erat ad gratiam in filios effundendam, ipsimet filij debitores essent illam habendi. Quapropter cum solum, ac nudū pactū hãc obligationē patri nō imponeret, oportuit certè, vt ad pactum præceptum Dei accederet.

45 Sed dices ita quidem oportuisse, vt ad pactum Dei præceptum aliquod accederet, vt obligatio ex patre redūdaret in filios: tamen hoc præceptum non fuisse aliud, nisi mandatum non gustãdi fructum arboris interdictæ. Quia nimirum Deus pacto suo transfusionē gratiæ in posteros ita ex voluntate Adami pendere voluit: si videlicet de fructu arboris scientiæ boni, & mali nō ederet, vt simul ipsi id demandauerit, à quo transfusio pendebat: atq; adeò sine aliqua notitia pacti, cum sola cognitione præcepti prælati intelligitur in Adamo obligatio transfundendi gratiã: quia nimirã intelligitur in eo obligatio moralis abstinendi ab arbore interdicta: ex qua Deus ordinatione sua transfusionem gratiæ pēdere voluit. Ego quidem ita reor ex natura rei illud præceptū satis fuisse, vt nuditas, seu spoliatio gratiæ, quæ transgressionem consecuta est, voluntaria esset ipsi Adamo, vt nuper dicebã, per volūtarium in causa, quod ad peccatum sufficere iam inde supra decreui. Tamen cum illud debitum habendi gratiam, quod in Adami posteris vestigamus, ante ipsam transgressionem Adami præsupponere, idquē ex debito parentis descendere opus sit, non potuit certè, vt Adamus in eo tempore, quod transgressionem antecessit, debitor esset gratiæ in filios effundendæ aliqua morali obligatione: nulla autem talis obligatio in Adamo apprehendi, aut concipi potest ante notitiam pacti.

Et sanè ego non contendo aliquod speciale præceptum fuisse impositum Adamo circa transfusionem gratiæ distinctum à præcepto non comedendi fructum vetitum: sed tantum assero simul cum illo præcepto abstinendi, legem transfusionis ipsi notam factam. Id enim satis erat, vt ex tali notitia in ipso nasceretur obligatio transfundendi gratiam, ne filios suos culpa sua tantis bonis spoliaret, & tantis criminibus manciparet. Vlterius non inficior ex solo præcepto non gustandi arboris interdictæ fructum, etiamsi Adamo ordinatio, & pactum Dei non innotesceret, obligationem remotam, aut indirectam transfundendi gratiam in posteros concipi posse: eo modo, quo aliquis etsi non agnosceret pœnas inferni à Deo peccatoribus esse constitutas, teneretur illas vitare, ac fugere, non quidem directè, sed indirectè, quatenus deberet culpas cauere, quibus, ipso etiam ignorãte, tales pœnæ debitæ sunt. Sed tamen hoc genus obligationis valde remotum est. Quapropter cum possimus directam, & magis propriam obligationem ex cognitione pacti natam adstruere, meritò illam asseueramus. 46

Deinde etiam fœdus illud ab initio Protoparenti nostro, Deo significante, innotuisse ex sacra Scriptura non obscurè deprom posse censeo, non quidē ex locis suprà adscriptis: in his enim ne leue quidem huius manifestationis vestigium subest: sed ex illis verbis Genes. 2. quibus Deus Adamo ligni prohibiti esum interdicens ad hunc modū comminatus est: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*. Cuius loci exactam interpretationem habes infrà cap. 16. vbi Adamū, nō de naturali tantū: sed etiam de spirituali sua & posterorum suorum morte his verbis præmorum non obscure probabimus. 47 Genesis. 2.

Plæraque

Pleraque alia ad naturam peccati originalis pertinentia sciens, ac volens missa facio: nostrum enim in hac Præfatione consiliũ fuit nouas tantùm quæstiones inter Recentiores excitatas discurrere: antiquas verò antiquis Doctoribus relinquere, à quibus earum pleniorẽ notitiam haurire licet. Sed ante alios adeundum tibi puta P. Gabrielem Vazquez: hic enim de natura peccati originalis non tantũ vberiùs: sed etiam exactiùs, ac solidùs tractauit.

AN SIT, ET QVID sit debitum peccati originalis.

§. VIII.

48. *Augustinus, & Anselmus debitum incurrẽdi peccatum originale norunt, & variè compellant.*
49. *Non tantum habendi gratiam, sed & incurrendi peccati debitum est in nobis.*
50. *Non modò contrahendi maculam, verum & peccandi in Adamo debitum excogitauit Ægidius.*
51. *Quid sit debitum peccati originalis, declaratur.*

48 LTERA Thesis nostræ pars, in qua quærimus, vtrum Virgo à debito culpæ originalis immunis fuerit, postulat, vt quemadmodũ de peccati originalis essẽtia aliquid præfati sumus: ita etiam de eiusdẽ peccati debito, & de natura illius aliquid præmittamus. Et quidem illud in primis pono, ac decerno, nomẽ, & naturã huius debiti Patribus antiquis non fuisse incompertã. *August.* D. August. in epist. 23. ad Bonifac. debitũ istud reatũ appellauit: sic enim ait: *Traxit ergo reatũ, quia vnus erat cũ illo, & in illo, à quo traxit, quãdo quod traxit admissũ.* Et sanè per *reatũ* intellexisse August. obligationẽ, aut necessitatem cõtrahendi peccatũ, & nõ peccatum ipsum, ex eo licet colligere, quia docet reatũ istum ab eo tẽpore contractũ, quo Adamus delictũ admisit: at peccatũ originale non incurritur ante primũ generationis instans. *Anselm.* D. Ansel. debitũ istud necessitatẽ peccandi appellauit in lib. 10. de Cõcep. Virg. & de peccat. orig. c. 7. sic habet: *In Adamo omnes peccauimus, quãdo ille peccauit, nõ quia tunc peccauimus ipsi: sed quia de illo futuri eramus, & tũc facta est illa necessitas, vt cũ essemus, peccaremus.* Et paucis interiectis: *Quia ab ipso semine, & ipsa cõceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatẽ, vt cũ habebit animã rationalẽ, habeat peccati immũditiã, quæ nõ est aliud, quàm peccatũ, & iniquitas.* Iterũ etiã c. 10. ipsum debiti nomen vsurpauit: *Quoniam verò Adam subditus noluit esse Dei voluntati, ipsa natura propagandi, quamuis remaneret, non fuit subdita eius voluntati, & gratiã, quam de se propagandis seruare poterat, perdidit, atque omnes, qui natura operante, quam acceperat, propagantur, eius adstricti debito nascuntur.* Et c. 22. præfatum debitum naturalis egestatis nomine insigniuit: *Quod in illis* (inquit) *non sit iustitia, quam debent habere, non hoc fecit illorum voluntas personalis, sicut in Adam, sed egestas naturalis, quam ipsa natura accepit ab Adam.* Naturalem egestatem appellat indigentiam carendi gratia, quam cum natura simul accipiunt omnes Adæ posteri.

Audio aliquos id nominis damnare, ac repudiare, quasi non debitum, aut obligatio 49 peccati, sed iustitiæ, & gratiæ debitum potius compellari debeat. Vtuntur autem testimonio eiusdem Anselmi in cap. illo 22. vbi sic *Anselm.* habet: *Quod in illis* (scilicet paruulis) *non sit iustitia, quam debent habere, non facit illorum voluntas personalis.* Et suprà cap. 3. *Originale peccatum non est aliud, quàm absentia iustitiæ debitæ: non enim videtur esse iniustitia nisi in natura, quæ debet habere iustitiam.* Accersunt etiam ex Scholasticis Scotum in 3. d. 3. q. 1. *Scotus.* §. *Si autem*, vbi ita ait: *Quilibet filius Adæ naturaliter est debitor iustitiæ originalis, & ex demerito Adæ caret ea.* Mitto quamplures alios, qui eundem loquendi modum passim vsurpant. Et sanè authores illi propterea debitum peccati dicere detrectant, quia Virginem Deiparam peccati debitricem fateri indecorum dictu: at verò eandem iustitiæ debitum habuisse non indecorè dici, & affirmari posse putant. Cæterùm irridenda prorsus est ista obiectio: omnes enim Theologi fatentur in paruulis esse debitum iustitiæ originalis, ex institutione, & lege Dei, & præcepto Adamo imposito profectum, ac deriuatum. Quod debitũ, antequam intelligeretur Adami peccatum in paruulis, iam tunc erat, ratione cuius ea, quæ posteà in illis ex peccato parentis consecuta est carẽtia iustitiæ, priuatio esse cœpit, id est, absentia debitæ iustitiæ. At verò debitũ peccati, de quo loquimur, est obligatio quædam, ac necessitas contrahendi peccatũ originale ex ipso Adami peccato in posteros redundans, & ipso posterior. Qua obligatione verè, ac propriè Adami filios obstringi certo certius est.

Illud dubium, & anceps, cuiusnam peccati sit obligatio isthęc? 50 Nam cum authores supra allegati distinguant quasi duplex originale peccatum: aliud actuale in Adamo, per quod omnes illius posteri in ipso, & cum ipso eandem peccati actionẽ operati sunt. Aliud quasi habituale in ipsismet posteris contractũ. Cõsectariè ad hæc principia nescio quid debiti excogitarunt in paruulis, non solùm peccãdi originaliter per realem contractionem peccati in se ipsis: sed etiam peccandi originaliter in Adamo. Cæterùm quia, vt supra §. 4.

fuse

fusè docuimus, peccatum illud actuale, aut quasi actuale, nostrum in Adamo, & cum Adamo opèratum, inane, ac commentitium est. Inde relinquitur debitum hoc, vel obligationem peccati originalis, cuius naturam vestigamus, non esse alterius, nisi eius peccati, quod singuli homines in se contrahunt.

Quod si essentiam, & quidditatem huius
51 debiti tenere velis, sic accipe. Debitum istud est obligatio, aut necessitas moralis contrahendi peccatum originale. Hanc definitionem tradunt Caietanus, Cordúba, Valentia, Suares, Vazquez, Bellarminus, & alij infrà citandi. Ex his autem Vazquez naturam illius ad viuum resecans dixit formaliter esse relationem. Ægidius verò lib. 4. quæst. 4. artic. 3. §. 9. studio quodam diffidendi, ipsum redarguit, additque debitum peccandi non relationem, sed obligationem esse. Atqui omnis obligatio, relatio quædam est vinculi, ac nexus, nullusque aliam obligationis naturam vsquam excogitauerit. Sed homo non bene animatus in Bellomontanum nostrum, vt illi vbique aduersetur, sibi quoque passim aduersarius est. (Interim verò lectorem monitum velim Ægidium in referendis Bellomontani sententijs non semper fidelem, atque adeò illi, nisi inspectis codicibus, non leuiter fidem haberi debere.) Est igitur debitum culpæ originalis relatio vinculi, ac nexus, quo omnes Adæ posteri propter peccatum primi parentis ad contrahendam maculam peccati originalis obstricti sunt.

Caietan. Cordub. Valent. Suarez. Vazquez. Bellarm. AEgid.

QVOD SIT SVBIECtum huius debiti.

§. IX.

52. *Debitum quasi passiuum contrahendi peccatum est in filijs Adami tãquam in subiecto.*
53. *Nullos Adæ posteros tale debitũ in se habere vnus AEgidius audacter asseuerat.*
54. *Probat exemplo soluentis debitum, vel luentis pœnas debitas.*
55. *Idem de B. Virgine negat, & alio modo defendit.*
56. *Id dum negat AEgidius, opponitur Augustino, & Anselmo.*
57. *Præcluditur eius effugium, & ratione impugnatur.*
58. *Posteros Adæ præter peccatum, etiam debitum, seu necessitatem illud incurrendi in se habere apposito exemplo suadetur, & declaratur.*
59. *Si filij in se ipsis tale debitum non habent, in Adamo parente debitores esse non posse constituitur.*
60. *Infirmantur AEgidij fundamenta.*


52 CAIETANVS In tractatu de Conceptione Virginis cap. 2. Bellarmin. lib. 4. de Amissione gratiæ, & statu peccati, §. 10. Vazquez 3. part. disput. 116. cap. 5. Corduba lib. 1. quæst. 44. concl. 5. Valent. in 3. par. disputat. 2. quæst. 1. punct. 2. Suar. 2. tomo. in 3. par. disput. 3. sect. 4. & alij non pauci duplex debitum agnoscunt. Alterum quidem in Adamo, non vtique filiorum, sed ipsius proprium ex proprio crimine contractum, per quod debitor factus est, ac dignus, vt omnes filij quotquot ab ipso naturalem originem recenserent, peccatores nascerentur. Alterum vero in ipsismet filijs receptum: quatenus ipsi etiam propter delictum patris necessitatem, & obligationem contraxerunt habendi maculam originalem. Et vt omittam quamplures rationes, quæ id suadent, vnam, aut alteram subscribere libet. Prior sic habet. Inprimis debitum, seu obligationem actiuam in Adamo, qua omnes filios suos obstrinxit peccato, nullus non agnoscit: ex hac ergo sic conficio: Adamus per obligationem actiuam filios suos obstrinxit: ergo filij manserunt obstricti, & obligati. (Vel aliter) Adamus proprio delicto dignus factus est, vt filij eius carerent iustitia originali, atq; in se maculã peccati reciperent: ergo filij propter delictum patris digni facti sunt, vt eadem iustitia priuarentur: hæc enim mutuæ quædam relationes sunt: si enim pater ad filios refertur tanquam verus obligator, necessitatem, ac debitum illis immittens, non possunt non filij ad patrem referri tanquam verè obligati, & necessitate illa affecti, quam pater illis immisit. Altera ratio est eiusmodi, quia ex institutione, & lege, qua Deus statuit, Adamo perseuerante, & à pomo vetito abstinente, ad filios illius originalem gratiam transfundere, ortum est debitum gratiæ originalis in paruulis ipsis existens, quod nullus Catholicus negare potest. Ergo pari ratione propter alteram pacti partem, qua Deus decreuit, Adamo peccante, omnes illius posteros gratia priuare, purificata conditione ortum est similiter debitum in eisdem carendi eadem gratia, & iustitia originali: eadẽ enim vtriusque ratio est.

Caietan. Bellarm. Vazquez. Cordub. Valent.

53 Contra hanc verissimam sententiam, vnus (quod sciam) ac solus Frater AEgidius de Præsentatione longam disputationem texuit lib. 4. quæst. 4. artic. 5. affirmans nullum ex Adami posteris in semetipso contrahere debitum peccati originalis. Et certè quamuis aliqui graues Theologi etiam ex his, qui Virginem in lege transfusionis comprehensam asserunt, illam nullum in semetipsa peccati originalis debitum contraxisse seriò affirment: tamen nullum comperi, qui id de omnibus alijs Adæ filijs hactenùs pronunciarit præter vnum Ægidium. Positionem ergo illam absolutam, & vniuer-

salem,

salem, nullum ex Adæ posteris originalis peccati debitum in se ipsis habuisse, his argumentis suadere contendit.

54 Quia cunctam Adæ sobolem bifariam partiri licet: in Virginem scilicet, quæ in primo suæ Conceptionis instanti sanctitate, & iustitia donata est: & in reliquos, qui in peccato concepti gratia, & iustitia ab initio caruerunt. Et vt ab his exordiar, qui peccatores geniti sunt, hi certè nullum in se ipsis originalis peccati debitum videntur habuisse. Ratio est in promptu, quia quilibet homo contrahens actu ipsam culpam, in primo suæ conceptionis articulo persoluit debitum carendi iustitia, quo illum Pater obstrinxit: ergo tunc debitor non est, & deinceps debitor esse non potest. Consecutio probatur: quia certissimum est omne debitum persoluendi aliquid, solutione ipsa ita tolli, & aboleri: vt primum esse solutionis sit primum non esse debiti. Sed vt robur faciam huic rationi, quã ad eum modum conformat Ægidius in eo articulo §.5. addo exemplum eius, qui deleta culpa letali, dignus manet pœna temporali, ac debitor illius: hic enim si debitam satisfactionem offerat, debitum omne extinguit: ita vt primum esse satisfactionis condignæ sit primum non esse debiti. Idem igitur de peccati debito iudicium ferendum est. Nec valet dicere debitum hoc fuisse in primo instanti conceptionis: non quidem per totum instans, sed in priori natura: deinde verò per ipsam peccati actualem, & realem contractionem extinctum fuisse: quia sequeretur inde in eodem instanti temporis reali hæc duo contradictoria (debitorem esse, & non esse) simul verificari. Quod absurdissimum est.

55 Altera verò pars antecedentis: quod nimirum Virgo, etiamsi in legem transfusionis communi cum alijs consortio ingressa fuerit, nullius in se debiti rea extiterit, similẽ ad modum probare licet. Quia illud certo certius est gratiam, & sanctitatem perfectissimam remissionem peccati continere: inde ergo sic conficitur. Virgo sanctissima in primo suæ conceptionis, & animationis articulo gratiam, & iustitiam habuit, quæ est perfectissima remissio debiti: ergo iam tunc debitrix peccati non erat, & deinceps debitrix esse non potuit. Consequutio probatur, quia omne debitum quemadmodum per solutionem debitoris, ita etiam per remissionem creditoris tollitur: ita vt primum esse remissionis sit primum non esse debiti. Confirmari etiam potest ista sententia Ægidij exemplo aliorum criminum actualium, quæ inducunt debitum carendi semper gratia, & omni auxilio: hoc verò quidquid debiti, & obligationis est, per sequẽtem sanctificationem, & iustificationem deletur. Huius tamen rationis, & confirmationis, quæ à præscripto exemplo ducitur, vim, ac robur, necnõ etiam illius accommodatam solutionem habes infrà ca.15.§.2. Id enim consilij cepi, vt in hac præfatione nihil de Virgine decernerem, sed vniuersaliora tantum peccati originalis principia omnibus communia delibarem.

His ergo, quæ ad Virginem spectant, in sua quæque loca reiectis, sententiam Ægidij, 56
quatenus affirmat in reliquis Adæ posteris nullum originalis peccati debitum re ipsa receptum esse, vsque adeò falsam esse reor, vt putem authorem istum leuioribus inductũ rationibus in alias Catholicorum opiniones seuerissimas notas protulisse, quàm illæ sunt, quæ contra hanc illius sententiam conformari possunt. Primò igitur contra istum authorem pugnant Augustini, & Anselmi testimonia, qui planè reatum, debitum, & necessitatẽ carendi iustitia originali ex parentis peccato profectum in Adæ posteris agnoscunt.

Sed occurrit Ægidius se etiam istiusmodi debitum omninò fateri: non tamen in ipsis 57
paruulis existens, sed in parente suo Adamo contractum. Nam quemadmodum (inquit) filij in suo, & cum suo protoparente Adamo per eandem actionem peccarunt, quatenus illa actio ex Dei institutione erat etiam filiorum propria: ita etiam in eodem Adamo debitores facti sunt per debitum in ipso quidem Adamo existens: ipsis verò ad eundem modum appropriatum. Cæterùm hæc interpretatio debiti, me iudice, periculosa est: illã verò sic impugno. Quia hæc propositio vera est, & Fidei Catholica tenenda: Omnes Adæ minores propter peccatum parentis, non solùm habent reipsa peccatum originale in se contractum, sed habere illud necesse est. Ergo non solùm habent tale peccatum, sed necessitatem etiam habendi: ergo non solùm inest in ipsis peccatum formaliter: sed etiam debitũ illius: hoc enim nihil aliud est, quàm necessitas habendi tale peccatum.

Accipe huius rei luculentum exemplum. 58
Aliter quidem calor est in aqua, aliter in igne: in aqua enim sic est, vt tamen aqua suæ naturæ relicta nullam ipsius exigẽtiam habeat: in igne verò taliter est calor, vt ipsemet ignis etiam suæ relictus naturæ calorem semper exposcat. Quapropter aliquid diuersum est habere calorem, & habere exigentiam illius, quandoquidem in aqua vnum est sine alio. Cogita ergo apud te ipsum peccatũ originale non esse in paruulis, sicut calor inest aquæ: sed vti calor existit in igne: ita vt non modo illud habeant, sed exigentiam, debitum, ac necessitatem illius. Iam ergo sic argumentor. Si filij Adæ non solùm habent peccatum originale: sed etiam necesse est, vt illud habeant: ergo ab aliqua necessitate hoc habent, vt necesse sit: impossibile autem est, vt necessitas habendi formam aliquam sit in alio subiecto, quàm in illo, in quo talis forma existit: habent ergo hanc necessitatem in se ipsis. Quapropter quicumque hanc neces-

sitatem

sitatem in ipsis Adæ filijs non ponunt , eam
59 prorsus abnegent necesse est. Deinde etiam superior sententia validissima quadam ratione confutatur : quia hæc necessitas , vel debitum carendi gratia originali , quam in filijs Adæ ponere fides cogit , non resultauit solùm ex peccato Adæ : sed etiam ex Dei lege , & pacto , quo constitutum est , vt Patre delinquente , filij gratia priuarentur. Cum igitur in Adamo non fuerit integra, & completa causa debiti: etiam vt sic, prout in causa filij non potuerunt in ipso debitores peccati fieri. Denique quod caput est, si necessitas, aut debitum aliquod in Adamo existens nos debitores peccati formaliter reddere posset, non repugnaret etiam ex peccato Adami extrinseco fieri formaliter peccatores. Quod quam sit alienum à veritate, suprà statuimus, vbi diximus id ad Pelagianam hæresim propius accedere , & Lutheri quoque dogma sapere.

60 Rationes autem, quibus prędicti authores suæ doctrinæ fidem faciunt, leuiores sunt. In primis enim debitum peccati nulla ratione comparari debet cum debito pecuniæ, quod solutione extinguitur : sed cum debito illo, & exigentia, quam habet subiectum alicuius formæ, quam petit: verbi gratia, cum exigentia caloris, quam habet ignis : hic enim licet accipiat calorem, quem exigit, semper in eo manet exigentia illius , & nunquam non verum est dicere, calor iste igni debitus est. Ad eundem modum de peccato originali decernendum est, quod taliter inest omnibus Adæ minoribus, vt semper illis debitum sit: atque adeò nunquam non illius debitum habeant.

Exemplum etiam sumptum ex debito illo pœnę temporalis, quod ex peccato lethali relinquitur, non est accommodatum : nam debitum illud est dignitas formæ cuiusdam oppositæ ipsi dignitati, atque adeò accedente tali forma expellitur : debitum verò peccati non ita, sed potiùs est exigentia formæ , quæ supposita Dei institutione, subiecto connaturaliter debetur. Accommodatius exemplum ad significandam peccati debitum sumitur ex debito pœnæ æternæ in damnatis : nam cum eiusmodi pœnæ non extinguant dignitatem, & meritum sui ipsarum, nunquam non
AEgid. affirmare licet illas damnatis esse debitas. Iam ergo mihi liceat aliquid ex Ægidio attexere. Puto enim ex his perspicuè colligi quadrare in ipsum longe aptius illa verba, quæ in præcitato articulo 5. n. 78. in præceptorem meum Patrem Gabrielem Vazquez audacter coniecit: *In hoc potiùs ille redarguendus est, non solùm quod naturam huius debiti ignorauit, sed etiam quod ignorauit veram illius Theologiam.* Sed plura de hac thesi vide infrà cap. 15. §. 2.

AN SINT PLVRA *originalis peccati debita, quàm vnum.*

§. X.

61. *Diuisionem debiti in proximum, & remotum, quomodo aliqui accipiant, & ex Anselmo deducant.*
62. *Debitum, quod in Adamo, remotum : quod verò in filijs reperitur, proximum non inepte dicuntur.*
63. *Necessitatem ingrediendi legem vniuersalem remotum debitum appellant aliqui ex mente Catherini.*
64. *Hæc necessitas pugnat cum modo decernendi, & præcipiendi Dei.*
65. *Lex à Deo lata non postulat ex sua natura omnes comprehendere.*
66. *Dictam necessitatem ex naturali potestate primi parentis in filios alij petunt.*
67. *Hæc necessitas confutatur.*
68. *Dicta diuisionis debiti in proximum, & remotum germana explicatio.*
69. *Huius explicationis Patroni numerantur*



ELEBRATISSIMA Est hac nostra ętate diuisio debiti peccati originalis in remotū, & proximum : sed non est apud omnes 61
vtriusque debiti eadem acceptio. Sunt qui ex Ansel. in lib. de Concept. Virg. & de peccato Anselm.
originali, duo debita depromāt: alterū remotum, alterū proximum. Nam Ans. in c. 7. illius libri sic habet: *De immūdo semine, & in iniquitatibus, & peccatis concipi, sic intelligi potest, nō quod in semine sit immūditia peccati, aut peccatū ipsum, sed quia ab ipso semine, & ab ipsa conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem, vt cum habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam, quæ non est aliud, quā peccatū, & iniquitas.* Itaq; Ansel. duplicem necessitatē contrahendi peccatū assignare dicūt. Alterā quidem remotam in semine: nam cum originale peccatū in eos tantum descēdat, qui ex virili semine prognati sunt , tum cum primum semen viri in fœminę vterū defluit, incipit necessitas remota , ac debitum, vt ille, qui ex tali semine posteà animatus fuerit, peccatū contrahat. Alterā verò, proximā: quæ nimirū incipit in ipso instanti animationis ab ipso existentiæ exordio: ex tunc enim hominem peccati macula re ipsa infici necessarium est. Cęterum ista diuisio duplicis debiti non est idonea, nec iuxta mentem Anselmi : hic enim in præfatis verbis non duplicem, sed vnam tantùm necessitatem agnoscit , quæ in semine quidem virili, tan-

quam in causa, virtualiter existit; in ipso verò infante ab instanti animationis realiter, ac formaliter inest.

62 Alij ergo præfatam diuisionem debiti proximi, ac remoti accipiunt in alio sensu, ita vt debitum remotum sit illud, quod omnes contraxerunt in Adamo, tanquam in capite: proximum verò debitum sit illa necessitas habendi peccatum, quam in se singuli recipiunt: iuxta ea, quæ diximus in superiori §. Hanc verò diuisionem, si benè intelligatur, admittendam esse omninò reor.

Ægid. Frater Ægidius lib. 2. quæst. 4. artic. 4. §. 3. debitum istud peccandi, quod remotum dicimus in Adamo contractum, sic explicat, vt scilicet, quemadmodum cuncti in Adamo peccauimus quasi actualiter per eandem actionem, qua ipse peccauit: ita etiam in eodem Adamo debitores facti simus contrahendi postea in nobis maculam; debitores (inquam) facti per debitum nostrum, non quidem in nobis, sed in ipso Adamo existens, & nobis supposita institutione Dei appropriatum. Nam quod author iste sentit de peccato nostro in Adamo, id ipsum concipit de debito illius. Cæterùm hæc declaratio debiti remoti non est accommodata. Nam quemadmodum supra §. 4. de peccato nostro originali hoc statuimus, non aliter illud fuisse in Adamo, nisi virtualiter tanquam in causa: ita etiam de nostro omnium debito originaliter peccandi dicendum est, illud nimirum non formaliter, sed virtualiter tantùm, & tanquam in causa in Adamo præextitisse. Atque adeò sub ea consideratione non est duplex debitum, sed vnum, quod primum quidem in Adamo eminenter, ac tanquam in causa extitit, deinde in nobis formaliter esse incepit.

Aliter ergo explicanda est præscripta diuisio duplicis debiti, remoti, & proximi, in nobis, & in Adamo: ita scilicet, vt debitum remotum in Adamo (liceat sic dicere) sit obligatio actiua, qua filios suos ad peccandum obstrinxit. Adamus enim ex violatione præcepti diuini, dignitatem quandam in se ipso contraxit, quæ per se exigebat, vt filij eius gratia, & iustitia spoliati ex illo nascerentur. Hoc igitur actiuum debitum comparatum cum illo debito, & necessitate passiua, quæ in singulis Adæ minoribus ab exordio suæ conditionis formaliter existit, non ineptè dicitur debitum remotum: istud verò proximum.

63 *Catherin.* Tertiam diuisionem debiti in remotum, atque proximum adinuenit Catherinus in libro de Peccato Originali capite vltimo, §. *Verè, & octauo.* Hic ergo cum plerisque apertè statuit debitum proximum peccati originalis esse obligationem, seu necessitatem illam contrahendi maculam peccati originalis, quam supposito pacto, & lege Dei, & peccato etiam Adami iam præmisso, paruuli omnes habent in semetipsis existentem. Quonam verò modo alterum debitum, quod remotum appellat idem Catherinus, explicet, non satis compertum est. Ergo ex Neotericis multi insignes Theologi Catherini mentem sic explicant, vti debitum remotum sit obligatio quædam contrahendi peccatum, quæ partim ex natura ipsa hominis: partim etiam ex lege Dei nascitur: eam verò sic explicant. Quia antequam intelligatur necessitas, & debitum proximum peccandi ortum ex transgressione Adami: in ipsamet conditione, & constitutione legis diuinæ (si vis, ac natura eiusdem legis spectetur, cuius est proprium esse præceptum generale, & vniuersale) omnes, & singuli habent debitum, vt communi iure comprehendantur tali lege. Id ergo debitum ingrediendi talem legem appellant debitum remotum peccandi, quatenus si in eam legem, in quam ingredi debebant, reuerà ingrederentur, peccatum sibi attraherent. Sed vti meliùs huius debiti natura, & forma intelligatur, hâc doctrinam obiter ad Virginem Deiparam transferamus. Sic ergo decernunt sanctissimam Dominam, considerata lege transfusionis, & illius vi vniuersali, quæ per se postulat omnes complecti, & nullum excipere, debuisse quidem talem legem communi fœdere cum cæteris Adæ filijs ingredi: atq; adeò peccatum, quod supposita ista lege, ex delicto parētis in secutum est, experiri: sed speciali priuilegio per Christi Domini merita à tali lege exceptā fuisse dicunt. Itaque authores isti prædictū debitū remotū non aliūde, quàm ex ipsa diuinæ legis natura petendam censent: vt nimirum sit debitum ingrediendi legem, quia lex ita postulabat.

Cæterùm modus iste explicandi eiusmodi debitum (me iudice) nō est accommodatus, nec Theologicus. Quia vel debitum istud, posita iam, & lata lege illa vniuersali, natum dicitur, vel ante ipsam legis constitutionem: neutrum autem dici potest. Non primum, quia si præmittatur lex Dei vniuersalis in omnes iam lata, non erit deinceps locus exceptioni. Et quidem hac in re non leuiter aberrant aliqui Theologi, de Deo perinde, ac de alijs humanis Principibus decernentes: qui nimirum postquam legem aliquam vniuersalem tulerunt in subditos, potestatem sibi eos, quos deinde velint, excipiendi, in semetipsis retinent: vt nimirum, qui quasi in actu primo (liceat sic loqui) lege tenebantur: deinde in actu secundo à legis vinculo ex priuilegio, & indulgentia Principis absoluantur: eodem modo Deum tum legem, tum etiam exceptionem Virginis fecisse putant. Qui certè Deū ignorationi, & temeritati cuidā subijciūt. Cogita igitur legē Dei, prout in ipso Deo, includere volūtatē, ac decretū eius efficax, vt supra dixi. Nam cum legis formalis effectus sit obligare subditos, nulla vo- 64

luntas Dei potest habere hanc obligandi vim, nisi efficax sit: omnis enim alia voluntas Dei simplex, & inefficax tantùm est complacentia: hæc autem non potest inducere obligationem. Cum igitur decretum, ac voluntas Dei efficax mutari, ac reuocari non possit, quicumque legem Dei vniuersalem & consequenter decretum, & voluntatem efficacem omnes includendi ante exceptionem Virginis præmiserint, hoc ipso nullum excipiendæ Virginis locum relinquunt, ne simul cum alijs peccati debitum contraxerit. Et sanè authores isti sibi ipsis fidem abrogant, dum aiunt Virginem ex priuilegio exceptam: quia ille tantum priuilegium habere dicitur, qui cum aliàs esset legi obnoxius, & subiectus, authoritate superioris excipitur. Relinquitur ergo ex dictis debitum illud, quod remotum appellant, posita iam, & lata lege Dei, nequaquam oriri posse, quandoquidem id, quod tunc nasceretur, nòn remotum, sed proximum omninò dici deberet.

Illud verò certius atque compertius est, præfatum debitum ex lege, & pacto Dei ante conditionem, & constitutionem illius oriri
65 non potuisse. Nam cum omne debitum sit obligatio, & necessitas, atque lex nullam vel obligationem, vel necessitatem inducat, antequam feratur: nullũ certè debitum propriè dictum causare potest. Addo etiam non esse idoneum id, quod dicitur, legem suapte natura hoc postulare, vt sit vniuersalis: lex enim ex vi sua tantùm postulat, vt in ea materia, super quam fertur, eos omnes complectatur, in quibus non occurrit specialis aliqua ratio, ob quã lege comprehendi non debeãt. Nam cum talis subest ratio, lex ipsa postulat, ne comprehendantur: adeò vt nonnunquam iniquum prorsus esset communi iure eos legibus includere, qui à legibus liberi esse debeant. Adde etiam eam exigentiam, quam lex ex natura sua habet, vti omnes includantur, quorum non est dissimilis conditio, vel status, reperiri quidem in legibus humanis ab hominibus latis: non autem in his, quæ à Deo immediatè demandantur. Nam cũ Dei potestas, & dominium eius in creaturas sit supremum, vt illis, prout libuerit, vti possit, leges suas ex libito moderari, & hos includere: illos verò absoluere potest, nec lex, quã fert, amplius aliquid exigit ab ipso, quàm ipsi collibitum fuerit. Nisi alias sit lex naturalis: tũc enim, quamuis forsan in potestate Dei etiam sit naturales leges moderari, & ab illis aliquos absoluere: tamen leges ipsæ naturales ex vi sua semper exigunt, vt omnes comprehendant. Quid indè? Sanè inde fit Virginem Deiparam in sententia horum Doctorũ non habuisse aliquod debitum, aut necessitatem ingrediendi legem transfusionis ex ipsa natura legis natum. Nam cum Doctores isti ante constitutionem huius legis, & pacti cum Adamo initi, Virginis Deiparæ electionem efficacem in matrem Dei præmittendam esse putent, iam inde suberat ratio specialis, propter quam communis illa lex non posceret, vel exigeret ipsam includere: imò potiùs ratio illa specialis, quæ in Virgine iam tunc apparebat, satis erat, vti lex ipsa illam à cõmuni aliorum iure excipi, ac liberari postularet modo iam dicto. Adde etiam, quod cum lex illa trãsfusionis nõ sit lex naturalis, sed quasi positiua, & à Deo immediatè lata, & Adamo insinuata, & denunciata fuerit, non potest habere exigentiam illam, quam præfati authores commẽti sunt: atq; adeò nulla potest fingi exigẽtia, aut necessitas ex lege nata, ratione cuius Virgo, posita exceptione à communi iure, debitrix nihilominus fuerit in illud intrandi.

Alij ergo, vt Virginem à debito proximo peccandi originaliter eripiant, & debitum 66
remotum in ea defendant, huius debiti vim non à lege petendam putant, sed à natura ipsa, & modo naturalis generationis, quo filij propagantur ex Adamo. Quia videlicet natura ipsa comparatum est, vt parentes in filios suos potestatem habeant: ita vt quandiù ipsi paruuli sunt non emancipati, tota eorum voluntas in parentum voluntate sita sit, vt patres pro ipsis pacisci, & contractus celebrare possint. Adde etiam, quod non tantum hæc parentum potestas ad externas res spectat: sed etiam ad internas. Nam parentes vota, & spõsiones filiorum irritas reddere possunt. Hùc spectat etiam illud August. vulgo tritum proloquium: nimirum voluntatem parẽtum sufficere, vt infantibus baptismũ spontaneũ, voluntariumque sit. Inde ergo sic conficiunt: quia cum natura filiorum, qui ea ratione per generationem propagantur, id habeat sibi proprium, vt voluntas eorum ex voluntate parentum metiri debeat, Virgo Deipara ex naturali propagatione iure generationis debitum hoc habebat, vt voluntas eius in patris voluntatem conferretur, vt de illa, non secùs, ac de alijs pater decerneret, in illã scilicet gratiam influens, aut in eandem peccatum effundens: ex Dei verò priuilegio, & indulgentia hoc præstitum dicunt, ne Mariæ voluntas cũ reliquis Adę minoribus in vnam patris voluntatem conueniret.

Cæterum hic etiam modus explicandi 67
debitum remotum mihi non placet: quia quamuis hæc omnia vera essent (vt isti authores volunt) filiorumque voluntas ex natura rei in voluntate parentum per omnia ita esset: tamen præter hoc naturale ius parentum in filios, ad transfusionem gratiæ, aut peccati requiritur specialis Dei lex, atque pactum liberè ab ipso institutum, & conditum: huius verò pacti, atque legis nulla est exigentia in natura ipsa. Sicut enim natura sibi relicta non habet aliquam exigentiam gratiæ, & iustitiæ superna-

turalis: ita etiam non potest ex principijs suis exigere legem aliquam, per quam transfundatur talis iustitia, nec transfusionem ipsam postulare. Cum igitur omne debitum propriè dictum sit aliqua necessitas, vel saltem exigentia rei, cuius est debitum, & in Virgine propter generationem naturalem nulla exigentia sit gratiæ, aut iustitiæ, inde certè fit in ipsa nullum debitum fuisse ingrediendi communem legem.

68 Ex dictis ergo solidè probatum manet, neque in Virgine, neque in alijs Adami filijs ante ipsam legis constitutionem aliquod debitum verum, ac propriè dictum ingrediendi ipsam legem excogitari posse, quod nomine debiti remoti censeri debeat, & quod dici possit debitum debiti, vt quidam Theologi affirmarunt. Addo tamen tam in Virgine, quàm in alijs Adami filijs per propagationem naturalem genitis, etiam ante ipsam legis, pactique institutionem, intelligi veram, & propriam obnoxietatem, & subiectionem naturalem, per quam ex propria conditione aptitudinem habent, vt lege comprehendantur, atque ea lege comprehensi verum, ac proprium debitum, seu necessitatem habendi peccatum originale in se contrahant. Quinimò affirmo hanc obnoxietatem, & subiectionem, quamuis minùs propriè, ac rigorosè, bono tamen sensu, dici posse debitum naturale, quatenus natura eo modo propagata hoc exigit, vt ea ratione subiaceat, & obnoxia sit tam legi transfusionis, quàm peccato originali. Licet enim neque debitum, neque necessitatem propriam ingrediendi legem, aut peccati originalis contrahendi habeat: tamen necesse est, vt eam, quam hactenus asseruimus, habeat obnoxietatem, & subiectionem, vt possit nimirum tam lege, quàm peccato comprehendi. Hæc sanè plurimùm obseruanda sunt pro his, quæ dicturi sumus de libertate Virginis à debito proximo culpæ originalis, & de illius redemptione, infrà cap. 23. §.11. & sequentibus.

69 Ad extremum dico hanc, & non aliam fuisse mentem Catherini loco citato, & per totum tractatum de Conceptione pura Virginis Deiparæ. Turriani in epistola de peccato originali parte 2. Salmeronis in cap. 19. Epistolæ ad Roman. disputat. 49. Cornelij Musi Episcopi Bitontini in eandem epistolam ad illa verba: *In quo omnes peccauerunt*. Iodoci Clichtouej in tractatu de pura Conceptione. Et quod caput est, cum hac super thesi Compluti excitata esset contentio non leuis inter Theologos, ita vt aliqui illos, qui Virginem à debito proximo peccati originalis immunem, tamen debito remoto obstrictam ferebant, seueriùs notarint, illius toto orbe florentissimæ Academiæ proceres quæsiti, & rogati hanc opinionem probabilem esse non modò annuerunt, sed etiam idem subscripserunt asserentes eam ab omni censura, & nota liberam esse debere. Et quidem putarunt scholæ illius doctissimi proceres ad redemptionem propriè dictam satis esse remotum debitum peccandi, intelligentes nomine debiti eam, quam hactenùs asseruimus, remotam necessitatem ex naturæ ipsius per generationem propagatæ conditione exortam. Quam censuram Complutensium, vel quia illam non satis calluit Frater Ægidius, authoritati tantorum virorum, quam debebat admirari, & suspicere, parum deferens fideliter non refert, & perperam prorsùs confutat, vt ex dicendis infrà cap.8. apertius constabit.

Catherin. Turrian. Salmer. Cornelius Musus. Clichto.

Sunt præterea quæstiones aliæ satis graues de hac thesi: vtrum scilicet debitum peccati originalis tantùm per instans Conceptionis: an etiam per reliquum tempus: an etiam cum gratia, & iustitia post sanctificationem simul esse queat: ac denique an & quantum deforme sit, vel turpe. Sed has difficultates infrà cap.16.§.1.& 2. exactè discutiemus.

DE MODO PROcedendi in hoc tractatu.

§. XI.

COGNITIS Iam peccato originali, ac debito illius, de quibus futura est nobis controuersia (*An in Virgine Deipara aliquãdo fuerint*) reliquam disputationem ordiri volens aliquid præmittam. Certè in doctissimis, ac grauissimis aliorum lucubrationibus, quæ de hac thesi hac nostra ætate lucem aspexerunt, id hactenùs desideraui, quod cum præcipua huius materiæ difficultas sita sit in componenda puritate Conceptionis Marianæ cum modo libero decernendi Dei, & cum ordine, ac serie decretorum, quibus conditio, ac reparatio generis humani à Deo præfinita est, vt nimirum conditioni, ac reparationi Virginis locus aptus accommodetur. De hac re, aut nihil, aut valde perfunctoriè ab omnibus dictum est: atque adeò operæ pretium duxi quæstionem istam sic disceptare, vt non solùm varios modos asserendæ immunitatis Virgineæ producam, & examinem: sed etiam qua quisque ratione cum prædestinatione, ac decretis Dei liberis cohæreat,

accu-

accuratiùs vestigem. Quia (nisi fallor) ex cohęrentia, aut incohęrentia cum prędestinatione, & pręfinitionibus Dei, omnium, quæ de hac thesi circumferuntur, opinionum siue leuia, siue grauia momenta, & fundamenta colligenda sunt.

Ita igitur huius tractationis filum contexam, vt ab initio simul vnàque de prędestinatione Virginis, & de eius immunitate siue à culpa, siue à debito verba faciam, & qua ratione vnum cum altero componatur, ostendam. Deinde verò rationes alias, quæ pręfatam immunitatem suadent, non perfunctoriè tradam. Ac demùm nè cogar discursum abrumpere, testimonia tam Scripturę, quàm Patrum, quę piam sententiam tradere, & eidem adfauere videntur, ad calcem totius operis dabo.



EX PROVERBIORVM
octauo capite.

DOMINVS POSSEDIT me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret, à principio.



ÆC Verba ex cap. 8. Prouerbior. ascita propterea hic adscripsi: quia vt supra in Prologo huius operis Lectorē præmonui, primum meum consilium, & animi decretum fuit defensionem istam pro Immaculata Virginis Conceptione Cōmentarijs nostris in Salomonis Prouerbia ad hęc ipsissima verba affigere, ex illis pręcipuas quasq; rationes excitare, omnesq; opinandi modos ad illa reuocare. Quapropter etsi iā, mutato cōsilio, opus istud seorsum dare apud me cōstituerim: tamen susceptū locū vrgēdi, ac libræ tradendi nullam opportunitatē prætermittam.

VIRGO DEIPARA ANTE omnes alios prædestinatos electa, & prædestinata.

CAP. II.

1. *Virgo Deipara viarum, id est, præfinitionum Dei initium.*
2. *Prærigata, præbenedicta, præelecta.*
3. *In salute generis humani præuia, & in prædestinatorum choro ductrix, & præcentrix.*
4. *Præliberatorem Virgo habuit, cæteri liberatorem.*
5. *Maria redemptionis Christi primiceria.*
6. *Virginem ante omnes prædestinatos electam suadet efficax ratio.*

1 ERGO Explorata, atq; comperta res est, verba nuper adscripta non posse aliter accommodate Virgini aptari, nisi ad æternam eius electionē, & prædestinationē referantur: *Dominus* (inquit) *possedit me in initio viarū suarū, antequam quidquam faceret, à principio.* Pro quibus Sept. *Dominus creauit me initiū viarū suarū ad opera sua.* Quia nō aliter ante omnia Dei opera, vel possessa, vel creata Virgo dici potest, nisi quatenus in decretis, ac pręfinitionibus Dei ante alios præmissa, & præfinita fuit. Nomine igitur *viarū Dei*, vt in eo c. ver. 22. ex alijs scripturæ locis fusè probauimus, eiusdē Dei cōsilia, & decreta capere licet: atq; adeò sensus est (libet ordiri ab interpretatione. lxx.) *Dominus creauit me initiū viarū suarū ad opera sua*, id est, Dn̄s in decretorum suorū, ac pręfinitionū serie, quibus Sanctos ad gratiā, & gloriā destinat, mihi primatū dedit, ac per me cępit instaurare, ac reficere opera sua.

Septuag.

2 Imprimis autem suppetunt Patrum testimonia non pauca, quæ Virginem Deiparam ante alios electā merito prædicant. Damasc. orat. 1. de Dormit. Deiparæ: *Pater* (inquit) *prædestinauit, spiritus prærigauit, & filius demum in ea commoratus est.* Obserua illud verbum *prærigauit*. Idiota in contēplatione Virginis: O (inquit.) *benedicta, præbenedicta, & postbenedicta.* D. Aug. à quo etiam sumpsit Petrus

Damas.

Idiota.

D. Aug.

P. Dami. trus Damian. in ser. de Annunt. *electam, & prælectam* vocitat. Sed audiendus Damian. *A Deo electã, & prælectã totam rapuit sibi Spiritus Sanctus.* Pende verbum illud *rapuit*: significat enim maturam, & celerem electionẽ: alij enim ex incendio culpæ originalis assumpti, hæc rapta. Damian. Rursus idem Petrus in ser. de Natiuit. Virgin. *Hæc eadem beatissima Virgo ante constitutionem mundi in consilio æternæ sapientiæ electa, & prælecta, &c.* id est, ante D. Ambr. alios electa. Sed luculentius D. Ambros. in Lucã ad illa verba: *Ecce ancilla Domini, &c. Nec mirum si Dominus redempturus mundum operationem suam inchoauit à matre, vt per quã salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.* Accedat etiam Bernar. Bernardus in ser. de B. MARIA: *Hæc* (inquit) *MARIA à natura est reuerenter conseruata, & à lege diligenter venerata, & à gratia clementer est prælecta.* Mitto alios.

3 Hanc Deiparæ electionem ante alios venuste adumbrauit Maria illa soror Moysis, cũ inter reliquas fœminas, quæ rubri maris vndas euaserant, præibat, & præcinebat Chrysol. chorum ducens, de qua elegantissime Chrysolog. ser. 146. *Et vt semper MARIA humanæ præuia sit salutis, populũ, quem vnda regeneratrix emisit in lucẽ, ipsa iure præcessit in cantico.* Exod. 15. Exod. 15. *Sumpsit ergo Maria soror Moysi tympanũ in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino gloriose, &c.* Respexit verò Chrysologus illa Pauli verba: *Omnes in nube, & in mari baptizati sunt.* Quibus innuit Apostolus in transitu maris rubri Christi baptismum adumbratum fuisse. Ergo affirmat Chrysologus, Virginem Deiparam inter reliquas animas, quæ baptismo renatæ sunt, præire, ac præcedere, quia cum aliæ sordes suæ originis baptismo eluant, ipsa salutem anteuertens nullas contraxit: ideò præit, ac præcinit MARIA, & reliquæ post ipsam egressæ animæ suam redemptionem, salutemque decantant. Huc Psal. 44. spectant etiam illa Vatis verba Psal. 44. quę Virgini etiam vulgò tradi solent: *Adducentur Regi virgines post eam, adducentur in lætitia, & exultatione, adducentur in templum Regis.* Priora verba significantius transtulit Hieronymus: *Adducetur Regi virgines post eam*: ipsa nimirum Virgo Deipara ante alias Regi Christo afferetur meritis ipsius acquisita: & reliquæ post ipsam animæ: *in lætitia & exultatione* (verba primitiua, quæ his subijciuntur, canentium & chorum ducentium iubilationem adsignificant) atq; adeo sensus est. Ipsa vtiq; Virgo beatissima, tanquam chori ductrix præcinet, atq; præcedet, aliæ illi succinent, atq; succedẽt animæ, quotquot vel ad gratiã, vel ad gloriã præordinatæ sunt. Videant hoc ergo illi, quibus ea opinio sedet animo, vt credant, inter prædestinationis signa amorem, studiumq; erga Virginem numerari. Nã quicunq; sibi eo ex signo prędestinationis donum polliceri certò volunt, debent quidem MARIAM salutis nostræ præuiã, præcinentem, & chorum ducentem ita sequi, vt tanquã in choro vox, motusq; ab illius voce, & motu nõ dissentiat, tota scilicet vita, & actio cum eiusdem vita, & actione cohęreat. Audiendus etiam Bern. in ser. 2. de Annunt. D. Bern. *Nouũ* (inquit) *canticũ illud, quod solis dabitur in regno Dei cantare virginibus, ipsam Virginũ Reginam cũ cæteris, imò primã inter cæteras esse cantituram nemo est, qui ambigat,* id est, cæteris præcenturam, vt aliæ sequantur, suasq; illius vocibus adiungant: hęc enim Marianæ fœlicitatis maxima pars est, vt in omni gratia, & dono Dei præuia semper sit.

Nec verò silentio tegenda sunt verba grauissimi Cardin. Cusã. qui ante centú, & nonaginta annos floruit, lib. 8. exert. ad illa verba: 4 Cusan. *Sicut liliũ inter spinas. Præliberatorẽ* (inquit) *Virgo habuit, cæteri liberatorem, imò postliberatorẽ. Christus ergo sic omnium liberator est, quia & Virginis liberator, & præliberator, cæterorũ liberator, & postliberator.* Quæ verba Deiparam in redemptione Christi: atq; adeò in electione Dei præmissam, & prælatam sonant.

Huc spectant etiam verba Georg. Veneti Minoritæ, qui quemadmodũ Bern. Mariam 5 Georgius Venet. Bernar. *virginitatis primiceriã* appellauit: sic etiã in sua Harmcan. 2. to. 3. *Redẽptionis Christi primiceriã* dixit. Et quidẽ olim non vna erat primicerij significatio: inter milites enim is primicerij nomine censebatur, qui primus in catalogo descriptus erat, quasi *primus in cera* præscriptus: nam cũ veteres illi primũ militaris catalogi nomen aliquid ominis habere existimarent, ea propter nomen aliquod præmittere solebant, quod significatione sua boni aliquid portenderet, vtpote *Fortunium, Victorẽ*, vel eiusmodi aliud. Ergo sanctissimã Deiparam ideò *redẽptionis nostræ primiceriã* appellat Venetus, quia in libro vitæ, in quem prædestinati omnes relati sunt, ipsius nomen fœlicissimũ, & auspicatissimum primo loco exaratum est: quia nimirũ in ipsa Dei pręsciẽtia (hæc enim libri vitæ nomen fert) Maria pręscribitur, reliqui subscribuntur: propterea quod eius salus ante alios prænoscitur, ac præfinitur.

Sed licet hæc fuerit Geor. germana mens, subest tamẽ alia *primicerij* significatio magis obuia: nã eo nomine censeri solebat Princeps Regis notarius, cuius erat milites cõscribere, officiorũ cartas, libellosq; obsignare: & alia eiusmodi ad supremũ scribã spectãtia prestare. Quapropter licebit etiã eo sensu Virginem Deiparã redemptionis primiceriã appellare, quia non modo in libro vitę primo ipsa loco adscripta est: sed etiã omnes alios, quotquot in eũ librũ relati sunt, ipsa rescribit. Audi Bonauẽt. in Psalt. Mariano, vbi sic Virginẽ D. Bonau. affatur. *Deduc me in portum salutis, ac per te inter iustos scribatur nomen meum.* Cumq; prædesti-

nati, obsignati, & sigillati dicantur. 2. ad Corinth. 13. *Qui vnxit nos, & signauit nos.* Et ad Ephes. 1. *In quo & credentes signati estis.* Et cap. 4. *In quo signati estis in diem redemptionis.* Sanè ad MARIAM tanquam ad primiceriam redemptionis nostræ spectauit, electos Dei in diem redemptionis obsignare, attestāte eodem Bonauentura in Psalterio suo: *Qui adquirit* (inquit) *gratiam eius, agnoscetur à ciuibus paradisi, & qui habuerit characterē eius, annotabitur in libro vitæ.*

2.Cor. 13 Ephes. 1. & 4. D.Bonau.

6 Hinc antē ratio petitur efficacissima, quæ probat Virginem sanctissimam ante omnes alios prædestinatos ad gratiam, & ad gloriā electam fuisse: quia cum ipsa reliquis prædestinatis gratiam omnē impetrauerit, & prædestinationis causa aliquo modo extiterit, non potuit non ipsa prius præfiniri, & præordinari. Atque hanc vim habent verba illa: *Dominus creauit me initium viarū suarum ad opera sua*, id est, propterea in vijs, hoc est, in consilijs, ac decretis suis me præmisit, quia ad reficienda, instaurandaq; reliqua opera sua, destinauit me. Huius rationis totum robur paucis complexus est D. Ambrosius verbis supra adscriptis: *Nec mirum si Dominus redempturus mundum operationem suam inchoauit à matre, vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.* Denique rationis istius efficacia tunc clarius innotescet cum infrà cap. 21. MARIAM humanæ redemptionis causam simul cū Christo fuisse ex doctrina Patrum ostenderimus. Quapropter audiendi nō sunt, qui Virginem cum reliqua generis humani massa confuse permiscent, ita vt illam simul cum alijs electam esse dicant. Quo spectasse putant Chrisipp. Presbyter. Hierosy. in ser. de Deipar. vbi ad illud Psa. *Surge Domine in requiem tuā, & c.* sic attexit: *Cum enim tu inde surrexeris, sigillabis arcam sanctificationis tuæ, tuncq; circa eā cum omnibus exurget à lapsu, in quo vel illam constituit Euæ cognatio.* Nā licet MARIAM Deiparā peccato originis simul cū alijs Adami posteris infectam esse diceremus, eam nihilominus ante alios redemptam, eiusq; electionem aliorum electionibus præmissam ratio supra exhibita euincit. Nam cum cęteros per ipsam electos fuisse constet, non potuit, non eius electio reliquis anteponi: atq; adeò cum reliqua generis humani massa, & conspersione prorsus inuoluenda non est. Nam sicut fermentum, quod massam reliquam condit, ac tēperat, prius ipsum conspergi, & condiri necesse est: ita etiā MARIAM Deiparā præuia Dei electione seorsim ante alios ex humano genere assumi oportuit, vt ex illa reliqua eiusdem generis massa condimētum acciperet. Sic enim Andr. Hierosolym. ser. de Annunt. *Salue* (inquit) *sanctum Dei fermentum, quo tota generis humani massa cōspersa est, & ex cuius Christi corpore ceu panis factus in vnum coit inæstimabilis concretio.*

D.Ambr. Chrisipp.

Sed tamen vt constet, qua ratione Virgo Deipara in electione, ac decretis Dei præferri potuerit, ordinem, ac seriem ipsorum decretorum vestigare oportet: atque adeò liceat nunc interpretis lineas transilire, & in Scholasticorum fines irrumpere. Quemadmodum enim ipsi non raro scripturę interpretes nobiscū agunt: ita etiā vicissim integrū nobis esse debet cum ipsis Theologica speculari.

DEIPARAM VIRGINEM non modo ante omnes prædestinatos, sed etiam ante omnes alias creaturas electam, & prædestinatam plures sentiunt.

CAP. III.

1. *Virginem ante omnes creaturas electam, & prædestinatam qui doceant.*
2. *Idem scripturæ testimonijs suadetur.*
3. *Rabbinorum pro hac sententia præclara testimonia.*
4. *Idem Patrum confirmat authoritas.*
5. *Qua ratione Virgo prima dicatur natura.*
6. *Virginem in præuisione Dei reliquas creaturas anteire probat eiusdem excellentia, & summa perfectio.*
7. *In præuisione Dei ipsam reliquas creaturas præcedere oportuisse, apposito declaratur exemplo.*
8. *Quare Beata Virgo dicatur dioptra perspectiua.*
9. *B. Virginis Immaculata Conceptio ex dictis comprobatur.*
10. *Virginem ante omnes creaturas amatam, & electam ex ordinato diuinæ voluntatis amore probatur.*

11. Mariana

11. *Marianæ Conceptionis puritas ex præfata ratione conuincitur.*
12. *Virginem post peccatum ad maternitatis gloriam electam plurima absurda refugere cogunt.*
13. *Mariæ regnum, imperium, & capitis dignitas super omnes creaturas diuersis Patrum testimonijs adstruitur: & eiusdem prælectio, ac immaculata Conceptio confirmatur.*
14. *Virginem ante omnes creaturas amatam probat habitudo mediorum ad finem.*
15. *Idem vrget ratio obiecti, & amabilitatis creaturarum respectu Dei.*
16. *MARIAM Dei formam, & ideam, ac magnitudinis eius mensuram esse.*
17. *Qui Deum magnificet B. Virgo: & ab originali labe immunis inde probatur.*
18. *Ideam esse Dei propter ipsius secundum carnem generationem conuenit MARIAE, & eiusdem puram efficit Conceptionem.*
19. *Diuinarum processionum viuida est repræsentatio.*
20. *Virgo Deipara fons signatus dicitur, quia absolutissima Dei repræsentatio est.*
21. *Singularem Dei amorem in Virginem, & eiusdem purissimam Conceptionem dicta declarant.*



ISSAM Facio illorum sententiam, qui de Virginis immaculata Conceptione minus pie sẽtiẽtes, Dei decreta, quibus nostram definiuit salutem, eum in ordinẽ redigunt, vt ex vi huius ordinis, quẽ sibi ipsi finxerunt, Deiparã Virginem absque labe primæ damnationis non modo non conceptam fuisse, sed nec concipi quidem potuisse affirment. Mirum enim est, quam isti ab scopo veritatis aberrent: vt ex
1 sequentibus parebit. Eorum ergo, qui piam sententiam sequuntur, & Virginem à peccato originis immunem fuisse asseuerant, duæ sunt extremæ opiniones. Altera est illorum, qui vt Virginis electionem ante alios tueri possint, Christum Dominum, ipsamq; Deiparam ante peccati præuisionem, imo ante alias omnes creaturas præfinitos fuisse docent. Altera est illorũ, qui etsi doceant duos istos humani generis assertores Christum, & MARIAM post absolutam peccati præuisionem prædestinatos fuisse: Virginẽ nihilominus à peccato originis vendicant, eamq; ante alios prædestinatos electã, & prælectã affirmant. Nunc de priori sententia, de posteriori postea dicemus. Ergo in priori opinione sunt Scotus in 3. dist. 19. quæst. vnica. §. *in ista quæstione.* & dist. 7. q. 3. §. *sed hi sunt.* & in reportatis dist. 7. quæst. 4. §. *tertio declarandum.* & est communis in schola Scoti. Accedũt *Scotus.*
Alex. 3. par. quæst. 2. in 13. Pighius, lib. 18. de libertate arbitrij, cap. 1. art. 2. & 3. & lib. 10. cap. 1. Catharinus de eximia prædestinatione Christi, Claudius Taurinensis de prouident. quæst. 1. art. 2. Viguer. in institutionibus Theologicis, c. 2. §. 1. vers. 4. Gal. lib. 7. de Arca. c. 2. Ad extremum noster Franciscus Suarez, qui huic sententiæ lucem incredibilem comparauit, & alij post ipsum recentiores plurimi, qui huius sapientissimi viri doctrinam, vel ideo lubentius amplectuntur, quia putant ad Filij, Matrisque gloriam plurimum facere. *Alexan. Pighius. Catharin. Claudius Tauri. Viguer. Gal. Suarez.* Quamuis autem ex præscriptis Doctoribus non omnes Virginem ante alias omnes creaturas præfinitam, & prædestinatam fuisse expresse pronuncient: tamen ex his quæ de Christo, atque alijs prædestinatis affirmant, perspicue admodum colligitur, eos de Virgine non disparia sentire. Expresse autem de Virginis prædestinatione ante omnes alias creaturas loquuntur Suarez in 3. par. quæst. 27. disp. 1. sect. 3. Catharinus & Gal. locis citatis, atq; recentiorum interpretum magna turba.

Hanc sententiam cõfirmant primo suscepta à nobis Salomonis verba. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Nam cum hæc Virgini ab Ecclesia tribuantur, & de eiusdem electione exponi necessum sit, (vt nuper ostendimus) vix aliter eidẽ accomodari queunt, nisi ipsam ante omnes creaturas definitam esse dicamus. Cum his etiam concinunt alia loca scripturæ, quæ, Ecclesia etiã suadente, Virgini adscribi solent. Ecclesi. 24. *Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnẽ creaturam. Ego feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens, &c.* Deus scilicet in decretis suis me ante omnem aliam creaturam esse iussit, vt primogenitæ ius, & nomen ferrem. Et infra. *Ab initio & ante sæcula creata sum*: id est creari decreta. Et cap. 1. *Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inuestigabit? Prior omniũ creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo.* Nam quæ de sapientia diuina enunciant sacræ litteræ, ea Virgini accomodat Ecclesiæ communis vsus. Quapropter vel insulse admodum illi applicanda sunt isthæc loca, vel plane fatendũ ipsam omnibus alijs creaturis in Dei præfinitionibus antelatam. 2 *Ecclesi. 24. Ecclesi. 1.*

3 Rursus Rabi Haccados, qui ante Christum aliquot sæculis floruit apud Galatinum, li. 7. cap. 2. ad illa verba Hieremiæ 33. *Si irritum fieri potest pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, &c.* sic scribit. *Nisi pactum meũ esset, idest, si amore mei Iesu, & MARIAE diem & noctem, leges cœlo, & terræ non posuissem, idest mundum minime creassem.* Et Rabi Ankelos in glossa Chaldaica super illud Genes. *In principio creauit Deus cœlum & terram*: cum sic legisset. *Propter sapientiã creauit Deus cœlum & terram*: sic statim attexit. *Propter sapientiam, hoc est, amore intemeratæ* *Rabi Haccados. Hiere. 33. Rabi Ankellos. Gen. 1.*

Vir-

Virginis, quæ est mundi sapientia, creauit Deus hunc mundum, & amore Messiæ filij sui, cui in diuinis sapientia tribuitur.

4 Sunt etiam inter Patres, qui huic prædestinationi Deiparæ ante omnes creaturas perspicue suffragantur. Diuus Ansel. quem citat, & sequitur Diuus Bernardi. Senen. tom. 2. serm. 51. art. 2. cap. 4. sic habet. *Tu ante omnem creaturam in mēte Dei præordinata fuisti, vt omnium fœminarum castissima Deum ipsum hominem verum ex tua carne procreares, & post filium Regina cœlorum effecta gloriosa regnares, &c.* Ad hæc D. Bernardus, serm. 3. in Salue. sic inquit. *Et vt breuiter concludam, de hac, & ob hanc, & propter hanc omnis scriptura facta est, propter hanc totus mundus factus est, & hæc gratia Dei plena est.* Si est ergo totus mundus, & cuncta creaturarum vniuersitas propter MARIAM condita est, ipsam igitur ante mundum, & creaturas omnes prædestinari, ac definiri oportuit.

D. Ansel.

D. Ber.

5 Sed Luculentius Andreas Hierosolymitanus, ser. 2. de Annuntiatione. *Mulier* (ait) *quæ cælorum superauerat naturā puritate, Virgo ipsorum Seraphin ipsam vincens naturam miraculo Dei generationis. Prima natura proximè accedens ad Deum opificem omnium generationum.* Primam naturam appellat Virginem. Atqui Virgo non est prima, aut prior naturę dignitate: quinimo in perfectione naturæ Angelis cedit, neque prima est conditionis suæ anticipatione. Prima ergo dicitur in prædestinatione, & preordinatione Dei. Quod infra significauit idem Andræas. *Hæc ipsa*, inquit, *est primitia communionis & coniunctionis omnis genitoris, cum suo figmento.* Accinit Damascenus in ora. 3 de Natiuit. Virginis circa finem, vbi MARIAM *naturæ Reginam, & massæ nostræ primitias* appellat.

Andreas Hieros.

6 Præterea in hanc sententiā rationes magni momenti impellere videntur. Primo Virgo sāctissima cœteras creaturas perfectione, & gloria immenso interuallo antecellit, adeò vt quidquid sub Deo est, longissimo etiam interstitio infra MARIAM sit. *Hæc enim* (inquit Bonauentura in serm. 2. de Virgine MARIA) *in tantum Deo proxima fuit, tantaque sanctitate resplenduit, & sic in summo bonorū omniū culmen obtinuit, vt creatura aliqua non vnita verbo nec perfectior, nec maioris boni capacior sit.* Quid inde? Sane ex hac Deiparæ supra omnes creaturas tam sublimi excellentia eiusdem ante illas prędestinatio non paucis rationibus confici videtur. Prima sic habet. Quandoquidē Virgo MARIA reliquas creaturas, vt præfatum est, latissimo perfectionis interuallo superauit, operę pretiū sane fuit, vt in mente, ac præuisione Dei prima ac princeps esset: Deus enim propterea semetipsum ante alia contemplatur, ac diligit: quia omnium entium perfectissimum est. Ergo cum eius contemplatio, & cognitio à semetipso ad creaturas transit, ea prius, quæ post ipsum dignitate, & perfectione sunt, eo ordine cognoscere, contemplari, & amare debet, quo se inuicem dignitate, ac perfectione vincunt.

Bonauen.

Succedat memoriæ doctrina illa Augustini peruulgata, qui tam Angelis, quam Deo matutinas, & vespertinas cognitiones dedit. Matutinam autem cognitionem appellauit eam, qua Deus semetipsum, aut creaturas in se ipso contuetur: vespertinam vero illam, qua creaturas in se ipsis, & in sua mensura cōtemplatur: *Quia creaturarum* (inquit) *cognitio cum creatoris contemplatione collata, & composita quodammodo aūt speraiicit, & in noctem, tenebrasq; discedit.* Quemadmodum ergo in hoc vniuerso, vt obseruat Philo Iudæus de mundi opificio, ne mundus subito ex luce diurna in noctis densissimas tenebras abeat, diem paulatim nox ipsa eripit, & sole discedēte, vesper, qui alias phosphoros, aut Lucifer appellatur, remanet, ac demum ipsius hesperi splendorem atra nox excipit. Nam si à luce in tenebras subitus esset transitus, vt accidere solet his, qui ex solis splendore in obscurum locum discedunt, oculi per aliquod tempus caligarent. Ad eundem modum de cognitione Dei dicere ausim: nā ne à diurna, & meridiana sui cognitione, tanquam à luce candidissima in aliarū creaturarum contemplationem, tanquam in tenebras noctis mens diuina velut ex tempore transiret, operę pretiū fuit, vt MARIA tanquam hesperus quidam in ipsius Dei prę uisione medius esset (hoc enim nomine censeri passim consueuit, nam hesperi, ac luciferi, seu stellæ matutinæ indiscreta vnitas nulli nō cognita est.) Itaq; MARIAM in Dei prę uisione prę uiā esse, ipsius MARIAE ante alias creaturas perfectio vel ex eo suadet, ne diuina mens à sui cognitione deducta, velut sine medio ad imperfectissimas alias creaturas raperetur. 7

August.

Ad hanc sententiam vocare licet Andræę Hierosolimitani subobscura verba in serm. de Annuntiatione. *Salue* (inquit) *dioptra perspectiua.* Sane apud Astrologos, *dioptra* dicitur ea astrolabij pars, quam Arabes vocant, *Albidada,* & per quā perspectiua arte peritus rerum magnitudinem, distantiam, sublimitatem, & interualla speculatur, mirabili certitudine metitur. Liceat ergo sic dicere, MARIAM in Dei præuisione dioptræ cuiusdam perspectiuæ rationem habuisse: quia nimirum per ipsam prius visam ex suæ æternitatis immensa distantia alias omnes creaturas intuitus Deus, earumque magnitudinem, & mensuram speculatus fuit. Nam cum eas omnes propter MARIAM conditurus esset in tempore, non potuit, non in ipsius prę uisione æterna præmitti MARIA: cumque illas tantæ Virgini inseruire ex Dei institutione oporteret, ea sanè perfectione, 8

Andræas Hierosol.

ea dig-

ea dignitate singulas insigniri necessum fuit quæ tantam dominam,& reginam deceret.

9 Quid inde? Mariæ immaculatam Conceptionem non obscure comprobat ista ratio. Nam quomodo Dei oculos, mentemque inter omnes Dei creaturas prima ad se converteret, quæ in primo instanti suæ conditionis, quo ipsam primum videri, & cognosci necesse erat, originalis culpæ labe infecta, ipsi Deo inuisa, & ingrata erat? Quis enim asserat Deum præscientia sua æterna, prius in illam inspexisse, quam oderat? Deinde si Virgo Deipara hesperus est, quo diuina mens à sui meridiana contemplatione ad aliarum nocturnam cognitionem sensim defertur, quisquis ipsam aliquãdo peccati caligine obscuratam dixerit, nescio qua ratione fateri cogitur Dei oculos tunc temporis caligasse, quia illum a sui candidissima cognitione ad creaturarum tenebras veluti à sole, sine hespero pertransire oportebat. Rursus cum Virgo Deipara menti diuinæ pro dioptra sit, per quam reliquas creaturas certo, & absque errore speculatur, & metitur, ipsam certe omni culpæ errore vacare oportuit. Nam quemadmodum dioptræ vitium ad rem perspectam transeat necesse est, ita etiam si Virgo Deipara culpæ alicuius vitio, aut errore notata esset, is certe in creaturas alias necessario redundaret. Sicut enim, qui creaturas omnes rationis expertes propter primos homines à Deo conditas dicunt, ipsis in peccatum prolapsis, eas quodammodo deliquisse,& à sua rectitudine defecisse fatentur. Audi Anselmum in libello de excellentia Virginis, cap.10. (Anselm.) *Homo* (ait) *qui à Deo inter cæteras creaturas sublimis creatus est, dum Deum per sua inobedientiæ reatum inhonorauit, omnia, quæ sui iuris prius erant; amisit, omnia, quæ sui status integritatẽ seruauerant quadã confusione, ipsa reatus sui immanitate quantum in ipso fuit, vulnerauit: ingerebatur enim sic diuinis operibus contumeliosa quedã oppressio, & fiebat grauis, & iniuriosa abusio, &c.* Ad eundem modum qui mundum,& creaturam vtramque propter Mariam à Deo efformatam, & conditam volunt, si ipsam in primo suæ conditionis instanti peccati alicuius compotẽ faciunt, fateri etiam debent vtrãq; simul creaturam cum ipsa pariter cõcidisse, licebitque illi exprobrare, quod *creaturas omnes graui confusione ipsa reatus sui immanitate vulnerauerit, & diuinis operibus contumeliosam quandam oppressionẽ, & iniuriosam abusionẽ ingesserit.* Prima ergo ratio ex diuini intellectus præscientia petita est.

10 Secũda ex diuinæ volũtatis ordinato amore desumi debet. Deus enim quia totius bonitatis summa est, ideo semetipsum sub ea ratione primi, ac summi boni nõ modo prius sed etiã necessario diligit: deinde creaturas libere, ac consequenter amat, quatenus bonitatis eius participes, ac cõsortes sunt. Ordo igitur amoris diuini id postulare videtur: vt quemadmodum se ipsum ideo prius diligit, quia creaturas omnes bonitate vincit, ita etiam eo ordine creaturas ipsas amet, atque expetat, quo se inuicem bonitate superauerint. Cum ergo Deipara Virgo ex diuina bonitate plus hauserit, & in se expresserit, quã reliquę simul creaturę. (Sic enim habes Sap. 7. (Sap.7.) *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*) nõ modo plus, sed etiam prius adamari, atq; adeò ante alias prædestinari debuit. Et quidem ita decuit: nam cum diuinæ voluntatis infinitam vim à dilectione sui ipsius ad creaturarũ amorem moueri oportuit, sane opus erat, vt eam primum creaturam adamaret, quæ non vulgari bonitate prædita, imo suæ ipsius bonitatis expressior imago foret. Quia sicut in Dei mente, ac pręscientia creaturam aliquam tanta perfectione insignitam intercedere oportuit veluti medium, per quod diuina mens à sui contemplatione ad creaturarum cognitionem sensim transiret: ita etiam in diuina voluntate, & amore creaturam aliquam eximia bonitate præditam interponi opus fuit, per quam à summi boni dilectione ad aliarum creaturarum amorem quasi per gradus sese demitteret. Voluntas enim intellectum, atque mentem ducem sequitur, atque adeò illa, quæ ratio intelligendo præfert, voluntas etiam amando præponit.

11 Quid inde? Hæc quidem ratio conceptionis immaculatæ non infirmã probationẽ cõtinet. Nã si in primo suę cõditionis articulo Virgo Deipara peccati labem traxit, quomodo diuinam voluntatem, & amorem prima ad se raperet, quam in eo instanti, in quo diuina voluntas circa illam existentem primo versari debuit, prius odisse, quam diligere oportuit? Deinde si fateamur cum Bernardo (Bernard.) mundum vniuersum propter Mariam factum. *Propter ipsam enim* (ait) *totus mundus factus est*: cogimur etiam fateri propter ipsam amatum: atque adeò quisquis dixerit ipsam prius odio habitam propter culpam originis, quam dilectam propter gratiam recuperatam, non potest non etiã asserere mundum quoq; propter ipsam prius à Deo odio habitum, ac postmodum adamatum, quod certe absurdissimum est.

12 Tertia ratio, qua Virginis ante alias creaturas, atque adeò ante peccati præuisionem prædestinatio probatur, sic habet. Quia si Mariam in Dei Matrem post peccati præuisionem electam esse dicamus, inde quidem fiet eam dignitatem, qua nulla maior puræ creaturæ euenire potest, bonum quoddam esse (vt vulgo dicitur) occasionatum: quippe cui peccatum ansam, & occasionem dedit: atque adeò fateri opus erit, eam electionem non fuisse primariæ intentionis Dei, sed potius secundariæ, & peccatum consequen-

tis: quam Deus ipse sibi ipsi relictus nollet vtique esse, nisi aliunde peccatum cogeret. Dicam luculentius: Si Virginem Mariam occasione arrepta ex peccato, vel conditam, vel electam in MatremDei affirmemus, non possumus etiam non fateri, quod sicut Deus peccatum ipsum mallet non esse, quam esse: ita etiam satius duceret Mariam parentem suam non fore, quam fore: quod pias aures non parum lædere videtur. Dicamus ergo se rio Deiparam nullius occasione peccati, vel conditam vel electam fuisse: sic enim peccatum originis à Maria longius remouemus, dum non solum ipsam ab eo peccato immunem esse dicimus, sed etiam illius occasione cōditam, aut electam fuisse negamus: Quia si peccatum originis, eius conditioni, aut electioni occasionem dedisset, suam vtique conditionem, & electioné huic peccato Virgo quodammodo deberet. Placet autem Mariam ab omni erga culpam originis debito sic liberare, vt non solum eius incurrendæ debito nunquam obstricta fuerit, sed neque suę exaltationis partem aliquam illi quomodolibet debuerit.

13 Quarta ratio sic confici potest, quia si Virgo post Angelos, Adam, & Euam, imo & post peccati præuisionem electa, & prædestinata fuit, vix defendi poterit illam omnium Angelorum, atque hominum Reginam, & Dominam extitisse. Et quidem Mariam Deiparam aliquid Angelis ipsis promeritã Patres vbique docent. Diuus Bonauentura in specu-

D.Bona. lo lect. 3. *Intelligentia* (inquit) *Angelica est famula, super quã Domina eius Maria innititur: quippe tanquã familiarissima se Angelis sociando, innititur tanquam plenissima, se cum sua plenitudine Angelis communicando, innititur tan-*

Idem. *quam potentissima Angelis imperando.* Et lect. 5. sic habet. *Quam latè, quam longè, & quam altè arbor illa magna beata Maria ramos suos*

D.Hiero. *extendit quam latè ad homines, quam longe ad Angelos, quam alte ad Deum.* Diuus Hieronymus in ser. de Assumptione *Dei genitrix electa, & præelecta vere ab Angelo salutatur, & prædicatur gratia plena, per quam largo spiritus*

Chrisol. *sancti imbre superfusa est omnis creatura.* Similia habet Chrisologus. *Quæ largo imbre totã infunderet, & superfunderet creaturã.* Dum

Richard. omnem creaturam dicunt, nullã excludunt. Richardus Victorinus in Cant. *Vtraque* (inquit) *creatura potentior iudicatur, quia vtraq; per ipsam reparatur.* Vtrâque creaturam ap-

Pet. Da. pellat Angelicam, & humanam. Accinunt

D.Ansel. etiam Petrus Dami. in serm. de Assumptio-

D. Ber. ne. Anselmus apud Bonauenturã in specul.

August. lect. 7. Bernard. in ser. de aquæductu, & alij passim. Audiendus denique Augustinus in sermone de Natiuitate. *Si Dominam Angelorum te vocem vere, esse cõprobaris.* Quid inde? Certe vt Maria Angelorum simul, atque hominum omnium vere regina, ac domina esse, ac dici possit: oportet quidem gratiam illis ab initio collatam ab ipsa aliqua ratione pendere. Cum enim ius illius, potestasque non sit in naturas ipsas (natura enim Virginis per se inferior est natura Angelorum) reliquum est, vt potestas, ditioque Mariæ sit in ordine gratiæ: atque adeò omnis gratia, vel Angelorum, vel hominum Virgini tanquam reginæ subiaceat. Gratia autem vnius creaturæ non aliter alteri obnoxia esse potest, nisi ab illa pendeat per impetrationem, aut meritũ. Et quidé omnes illi quotquot Christum Angelis primam suæ conditionis gratiam meritis suis obtinuisse audacter dicunt, ijdem si sapiunt, illam etiam à Maria impetratam affirmare debent. Illud enim mihi compertum satis est, quod alias docui Prouerb. c. 8. versi. 19. & infra etiam dicam, cap. 21. omnia illa, quæ Christus condignis meritis obtinuit, eadem à Virgine Deipara congruis itidem meritis impetrata. Quod si hæc vera sint, inde certe Virginis ante Angelos, atque adeò ante omnem creaturam prædestinatio robustissime comprobatur, & ad immaculatam Virginis Conceptionem probandam validissimum, etiam exinde ducitur argumentum. Quia si Maria Virgo meritorum Christi socia, & cooperatrix ipsismet Angelis, primisque parentibus gratiam illam primæ conditionis impetrauit, quis audeat dicere illam in peccato conditam, originalis gratiæ haud cõpotem fuisse, cuius ipsammet alios participes meritis suis efficere oportebat? Rursus indecorũ videbatur, vt fœmina tã Angelis, quã hominibus prelata vtriusq; naturæ principatum capesseret, quæ peccati mortisque regnum prius ipsa sustinuisset: iux-

ta illud Pauli ad Rom. 5. *Regnauit mors ab Adam,* & infra: *Si enim vnius delicto mors regnauit, per vnum, &c.* Paul. ad Rom. 5.

Quinta ratio sic efformari potest: quia vt communis fert scholasticorum sententia, 14 quemadmodum Deus omnia propter semetipsum operatus est, ita etiam omnes creaturas propter semetipsum amat, atque expetit. Quapropter cum solus ipse sibi ad instar finis sit, cuius gratia reliqua intendit, ac diligit, creaturæ autem mediorum vices habent: inde fit, vt quemadmodum nos ex medijs, quæ ad finem aliquem faciunt, ea prius ordine intentionis eligimus, quæ cum fine magis coniuncta sunt: ita etiam Deus ex creaturis, eas primum eligere, ac prædestinare dicendus sit, quæ ipsi proximè adhærent. Quia ergo nihil Deo magis, vel proximum, vel coniunctũ quam humanitas Christi ad vnius suppositi identitatem assumpta, ideo illam proximè post se ipsum adamasse credendum est: cumque huic Christi humanitati, & Deo post ipsam, nihil magis, vel proximum, vel coniunctum sit, quam Virgo, quæ illius vera, & naturalis mater extitit, hanc vtique post humanitatem Christi electam, & præordinatam fateri cogimur. Quod si hoc verum sit,

absur-

absurdum plane erit dicere illam, Deo interim veluti conniuente, quamlongissimè primum separatam per culpam, quam postea tam arcte sibi per maternitatem copulare decreuerat.

15 Sed præmissam rationem vrgere libet. Non modo Deus creaturas propter se ipsum diligit, sed etiam se ipsum in creaturis suis quodāmodo deperit: quapropter illas creaturas tũ impensius, tũ etiā prius diligere dicendus est, in quibus se ipsum melius, atque absolutius deprehēdit. Aio igitur post Christi humanitatem, in qua per vnitatem suppositi totius diuinitatis plenitudo extitit, nullibi Deum dignius, & gloriosius fuisse, quàm in Maria. Nam primò eius in vtero per nouem mēses fuit tanquam princeps in Regia, tanquam Deus in templo: deinde in Maria, tanquam in expressissima, absolutissimaque sui ipsius imagine, atque idea Deus fuit. *D. Aug.* D. Augustinus in serm. de Natiuitate. *Si formam* (inquit) *Dei te appellem, digna existis.* Et quidem mirabile est Mariam Dei ideam, & formam appellari: nam in Deo formas, & ideas creaturarum ponimus, quæ ipsi veluti exemplaria sunt ad eas ipsas res faciendas, quarum ideas in se cōtinet: at Deum ipsum in creatura aliqua veluti in sui ipsius idea, & forma esse perdifficile est. Ergo dicet quispiam, Mariam Virginem Dei formam, atq; ideam appellari, quod ad humanitatē assumptam attinet. Nec inficior: nam vt fert commune quoddam medicorum proloquium, quod iuris periti ad suas præsumptiones traduxerunt. *Filij vt plurimum matrizant*: idest matres suas, non gestu solum, sed etiam moribus, & ingenio referunt. Accinit & poëta.

Multum de patre decoris,
Virgil. *Plus de matre feras.*

Vide plura in hanc sententiam, in nostris Commentarijs Prouerb. Salom. cap. 10. vers. 1. Hoc ergo quod reliquis hominibus perquam naturale est, scilicet *matrizare*, in Christo, & in Maria minime desideratum existimo: Deus quippe tot, tantisq; virtutibus, donis, ac gratijs matrem suam insigniuit, & perornauit, vt natus ex illa ingenio, ac moribus illam in se ipso exprimere videretur: adeò, vt quamlibet Christus moribus Deo simul atq; homine dignis preditus esset, illos nihilominus à matre sua hausisse fas esset dicere, nō causalitate, sed imitatione: quatenus nihil virtutis, vel honestatis, aut in filio erat, quod in matre non præfuisset, aut in matre, quod filius in semetipsum imitatione nō transferret. Igitur ob eam causam Deipara Virgo *forma*, atque *idea Dei* merito dici potuit. Atque, vt obiter ex hac sententia aliquid pro immaculata Conceptione depromam, sane vt Virginem absolutam, & perfectam Christi formam appellare liceret, opus fuit, vt nihil in ipsa præmitteretur, in quo filius ei similis esse sine aliqua iniuria non posset: atque adeò culpam originis in ipsam minimè cadere oportuit, ne ea ex parte filio dissimilis esse cogeretur.

Cæterum quamuis hæc apte dicta sint, tamen alia dignior Mariæ laus subest illis Augustini verbis. 16 *Aug.* Est igitur Virgo sanctissima, *idea & forma Dei*, non solum ratione humanitatis assumptæ, sed etiam ratione diuinitatis. Succedat igitur memoriæ peruetus illa doctrina sancti Dionysij Areopag. lib. 1. de diuinis nominibus, quam passim vsurpat Diuus Thomas. 1. par. per multas quęstiones, & articulos, *S. Diony. D. Thom.* scilicet creaturas esse participationes quasdam diuinæ essentiæ: adeò vt singulæ alicuius diuinæ perfectionis consortes factę vestigia quædam in se habeant, per quę Deum ipsum ex illis consectari, ac venari liceat: iuxta illud Pauli ad Rom. 1. *Paul. ad Rom. 1.* *Inuisibilia ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas.* Sed licet Deus in omnibus suis creaturis ad hunc modum deformatus, & descriptus sit: tamen non vsque adeò expressus est, vt qui eum in illis omnibus cōtemplatur, ipsius magnitudinem ex illis metiri possit: quippe qui infinito quodā interuallo maior est, quàm in suis creaturis, aut dignoscitur, aut dispicitur. Sed quid de virgine sentiendum? Audi Chrisologum in ser. de Annuntiatione. *Chriso.* *Tanta est Virgo, vt quantus sit Deus, satis ignoret, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur.* Quod perinde est ac si dicat: quicunque Dei magnitudinem ex his, quæ in cunctis simul creaturis sui ipsius vestigia impressit, aucupari voluerit, illius vtique ignarus, ac nescius prorsus manebit, donec Deum in Maria, ac per Mariam quærat: in hac enim quantusquantus est Deus, tantus inuenitur, & tota quodammodo magnitudo illius, veluti in idea, & imagine sui expressa resplendet.

Sic enim vel ipsa cecinit Lucę, 2. 17 *Luc. 2.* *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Magnificat inquit, idest, magnum facit. Audi Origenem in *Origen.* hæc verba. *Quæritur* (inquit) *quomodo anima Mariæ magnificet Dominum: si enim Dominus nec augmentum, nec decrementum recipere potest, quid est, quare nunc Maria loquatur: Magnificat anima mea Dominū?* Et paucis interiectis. *Vnusquisque nostrum ad imaginem Dei formās animam suam, aut maiorem ei, aut minorem ponit imaginem. Quando igitur grandem fecero imaginem, & magnificauero eam opere, cogitatione, & sermone, tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus, cuius imago est anima nostra, magnificatur.* Sententia autem Origenis hæc est, Deum quidem non posse in se ipso magnum accessione aliqua, aut paruum decessione fieri: posse tamen in anima hominis, quæ ipsius imago est, paruum, aut magnum repræsentari, prout ipsa meritis prægrandis efficitur, aut demeritis pusilla redditur.

ditur. Nam de peccatis ita subdit. *Et quomodo crescit Dominus in nostra imagine, cum iusti sumus: sic si peccatores fuerimus, minuitur, & decrescit.* Ait igitur Maria. *Magnificat anima mea Dominum.* Quasi dicat. Deus meus, qui alias in Angelis, & in hominum animis tanquam in sui formis, atque imaginibus longe minor exprimitur, quam in se est: certe in anima mea tanquam in perfecta, atque numeris omnibus absoluta sui forma, atque idea magnus repræsentatur, ac visitur, nec minor fortasse, quam est. *Magnificat*, idest, magnum facit, *anima mea Dominũ.* Absit ergo à te, vt Virginem alicuius peccati, vel actualis, vel originalis labe infectã esse quomodolibet dicas: nam eo ipso Deum ab eadem Virgine imminutum, & paruum, pusillumque fateri debes: ait enim Origenes. *Sic si peccatores fuerimus, minuitur, ac decrescit.*

18 Quid plura? Nuper quidem dicebamus ideas creaturarum in Deo esse principia operandi, ac condendi ipsasmet creaturas, quarum similitudines sunt: atque adeò absurdum videri in Deipara Virgine Dei ideam ponere, quandoquidem Deus omnis initij expers denuo fieri nulla ratione potest: propterea enim Græci Deum ἄεργον idest, inoperabilem vocant. Imo vero, ex eo in Maria Deiformam, & ideam constituere licet, quia eo modo, quo Deus fieri potuit, ab ipsa vtique factus est: is enim, qui natura sua ἄεργος, idest, inoperabilis est, homo fieri potuit. Sic enim habes Ioan. 1. *Et homo factus est.* Sed per quam factus est? Certe per Mariam. Paulus enim ait ad Gal. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Mariam ergo eo ex capite Dei optimi maximi ideam, atque formam dicere non repugnat: imo prorsus licet. Siquidem Deus digniori, atque excellentiori modo, quo fieri potuit, ex ipsa, & per ipsam factus est. Quid inde? Subijciam libenter. Quandoquidem Virgo Maria sic Deum ex visceribus suis fecit, ac genuit, vt nullus dignior, vel excellentior faciendi modus in Deum cadere potuerit, quis putet ipsam à Deo sic factam, & conditam, vt deterius illam facere, aut condere fortasse non posset: id enim fateri opus est, si illam in peccato originali productam esse dicamus.

Ioan. 1.
Paul. ad Gal. 4.

19 Non solum autem Virgo Maria essentiæ, ac perfectionum Dei absolutissima idea, & similitudo fuit, sed etiam, quod nulli creaturæ licet, personarum, & processionum diuinarum aliquid in semetipsa adũbrauit. Nam Sap. 6. sic legis. *Candor est enim lucis æternæ, & speculũ sine macula Dei maiestatis.* Græce, τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας. Pro quo interpres Origenis sic ad vnguem vertit. *Speculum Dei inoperationis.* Et quidem nomen hoc *inoperatio*, ad Deum translatum, immanentes eius actiones, quas vocant *ad intra* (hæ sunt, processiones, ac productiones diuinarum personarum) significare videtur: atque adeò sensus est, Virgo Deipara speculi ad instar puri ac detersi diuinarum personarum processiones in se exprimit, ac reddit. At inquies positionem hanc à Theologis passim explodi, qui docent creaturis omnibus Deum, vt vnũ non tamen, vt trinum, repræsentari posse. Non inficior: nihilominus tamen affirmare ausim Mariam candidissimi ad instar speculi sanctissimę Triados arcanas processiones in se quodammodo referre, ac reddere. Primo quia Virgo inuiolata Deum genuit ac peperit: hoc enim æternarum originum vmbram, & imaginem non obscuram continet. Ait enim Nazianzenus in poemate de laude Virginitatis. Naziam.

Sap. 6.

Prima Trias virgo est, nam Patre natus Anarcho
Filius est, nec enim Pater ortum traxit ab vllo,
Mortali humano generauit semine natum, &c.

Quibus verbis Trinitatem ipsam ideo primam virginem esse dicit, quia personæ diuinæ integritatem suam minime violantes, aliæ alias producunt. Singulare tamen nescio quid acute contemplatur Nissenus, lib. de Virginitate, cap. 2. in verbi ęterni productione: inquit enim. *Pater filium genuit sine affectu:* hoc est (vt theologice dicam) generat pater verbum per intellectum, & non per voluntatem. Expeditius, & luculentius dicam. Generatio filij non ex concupiscentia, non ex affectu, sed adeò pura, vt neque affectuosa sit. Generationem enim humanam cuiuscumque hominis præcedit necessario affectuosa voluptas, & voluptatis affectus, & ideo impura, neque virgo: at vero in generatione æterna non præcessit voluptas affectuosa voluntatis, imo nec affectus, aut vllus amor filij: quia quando illum primo amauit, iam inde ipsum ante amorem genuerat. Vnde à generatione diuina (quæ quia vera generatio est, nescio quid impurum apud homines sonare videtur) omnis prorsus, vel leuis impuritatis suspicio relegatur. Huius ergo virginitatis in sola Maria imago resplenduit, vt pote, quæ sola absque iniuria suæ integritatis genuit, ac peperit, & quæ, vt docet Damascenus 4. de fide, cap. 15. *Ab omni concupiscentia carnali mentem procul sequestrauit, vt decebat eam, quæ susceptura erat Deum.* D. Dam. Vtique quia illum sine concupiscentia genuit, & sine affectu voluptario, & ideo totius impuritatis fuit expers hæc generatio, & imago illius, quam filius ab æterno patre ducebat. Aliter etiã æternarum originum idolum in Maria tanquam in speculo elucet. Quia vt vera, & catholica sententia fert, Christus Dominus non solum quà Deus de Deo est: sed etiam in quantum homo, filius naturalis Dei existit. (Lege nostrũ Gabrie-

lem

lem Bellomon. in 3.p. disp.89. cap. 4. qui de hac re absolutissimè disceptauit.) Itaque filio Dei æterno ex generatione temporali accrescit nouus, ac temporalis respectus filij naturalis Dei, quia nimirum eius humanitati denuo productæ sanctitas Dei naturalis adiungitur in vna persona: vnde fit, vt quemadmodum naturaliter sanctus est, etiam naturaliter filius Dei existat. Hinc autem efficitur, vt pater æternus eodem modo nomine patris gaudeat quasi duplici ex titulo: nimirū quia pater naturalis esse cœpit eiusdem, in quantum homo est, per temporalem generationē: & inde etiam fit, vt spiritus sanctus, cuius est proprium, naturalem patrem, & filium nexu mutuo copulare, duplici etiam respectu (germaniùs dixerim, vt omnē fugiā ambiguitatem) eodē respectu, tamen duplici modo nectat vtrumque secundum illam duplicem habitudinem, temporalē, & æternam, quæ inter patrem, & filium intercedit. Hæc omnia in Mariæ vtero velut in officina quadam spiritus sancti gesta sunt: nam ab ipsa cum Deo simul operante, & agente, Christus Deus, & homo sic genitus est, *vt naturaliter esset* (verba sunt Anselmi) *vnus, idemque communis Dei patris, & Virginis filius.* Atq; adeò licebit dicere Mariam Virginem diuinas processiones, atque origines in se, aut Deum in ipsa tam perfectè adumbrasse, vt inter tres personas noui, & temporales respectus per temporalem ipsius generationem exorti sint, quos æternis respectibus vsque adeò similes esse constat, vt eadem omnino nomina ferant. Atque adeò meritò in ipsam iactatur illud. *Speculum sine macula Dei inoperationis.* Quia illas Dei actiones, quę ad intra sunt (scilicet origines diuinas) tā exactè in se ipsa adumbrauit, atq; expressit. Vnde aliquid etiam boni argumenti ad comprobandā immaculatā eiusdē Virginis Conceptionem deriuare licet. Nā quis dicat eā, quæ æternas, & diuinas origines ad eum modum in se excepit, ac deformauit, originis peccatum ab Adamo deriuatum hausisse: nihil enim magis ab illis originibus alienum, quàm hæc tam infecta, & piacularis origo: & omnino à Dei beneficētia abhorret, vt eam, quæ ipsimet tam nobilem originem dedit, in tam degenerem, atque illiberalem originem prolabi sineret.

Anſel.

20 Sed vt ad rem ipsam recurram, cùm Virgo Deipara tam expressa, & absoluta fuerit imago, idea, & forma Dei, non potuit non Deus, qui semetipsum in creaturis suis diligit, Mariam impensiùs, ac prius adamare, in qua vna diuinitas, ac personarum triplicitas tam exactè scripta, & adumbrata diuini amoris vim vehementer admodum ad se rapiebat. Est enim Maria (si fas est dicere) *fons signatus*, iuxta expositionem Ambrosij in l.b.1. de virginibus, & lib.10. cap.82. nam priori loco sic habet. *Fons signatus, ideo, quod expressam imaginem Dei sinceri fontis vnda retineat, ne volutabris spiritualium bestiarum sparsa cœno fluenta turbentur.* Et in posteriori: *Fons* (inquit) *signatus, eo quod Virginitas sit fons, & origo pudicitiæ, in quo fonte imago Dei luceat, quia cum munditia corporis congruit etiam puritas mentis.* Itaque Ambrosius fontem signatum perinde esse existimat, atque fontem sigillatum, qui Dei se ipsum in pellucidis, ac candidis eius laticibus contemplantis speciem excipit, ac reddit.

Ambroſ.

Audens dico: Deus Narcissum illum imitatus videtur, qui formam suam in niuea fontis vnda expressam intuens, tanto eius amore exarsit, vt sui ipsius potiundi studio in vndam ipsam se se dederit. Haud aliter enim Deus in Mariā velut in fontē candidissimū intuens, & imaginem suam in ea perfectissimè descriptam inspiciens, ac se ipsum longe ardentius in ea, quàm in cæteris simul creaturis diligens, ne dicam deperiens, sui quoq; perfruēdi gratia in eius viscera sese deiecit, ac demisit, eamq; præ alijs, atque ante alias omnes creaturas adamauit. Sed quid obsecro in causa fuit, vt fons iste sacer Maria Dei formam tam exactè exciperet, ac redderet? Certe originis puritas illibata: nam si fons iste impura ex origine deriuaretur, vix vnquam subsidente cæno, ac sordibus, ei claritati restitueretur, quæ ad referendam perfectissime Dei imaginem necessaria est. Vel vt ait Ambrosius. *Ne volutabris spiritualium bestiarum sparsa cœno fluenta turbarentur.* Si enim Mariam peccato primæ conditionis infectam, atque adeo diaboli, seu impurissimæ belluæ sordidissimum volutabrū olim fuisse non negemus, qua demum ratione illam ad eam puritatem redijsse dicimus, quæ similitudini Dei perfectissimæ reddendę opportuna est?

His rationibus Virginis ante omnes creaturas electionem, ac prædestinationem probare licet, quæ omnino similes sunt his, quibus vsi sunt Scotus, alijque eius discipuli, & consectatores, vt Christum Dominum ante peccati præuisionem prædestinatum euincant. Sed quia præcocem hanc Virginis electionem non eodem modo authores supra adscripti declarant, ideo de singulis aliquid dicendum est. 21



PRIMVS MODVS, QVO VIRginis ante omnes alias creaturas electio asseritur.

CAP. IIII.

1. *Sententia P. Francisci Suarez de electione Virginis ante omnes creaturas.*
2. *Christi & genitricis præfinitionem, Mariæ electionem, mundi creationem, & electorum omnium prædestinationem quomodo in mente Dei ordine intentionis disponat secundum prius, & posterius.*
3. *Adami creationi, peccati permissioni, Christi incarnationi, & Mariæ præseruationi, quem locum in decretis attribuat.*
4. *Quomodo Virginis præseruationem meritis Christi possit adscribere.*


RÆTEREO Libenter authores quosdam, quibus ita placuit Virginis ante omnem creaturam electionem tueri, vt primam illius sanctificationem non Christi meritis, sed liberalitati diuinæ tribuendam esse putent: id enim non modo à veritate, sed etiam à fide alienum esse puto. Cum his certe mihi res erit, qui Deiparę electionem ante alias creaturas sic pręmittunt, vt tamen nihil gratiæ vnquam habuerit, quod Christi meritis acceptum referre non debeat.

1 P. Suar. Noster igitur Franciscus Suarez (libentius enim ab illo exordium duco, tum quia de hac re absolutissimè egit, tum etiam quia ex eius principijs recentiores interpretes multa pro Virgine dixerunt, quæ melius, vt capiantur, post illum subijcere necesse est.) Hic ergo, collatis his, quæ docet de Christo Dominò 3.p. quæst.1.art.4. disp.5 sect.1. & 2. & de Virgine, q.27. disp.1.sect.3.& disput.3.sect.2.& 3. ac de prædestinatis omnibus 1.part.lib.2. de causa prędest. c.24.n.21. Vt in decretis Dei Virgini Deiparæ digniorem, quàm reliquis creaturis, locum donaret, decretorum signa, aut instantia sequenti ordine recenset. In primo instanti, aut signo suarum præfinitionum Deus optimus maximus via intentionis Christum Dominum, & incarnationē eius, quoad substantiam, & eas proprietates, quæ illam per se comitantur, efficaciter præfiniuit. Non enim putauit hic author vnionem hypostaticam in vniuersum à Deo primum definitam fuisse (vt quidam voluerunt) sed determinatè huius personæ, atque huius naturæ vnionem: sentit enim Deum circa res in vniuersum consideratas nihil statuere.

In secundo instanti Deus ex mente huius authoris Mariam Virginem fore decreuit, 2
ita quidem, vt prius illam in Matrem Christi efficaciter eligeret, deinde ad eum gratiæ, & gloriæ cumulum, quem demum obtinuit, destinaret. Nam cū Virgo sanctissima ideo ad tantam, tamque insolentem gratiam, atque gloriam præordinata fuerit, vt digna Dei mater existeret, necessum vtique fuit, ipsam in Dei parentē efficaci electione prius destinari, quàm ea gratiæ, & glorię mensura ei præpararetur. Hanc vero fuisse huius Doctoris sententiam perspicue colligo ex his, quæ dicit in ea quęst.27. sect.3. *Quia videlicet mater non fuit à filio seiuncta etiam in electione diuina.*

In tertio signo Deus omnes alias creaturas, mundumque vniuersum secundum esse naturale fore similem admodum efficaciter decreuit: vt constat ex ea quæst.1.sect.3. Nimirum post Christum. Nam quod docet idē Suarez, quæst.27. disp.5.sect.3. creaturas secundum esse naturale cum Christo simul eadem præfinitione fuisse conclusas, non tollit ordinem à nobis præmissum, vt ex his, quæ ibi tradit, perspicue depromitur. Propterea vero mundum, & creaturas omnes post Christum, & Mariam subijcit hic author, quia putat cum illis eatenus cōnexionem habere, quatenus eorum imperio, ac ditioni tanquam supremis rerum omniū principibus ab initio mancipatæ fuerunt.

In quarto signo prædestinatos omnes tam ex angelis, quàm etiam ex hominibus eligit Deus efficaciter ad beatitudinem, eam cuique gratię, atque gloriæ mensuram destinans, quam demum consequuturus erat. Circa reprobos autem negatiuè se habuit.

In quinto instanti Adamum, atque Euam 3
primos inter reliquos homines condere constituit, vt ab his totum genus humanum, atque etiam Virgo Maria suam originem recenseret: & vt quemadmodum naturę, sic etiam gratię caput existeret Adam, cum illo vtique de transfundenda in posteros suos,

atque etiam in Virginem gratia fœdus percussum est: vt scilicet gratiam originis suæ si seruaret, illam in minores suos, & in Mariam prorsus transfunderet: sin verò illam amitteret, suæ quoque labis illos consortes faceret.

In sexto signo permisit Deus lapsum Adami. Quid inde? Certè ob parentis culpam omnis illius soboles cum Virgine pariter originali peccato obnoxia facta est, atq; debito illius contrahêdi obstricta, quod planè fatetur noster Suarez.

In septimo signo, præuiso Adami peccato: ac posteris simul etiam cum Maria peccato originali obnoxijs, eiusque contrahendi debito obstrictis ante præuisis, prædestinauit filium in carne passibili. Ac demum in octauo signo cum reliquos homines in peccatum labi permisisset, ex meritis Christi passibilis, Mariam, infusa gratia, à peccato originis seruare decreuit, & via executionis ad illam gratiæ mensuram adducere, ad quam ante ipsius peccati præuisionem in secundo illo signo ipsam prœordinauerat.

4 Et quidem sextum, septimum, & octauum signum, ex mente sapientissimi huius Doctoris, ad hunc modum esse subordinanda suadent mihi illa, quæ docet quæst. 27. disputat. illa 3. sect. 4. Nam licet dicat legem vniuersalem à Deo latam fuisse de transfusione peccati: addit tamen: *Illa prior lex non includit absolutam, & definitam Dei voluntatem, vt peccante Adamo, omnes filij eius gratiam amitterent, sed vt perderent ius ad gratiam.* Quod perinde est, ac si dicat, voluntas illa prior non definiuit absolutè omnes Adami posteros, ipso delinquente, labem prorsus contrahere: nam si talis voluntas vniuersalis, & absoluta præcessisset, nulla peculiari lege, aut priuilegio posset violari, nisi mutabilitatem aliquam in Deum cadere posse dicamus: sed lex vtique fuit, vt peccante Adamo, omnes eius posteri ius perderent ad gratiam, quod nihil aliud est, quam ex se culpæ obnoxios esse. Deus ergo, ex mente huius Doctoris, vbi præuidit Adæ minores amisisse ius ad gratiam, & peccato sui parentis subiacere, ex tunc Christum in carne passibili efficaciter prædestinauit. Ex quo sequitur Christum propter solum Adami peccatum, & posterorum debitum carnem suscepisse passibilem, quandoquidem sola Adami culpa, & filiorum debitum à Deo præuidebatur, cum aduentus illius in passibili carne definitus est. Certè non video, quanam ratione alia sententia huic sapientissimo Doctori possit imponi. Nam si quis vellet Deum Adami posteros in originalem culpam labi ante præuisionem Christi passibilis sic permisisse, vt iam tunc Virginem ab ea permissione ex eo exciperet, quia illam prius, ante ipsam primi peccati prœcognitionem ad perpetuam gratiam prœordinauerat, vt supra diximus: deinde verò post præuisionem Christi passibilis ex meritis ipsius gratiam illi donatam, qua demum à peccato originali seruata est: fateri quidem oportebit, eam priorem exceptionem à generali permissione, ex qua præseruatio ipsius à culpa originali initium cepit, ex meritis Christi passibilis minimè factam fuisse, quod videtur absurdum. Quamuis non negem aliter etiam dici posse, iuxta ea, quæ tradit Suarez 1. parte, lib. 2. de causa prædestinationis cap. 24. n. 21. scilicet efficacem electionem prædestinatorum omnium ad gloriam, quam ex eius mente in quarto signo ante peccati præuisionem, atque adeò ante Christi passibilis præcognitionem præmissam fuisse diximus, ex meritis eiusdem Christi factam: ex meritis inquam illis, quæ ab vtroq; statu, passibili, & impassibili abstrahunt. Constat enim (inquit Suarez) Christum non tantum per passionem, sed etiam per alia opera, quæ communia sunt statui passibilitatis, & impassibilitatis, nostram salutem promeruisse, scilicet per actus charitatis, & per alios his adsimiles: cum ergo eiusmodi merita ante passionem præuideri possent, efficax prædestinatio electorum propter illa fieri quoque potuit. Ergo ad eundem modum licebit dicere exceptionem illam Mariæ à communi permissione ante prœcognitionẽ passionis Christi ex eisdem meritis effectam, ex quibus primum ipsamet multo ante, & ad maternitatem, & ad perpetuam gratiam, & ad gloriam in prioribus decretis efficaciter prœordinata fuit. Nam cum hæc exceptio, aut exemptio à communi permissione cum electione illa efficaci ad perpetuam gratiam coniuncta sit, ex ijsdem meritis concedi debuit. Et sanè (vt dicam, quod sentio) licet hæc doctrina difficilis sit, quatenus concedit aliquod Christi meritum, quod non fuerit passione consummatum, vt infra dicemus: tamen huic posteriori ordini decretorum libentius acquiescerem, quàm priori: nam ægre admodum fero Christi aduentum in carne passibili ad eas angustias cogi, vt ex solo Adami peccato, & posterorum debito prœuiso susceptus fuerit. Sed de his infrà cap. 15.






EX HOC PRIORI MODO, QVO Virginis electio ante omnes creaturas asseritur, præclara quædam Virginis elogia depromuntur, & Conceptio Immaculata probatur.

CAP. V.

1. Ex vnitate spiritus, & carnis, quam inter Christum, & Mariam reperit Augustinus, conuincitur, Beatam Virginem statim post Christum electam, & prædestinatam.

2. Ex eadem identitate Virginis Immaculata Conceptio confirmatur.

3. Idem ex mutua Christi, & Mariæ generatione, & procreatione.

4. Mariam priùs ad maternitatem, quàm ad physicam existentiam electam confirmatur.

5. Similis ad maternitatem si præcessit electio, Virginē originali iustitia, & summè perfectis corporis, & animi dotibus impertitam euincit.

6. Deiparam ab instanti suæ Conceptionis creaturarum omnium Reginam constitutā docet Chrysologus.

7. Id in ratione fulcitur.

8. Regia dignitas, quæ iam in sua Conceptione Deiparam nobilitabat, eam ab originalis peccati seruitute vendicat.

9. Creaturas vt conderet, eas in Maria, tanquam in mysterio, opificem contemplatum esse, ex Epiphanio deducitur.

10. Hinc Deiparam in originali iustitia conditam venustè deducitur.

11. Si tam Angeli, quam homines post Mariam, & propter Mariam ad gratiam, & gloriam prædestinati sunt, nequit ipsa originali iustitia non insigniri.

12. Gratiæ, & iustitiæ collata reliquis Maria exemplar extitit, quare & ipsa in originali iustitia concepta.

13. Capitis dignitas, quam in Adamo respectu Virginis circa transfusionem gratiæ, aut peccati, constituit Pater Franciscus Suarez, Immaculatam Conceptionem præclarè confirmat.

14. Ex debito incurrendi peccatum originis, si Virginem obstrinxit, immunitas conceptionis probatur.

15. Matri debebat, & tenebatur Christus debitum illius (si quo incurrendi peccati teneretur) præoccupare.

16. Sola Dei potentia, & maternitatis exigentia Mari dona metiuntur.



VLTA Quidem, quæ præcedēti capite ex sapientissimo P. Francis. Suar. retuli, non probo, quorum sequenti capite censuram proferā, dum singula perpendero. Interim tamen (vt quantū nostra: ium opiniones Virgini, & immaculatæ eius conceptioni suffragentur, cōstaret) quot, & quanta Virginis elogia ex prædicta opinione deduci: quot, & qualia pro eius Immaculata Conceptione conformari possint argumenta, præstat adnotare. 1

Primò docet superior sententia Virginem Deiparam primā post Christum Dominū electā, & preelectā, adeò vt in decretis Dei filio suo proximè adhæreat. D. Ildeph. in ser. 1. de Assump. *Maria* (inquit) *vna est ex numero prudentū prima omniū inter primos, quæ vadit post agnum proximior quocumq; ierit.* Et inter alia præclara nomina, quibus Virgo in canticis à Christo decoratur, illud in translatione lxx. perfrequens est, quod *proxima illius* persæpè appellatur. Et quidē ita decuit, vt quæ proxima spiritu, & proxima carne erat, in decretis, & electione Dei proxima quoq; esset. Propinquitatē spiritus, atq; carnis, quæ inter Christū, & Mariā intercedebat, pereruditè expendit August. ser. 4. de Assump. *Si igitur* (inquit) *natura matris est filius, conueniēs est, vt ipsa sit & filij mater, non quantū pertinet ad æquam administrationē, sed quantū pertinet ad eandem reciprocā substantiā, vt homo de homine, caro de carne, mater à filio, filius à matre non ad vnitatem personæ, sed ad vnitatē corporalis naturæ, & substantiæ: si enim vnitatem potest facere gratia sine proprietate specialis naturæ, quāto magis vbi gratia vnitas, & corporis est specialis natiuitas.* Et postquam de vnitate gratię, quę inter Deū, & iustos interesse constat, pauca subtexuit, sic tādem infit. *Hæc quippè gratiæ vnitas, quæ cunctis in Christo credentibus seruatur, si Mariæ etiā, minus sapientū æstimatione nō tollitur,* id est, Mariæ longè excellentius, quā cæteris iustis concedi à sapiētibus debet: *Quanto magis cum gratiæ vnitate ipsa specialitas naturæ vnū efficit matrem & filium, & filium & matrem.* D. Ildep. August.

Petr. Damian. Hanc sententiam ex August. excepit Petrus Damianus serm. 1. de Natiuitate: nam postquam tres modos enumerauit, quibus Deus iustis adest, aut inest, quartum Virgini proprium attexit his verbis. *Quarto modo inest Deus vni creaturæ identitate, quia idem est, quod illa: hic taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem. Dominus tecum* (inquit) *Archangelus: habitat in Angelis Deus, sed non cum Angelis, quia cum illis eiusdem non est essentiæ: habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem.* Quæ verba ad sensum August. transferenda sunt: cuius sanè ea mens fuit, vtramque vnitatē carnis, ac spiritus ex mutua coniunctione ad inuicem arctiorem reddi: nam vnitatem spiritus, & animarum ab vnitate carnis, quæ inter Mariam, & Christum intercedebat, plurimum intendi necesse erat: quatenus matrem, vt filium diligeret, quem genuerat, non solùm gratia, sed etiam natura suadebat. Cuius amoris reciprocam compēsationem mater referebat à filio: quatenus illum etiam non tantum communis iustitiæ ratio, sed etiam caro, & natura ipsa ab illa accepta ad redamandum compellebant. Rursùs vnitas ipsa carnis ab vnione spiritus arctius adstringebatur: quatenus per animorum illam conspirationem, & identitatem cum indentitate carnis coniunctam, fiebat, vt Matris, & Filij non tam esset vna anima in duobus corporibus (id enim, teste Augustino, præstare solet gratia, & beneuolentia, cum sola est) sed vna in eadem carne, & quodammodo in eodem corpore anima vna, & vnus spiritus. Cum ergo inter Mariam, & Christum ex gratia, & ex natura tam arcta, tamque indiuidua, & insolubilis versaretur coniunctio, vel potius identitas, non potuit non ita fieri, vt qui inter se tam arctè coniuncti, & deuincti erant, in decretis Dei non coniungerentur: atque adeò prædestinatio matris post filij prædestinationem nullo interstitio insequi debuit.

2 Et quidem ex ea Matris, filijque vnitate, & identitate, ex qua vtriusque electionem minimè secerni monstrauimus, haud obscure etiam colligitur, Virginem ab originis peccato liberam fuisse. Primò, quia, vt optimè probat noster Turrianus in epistola de peccato originali ad Episcopum Altisiodorensem ex Dionysio Areopagita, peccatum originale est *habitus dissimilitudinis Dei*, vel quia certe in hac ipsa dissimilitudine, dissonantia, aut discrepantia consistit, vel quia illam efficit. Absit ergo, vt dicamus tantam vnitatem, seu identitatem inter Mariam, & Iesum ex tanta dissimilitudine, & discrepantia factam fuisse: vix enim percipi potest, quonammodo in tantam vnionem coire, & coalescere potuerint illi, quos prius tam latum dissidium ab inuicem separabat. Rursùs cum Christus Dominus, non solùm ob communem rationem iustitiæ, & gratiæ, quæ vnionem spirituum efficit, sed etiam propter acceptam ab ipsa humanitatem, quæ vnitatem carnis inducit, Mariam adamaret: sanè opus erat, vt non animæ tantum, sed carnis etiam rationem haberet: atque adeò labem illam, quæ ex carnis propagatione resultat, prorsus ab ea excluderet. Si enim vnius esse carnis, & sanguinis cum Adamo ex tam longa propagatione generis ad contrahendam eius labem satis esse videtur, cur non etiam vnius esse carnis, & sanguinis cum Christo, tam proximo necessitudinis vinculo ad eandem excludendam satis esse videatur?

Turrian.

Dion. Ar.

Vbi illud nota, Iesum aliter comparari cum Maria, quam nati alij cum parentibus suis: reliqui enim filij à parentibus procreātur: ipsi verò suos vicissim parentes non generant, atque adeò nihil in parentes possunt filij, sed illos iam ea lege, & conditione prognatos supponunt, quam à suis ipsi patribus olim acceperunt, atque ob eam causam nobilitatis, generisque iura, priuilegia, titulos, & decora à filijs ad parentes non regredi communior fert iurisperitorum sententia, hæc enim cum generatione transfunduntur: cumque generatio non ascendat, sed descendat, ideò à maioribus ad minores transeunt: à minoribus verò ad maiores non recurrunt. Iam intelliges, quo tendam. Longè aliter se res habet inter Mariam, & Iesum: nam Iesus, qui à Maria procreatus, & progenitus est, idem ipse Mariam procreauit, atque formauit: sic enim canit Ecclesia: *Qui te creauit prouide, lactasti sacro vbere.* Et iterum: *Genuisti, qui te fecit, & in æternum permanes Virgo.* Et Arator lib. 1. in Acta Apostolorum in principio sic habet. 3

Arator.

A nato formata suo mala criminis Eua
Virgo secunda fugat, &c.

Ergo cum Christus Dominus, non modo ipse à Maria genitus, sed ab ipso etiam Maria formata, & condita fuerit: fit sanè, vt à filio in Matrem ingenuitas, priuilegia, & exemptiones, & alia iura manare potuerint: atque adeò meritò dicimus maiorem vim habuisse necessitudinem illam proximam carnis, & sanguinis, quę Virginem Christo deuinxit, ad excludendam culpam, quàm remotissimam illam propagationem ex Adamo, ad eam contrahendam: Christus enim non vtique, vt alij communes nati, matris suæ conditionem factam olim supposuit, sed ipsemet inchoauit, ac fecit. Sed de hac re vberius infrà cap. 26.

4 Secundo docet Suarez Virginem Deiparam prius quidem efficaciter electam, & prędestinatam in Matrem Dei: posteà verò ad eam gratiam, & gloriam præordinatam fuisse, quam denique obtinuit. Ratio est in promptu: quia cum omnia gratiæ dona, & priuile-

gia, quibus Maria à Deo exornata fuit, cum in finem illi tributa sint, vt digna Dei mater existeret: oportuit sanè, vti ordinata esset electio, finem prius præuideri, & amari, quam media, quæ ad eum finem ordinabātur. Huic rationi tantum tribuunt huius Doctoris assectatores, vt credant, neque magnum, neq; dignum aliquid de Virgine concipi posse, nisi eiusmodi efficax electio in Matrem Dei præmittatur. Et quidem ita necessariò fatendum videtur, non modo, vt Virgini Deiparæ alia priuilegia dare possimus: sed tum maximè, vt ipsam à peccato originis vēdicemus. Nam cum præstantissima causa, propter quam Virgo ab eo peccato immunitatem adepta est, Dei maternitas sit: non prius sanè hæc immunitas illi præparari debuit, quam ad eam dignitatē electa fuisset. Nam si dicamus prius ad gratiam, deinde verò in Matrem Dei electam fuisse, fateri etiam oportebit, primam sanctificationem, & præseruationem à peccato originali non ideò illi concessam fuisse, quia Mater Dei futura erat, quandoquidem necdum Mater futura prǫuidebatur. Quod si illam Matrem suam futuram necdum præuiderat Deus, quo nomine, aut titulo illā à communi lege liberam, & immunē esse iuberet? Nullo profectò. Ergo iuxta hanc sententiam dignitas matris prius menti diuinæ se se obtulit prǫuidendam, & ob hanc, & propter hāc reliquis donis, & beneficijs Mariam cumulare decreuit, quæ dignitatem illam decebant.

5 Sed rationem istam vrgeamus: non solùm enim probat Mariam prius in Matrem Dei prædestinatam, quàm ad alia dona supernaturalia, & gratuita electam: verumetiā ex præuisione, & prǫfinitione illius dignitatis naturalia omnia, quibus reliquos homines facilè superauit, eidē præparata fuisse. Hæc sunt, pulchritudo corporis eximia, quatuor item qualitatum præstantissima temperies, ex qua sanitas, & valetudo in corpus, & in animum nobiles propensiones, atq; impetus promanare solent. Nihil enim ex his, quæ ad perfectionē naturalē, tam corporis, quàm animi complēdam idonea sunt, in Virgine desideratū fuisse certo certius est. Sed hanc perfectionē naturalē quo nomine obtinuit? Non alio sanè, nisi quia Matrē Dei ita decebat: ergo propterea illi donata fuit, quia Mater Dei futura erat: atque adeò prius apud se statuit Deus illam parentem suam fore, quam vt eam tali perfectione condecoraret. Quid inde? Sanè inde fit electionem Virginis in Matrem Dei non modo alia dona supernaturalia, & gratuita, sed etiam naturalem eiusdem generationē, & formationē præcessisse in intentione Dei: nam cum omnis accidentaria perfectio, substantiæ perfectionē sequatur, & ab illa fluat, vt Virgo accidentariam illam perfectionem connaturali modo haberet, præstātiori vtiq; substātia donari debuit. Ex quo fit ipsius etiā substantiæ naturalem habitudinē, & præstantiā ad maternitatē Dei ordinatam: imò propter ipsam maternitatem factam, atq; formatam fuisse: atq; adeò maternitatem prius in mente, atque intentione Dei fuisse.

Itaq; decreta hoc ordine conformāda esse dicunt. Primo Deus nasci ex Matre efficaciter constituit: deinde ex hac intentione Mariam condere decreuit ea substantiali perfectione, quæ perfectissimam qualitatum temperiem exposceret, & ex qua absolutissima pulchritudo, & valetudo, ac nobilissimæ aliæ propensiones profluere possent. Deinde hanc fœminam, quod ad naturalia spectat, perfectissimam, & absolutissimā ad gratiam, & ad gloriam elegit. Et quidem ex hoc ordine ad tuendam Virginis Immaculatam Conceptionem validum argumentum depromitur. Nam si Deus ex efficaci intentione sibi Matrem condendi, Mariā non tantū quoad modum, sed etiā quoad substātiā decreuit: qui fieri decuit, ne dicā, potuit, vt in ipsa formatione substantiæ, culpæ originali locum faceret? Alienū enim omnino videtur à Dei prouidentia, vt quam semel parentem suam fore certo decreuerat, eandē in peccatum labi acquiesceret, aut permitteret. Et (vt dicā, quod sentio) non ita profectò indecorum esset lapsam prius ad maternitatē simul, & ad gratiam eligere: sic enim nulla maternitati iniuria fieret, siquidem tunc ea, quam peccati labe cōmaculari, & dǫmonis seruituti mācipari permitteret, necdū futura præuidebatur Mater: at verò electam iam efficaciter in Matrē ex permissione labi, à Dei prouidentia, & ab ipsius maternitatis decentia prorsus abhorret.

Tertiò Suarez in ea decretorum serie, quam ipse cōmentus est, in tertio signo creaturarum aliarum conditionem secundum esse naturale constituit, vt tam Christi, quam Mariæ imperium sustineant: ex quo imperio infra cap. 32. Virginis immunitatem à culpa originali non obscure deducemus. Nunc verò aliquid subijciam, quod necessarium videtur, vt imperium istud Mariæ sartum, tectumque sit. Quia vt in c. 8. Prouerb. ver. 15. longa oratione confeci ad illa verba. *Per me Reges regnāt.* Virgo Deipara iure maternitatis Dei, creaturarum omnium imperium adiuit, quod tùm rationibus, tum etiam locupletissimis Sanctorū Patrum testimonijs perspicue monstraui: eiusque regnum non improprium, aut metaphoricum, sed legitimum, naturale, verum, ac proprium esse ibidem docui, ex eo, quia dignitas omnis, ac potestas filij iure naturæ ad Matrem redibat. 6 *P. Suarez.* *Prouer. 8.*

Quid inde? Sanè inde fieri videtur, Virginem non prius creaturarum omnium Reginam, & Dominam creatam, & nuncupatam fuisse, quam Christum, vel vtero suscepit, vel enixa est: atque adeò nullum ex hoc eius regno, ad eam à peccato originis vendicandam, solidum argumentum duci posse videtur. Regnum enim hoc post incarnatio-

nem

nem Christi, cum ipsa simul Matris dignitate ipsi capessere licuit: atque adeò ad conceptionem mundandam, tam longo interuallo ante ipsam incarnationem haud satis esse videtur.

Hæc aliquis forsan obijcere posset: tamen ex superiori doctrina huic difficultati facile occurretur. Ita enim planè fatendum est, Virginem Deiparam iure maternitatis regnum adeptam fuisse: nihilominus tamen eius imperium ab ipso Conceptionis instanti esse aucupandum. Suadet hoc præclarum testimonium D. Petri Chrysol. in serm. 142. de Annuntiatione ad illa verba, *Ne timeas Maria. Antè* (inquit) *causa dignitatis Virginis annunciatur ex nomine: nam Maria Hebraico sermone Latine Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, vt dominatoris genitricem trepidatio deserat seruitutis, quam nasci, & vocari Dominam, ipsa sui germinis fecit, & imperauit authoritas.* Itaque Chrysol. qui regnum Mariæ ex maternitate etiam aucupari videtur, putat huius imperij initia ab ipsius Mariæ natiuitate repetenda. Et rationem sibiungit, quę non solùm à natiuitate, sed etiam ab ipso conceptionis articulo deriuanda esse planè demonstrat: *Quam nasci, & vocari Dominam ipsa sui germinis fecit, & imperauit authoritas.* Futuri videlicet germinis authoritas, & maiestas tanta erat, vt parenti suæ regnandi ius non modo in sua Incarnatione, sed iam olim ab ipso dederit maternæ conceptionis articulo.

Pet. Chrysolog.

7 Ratio verò sic habet: quia filius, verbi causa, qui in bonis paternis iure hæreditario succedere debet, antequam hæreditatem ipsam capessat, bonorum paternorũ dominus appellatur non alia ex causa, nisi quia certum, & constans ius, quod ad eiusmodi bona habet, illum iam inde ab initio, antequã illa adeat, eorum dominum constituit, ac denominat. Hùc spectat illud Pauli ad Gal. 4. *Dico autem quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium: sed sub tutoribus, & authoribus est vsque ad præfinitũ tempus à patre.* Quod non modo in filio, cuius pater vita functus est, atque adeò sub tutoribus agit: sed etiam in filio, viuente patre, verum esse docet Aristotel. in Ethic. lib. 5. cap. 6. ibi enim ait filio, atq; patri æquale ius imperij, ac dominij à natura euenire, quamuis filio eo iure vti non liceat, quandiù sub patria potestate existit. Ratio autem est, quia certum, & constans ius ad hæreditatẽ paternam verum illius dominum filium constituit, antequam illam capiat, vt nuper dixi. Ita fert cõstans iurisperitorum sententia: omnes enim docent filios dici dominos bonorũ paternorum [illegible] viuente patre, asseruntq; continuari dominium filij demortuo patre, non autem denuò inchoari, ex leg. *In suis* de Liberis, & Posthumis, & leg. *In suis*, de suis, & legit. hæred. & consectarie dicunt filium Regis, patre superstite, etsi no habeat regni administrationẽ, tamen Regem, & Augustũ rectè appellari propter certam spem regni. Sic Glo. in l. *Cum hæreditas*, Cod. de Posthumis. Ergo cum constet ex dictis Mariam ex decreto Dei efficaci prius in matrem Dei electam, quàm eius natiuitas, aut conceptio præuideretur: fanè inde fit, cum ab ipso conceptionis instanti certum, constans, ac minimè reuocabile ius ad regnum habuisse: nam si electio ab hominibus facta ius ad regnum tribuit, electionẽ diuinam longe certius, ac verius ius ad regnandum, & imperandum præbere necesse est. Quapropter sicut spes, & ius certum ad bona paterna filium eorum dominum constituit: sic etiam certum, & inuiolabile ius regnum per ipsam Dei maternitatem denique capessendam, Mariam iam inde à conceptionis articulo Reginam, & Dominam creaturarum omnium efficiebat. Atque id sibi voluit Chrysologus, cum dixit: *Quam nasci, & vocari Dominam, ipsa sui germinis fecit, & imperauit authoritas.* Chrysol.

Ad Gal. 4.

Aristot.

8 Cum igitur Mariæ imperium in creaturas omnes ab ipso cęperit conceptionis articulo: fanè inde efficitur ipsam eo nomine à peccato originis immunem fuisse ob rationes supra cap. 3. adscriptas. Tum etiam quia absurdum esset dicere, Mariam Deiparam iam tunc in ipso suæ Conceptionis instanti creaturarum omnium supremam potestatem habuisse, quam efficax electio in Matrẽ Dei illi donabat: & in eodem instanti, peccato, & culpa non vacasse, quæ illam Deo inuisam, & ipsius culpæ seruituti mancipatam redderet: id enim à Dei prouidentia plurimum abhorreret. Imò potius fieri non poterat, vt Virgo creaturarum omnium Regina, & Domina, atque peccato originali simul infecta esset. Nam cum homo ab initio omnis creaturæ corporeæ imperium suscepisset, iuxta illud: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra*: certè imperium hoc per originalis culpæ labem amisit: vbi enim homo lapsus peccati, mortisque regnum sustinuit, omnis pariter creatura corporea ipsiusmet hominis imperium detrectare, & iugum excutere actutũ cœpit. Hæc autem imperij iactura nunquam deinceps instaurata, & reparata est: nam licet postea homo per regenerationem gratiam, & iustitiam recuperauit: amissum tamen per originalem culpam regnum in omnes creaturas corporeas vlterius non recepit. Nihil certius. Si ergo creaturæ irrationales, & degeneres hominis peccato originali contaminati imperium meritò detrectarunt, potiori ratione omnes aliæ rationales, & ingenuæ creaturæ, quas etiam præfato ex iure Virgini seruire decreuimus, eodem nomine MARIÆ regnum nequaquam Genes. 1.

latineret, nō solùm quandiù ipsa illi crimini mancipata fuisset: sed nec posteà cū accepta gratia, & iustitia peccati maculam eluisset. Quapropter inde fieret Virginem Deiparam in suæ Cōceptionis instanti, & deinceps creaturarū omnium Reginam pariter fore, ac nō fore: nam præuia illa in Matrem Dei electio ipsam cœli, ac terræ Reginā verè, ac propriè constitueret, vt nuper diximus, & peccatum originale omni regnandi iure prorsus exueret, quod absonū planè videtur. Sed de Mariæ Regno, & de huius rationis momēto fuse nobis agendum infrà cap. 31.

9 *Epiphan.* Quid plura? D. Epiph. in ser. de Laudib. Mariæ, illam *Cœli, terræq; mysterium appellauit:* vulgò, *Cifra del cielo, y de la tierra.* Quia nimirū, vt diximus ad Prouerb. c. 8. ver. 30. omnes cœli, ac terræ creaturas, veluti cōpendio quodam in se continet, quatenus cūctas ipsarum perfectiones, & excellentias eminentissima quadam ratione claudit: vide ibi plura. Certè cū ex dictis constet Virginem Deiparam ante omnes creaturas prævisam, electā, & prædestinatam à Deo fuisse: inde sanè fit creaturas omnes sic à Deo cōditas, prout in Maria cōtinebātur, atq; ea demū perfectione donatas, cuius vel similitudinē, vel vmbrā aliquam prælusera, & præuiderat in Maria quasi in quodā expressissimo illarū typo, & exemplari.

10 *Genes. 1.* Sed quid inde? Sanè duplex creaturarū status, & conditio fuit: alia fœlix ante culpā, de qua dictū est Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erāt valde bona:* alia infœlix, & misera post culpā traducis, de qua sic August. de Gen. ad lite. *Vidit Deus post peccatū cuncta, quæ fecerat, & erant valde mala.* Quia nimirū culpa rerum omniū cōditionem vsq; adeò læserat, vt ex bonis mala prorsus faceret. Si ergo Adami peccatum ad posteros traductū creaturarum extra se omnino existentiū conditionem vsq; adeò violauit, vt illas ex valde bonis valde malas prædicta ratione reddiderit: si Virginē Deiparā eodem crimine obstrictam fuisse dicamus, fateri oportebit creaturarū statū, & conditionē in ipsamet Virgine ad eum modum existentiū longè deterius læsam, & violatam fuisse: atq; adeò prius in Maria, ac per Mariā creaturas malas valde, quam bonas, prius miseras, quam fœlices fuisse, longè alia ratione ab ea, qua in se ipsis substiterunt: vt pote quæ prius valde bonæ à Deo ipso denūciatæ fuūt: posteà verò succedēte culpa, in deterius abire permissæ. Atqui nemini non videatur absurdū, hoc illis dare, qui Mariā peccato originali cōmaculatam fuisse docent, in ipsa, & per ipsam omnes creaturas valde malas fuisse, cū constet illam ad reficiendas, instaurandasq; creaturarum omnium ruinas à Deo electam, & preparatam, vt infrà cap. 31. latè dicemus ex Damascen. & Ansel. quorum testimonia ibidem dabimus. Ad hæc fateri cogimur, cum creaturis, quatenus in ipsa erant, deterius quodammodo actum, quam secundum quod in semetipsis substiterunt: nam in se ipsis prius valde bonæ, deinde valde malæ; in Maria verò, si peccato originali locus factus fuisset, prius valde malæ, quam bonæ forent.

In quarto signo constituit Suarez prædestinationem efficacem Angelorum, & hominū ad gloriam, & beatitudinem, quā electioni, & prædestinationi Virginis Deiparæ propterea subiecit, quia existimauit omnes alios, tam homines, quàm Angelos, quemadmodū propter Mariam facti, & conditi, & sua quiq; natura donati fuerūt (vt nuper diximus ex illius sententia) sic etiam propter illam prædestinatos ad gloriam, & electos ad gratiam: quod Virginis dignitatē non parum extollit, quatenus illi non solùm natura: sed etiam gratia ea ratione famulari dignoscitur. Atque inde etiam ad Immaculatam Conceptionē comprobandā non insulsa ratio depromitur: quia si omnes alij tam Angeli, quam homines propter Mariam ad gratiam electi, & ad gloriam præordinati fuerunt: sanè absurdum esset fateri, vel homines digniori, aut nobiliori electione, seu prædestinatione à Deo honestatos fuisse, quàm illam. Nam certissima est cōmunis illa, ac peruulgata dignitas: *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis.* Quapropter cum Angelos, Adamum, Euamq; ad gratiam originalē propter Mariam electos fuisse iuxta præfatam sententiā explicatū sit: sanè ipsam ad eandē gratiam eligi velut à fortiori oportuit: sicut enim gratia, & sanctitas omniū in vniuersum ad gratiam, & sanctitatem Mariæ ordinabatur, sic etiam omnes gratiæ circumstantiæ, & conditiones, ad eandem referri necessum erat. Quomodo autē verum erit dicere eam circumstantiā, originalis, quæ tātopere gratiā Angelorum, & primorū parētum nobilitat, propter Mariam à Deo factā, & inuentam, si in eadem Maria desideratā fuisse affirmemus? Sic enim gratia originalis Angelorum, & protoplastorū, non tam honori esset Virgini, quā dedecori: quatenus ex obiecto formæ oppositæ, eius priuatio in Virgine inhonestiùs, atque indecentius se se proderet. 11

Rursùs (vt nuper dicebamus) ex eo, quia mundus cū omni creaturarū vniuersitate secundum naturalem ipsarū conditionē, & ordinem propter Mariam Virginem factus asseritur, depromant præfati Doctores mundum, & omnes creaturas, earumq; naturales perfectiones in ipsa Maria, tanquam in exēplari, eminenti quadam ratione fuisse: iuxta illud Arnoldi Carnotensis infra citandi: *Maria creaturis constat omnibus: quidquid enim singulis distributor iustus contulit, matri adornandæ cōgessit.* Ratio autē huius assertionis ex præmisso illo axiomate philosophico ducta est: *Propter quod vnumquodq; tale, & c.* Nam si omnis, inquiunt, creaturarum perfectio, & naturalis dignitas propter Mariam à Deo facta, & condita est, oportuit sanè Mariam om- 12 *Arn. Car.*

nem

nem illam perfectionem, & dignitatem pei eminentiã in se cohibere, quæ per illam, & propter illam alijs impertita est. Licebit ergo ad eũdem modum ex eo, quia omnes prædestinatos, & electos, ipsorumq; tum gratiã, tum gloriam propter Virginem Deiparam à Deo factam dicimus, simili ratione affirmare, nullam esse electionis, prædestinationis, necnon gratiæ, atque gloriæ dignitatẽ, quam Virgini inesse inficiari fas sit: imò ipsam cunctis alijs omnis gratiæ, atque gloriæ exemplar extitisse, dicendum est. Atque adeò fateri oportet originalem gratiam, qua Angeli, & primi nostri parẽtes fulserunt, in ipsa præfulsisse, & præluxisse: imò potius ab ipsa tanquam ab exemplari in illos quodammodo fuisse transcriptam, & translatam.

13 In quinto signo subijcit prædictus author Adamum, Euamque primos inter reliquos mortales condi decretos, & vt quemadmodum naturæ, sic etiam gratię caput existeret Adam, cum illo de transfundenda in minores suos gratia pactum à Deo initũ fuisse dicit. Ad hæc, inter Adami posteros Mariã numerat, & in illam etiam transferendę gratię, aut culpæ potestatem in Adamo fuisse, serio affirmat. Ex quo ad illibatam Virginis Conceptionem constabiliendam non infirmũ argumentum deriuari potest. Chrysost. ho. 20. in Epistolam ad Hebręos, postquam premisit Deum Optimum Maximum immanitatis, & crudelitatis quodammodo appellari posse, cum illud Abraham in mandatis dedit, vt filium suum primogenitum Isaac immolaret: tum quia filium ad eum modum sibi mactari non tam veri numinis, quam idoli, fallacisq; Dei, aut dæmonis præceptum videretur (hic enim pro sua in homines sęuitia eiusmodi hostijs se placari sæpius indixit) tum etiam quia facinus hoc promptæ, & expeditæ ad obediendum Abrahami voluntati committens Deus, pueri vitam manifesto discrimini obijciebat. Subdit statim ex eo ab ea immanitatis, & sęuitiæ nota satis purgari, quia presto illi erat Angelus, qui parentis brachium ad cædem extentum, & gladium ceruici minitantem contineret, & voluntatem etiam ad obediendum præcelerem præoccuparet. Liceat ergo mihi simili quadam ratione de Virgine comminisci. Sanè absurdum, & à diuina prouidentia alienum videtur, primo nostro parenti Adamo in Virginem Deiparam Angelorum, & hominum Reginam ius capitis à Deo concedi, necnon fragili eius voluntati tantæ dominæ salutem, gratiamque ex pacto permitti: nisi Deus etiam præuideret in potestate sua esse illam ab impendenti parentis sui culpa ereptam in gratiam originalem vendicare: quia nimirum præsto sibi aderat noui testamenti Angelus, & eiusdem Virginis filius Christus Dominus, qui protoplasti culpam iam iam in illam decidũã propulsaret, & auerteret. Itaque Virginem Deiparam Adamo ceu capiti ad transfusionem gratiæ, aut culpæ subditam fuisse, eandem à culpa immunem perspicuè probat: quatenus non aliter transfusioni culpæ prioris, & tanto discrimini tantam Virginem subijci decebat, nisi vt tandem aliquando ab eo crimine, & discrimine asserta, eius, qui illam asseruerat, potestas se se proderet.

Denique in sexto diuinæ prædestinationis signo constituit Suarez permissionem primi peccati, additque ob parentis culpam cunctam illius sobolem, atque adeò Virginem Deiparam originali peccato obnoxiam, atque debito illius contrahendi obstrictam fuisse: quia non aliter ipsam à Christo redimi potuisse existimat. Cæterum quia de hoc debito longam satis quæstionem infrà à cap. 15. suscipere est animus, propterea hic, alijs prætermissis, tantummodo dixerim ex ipsomet debito, & vinculo, quo Maria Virgo erga culpam originalem obstringeretur (siquidem certum esset ipsam eo debito teneri) eiusdem immunitatem non obscure comprobari posse. 14

Nam constans est naturæ ipsius lex, vt filij parentum indigentium penuriam subleuent, eorumque debita suis ipsi facultatibus dissoluant, quãdo ipsi soluẽdo non sunt: adeò vt non tantum bona filiorum externa, sed ipsæ illorum personæ leuandæ parentum indigentię addictæ sint: quãdoquidem integrum est nonnunquam parentibus filios etiam venundare, vt cum aliunde non suppetit, inde viuant, & debita sua diluant. Quapropter si Mariam Christi Matrem, peccato, mortique debitricem cum premissis Doctoribus faciamus (ita vt debitum hoc per semetipsam declinare nequiret) fateri etiam oportebit filij bona, imò etiam ipsam filij personam ad hoc debitum diluendum strictè teneri, antequam seueri illi, alijque ineuitabiles creditores, peccatum, & mors, velut expleto termino, ad executionem venirent. Et quidem ita factũ: nam pendente huius debiti termino, tunc scilicet cum Adami peccatum in posteros imminebat, & originalis culpa ad executionem ex Dei permissione per vniuersalẽ propagationem necdum venerat, Christus Dominus Matris suæ debitum meritorum suorum pretio compẽsans, ipsam à communi iniuria vẽdicauit: reliquos verò homines morti, & culpæ tanquam executori permisit, vt illos posteà non tantum à debito contrahendi: sed etiam ab ipsamet culpa iam contracta redimeret.

Nec mirum si in matrem profusior extitit, quam in alios: nã alij debitores Deo per omnia sumus: matri verò Deus ipse debet. Sic enim habes apud Bernar. *Tibi autem etiam ille debet*: nihil autem magis debitum parenti, quam gratia, amor, & beneuolentia. Quapropter cum nihil alijs debeat Deus, quidquid in ipsos agit, meræ liberalitati tribuendum 15

Chrysost. — Bernar.

est: liberalitas verò nullis legibus adalligari potest. Cũ verò Christus parenti suæ debitor sit, erga illã arctiori vinculo tenetur. Id verò exemplo aliquo manifestum fiet. Est nimirum aliquis, qui alteri duo millia debet stato tempore soluenda: rursus hic, qui duorum millium creditor est, alteri eandem, aut minorem quantitatem, eodem prorsus tempore, & ex his, quæ ab altero habiturus est, pendendam debet. Puta ergo priorem illum debitorem ab exactore, vel executore ad soluendum cogi: sanè si posterior debitor soluere cum possit, in mora sit, ad damna vtique tenetur priori debitori illata, & illorum quodammodo reus est. Quorsum hæc? Virgo quidem Deipara ob peccatum primi parentis morti, & culpæ debitrix ab ipso suæ præfinitionis instanti facta erat: rursus ipsa ab eodem instanti, in quo ad maternitatem Dei efficaciter electa fuit, Christi filij sui creditrix facta est, eumque amoris, & gratiæ debitorem fecit. Cogita ergo mortem, & culpam originalem ad executionem illius debitoris sibi obligati, scilicet Mariæ, iam iam venire, vt hæreditariam labem in illam transfunderent: si ergo tunc posterior debitor, nempè filius, quem matri suæ omnia debere supra diximus, in mora esset, nec Virgini amorem, & gratiam, quam debebat ab eo instanti, quamprimum impenderet, per quam ipsa sui creditoris, scilicet culpæ originalis debitum euacuaret: sanè istius damni filius ipse quodammodo reus esset. Quod ab illius summa integritate alienum est. Absit ergo vt dicamus Christum in mora fuisse, ita vt ad modicum instans debitam matri sui amoris, & gratiæ pensionem distulerit. Merito igitur diximus ex debito illo, quo Virgo erga peccatum originale obstringebatur, eiusdem Immaculatam Conceptionem aliquo modo euinci posse.

Denique duo alia signa, quæ ab illis Doctoribus subijciuntur: septimum scilicet, quo posteris Adami peccato originali obnoxijs antè præuisis, Christus in carne passibili prædestinatus: & octauum, quo Maria ex eiusdem Christi meritis à peccato originis seruari decreta dicitur: propterea sic ordinantur, vt Virginem à Christo redimi, & ex eius meritis immunitatem illam à peccato originis assequi potuisse constet, & eorũ refellatur sententia, qui aliter decretorum Dei signa subordinantes, præseruationem Virginis impossibilem esse pronunciant. Nam si illud constiterit, Mariam ex Christi Domini meritis à peccato originis vendicari potuisse: seruatam vtique re ipsa, & assertam nullus inficiari audebit. In his enim, quæ ad Mariæ dignitatem spectant, legitima est cõsequutio, quæ sumitur à potentia ad actum. Quandoquidem ipsa ait. *Fecit in me magna qui potens est*, id est, ex eo in me magna omnia, & excelsa fecisse comprobatur, quia potens est. Quasi dicat: eorum, quæ in me præstitit, & mihi donauit, nulla certior mensura est, quàm ipsius omnipotentia, & decentia. Sed quia horum duorum signorum constitutio, & conformatio eadem est cum illa, quam adstruunt illi, quotquot prædestinationem Christi Domini post præuisionem peccati constituunt, siquid gloriæ, & decoris ex illa in Virginem redundat, dicam infra c. 14. 16

SVPERIOR MODVS, QVO Virginis electio asseritur ante creaturas, & eius Immaculata defenditur Conceptio, rationibus euertitur.

CAP. VI.

1. *Christi humanitas, & Verbi incarnatio, in decretis Dei priorem locum non obtinet.*
2. *Virgo Deipara, nec in secundo instanti, nec ante peccatum præuisum prædestinata est.*
3. *Id ex efficacia meritorum Christi probatur.*
4. *Prima Patris Suarez responsio infirmatur.*
5. *Secunda eiusdem argumenti solutio reuincitur.*
6. *B. Virgo priùs ad gratiam, quàm ad maternitatem electa est.*
7. *Superioris sententiæ fundamentum euertitur.*
8. *Antequam Christus præuideretur futurus in carne passibili, illi matrem deligi necessum non erat.*
9. *Nullos ad gratiam, aut gloriam prædestinari ante*

ante prauisionem peccati, & Christi passibilis, requirit efficacia meritorum, ex quibus gratia, & gloria in tempore confertur.
10. Adamum humani generis caput non decuit institui, si B. Virginis ad maternitatem, & regnum praecessit electio.

I  VAMVIS Ex superiori sententia, & decretorum praescripto ordine multa in Virginis laudem encomia deriuare liceat, tamen ea mihi numquam probari potuit. Quapropter singula decretorum signa iterù percurrens, quidquid in ipsis displicet, compendij studiosus aperiam. In primo igitur signo decretorum Dei incarnationem Christi, quod attinet ad substantiam, & eius proprietates, quæ illam per se comitantur, via intentionis efficaciter præfinitam esse docent præscripti Doctores. Quam positionem multis scripturæ, & Patrum testimonijs, validissimisque rationibus subuertit Pater Vazquez. in 3. part. disp. 10. per totam: quibus ego tantum tribuo, vt putem eos, qui Virginis immaculatam Conceptionem non aliter defendi posse docent, nisi Christi prædestinatio ante præuisionem primi peccati præmittatur, suam opinionem difficilem valde reddere, & quæ vix sustineri possit. Sed tamen, vt ea, quæ ad prædestinationem Christi pertinent, missa faciam, eorundem sententiam, quatenus Virginis prędestinationem ante peccati præuisionem in secundo signo decretorum Dei constituunt, vnica ratione conuellere conabor.

Vazquez.

2 Præmittere autem opus est, tam Virginē, quam alios omnes, quotquot ad vitam æternam præordinati sunt, non modo ex Christi meritis gratiam, & gloriam in executione obtinuisse, sed etiam in ipsa intentione propter eadem merita prædestinatos, & electos. Suadet hoc Paulus ad Ephesios 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti:* Atque iterum. *Prædestinauit nos in adoptionem per Iesum Christum.* Et 2. ad Thimot. 1. *Vocauit nos vocatione sua sancta: non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia.* Ita sentit ipsemet Pater Franciscus Suarez 1. part. lib. 2. cap. 24. de causa prædestinationis à numer. 13. Vbi absolute docet, non modo donationem gratiæ, & glorię, sed etiam voluntatem illam æternam, qua Deus gloriam efficaciter optat prædestinatis, & quam ipse Suarez aliàs respectu prædestinatorum liberalem esse decernit, meritis Christi attribui. Quod vsque adeò verum esse credo, vt oppositum censura aliqua dignum sit: quia si voluntatem illam efficacem beatitudinis nostræ, quę ex illorum sententia nostræ prædestinationis initium dat, & quæ non potest non effectum sortiri, Christi promeritis subtrahere liceret: vix aliquid illis me debere putarem, quandoquidem illa voluntas efficax, etiamsi Christi nulla merita intercederent, vtcumque executioni mandata foret.

Ad Eph. 1

2. ad Timoth. 1.

P. Suar.

3 His præmissis, positionem nostram ratione fulcire aggredior. Quia si electio Virginis efficax, ad maternitatem, & ad gloriam, ante præuisionem absolutam culpæ, atque adeò ante prædefinitionem Christi passibilis facta fuisset, sane Virgo ex Christi meritis eligi, & prędestinari non potuisset. Dixi consultò, *ante præuisionem absolutam peccati:* Quidam enim vt defendāt Virginis electionem ante præuisionem peccati, ex vna parte, & eam ex Christi meritis electam fuisse ex alia, ad scientiam conditionalem se recipiunt, asserentes ante Deiparæ electionem peccati conditionalem præcognitionem, & Christi etiam passibilis præuisionem sub conditione præmitti oportere. Cęterum hunc scientię conditionalis vsum, quo alij ad defendendam electionem efficacem ad gloriam ante nostra ipsorum merita abutuntur, pereleganter confutat Pater Vazquez 1. part. disp. 91. vbi eos ad Massiliensium doctrinam compellit, contra quam validissime depugnauit Augustinus. Ratio autem est luculenta, quia electio non potest esse efficax, & absoluta ex meritis, si merita sint conditionalia: nam cum electio fiat propter merita, certe meritorum conditio in electionem ipsam ita transeat necesse est, vt ipsam conditionatam efficiat: vel absolute dicendum ipsam ex meritis minime pendere. Quapropter si in ordine absoluto Virginis efficax electio Christi merita præcurrit, sane fateri oportet ipsam absolute sine Christi meritis ex Dei liberalitate electam fuisse.

P. Vazq.

Suarez ergo vt sibi per omnia concors sit, iuxta ea, quæ docet 1. part. loco citato, de alijs prædestinatis, illi argumento duobus modis occurrere potest. Aut enim dicet *Virginis electionem in eo signo factam propter merita Christi in vniuersum præuisa, neque includendo, neque excludendo passionem, quatenus esse possunt in quolibet opere talis personæ.* Vel aliter docebit *præfata merita præuisa fuisse, vt fundata in eximio amore Christi, qui amor in carne passibili haberi poterat, per quem de facto Christus nobis meruit, & non tantum per opera passionis, quamuis per hæc fuerit redemptio consummata.* Hęc illius nō modo sententia, sed verba. Vtraque tamen responsio, (vt dicā quod sentio) argumenti nostri vim nequaquam elidit. Non vtique prima, quia Deus merita Christi nō cognoscit in vniuersum, sed sigillatim, & in particulari, vt in se sunt. Nam cognitio abstractiua rerum vniuersalium ex imperfectione intellectus nostri prouenit, atque adeò in diuinam men-

4 P. Suar.

tem

tem cadere non potest. Ergo propter merita Christi in vniuersum nihil decernit: voluntas enim eius non potest in incognitum moueri. Quapropter sicut nulla fuerunt merita Christi in singulari, quæ neque includerent, neq; excluderent passionem: ita etiam, neq; mens diuina illa cognoscere, neque voluntas ad aliquid decernendum ex illis adduci potuit.

5 Secunda vero solutio difficultatem similem includit. Primo, quia nullum actum meritorium, vtrique statui passibilitatis, & impassibilitatis communem in Christo fuisse, vero similius est. Nam si quis maxime, certe actus amoris Dei: hic autem, si absolute consideretur, quatenus ferebatur in Deum, non erat libertati Christi subiectus, sed necessarius, atque adeò nec meritorius, vt communior fere Theologorum sententia. Si vero ad peculiarem materiam referatur, in qua Christi voluntas, ex complacentia Dei aliquid libere, ac meritorie præstabat, vix aliqua excogitari potest, quæ statum passibilitatis non concernat. Secundò, aliquod Christi pro nobis meritum fuisse, quod passio ipsius non perfecerit, ac consummauerit, à cõmuni Theologorum, & Patrum consensu abhorret, & ab illis Pauli verbis plurimũ abit,

Ad Heb. 10. ad Heb. 10. *Vna enim oblatione cõsummauit in sempiternum sanctificatos.* Denique aures ipsas non parum lædit dicere Christum propter nostram electionem, & prædestinationem, neque passum, neque mortuum fuisse. Et quidem si ita se res haberet, vt iusti ante Christi passionem præuisam, ad gloriam, & beatitudinem efficaciter electi forent, certè passioni, & morti Christi vix aliquid deberẽt: cum Christo etiam minime vel patiente, vel obeunte, ex vi illius electionis efficacis eam gloriam consequi illos necessum foret, ad quam efficaciter præordinati erant.

6 Non solum autem prędicti authores in eo à veritatis scopo aberrarunt, quod Virginis efficacem electionem ad gloriam ante præuisionem peccati, & passionis Christi constituunt: sed in eo etiam, quod ipsius electionem efficacem in Matrem Dei ante electionem eiusdem ad gratiam, & ad gloriam, præmittendam censuerunt. Hinc enim duo sequuntur perabsurda incommoda: alterum est Christum Mariæ eam electionem in Matrem suis promeritis nequaquam obtinuisse, quod eisdem rationibus conficitur, quibus superior thesis comprobata est. Alterum, ipsam sibi Matris dignitatem minime promereri potuisse. Quia si Virgo Deipara prius efficaciter in Matrem Dei electa est, quàm eius merita præuiderẽtur, nõ potuit sane illa dignitas ipsi ex meritis donari. Nã id, quod ex meritis donatur, ex meritis præfiniri necessum est, vt erudite non modo probat,

Vazq. sed etiam euincit Pater Gabriel Vazquez. 1. par. disp. 91. & 3. part. disp. 23. qui cum alias fœliciter, nullibi sane fæliciùs, quam in his duabus disputationibus mihi versatus videtur. Cuius omnes rationes, & argumenta ad hanc nostram positionem probandam transferre valde procliue est.

Cæterum, vt constet eam rationem, qua Doctores isti adducti sunt, vt Mariam Virginem siue ad matris dignitatem, siue ad glo- 7 riam ante sua vel Christi merita efficaciter electam fuisse affirment, imbecillem esse, atque infirmam. Certè non in alio, quam in celebri illo principio nituntur, quod omnis efficax electio mediorum efficacem finis intentionem supponit, ac præmittit. Atque adeò, cum Deus propterea Christum pati, & emori iusserit, vt Virginem ac beatos omnes prædestinaret, ideoque ipsammet Virginem ad eam gratiæ, & gloriæ mensuram euexerit, quam denique obtinuit, vt digna Dei mater existeret, fieri nequaquã potuisse credunt, vt non etiam Virginem prius ad gloriam, & ad matris dignitatem efficaciter elegerit, quam Christi mortem, & passionem, & ipsiusmet Virginis vitam, actionesq; præuiderit.

Cæterum Doctores isti (mea quidem sententia) cum docent Virginis, & aliorum beatorum primam electionem ad gloriam per Christi merita quomodolibet factam, suo ipsi gladio se iugulant. Nam cur obsecro Deus voluntatem Christi excitauit gratia sua, & efficaci auxilio, vt merita illa, qualiacunque sint, vel in vniuersum considerata, vel ab vtroq; statu passibilitatis abstrahentia, illis potissimum applicaret, & accommodaret, quos pater denique elegit? Sane cum hæc excitatio voluntatis Christi medium sit efficaciter volitũ, in eorũ sententia, ex priori aliqua efficaci voluntate finis manare debuit. Atqui hæc alia esse non potest, nisi illa, qua Deus hos potius, quam illos saluos esse voluit. Ergo vel dicendũ est eã voluntatem esse inefficacem, ac simplicẽ, atq; adeò Deum ex voluntate simplici ad efficacem electionem mediorum moueri: aut si vere efficax sit, eam sub Christi merita minime cecidisse. Quapropter satius erit fateri nullam in Deo efficacem voluntatem, vel circa matris dignitatem erga Mariam fuisse ante præuisionem passionis Christi, & ante ipsius Virginis merita præcognita: sed omnem, quę eiusmodi præcognitiones antecessit, fuisse simplicem, & inefficacem, vt infra, cap. 23. latius explicabimus.

Ad hæc, non satis capio, quo fundamento 8 Doctores isti affirmauerint, Virginem statim post Christum ante præuisionem culpæ prędestinatam, & electam in matrem. Nam sublata de medio culpa, quæ morti Christi, & statui eiusdem passibili occasionem dedit, nulla ratio subesse videtur, ob quam Christus paruulus, & infans fieret: hæc enim sunt imperfectiones naturę, quas nequidquam,

quam,& sine vsu aliquo, tunc Christus susciperet. Si enim Adamus in virili,& perfecta ætate à Deo conditus illas naturæ imperfectiones vitauit, cur non etiam potiori iure Christus ab eisdem liberandus foret: ita vt Deus illum virum perfectum ab initio suæ conditionis esse iuberet, vt alias naturæ iniurias ignoraret? Atque adeò in eo casu, & euentu matre nequaquam indigeret.

9 In tertio signo, mundi, & creaturarum omnium molitionem, & conditionem propter Christum, & matrem eius Mariam constituit Suarez: qua in re cum suis principijs cohærentia dicit. In quarto item signo omnium prædestinatorum efficacem electionem locat: sed tamen dum hanc electionem ante præuisionem peccati, & Christi passibilis precognitionem præponit, ad eadem absurda,& incommoda compelli potest, quę de præuia illa Virginis electione ad gloriã, & ad dignitatem matris Dei nuper adscripsimus: quod nimirum neque merita Christi in electionem, neque etiam ipsorum promerita in gloriam efficaciam aliquam sortiri possent: atque adeò in hunc etiam locum transferri debent.

10 Quintum autem signum decretorum Dei sic conformat prædictus author. In hoc (inquit) instanti Adamum, atque Euam primos inter reliquos homines condere constituit Deus, vt ab his totum genus humanum, cum Maria simul suam originem recenseret: & vt naturæ simul, & gratiæ caput existeret Adam, de transfundenda in minores suos gratia pactum cum illo initum fuit. Huius signi cum superioribus concordiam difficilem admodum esse puto. Si enim iam tunc Christus, & Maria ex decreto Dei futuri erant, quid tandem causæ subesse potuit,vt dignitas capitis ad gratiam deriuandam Adamo, & non potius Christo,aut matri deferretur? Quorsum Maria subderetur Adamo, ita vt per ipsum gratiam habitura esset, cum ipsa potius ex iure illo, quod ipsi matris dignitas deferebat, Adami ipsius, atque aliorum non tantum hominum, sed etiam Angelorum caput, & Regina esset? Tum vel maxime quia præfati authores Adamum, Angelos, homines, & cunctas alias creaturas propter Mariam à Deo conditas fuisse volunt, ea lege, vt omnibus Virgo ex iure imperitaret. Atqui ius hoc, & imperium nequaquam Virgini euenire poterat ratione suæ naturæ (hæc enim per se inferior Angelis erat) gaudebat igitur eo iure ratione gratiæ,atque adeò imperium illius,& regnum in eo genere propagari oportebat. Absurdum ergo est dicere Reginam subdito tradi,& permitti, vt per ipsum gratiam illam haberet, propter quam ius regnandi tam in ipsum, quam in omnes alias creaturas,illam obtinere oportebat.

Mihi sane hæc à diuina prouidentia adeò aliena videntur, vt ea solum ratione eorum sententiam facile euerti putem,qui Virginis prædestinationem ante præuisionem peccati premittendam putant. Nisi ad eam opinionem se recipiant, quæ tradit, Virginem à communi pacto gratiæ per Adamum transfundendæ exceptam, atque adeò hominem in ipsam nullum capitis ius habuisse, de qua dicemus capite sequenti. Vbi rationes dabimus, quibus id confici videtur, & quibus superioris sententiæ fundamenta quatiũtur, atq; huius quinti signi cõstitutio refellitur.

Denique sextum, septimum, & octauum signum decretorum Dei iuxta ea,quæ authores isti dicunt,cõmunes difficultates habent cum alijs sequentibus sententijs,atque adeò de his infra,cap. 14. & 15.

SENTENTIA CATHERINI, ET Galatini circa seriem signorum, quibus decreta Dei subordinãtur ad defendendam Virginis electionem ante omnem creaturam, & immaculatam Conceptionem.

CAP. VII.

1. Sententia Catherini circa immunitatem Virginis à debito incurrendi peccatum proponitur: sed nec vna, nec sibi coherens videtur.

2. Catherinum exponit P. Vazq. Sed eius mentem non videtur tradere.

3. Cather. de debito proxime, & remoto exponẽdus: sed perperã à recentioribus accipitur.

4. Vera

4. *Vera Catherini expositio.*
5. *Galatinus Virginem ante omnes creaturas electam sensit, & specialia decretorum instantia commentus est.*
6. *Virginis ad maternitatem, gratiam, & gloriam electio, Adami, & creaturarum omnium praedestinationem praecedens, eam à communi lege, & pacto excipit.*
7. *Gratia, quae ante praeuisum Adamum Virgini est destinata, non potuit ex pacto ab Adamo constituti dependens.*
8. *Idem probatur ex efficacia meritorum, & prouidentia Dei.*
9. *Rursus ex dignitate matris Dei, & Reginae vniuersorum.*
10. *Regia dignitas in Maria iure suo exigit, vt communes subditorum leges ignoret.*
11. *Virginem liberam esse à peccato, non ex priuilegio, & legis dispensatione, sed genuina ingenuitate, mirificè decet Mariae dignitates, & munia.*

1 ROPTEREA Doctissimi, ac grauissimi Patris Francisci Suarez de hac re sententiam ante alias praemisi, quia sapientissimus iste Doctor inter eos, qui praedestinationem Christi, & Mariae ante peccati praeuisionem defendunt, totum ordinem decretorum Dei absolutissime dedit, atque adeò, qui eum ordinem recte mente sua tenuerit, aliorum sententias facilè assequetur, si vnde, & quantū singulae à praemisso ordine desciscant, probe animaduerterit.

Catheri. Ergo Catherinus in quatuor prioribus signis statuendis omnino conspirat cum Suarez. In quinto autē, in quo pactū cū Adamo initum diximus de transfundenda in posteros gratia, ab illo discedit: sed tamen de eius mente, non eodem modo sentiunt interpretes: nam quaedam sibi aduersantia docere videtur. Quippe qui in opusculo de peccato originali, cap. vlt. §. *Vere, & octauo.* plane affirmat Virginem Deiparam à communi pacto exceptam fuisse, atque communem cum reliquis Adami posteris causam minime habuisse. Et rursus in disputatione pro immaculata Conceptione, saepè, ac saepius docet eandem peccato originali obnoxiam, & incurrendi debito obstrictam fuisse: sed tum maxime, lib. 2. c. 2. Quae duo interse nequaquam cohaerere videntur: nam si commune pactum transfusionis Maria minime ingressa est, fateri etiam oportet à debito contrahendae culpae prorsus immunem fuisse.

2 P. Vazq. Ergo Pater Vazq. Catherini mentem se assecutum putat, atq; adeò sic decernit. Quod si conferantur ea, quae dicit Catherinus in opusculo de peccato originali, cap. vlt. §. *Vnde, & octauo*, & in disp. pro immaculata Conceptione, lib. 2. cap. 2. eius certe mens ea fuit, duplicem veluti legem, in vno foedere cum Adamo percusso, cōcipi posse: aliam pridē de transferenda gratia, & eam quidem vniuersalem fuisse, ita vt eius posteros omnes cum Maria etiam includeret: alteram vero de transfundenda culpa, & piaculo in minores: ab hac vero lege Mariam peculiari Dei priuilegio, & fauore in ipsa foederis contractione exceptam. Putat enim hic author rationi consentaneum fuisse, vt Virgo Deipara ad fauores communi cum reliquis consortio vocaretur, atq; adeò gratiam ex Adamo deriuandam, ipso perseuerante, caperet: ea vero, quae contraria, & odiosa erant, ab illa longissime arcerentur. Sic noster Vazquez, qui quamuis aliàs in inuestigandis authorum sententijs accuratissimus sit, nihilominus eum Catherini mentem nequaquam assecutum reor.

Ego igitur de hac mente sic statuo. Duplex vtique debitum culpae originalis contrahendae comminiscitur hic author: aliud proximum, & aliud aliud remotum. Quam diuisionem in Catherino multi recentiores Theologi deprehenderunt, sed non eodem modo de illius mente decernunt. Alij enim putant ex sententia huius Doctoris, proximum debitum fundari in lege, & pacto inito cum Adamo de gratia, aut culpa in posteros trāsfundenda, & in transgressione illius, ex qua proxime macula peccati in omnes pertransiuit: remotum vero debitum, in quadam legis seu pacti vniuersalis ex gentia, & in ipsa hominis generatione ac natiuitate. Nam illi omnes, quos ex Adamo genus suum repetere oportebat per naturalem generandi rationem, hoc ipso generationis suae iure commune aliorum pactum ingredi debebāt: nulla enim subest ratio, cur vnus potius, quam alter à communi lege exciperetur. Luculentius dicam: aliud debitum est contrahendae culpae ex pacto cum Adam inito: aliud est debitum ingrediendi pactum commune. Catherinum igitur sic sentire putant, Virginē Deiparam à proximo contrahendae originalis culpę debito prorsus immunem fuisse: quia speciali Dei fauore in commune illud transferendi originalis criminis pactum minime intrauit: debito vero remoto prorsus obstrictam fuisse, quia cum filia esset Adami naturali modo prognata, debuit vtique eo nomine ad generale, & vniuersale pactum communi consortio vocari. Quapropter cum asserit hic author Deiparā *culpae traducis obnoxiam fuisse, & in peccatum ruere debuisse, & in diaboli fauces demitti*, (hęc enim sunt illius germana verba) de remoto illo debito capiendum esse dicunt, quatenus iure ipso generationis in commune pactum generali lege computari debuit. 3

Caeterum quantum id abhorreat à Catherini mente docuimus, supra cap. 1. §. 10. vbi

osten-

ostendimus authorem illum per debitum remotum solam; & purã obnoxietatem intelligere, per quam quicumque ex naturali propagatione nascuntur, ex se obnoxij sunt, vt Deo instituente, lege, & pacto comprehendantur. Quod propterea debitum appellatum diximus, non quia vel ex pacto ipso, vel ex modo generationis oriatur aliqua necessitas ingrediendi communem legem: sed quia quicumque ea ratione per naturalem propagationem sati sunt, necessitatem, ac debitum habent, vt Deo ita instituente, legi ipsius subiaceant, quæ necessitas non tam est intrandi, quam sustinendi pactum, & legem à Deo libere latam, & libere quoque quibuslibet applicatam.

Turrian. Salmerō. Clicthò. Cornelius Musus. Et quidem in eadem opinione fuisse puto ex nostris Patrem Franciscum Turrianum in ea epistola de peccato originali, vbi Virginem Deiparam ab incurrende culpæ originalis debito prorsus immunem fuisse, & in Adamo nequaquam peccasse non semel dicit: & rursus eam peccato obnoxiam iterum, atque iterum proclamat. Adde etiam P. Alphonsum Salmeronem, Iodocum Clichtobæum, Cornelium Musum, & alios, quos partim supra, cap. 1. §. 10. partim infra, cap. 41. §. 1. enumerabo.

5 *Galatin.* Galatinus vero, lib. 7. de Arcanis per aliquot capita de Virginis immunitate à culpa originali non pauca ferit, & vbi multa parum theologica circa signa, & instantia decretorum Dei miscuit, tandem affirmat, Deiparam à communi pacto culpæ contrahendæ exceptam fuisse, atque adeò nullo sensu in Adamo peccasse, neque peccato illius obnoxiam fuisse. Sed vt perspicua fiat huius authoris mens, subijciam seriem, & ordinem, in quem ille æterna Dei decreta digerit.

In primo, inquit, signo de mundi conditione apud se deliberauit Deus. Cumque iam tunc sub conditione futurum præsciret, quod si mundum, atque homines crearet, & omnibus vnum Adamum præficeret, hic demum peccato suo posteros omnes contaminaturus foret, à mundo condendo prorsus deterrebatur. Tunc vero in secundo signo venerunt illi in mentem Iesus, atque Maria, atq; illorum auxilio labanti mundo subueniri, & peccatum deleri posse prænoscens, primum quidem in secundo signo ipsum Iesum, & Mariam, ac deinde in tertio ex illorum amore mundum vniuersum condere apud se statuit. Itaque in ordine absoluto (ex authoris istius sententia) Virgo Maria ante omnes alias creaturas præfinita fuit. In quarto vero instanti ad executionem præcedentium decretorum veniens Deus, Virginem Mariam, alteram ex Adami posteris esse decreuit. Ac ne Adami labes (quam ex pacto cum ipso statim ineundo per generationem naturalem serpere opus erat) Deiparam quoque inficeret, quandam seminis particulam in lumbis Adami segregauit, eamque mundam, & immaculatam iussit, vt pote quam ab vniuersali fœdere excepit: quæ particula ab ipso Adamo decisa in Seth, & ab hoc in Enos, & ab his succedaneo ordine in reliquos eius posteros, vsque ad Ioachimum, & Annam per singulos venit, & demum ex illa particula Virgo suscepta, & procreata fuit. Hęc Galatinus: in quibus alia sunt in theologia perabsurda, alia plane fabulosa, & commentitia, atque adeò reijcienda prorsus, & refutanda sunt. Illud tamen ex his manifeste colligitur à Doctoribus Scholasticis, meritò illi tradi eam sententiam, quæ docet Virginem Deiparam à generali pacto culpæ originalis contrahendæ omnino exemptam, atque adeò nullo illius incurrendæ debito, non solum proximo, sed etiam remoto obstrictam fuisse: quia nec re ipsa commune fœdus ingressa est, nec ratione suæ generationis illud ingredi debuit. Quapropter nullo ex capite in commune debitum originalis culpæ contrahendæ vocari potuit. Hanc ergo sententiam, quatenus docet Virginem Deiparam in cōmune fœdus cum Protoplasto initum de propaganda in posteris gratia, aut culpa nullomodo ingressam fuisse, nec iure aliquo suæ generationis illud ingredi debuisse, obuijs manibus amplexati sunt recentiores multi: qui, cum censeant ea ratione dignius se de Virgine sentire, pro suo erga illam studio id ausi sunt palam in scholis, ac publicis concionibus vsurpare, ac docere. Vnde factum, vt quod prius grauissimorum Doctorum aures læserat, iam nunc multorum doctissimorum hominum plausu non celebrari solum, sed ab omni etiam grauiori nota vendicari cœperit.

Hæc igitur sententia, quatenus docet Virginem in vniuersale pactum transfundendæ gratiæ, vel culpæ (quod pro alijs posteris cum Adamo initum fuit) nequaquam ingressam fuisse suaderi potest iuxta iacta fundamēta robustissimis rationibus. Prima est, quia 6
authores istius sententiæ absolutè tradunt, Virginem Mariam ante omnes alias creaturas prædestinatam fuisse, nimirum ad matris Dei dignitatem, ad gratiam, & ad gloriam efficaciter electam. Quid inde? Profecto si prædestinatio, & electio efficax Mariæ pactum cum Adamo initum, imo etiam ipsam Adami primam conditionem præcessit, non debuit sane cum reliquis Adami posteris in pacto postea inuolui. Pactum enim pro futuris post ipsum Adamum celebratū est, vt infra, cap. 15. & 24. latius probabo. Ergo cum ex vi præsentis decreti, etiamsi Adamus nō foret, Virgo Deipara nihilominus existeret: (ita enim postulat ordo præmissus) sane non debuit cum posteris illius computari: nam licet re ipsa ab eo fuerit secundum carnem prognata: id tamen prorsus accidentarium fuisse fateri oportet iuxta præfatam decre-

torum Dei feriem: quandoquidem ipsa posita affirmare cogimur, etiam non existentibus Adamo, & Eua: atque adeò deficiente generatione, per quam propagati homines originalis culpæ labem trahunt, Virginem Mariam alia quapiam ratione à Deo condendam, & formandam iri, vt Christi mater existeret. Ex quo fit Virgini Mariæ generari ex Adamo omnino accidentarium fuisse, atq; adeò à communi lege eorum, qui quasi per se ab Adamo generandi erant, excipi debere.

7 Secunda ratio, qua præfata sententia fortius stabilitur, sic habet: quia si Virginis efficax electio ad maternitatem, ad gratiam, & gloriam pacti cum Adamo initi celebrationem præcessit, vt Doctores isti serio proclamant, non potuit vtique Virginis gratia ex Adamo tanquam ex capite ex vi præsentis decreti vlla ratione pendere. Nam si electio illa efficax pactum antecedere dicatur, consequenter affirmandum est, quod etiã si pactum deinde nullum intercederet, nihilo secius Maria mater Dei, atque adeò sancta, & beata foret. Impossibile enim est efficacem Dei voluntatem effectu suo carere. Ergo dignitas matris, gratia, & gloria Mariæ ex pacto inito cum Adamo, vel ex illius voluntate aliqua ratione pendere non potuit. Quæ ratio sic demum vrgeri potest. P. Vazq. Quia vt optime docet Pater Gabriel Vazquez 1. p. in ea disp. 91. non potest aliquis efficaci animi decreto aliquid intendere, quod ex libera alterius voluntate dependet. Quod in Deo cum primis verum est, qui ius, & potestatem in humanam voluntatem habet, vt illam in quamcunque partem flectat, vt ibidem non probat solum, sed euincit prædictus author. Ergo quicunque dixerit Virginem ante pactum ad matris dignitatem, ad gratiam, & ad gloriam efficaciter electam, ex consequenti eiusdem gratiam ex fœdere cum Adamo percusso, & ex illius libera voluntate pendere non potuisse fateri debet.

8 Rursus transfusio illa gratiæ, aut culpæ, quam Deus ex pacto in liberam Adami voluntatem contulit, facta est per modum demeriti, ita scilicet, vt Adamus in gratia perseuerans gratiam minoribus suis promereretur: idem vero in culpam prolapsus demerito suo labem in posteros effunderet: ergo si electio illa efficax Mariæ pacti præuisionem antecessit, vt Doctores isti passim pronunciãt, non potuit certe meritis Adami postea subijci. Nam merita media sunt moralia, quæ non aliter ad finem conducunt, nisi quatenus mouent voluntatem, suam enim efficientiam in voluntatem exercent, ipsam impellendo, atque adeò impossibile est, vt ipsam iam inde efficaciter motam, & impulsam supponant: vel si ita illam præmotam præsupponunt, nullam in finem efficacitatẽ habent. Quapropter si verum est Virginem Deiparam ante pacti præuisionem, ad gratiam, & gloriam efficaciter electam, non potuit sane eiusdem gratia meritis, & voluntati liberæ Adami postea ex pacto subiacere. Denique id à diuina prouidentia omnino abhorret: Deus enim, qui scientia conditionali plane nouerat, iustitiam per Adamum amittendam, non potuit sane ante præuisum periculũ illam absolute præfinire: quo enim pacto Mariæ gratiam originalem prius certò, & efficaciter decerneret, & illam postea periculo subiectam esse vellet? Hæc enim duo interse pugnant, & contradictionem inuoluunt. Quapropter eos, qui Virginis prædestinationem ante pacti præuisionem præmittunt, si velint sibi per omnia concordes esse, illam commune aliorum pactum minime ingressam (mea quidem sentẽtia) affirmare tenentur.

Accedit etiam alia ratio nõ inefficax sumpta ex dignitate Deiparæ. Quia si Virgo ante pacti huius præuisionem efficaciter electa est in matrem Dei, atque adeò in reginam vtriusque creaturæ (hæc enim dignitas, vt supra cap. 3. demonstrauimus, cum perfecto iure regnandi iam inde ab ipso suæ electionis in matrem Dei initio illi obuenerat) non debuit vtique communi aliorũ lege comprehendi. Nam iure ipso comparatum est, vt 9 Augusta simul cum Cæsare à legibus vniuersalibus soluta sit per leg. *Princeps legibus*, ff. de legibus: non quidem ita vt hac libertate, ex priuilegio aliquo gaudeat, cum alioqui legibus obstricta sit, vt alij priuati, quibus Principes priuilegia indulgent, per quæ à legum nexu, quibus aliàs coercebantur, liberi fiunt: sed ex eo, quia lex communis iure ipso naturali, quatenus præceptum quoddam est subditos coercens, tam Regem, quam Reginam minime obligat, nec pro illis lata est. Ita docent iurisperiti communiter in eam legem. Ratio autem est, quia suprema potestas principis legem etiam ipsam subijcit sibi, non modo vt illam ferre, & abrogare possit: sed etiam, vt quemlibet ab ea excipere pro nutu possit: fieri autem non potest, vt lex principi, & princeps vicissim legi subditus sit: Regina autem iure coniugij in huius gloriæ communionem, & societatem vocatur.

Succedat ergo memoriæ id, quod supra, cap. 5. ex Chrisologo multis ostendimus, 10 scilicet decretum Dei efficax, quo Virginẽ in matrem Dei (ante omnẽ aliam creaturã, iuxta mentẽ præcedentiũ authorũ) delegit, tantã vim habere, vt illã iã inde à suæ Conceptionis articulo Reginã constituat: ita vt ea electione posita, prius illã creaturã omniũ à se condendarũ dominam, & supremam reginã Deus in actu, vt aiunt, signato præuiderit, quã ipsarũ creaturarũ conditionẽ decreuerit. Quid inde? Sane cũ Virgo Maria ante præuisum Adamum, & reliquos alios

minores

minores Domina, Regina, & Augusta foret: lege,& pacto corũ, qui ea cõditione formandi erant, vt ipsi subessent, atque illius imperium sustinerent, minime comprehendi debuit. Non quidem ita, vt ex priuilegio aliquo à communi lege, & pacto, cui alioqui obnoxia erat, excepta diceretur: sed ita vt legem vniuersalem, & pactum commune nequaquam ingrederetur: id enim postulat Reginæ dignitas, quæ communes subditorum suorum leges, & fœdera ignorat, non ex priuilegio, sed ex propria status, & conditionis suæ libertate. Vnde Augustinus Homil.4. de Assumptione, Mariam à quibusdã generalibus legibus exceptam fuisse, non ad fauorem, sed ad supremam illius dignitatem retulit: sic enim ait. *Non immerito excipitur à quibusdam generalibus legibus vera æstimatione, quam tanta seruat gratia, & attollit dignitatis prærogatiua.* Aug.

II Et quidem ita decebat, vt hæc Virginis immunitas à culpa originali, quasi genuina esset, ex dignitate personæ orta, & non ex priuilegio, & derogatione iuris vniuersalis, cui alias ex conditione sua subiaceret. Quia (exempli causa) nobilitas, quæ ex genere, & antiquis natalibus recensetur, præstat longe illi, quæ priuilegijs, & Regum diplomatibus paratur, de qua sic Gregorius Nazianzenus in oratione 28. de reditu in vrbem. *Nobilitates illa, quæ Principum diplomatibus comparantur, vt adulterinas, nulloque in pretio habendas procul summouebit.* Et infra. *Nam quartum illud nobilitatis genus, quod in Principum diplomatibus, & edictis consistit, tunc vllo in pretio habebo, cum pictam pulchritudinem laudandam duxero, simiamque ob id venerari cepero, quod leo esse iussa sit.* Hæc vero nobilitas, quæ per rescripta Principum paratur, non equidem alia ex causa infimo in loco ponitur, nisi quia cum is, qui eam sibi adsciscit, alioqui ex suismet natalibus ignobilis sit, & communibus ignobilium oneribus subiaceat, non admodum decorum putatur, immunitatẽ priuatam ex priuilegio, & derogatione legis consequi. Quemadmodum ex aduerso illud omnino generosum, ac splendidum communi æstimatione cẽsetur, hominem ex genere suo ingenuum esse, atq; adeò communes, degeneresque plebanorum leges nequaquam subire. Hinc ergo colligere licet, longe dignius de Virgine sentire illos, qui docent immunitatem illam à culpa originali, non quidem ipsi ex priuilegio contigisse, quasi alioqui ex natalibus suis illi obnoxia, & eius contrahendæ debito obstricta esset: sed ex conditione, & quasi ex genere suo ob propriæ dignitatis prærogatiuam omnimodam exemptionem, & libertatem adeptam fuisse, ita vt nulla ex lege ad turpem illam labem generis humani contrahendam aliàs obligata, aut obstricta esset. De qua gloria infra capit. 15. latius dicemus. Nazian.




CENSVRA SVPERIORIS SENTENTIÆ,



CAP. VIII.



1. *Superiorem sententiam de exceptione Virginis à lege transfusionis, tam gratiæ, quam peccati, aliqui seuerius notant.*
2. *S. Thomam huius notæ patronum asciscunt, sed immeritò.*
3. *Perperam etiam citant Gersonem.*
4. *Paulus huic censuræ non suffragatur.*
5. *Pauli verba in aduersarios retorquentur.*
6. *Superior opinio, quæ Virginem à communi lege, & debito transfundendæ culpæ extrahit, ab omni censura vendicatur ex Tridentino.*
7. *Ex eodem efficaciter deducitur dictæ opinionis probabilitas.*
8. *Adamum non accepisse gratiam, vt eam ad Virginem deriuaret, probabile sit, & ab omni censura liberum, ex Tridentino.*



IN Hanc sententiã, quatenus Virginem ab vniuersali lege, tum gratiæ, tum culpæ in Adæ posteris propagandæ excipit, ita vt commune pactum minimè ingressa fuerit, atq; adeò illam ab omni maculæ originalis contrahendæ debito liberam, & immunem esse dicit, inuecti sunt grauissimi Doctores. In his Caietanus, & Corduba ita seueri sunt in hanc opinionem, vt illam hæresis insimulare audeant: ille quidem, tom.2. opusc. tit.1. cap.2. & 3. hic vero, quæst.44. concl.5. qui citat Sanct. Thom. quatenus is 1. 2. quæst.81. art.3. serio affirmauit necessarium esse credere secundum fidem Catholicam omnes vtriusque sexus ab Adamo per seminalem propa- I Caietan. Corduba. S. Thom.

propagationem originem recẽsentes ex sua ipsorum generatione esse obnoxios peccato originali.

2 Sed tamen Sãctus Thomas huius censuræ patronus esse non potest: nam cum is censeat omnes Adę posteros, atq; adeò beatam, Virginem in peccato originali conceptam à fortiori illos eidem peccato obnoxios esse pronunciare debet. Quod si sentiret Virginem à peccato originis immunem fuisse, quid de præsenti controuersia, iuxta sua principia pronunciaturus, non est compertum. Tamen si mentem illius coniectura aliqua indagare licet, illud sane dicere ausim, quod siquidem Virginem à peccato originis vendicare eius in animo sedisset, illam vtique principiorum suorum tenax commune pactum cum Adamo initum minime ingressam fuisse omnino affirmaret. Suadet hoc id, quod ipse 1.2.q.81. ar.1.&3. de pacto illo serio affirmauit: ex his enim, quæ ibi dicit, plane colligitur, illum in ea sententia fuisse, vt crederet pactum cũ Adamo ea lege initum, vt si ipse delinqueret, eius delictum de facto ad omnes eius posteros transiret, ita vt pactum hoc non conditionatam, sed efficacem voluntatem permittendi lapsum posterorum sine exceptione aliqua in se cohiberet, vt infra cap.15. latius ostendemus. Ergo sibi vt constaret hac in re Sanctus Doctor, quandoquidem Virginem a culpa originis vendicare vellet, eam in pactum illud nequaquam ingressam pronũciare debuisset. Et quidem idem Doctor Angelicus in 2. sent. dist. 20. art.3. vbi semel Virginem ab originalis culpę macula mundam omnino esse decreuit, paulò ante docuerat pactum cum Adamo ea lege initum fuisse, vt omnes illius posteri, ipso peccante, de facto labem traherent: ita nimirum, vt quemadmodum gratia, si Adamus perseueraret, ad posteros re ipsa, & de facto per pactum veniret, sic etiam culpa ad eosdem de facto transmitteretur, vt pœna pręmio per omnia responderet. Quapropter cum Sanctus Thomas docuit in eo loco Virginem Deiparam à peccato originali immunem fuisse, ne sibi discors sit, illam cõmune aliorum pactum nequaquam ingressam affirmare debuit. Nam si illam in pactum illud vniuersale communi lege venisse diceret, mutabilitatem aliquam in Deum cecidisse ex consequenti affirmare teneretur. Neque vero id abhorret ab his, quæ ipsę de prædestinatione Christi & Mariæ post peccati præuisionem sæpè, ac sæpius docuit: quia hæc duo, Virginem scilicet sub peccati præuisionem electam, & eandem in commune pactum transfundendæ gratiæ, aut culpę minime venisse, nullo modo inter se pugnant, vt infra c.15. & deinceps, vberius dicemus. De mente autem Angelici Doctoris iterum agemus, cap.4. §. 1. vide ibi pleniorem expositionem.

Citat etiam Corduba Gersonem suæ censuræ auxiliarem in Alphab. 15. veritate 10. Cæterũ hic quamuis ex veritatibus, quas in ea Epistola de susceptione humanitatis constat, plærasque fide catholica certas esse decernat, tamen decimæ illi veritati hanc clausulam imponit. *Veritas hæc probabili pietate cordis credi potest.* 3

Non minus seuerè in hanc sententiam inuecti sunt Cardinalis Bellarminus 4.tom.in 2. contro.lib.4. cap. 16. vbi eam non admodum tutã esse dicit, & P. Vazquez in 3.p.disp. 115. cap.3. vbi illam erroris insimulat. Cui accinere videntur Zumelius 2. tom. ad 1.2. quęst.81. arti.4. quæst. vnica, & nuper etiam F. Ægidius de Præsent. in tract. de Concep. Virg. lib.2. quæst.3. art. 4.§.2. & sæpè alias Sed huius censuræ fundamenta discutere operæ pretium est. Caietanus, & Corduba, suam censuram testimonijs scripturæ sacræ suffulciunt. Nam 2. ad Corinth. 5. Paulus Christum Dominum pro omnibus mortuum pronuntiat, à quo vniuersali beneficio Virgo excipi non potest: Christus autem mortuus non est, nisi pro mortuis: sic enim instat Paulus, *Si enim vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* Ergo Virginem Deiparam, aut mortuam, aut saltem morti obligatam, & obæratam fuisse dicendum est, vt Christus pro illa emori posset. Cæterum huius consequutionis vis nulla est: nam verba Pauli si aliquid conficiunt, non morti subiectam, sed vere demortuam Virginem probant, & idẽ est iudicium de illis verbis ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Et *Et in omnes homines mors pertransijt. In quo omnes peccauerunt.* Et ad Corinth. 15. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Quæ omnia loca si capiantur, vt iacent, non vtique mortis debitum, sed mortem reipsa in omnes Adæ posteros transfusam sonant, vt infra cap.16.& cap.41.§.1. fuse probabo. Quapropter si Virginem à culpa originali ereptam velimus, affirmare oportebit, illam ab ea lege, quæ in præmissis Pauli verbi continetur, prorsus exceptam fuisse. 4 Bellar. Vazq. Zumel. Ægidius. 2. Cor.5. Rom.5. Cor.15.

5 Imo potius præfata testimonia in eos validissime retorqueri posse credo, qui illam in commune pactum transfundendæ culpę includunt, atque adeò peccato, & morti obnoxiam affirmant. Nam verba Pauli non dicunt omnes Adę minores ob parentis sui culpam morti obnoxios mansisse, sed mortem re ipsa incurrisse. Ergo cũ ex his verbis, & nõ aliunde fœderis cum Adamo initi olim conditiones colligere oporteat, pactum sane ad hunc modum ex illis depromitur: quod si Adamus peccaret, eius delictum ad posteros re ipsa transmittendum foret, nam præfinitiones, & decreta Dei non aliunde, nisi ex

rebus

rebus ipsis, atq; ex factis aucupamur. Quapropter cũ Paulus dicat omnem Adæ posteritatem de facto parentis culpam contraxisse, putandũ est Deum lege, ac decreto suo ita definijsse, vt si Adamus peccaret de facto, omnes cũ ipso pariter labi permitterẽtur. Ergo vt verba Pauli sarta, tectaq; sint, & Virginis excipiendę gratia, ad violẽtas interpretationes nõ trahantur, fateri oportebit illã in cõmune pactũ, ac legem minimè vocatã fuisse, atq; adeò nullũ mortis debitũ incurrisse, aut si certè pactũ ingressa est, eam à culpa traducis eripi non potuisse: ne Deum suum ipsius decretum violasse dicamus. Sed de hoc pacto, & de verbis Pauli infrà cap. 15. & cap. 43. can. 1. vberius nobis dicendum est.

Suarez. 6 Sed tamen instat Suar. in ea disp. 3. sect. 3. & quibusdã argumentis (quæ nos in pręcitato cap. examini, & libræ trademus) contẽdit ea verba Pauli sic esse intelligenda, vt saltem debitum generale culpę originalis contrahẽdæ sonent: putat enim hæc verba aliquo sensu, Virginẽ etiã includere oportere. Sed huic authori demus id, quod minimè verũ est, vt in eo c. 41. can. 1. perspicuè demonstrabimus, scilicet ea loca de debito incurrendæ culpæ, mortisq; interpretari debere. Nihilominus tamen inde nõ sequitur, Virginẽ illis cõprehendi, vt præclare obseruauit P. Gabr. Vazq. loco citato: quia cum Conc. Trid. post decretũ de peccato originali absolute pronũciet, suæ intentionis nõ esse, comprehendere sanctam, & immaculatã Virginem in eo decreto, atq; adeò illã à generalibus illis scripturę sanctę propositionibus, in quibus dicitur omnes esse natura filios iræ: omnes item in Adamo peccasse, & in omnes ex Adamo mortem pertransijsse, atq; his similibus, Virginem Deiparam excipi posse annuat: nihil sanè ex his locis aduersus Virginem comminisci licet. Quapropter sicut illam à communi aliorum peccato, & morte, sic etiam eorundem peccati, & mortis communi debito liberam affirmare, nihil prorsus vetat.

Vazquez.

7 Ad hæc, ex ipsomet Concilio alia ratione superiorum authorum censura eludi potest: quia Concilium in eo decreto definit peccatum originis non soli Adamo, sed omnibus illius posteris nocuisse, vtpote qui acceptam iustitiam non sibi tantum, sed nobis etiam perdidit. Quibus verbis clauditur debitum contrahendæ culpæ originalis, quod cũctę posteritati suæ Adamus imposuit. Hoc enim sibi volũt illa verba. *Si quis asserit Adamum acceptam à Deo sanctitatem, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam perdidisse, anathema sit.* Nobis enim sanctitatem perdidisse, nihil aliud est, quam ea carendi debito nos obstrinxisse: in qua carentia consistit peccatum originale. Ergo cum Concilium serio affirmet, suæ intentionis non esse, Virginem Deiparam in eo decreto cum alijs simul Adæ posteris inuoluere, ita certè debet

Cōc. Trid.

intelligi, vt nihil ex his, quæ de alijs enunciauerat, Virgini necessariò tribui debeat: sed in omnibus à communi aliorũ lege eam excipere cuilibet integrum sit: aliter enim perperam dixisset nolle se in eo decreto Virginem comprehendere, cum in magna ipsius parte ipsam comprehendi necessum esset, atque adeò liberam errandi facultatem indulgeret. Quod si Concilium sua constitutione copiam facit absolute dicendi Mariam nõ peccati solum: sed debiti etiam incurrendi peccatum expertem fuisse, licebit etiam per ipsum dicere, eam in pactum transfusionis minimè ingressam.

Ex his etiam fit, immerito à Gabriele nostro Vazquez illos temeritatis accersiri, qui dixerint Adamum gratiam non accepisse, vt eam in Virginem transfunderet: id enim nulla tam acri censura dignum videtur: tum quia hæc sententia grauissimos sibi numerat authores, quorum censum dabo infrà cap. 41. can. 1. Tum etiam, quia hodie probabilis multorum sententia circumfertur, Virginem non à culpa solũm originali, sed etiam à debito proximo illius contrahẽdæ prorsus immunem fuisse. Quam opinionem fidei censores supremi, graui examine pręmisso, tanquam probabilem teneri, atque edoceri posse nuper annuerunt: ea verò, vel ipso nostro Gabriele iudice, aliter rectè defendi non potest, nisi Virginem à generali aliorum pacto substractam, atque Adamum gratiæ in ipsam transfundendæ ius nequaquam habuisse dicamus. Quapropter fateri opus est id probabilitate non carere. Et quidem simile quoddam superiori argumentum ex Concilio depromi potest. Nam inter alia, quæ Tridentinum in eo decreto seriò definit, illud est præcipuum, scilicet Adamum gratiam in posteros transfundendam accepisse: id enim sibi volunt illa verba suprà data: *Acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam, quam perdidit, sibi, & nobis perdidisse.* Nam perinde est, ac si diceret: eam sanctitatem, & gratiam sibi, & nobis perdidit, quam sibi, & nobis accepit. Ergo si posteà Concilium subijcit in eo decreto Virginem minimè à se comprehendi, licebit vtique nobis per ipsum, illam ab ea decreti parte excipere, atque adeò dicere Adamum gratiam, & iustitiam non accepisse, vt illam transferret in Mariam, & consequenter Mariæ caput, ac principem, quemadmodum reliquæ humanæ propaginis nequaquam fuisse. Et sanè eam positionem aliter solidè, & robustè defendi non posse, nisi Virgo excipiatur à pacto transfusionis, mea quidem sententia, exploratissima res est, vt ex dicendis infrà cap. 15. & cap. 24. ampliùs constabit. 8

OBIECTIONES F. ÆGIDIJ de Præsentatione contra superiorem sententiam.

§. II.

9. Virginem in Adamo demortuam, fatendum credit AEgidius, vt eam à Christo redemptam possimus defendere.
10. Eadem scripturæ testimonia, quibus hoc ad fidem pertinere intendit probare, in ipsum retorquentur.
11. Eandem Mariæ in Adamo mortẽ ex eo confirmat, quod aliàs gratiæ nõ deberet adscribi eius ab originali præseruatio.
12. Quomodo dicta præseruatio etiam in sententia Catherini nõ fuerit sine gratia perfecta.
13. Potius in dicta præseruatione duplicem agnoscimus gratiam.
14. Virginem ab Adamo, etiam sine Christo, habituram iustitiam, si in Adamo mortua nõ est, conficit AEgidius.
15. Prædicta ratio perspicuè retunditur.
16. AEgidij argumẽtatio perspicuè redarguitur.
17. Vniuersales fidei positiones, quibus originalis infectio credenda proponitur, ad Virginem extendit AEgidius.
18. Dictis propositionibus Virginẽ non cõprehẽdi, contra AEgidium probatur ad hominẽ.
19. Catherini sententia Virginẽ à communi lege transfusionis excipiens tuta, & probabilis admodum est.

9 FRATER Ægidius de Præsentatione, huic sentẽtiæ ex alijs capitibus succenset, & censuram, qua illam sugillat, aliunde petit. Primum est, quia de fide esse putat omnẽ gratiam redemptionis, & recõciliationis, quam ex Christo, & per Christũ habemus, supponere mortem peccati originalis, aut in propria persona, aut saltem in Protoparẽte cõtractã: atq; adeò, vt Virgo Deipara eius gratiæ cõsors fieret, aut in semetipsa per contractionẽ maculæ originalis, aut in Adamo ipsam emori oportuisse. Quid verò sit emori in Adamo, secundum istius Doctoris sententiã, exposuimus suprà c. 1. §. 3. Cæterũ eã mortẽ, seu peccatum formale, & actuale, quod ipse cõminiscitur, filiorũ in Adamo non esse admittendũ, & frustrà, ac nullo vsu cõstitui ad redemptionem in §. 4. illius capitis manifestè monstrauimus. Imò illam (si qua foret talis mors formalis filiorũ in Patre) per Christi merita minimè delendam, aut expiandam iri perspicuè confecimus.

Ad superiorem doctrinam corroborãdam testimonia tum Scripturæ sacræ, tum Patrũ, multa compilat Ægidius, quæ in vniuersum docent Christum propter peccata, & propter peccatores emortuum, ac passum fuisse. Illud ergo à te (ò grauissime, ac doctissime AEgidi) percontari libet, an sentias loca ista vniuersales propositiones cõtinẽtia de præfata morte filiorũ in Adamo vniuersaliter exponi: an necessum putes, vt etiã de morte, & culpa in proprijs eorũ personis contracta explicẽtur? Si dicas de ista posteriori morte explicari debere: ergo Virginẽ sua vniuersalitate non continent: sin verò affirmes de priori illa morte vniuersali sensu accipienda esse, vndenam colliges Christum propter alios non tãtùm in Adamo, sed etiã in se ipsis, iam peccato demortuos, enectosq; passum fuisse? Ego certè in ea sum sentẽtia, vt putem eos, qui ad cõprobandum debitũ peccati originalis in Virgine, illa adhibent scripturæ, aut Patrum loca, quę vel omnes homines in peccatis cõceptos dicunt, vel omnes à peccatis, Christi morte redemptos ferunt, non leuiter à veritate aberrare. Quia si sentiant testimonia isthæc vniuersalia, quibus volũt Virginẽ etiam includi, de debito tantùm peccati esse exponenda, non erit, vnde probemus in alijs non debitũ tantùm peccati, sed etiam peccatum ipsum præcessisse. Si autẽ asserant vtrũq; subijci præfatis testimonijs, tam debitum peccati, quàm peccatum ipsum: si præterea isthæc loca ad Virginem spectare affirment, oportebit certè fateri Virginem cũ reliquis Adæ filijs nõ debitũ tantùm peccandi, sed etiã peccatum ipsum contraxisse: vel si exceptioni locus sit in altero sensu, erit similiter locus in alio. Quæ ratio plurimũ obseruari debet contra eos, qui valde perfectã, & rigorosam redẽptionem in Virginis liberatione vestigant. 10

Instat AEgidius, & in §. 9. illius articuli, Catherini sententiam ex eo censuræ illi grauiori subiacere dicit: quia inde sequitur futurũ, vt Virgo, etiamsi nulla præueniretur gratia, & sanctitate, in suæ conceptionis primo instanti peccati originalis maculam minimè contraheret. Quia nimirum sublata lege, & pacto, quo Deus constituit, vt gratia ex Adamo ad filios deflueret, nõ maneret debitum gratiæ, & iustitiæ in posteris illius: atq; adeò non possent contrahere peccatum originale: id enim nihil aliud est, quàm priuatio gratiæ debitæ: rursùs ablato debito aufertur necessitas peccandi. Ergo cum Catherinus Virginem, & à lege vniuersali vendicet, & à debito immunem fuisse affirmet, cogitur consectariè ad hæc fateri illam, etiãsi nulla gratia, & iustitia in conceptione fulciretur, peccatũ originale minimè attracturam. Quid inde? Ita conficit Ægidius. *Hanc consecutionem esse falsam non negant præfati authores, nec catholicè negare possunt: alioquin Virgo non eguisset gratia Dei, nè peccatum in eam intraret, nec vera* 11 Ægid.

esset propositio Pauli ad Rom. 3. Omnes quidem peccauerunt, & egent gratia Dei. Adde etiam Augustinum, qui Virginem omnem culpam vitasse gratia Dei adscribit, de natura, & gratia c. 36. vbi ait Virgini fuisse collatam à Deo gratiam ad vitandum omni ex parte peccatum.

12 Vt verò Cather. ab hac nota vendicē, & robur istius rationis elidam: illud falsò sibi sumit Ægid. tā Cather. quàm eos omnes, quotquot illius sententiam amplexi sunt, cōsecutionē illam quasi falsam abnegare: non enim eam negant, sed vltrò admittunt, atq; verissimam putāt. Consequentiā autem, quam ipse ex præhabito illo consequente prolicit, seriò negandam sibi putant: & aiunt ita futurū, vt Virgo, etiamsi iustitia habituali non præueniretur, non incurreret originale. Illam tamen aliā consecutionē, scilicet, Virginē ad declinandum hoc peccatum non indiguisse gratia Dei, prorsùs abnuunt. Ex eo enim, quod non indiguerit gratia habituali, non conficitur, quod nō indiguerit gratia Dei. Nā quod Virgo in lege vniuersali cōmuni cū cæteris Adæ filijs iure cōclusa non fuerit, atq; adeò salus ipsius in discrimen vocata, supposita in Deo conditionali scientia futuræ ruinæ, gratiæ diuinę beneficiū fuit, nō naturæ. Adde etiam, quod tam Cather. quā omnes illius affectatores in hac Virginis liberatione ita Dei gratiā agnoscunt, vt illā ex Christo, & per Christū Virgini partā esse affirment. Nam licet in intentione ante Christi merita præuisa, præordinata, ac præfinita fuerit: in executione tamen ex Christi meritis iam præscitis donatam, atque collatam fuisse dicunt.

13 Ergo isti Doctores nō solùm Dei gratiā à Virgine nō auferūt: sed duas omninò gratias in illa ex meritis Christi ponunt. Aiunt enim alterā gratiā Dei fuisse, quod non incurreret peccatū originale in sua cōceptione, sicut cęteri Adæ filij incurrerunt, natam quidē ex eo quod à cōmuni lege per Christi merita excepta fuit: alteram verò, quod illā iustitia, & sanctitate in eadem conceptione donauit, ex eo quodammodo ipsi debitā, quia illā efficaciter propter eadē Christi merita in parentem suā elegerat. In quo vincunt planè oppositæ sententiæ DD. cui ad præseruationē Virginis à culpa vnam tantū gratiā Virgini impēsam docent, scilicet habitualis iustitiæ infusionē, per quā formaliter peccatū impeditū est. De vtraq; gratia fusius dicemus infra c. 24. §. 9. & 10. vbi de redemptione Virginis ab originali nobis erit prolixior sermo.

14 Sed tantus fuit AEgid. ardor in sugillanda hac Cather. sententia, vt illā vlteriùs sic configat. Quia nimirum ex illa sequitur potuisse Virginē, seclusis meritis Christi, tum sanctitatem, tum iustitiā originalē promissam olim Adamo, si pactū Dei seruasset, habere: *Hoc tamen* (inquit) *est hereticū, quia iustificatio ex meritis Christi merè gratis concessa fuit Virgini, sicut & nobis.* Sequelam verò sic probat: quia certum est iustitiam, & sanctitatem Adamo, non modò ipsi habendā, sed nobis etiā transferendam, collatā fuisse à Deo, quam iustitiā, si non peccaret, certissimè in filios transfunderet: quemadmodū, quia peccauit, culpā ad eosdē transmisit. Sed supposita (inquit) exceptione Virginis à pacto, & à lege, sequitur eā non peccasse in Adamo: ergo nō incurrit debitū carēdi gratia. Adamus enim tantummodo iustitiā amisit his, qui in ipso peccarunt: ergo ius, quod Virgo habebat in Adamo ante peccatū, vt nasceretur cū gratia, & iustitia originali, sartū, tectumq; illi māsit, atq; adeò ipsam sine impedimento aliquo percepit. Et id quidē sine meritis Christi: nam ius illud, quod habuit Adam transferēdi gratiā, nō indigebat meritis Christi, præsertim illis, quæ ex passione, ac morte sub peccati præuisionē posteà definita, & præparata sunt.

Sed nō possū non mirari tantū, & tā grauē Theologū suę tā seuerę cēsuræ adeò infirmā rationē subiecisse: quę sanè illi nō nisi ex magna ignoratione legis, ac pactionis à Deo cū primo Parēte initę excidere potuit: aut certe sentētiā imposuit Catherino ab illi' mēte valdè alienā. Nam argumēti forma suadet illū, aut in ea fuisse sentētia, vt putaret aliud pactum pro gratię transfusione, aliud pro culpę deriuatione cōstitutum fuisse, atq; adeò fieri potuisse, vt Virgo in primū intraret, & à secundo excluderetur: aut certè credidisse ad gratiæ transfusionē non fuisse pactū necessariū: secùs verò ad delicti deriuationē. Quādoquidem dicit Deiparā Virginē etiam facta exceptione illius à lege vniuersali, gratiā ex Adamo percepturā. Siue autē in priori, siue in posteriori sentētia fuerit hic Theologus, nō leuiter à veritate aberrauit. Atqui putandū est illū nequaquam sensisse gratiā sine pacto, & cōstitutione Dei à parēte ad filios deriuari potuisse: id enim temerarium prorsus, atq; erroneū esset. Ergo credidit prorsus duas fuisse leges ab inuicē separabiles: aliā de trāsfusione gratię, & aliā de deriuatione delicti. Id autē (vt dilucide probat P. Gabr. Vazq. in ea d. 115. c. 2. cōtra eam opinionē, quam immeritò tribuit Catherino, vt diximus) falsum prorsùs, ac cōmentitiū est. Lege ibi plura, & ad ea, quæ ibi scribit, hæc adscribe. Quia in Deo nō sunt ponēdi plures actus, nec plura decreta, quàm illa, quæ obiecta ipsa, & effectus ad extrà necessariò postulāt. Atqui cōstituta solùm, & denunciata Adamo vna lege hisce verbis concepta. *Si præceptū tibi demandatū seruaueris, & iustitiam retinueris, eādem ad posteros tuos cōtinuò deriuabis:* omnib' alijs sublatis, fieret prorsùs, vt Adamus peccando iustitiā sibi, ac posteris amitteret: quippè qui fieret, vt non solùm ipse, sed posteri etiam eius gratia illa carerēt, quam Deus ipsis per Adamū præparauerat: Ergo absq; alia pactione haberent peccatum originale. Non igitur fuit alia lex, neq; alia cōstitutio. Ex qua ratio

Right margin: 15 (beside "Theologū suę tā seuerę cēsuræ"); P. Vazq. (beside "Id autē (vt dilucide probat P. Gabr. Vazq.")

ne illud etiã cõhcitur, fieri nõ poſſe, vt Virgo in lege trãsfuſionis gratię cõprehenderetur, & non ſimul transfuſioni culpæ ſubiaceret.

Ex his ſequitur præmiſſum Ægidij argumẽtũ contra Cather. & alios illius aſſectatores nihil præſtare. Nam cùm iſti aſſerunt Virginẽ in lege transfuſionis non fuiſſe comprehenſam, vtrumque ſibi volunt, illam ſcilicet facta exceptione, neq; gratiã ab Adamo defluentem accepturam fuiſſe, neq; eiuſdẽ Adami cauſa, peccato ſubiacuiſſe: atq; adeò tota argumenti vis euaneſcit. Adde etiam quod quamuis authores præfati id aſſererent, quod ſibi finxit Ægid. ſcilicet Virginem habuiſſe gratiam illam originalem, quæ Adamo data eſt pro filijs, ac minoribus: tamen non ſequeretur inde illã ſine meritis Chriſti morte, & paſsione conſummatis Virgini collatã, quãdoquidem Doctores iſti ad illam ſatis obuiã ſolutionẽ ſe recipere poſſent, aſſerentes, eam gratiam præparatam quidem Virgini in intentione abſque meritis Chriſti, non tamen ſine eiſdem in executione præſtitã. Atq; adeò tota huius cenſorini Catonis ſeueritas, & criſis obtuſa hebeſcit.

16 Deniq; vt prima illa conſecutio intelligatur, qua colligit ille Theologus fore, vt B. Virgo haberet gratiã per Adamũ, ſi in eo nõ peccauit, vt ſupra ex ipſo referebamus, percõtati vellẽ, an pactum, quod de trãsfuſione gratiæ in poſteros, cũ Adamo à Deo celebratũ eſt, ex quo Virgini ius ad gratiã acquiſitum vult Ægid. an inquã pactũ illud cõminiſcatur purũ, & abſolutum, an illud cõditionatũ credat, dependẽs ab obſeruatione præcepti tãquam à conditione. Certè ſi pactionẽ abſolutã credat, adeũda illi eſt ſacra pagina, audiẽda, ſunt cõcilia, auſcultandi PP. & DD. ſi verò pactum non abſolutum, ſed omnino conditionatum, vir ſumme pius, & Theologus, credit: quæ tunc illũ, vel moralis Theologia, vel Philoſophia in hunc impulit ſenſum, vt crederet, ex pacto conditionato, cõditione non adimpleta, promiſſario ius aliquod emergere? Certè hoc probe norũt, quotquot vel pueri quoquo modo inter ſe vſquã pacti ſunt. At enim Doctorẽ iſtum, dũ præfato modo contra Cather. inſurgit, ex his aliquid credidiſſe neceſſum eſt: nimirum, vel pactũ cum Adamo de tranſmittẽda gratia abſolutũ, & purũ initũ fuiſſe; vel ſi cõditionatũ admittit, aut Adamũ conditionem impleſſe, & de facto in iuſtitia perſeueraſſe: aut deniq; ex cõditionata promiſsione ius ad rẽ promiſsã adquirere promiſſatiũ, qui cõditionẽ cõtẽnit apponere. Quę ſanè omnia, quã falſa ſint, cõſtat partim ex fide catholica, partim ex manifeſta ratione, quã ſolũ ignorabit, qui nec hominũ cõuictũ ſit expert⁹, nec contractuũ iura manifeſtiſsima ignoret.

17 Quid plura? Ægid. bilis in hãc Cather. ſententiam nullũ nõ mouit lapidem: nam in lib. 2. ar. 2. & deinceps, ſentit ex hac opinione manifeſtè ſequi, *Virginẽ non peccaſſe in Adamo.* In hanc verò propoſitionẽ ita ſeuerus eſt hic author, vt illam hæreſis inſimulare nõ vereatur. Probat autẽ primò authoritate, & teſtimonijs Patrũ, qui ſeriò affirmarunt omnes homines abſq; exceptione aliqua in Adamo deliquiſſe. Vrget etiam aliqua ſcripturę loca, in quibus etiã hoc ipſum perhibetur, omnes in Adamo peccaſſe, & mortẽ ex illo manantem hauſiſſe. Addit etiam teſtimoniũ Auguſt. in Pſal. 44. ad illa verba: Cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio, vbi ſic habet: *Maria mortua eſt propter peccatũ, Adã mortuus eſt propter peccatum: caro autẽ Domini mortua eſt propter delenda peccata.* Et ſubinde plęraq; alia Auguſt. teſtimonia cõfert, quibus iſte Doctor omnes ex Adamo, & in Adamo demortuos fuiſſe dicit, neq; aliquem morti defraudandũ ex his, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ſine fidei catholicę iniuria, pertinaciter aſſeuerat. Teſtimonia non recenſeo, nec authores hic adſcribo, tum quia in ipſo religi poſſunt: tũ etiam quia Ægid. hæc omnia ex Vandello deprõpſit: ipſiſsima enim ſunt, quibus author ille puram Virginis Conceptionem oppugnat.

18 Cęterũ miror, tam grauem, tamq; piũ authorẽ non ſatis obſeruaſſe, dũ hæc diceret, ſe aduerſariorũ arma in ſuũ ipſi⁹ iugulũ acuere, & Marianæ immunitatis oppugnatores cõtra eiuſdem defenſores, ac ſatellites à ſe inſtrui, & roborari. Nam cũ hęc Patrũ teſtimonia ab ipſo producta, quibus contẽdit Virginem in Adamo peccaſſe, & demortuã fuiſſe, nulla alia ratione aſſumptã poſitionẽ cõprobent, niſi quatenus generales, & vniuerſales poſitiones cohibẽt, atq; adeò Virginẽ etiam Deiparam claudere, ac coercere videntur. At ſi iſtæ clauſulæ, quia vniuerſales ſunt, probant Virginẽ peccaſſe, & mortuã fuiſſe in Adamo, eodem iure, & ob eandẽ rationẽ in ſemetipſa peccati, ac mortis ream fuiſſe euincũt. Tum vel maximè, quia ipſe Ægid. infrà docet pręfata ſcripturę, ac Patrũ loca, & vniuerſales poſitiones nõ modo de eo peccato actuali, quod ipſe ſibi finxit in Adamo, nec de debito tantùm peccati, ſed de actuali ipſius peccati cõtractione filiorũ Adæ in ſe ipſis eſſe capiẽda. Quonam igitur modo in tuã (ò ſapiẽtiſsime Ægidi) mentẽ venit, vt quandiu ita ſentiebas prædicta teſtimonia vniuerſalia tam debitũ, quã actũ notare, ita pronunciaueris, illis quidem cõtineri Virginem quoad debitũm, nõ tamen quoad actũ? Nam ſi vniuerſalitas eorũ quoad actũ nõ ſatis eſt, vt Virginẽ contineãt, quonã iure vniuerſalitas quoad debitũ probabit ſatis, eiſdẽ Virginẽ coerceri? An nõ hęc eiuſdẽ capitis diſſidia ſunt? Sed de hac re habes multa infrà c. 41. can. 1, vbi poſitiones Patrũ vniuerſales quantũ valeant, nõ paucis demonſtrabo: vbi etiam præmiſſa Auguſt. verba iuxta germanam illius mentem exponam.

Dices Ægidium hæc, & alia propterea tam ſeriò affirmaſſe, vt in liberatione Virginis ab originali propriam redemptionis formam

inueniret. Sed tamen hoc effugium includit aliud diffidium eiusdem authoris: nam in sententiam Catherini sic denique inuectus est, quia ex illa sequitur Virginem à Christo minimè redemptam fuisse, quia redemptio non est nisi eius, qui aliqua ratione demortuus, & captiuus est. Hanc rationem sæpè, ac sępius inculcat, scilicet lib. 2. art. 2. §. 2. & art. 3. §. 3. & deinceps. Sed tamen ne nos vrgeret hæc ratio, ipsemet author infrà lib. 3. quæst. 11. artic. 1. quasi de industria effecit, vbi redemptionis propriè dictæ omnes modos recensens, illam redemptionis formam extollit, quã in Angelorũ liberatione meditatus est Bern. ad quãneq; peccatũ, neq; debitũ peccati necessarium esse affirmat. Sed tamen, quia hic nodus de redẽptione Virginis communis est huic sententiæ cum ea, quam nos ad extremum cæteris fortè præferemus, illum quidem infrà cap. 24. dissoluemus, vbi Virginem bono sensu redemptam, & saluatam fuisse monstrabimus, etiamsi à communi pacto transfusionis excludatur.

19 Quapropter cum multi alij grauissimi, ac locupletissimi Theologi contra superiores Criticos seriò pronuncient Catherini opinionem esse valde probabilem, & tutam omninò in fide (Hi sunt Pater Valentia tomo 2. disputat. 6. quæst. 11. puncto. 2. Salas tomo 2. in 1. 2. quæst. 81. tract. 13. disputat. 11. sect. 5. quæst. 11. & alij, quos citat Suarez in ea disputat. 3. sect. 3. Cosmas Magallanius in cap. 2. epistol. 1. ad Timoth. Basilius Legionensis in libro variarum relect. 3. Herrer. in Scot. lib. 2. sentent. disputat. 24. quæst. 9. & alij passim) his ego libentius assentior, & Catherini doctrinam eo modo, quo à nobis explicata est, ab omni nota liberam esse prorsus reor.

P. Valen. P. Salas. P. Suarez. P. Magallanius. Basil. Legionensis. Herrera.

CENSVRA SVPREMI Consilij sanctæ Inquisitionis, atque Complutensium Doctorum de superiori sententia.

§. III.

20. *Censura supremi Consilij sanctæ Inquisitionis Catherini sententiam ab omni censura liberat.*
21. *Hanc censuram interpretatur AEgidius.*
22. *Eandem sententiam ab omni seueriori censura vendicat Complutensium Doctorum authoritas, quorum mentem assequutus nõ est AEgidius.*
23. *Complutensium Doctorum authoritas hanc ipsissimam propositionem tutatur: Virgo non peccauit in Adamo.*
24. *Eorundem iusiurandum de immunitate Virginis ab originali in perpetuum defendenda.*
25. *Dicti Iurisiurãdi formula immunitati Virginis à debito peccati locum facit.*
26. *Dictum Complutensium iudicium non est nouum.*
27. *Hoc iudicium plurimi faciendum.*


ED Quod caput est, hanc opinionem, ac sententiam ab omni erroris suspicione liberauit censura supremi Consilij sanctę Inquisitionis: nam cum ad sanctissimum illud Tribunal aliqui Theologi delati, & accersiti fuissent, quod debitum etiam originalis culpæ in Virgine abnegarent, & eandem in Adamo non peccasse dicerent, re examinata, & perpensa, auditis qualificatoribus, alijsque sapientissimis viris in Consilium vocatis, tandem statutum, eos, qui præfatum dogma protulerunt, nihil demereri: atque adeò indultum, vt Fratres Minores Toleti suas de hac re publicè theses defenderent, quas authoritas illius Senatus priùs inhibuerat, vt constat ex locupletissimo testimonio Fernandi de Villegas eiusdem Tribunalis à secretis Notarij dato Madriti 22. die Ianuarij anno 1616. 20

Sed tamen, quia suæ censuræ aculeos inde hebetari senserat Ægidi. lib. 2. q. 4. art. 7. §. 4. ita subtexuit: *Aliqui scribunt sanctissimũ Tribunal qualificasse hanc propositionem, vt probabilem: B. Virgo non peccauit in Adamo, sed in hoc hallucinantur, quoniam propositio qualificata agit de debito in persona Virginis contracto: non autem de debito eiusdem in Adamo, & prout in Adamo.* Addit etiam, Complutensis Academiæ Doctores eodem sensu, & non alio illam propositionem ab omni nota liberam asseruisse. Sed mirum est, quantùm Ægidius, qui alios in hac re luce fraudatos putat, in eadem ipse luscus fuerit. Ergo vt rem melius teneat, illud ipsi notũ fieri volo, conclusiones illas Theologicas Fratrũ Minorũ, quas sanctissimũ Tribunal, audita aliquorũ delatione primò inhibendas censuit, & quibus posteà indulsit, vt publicè Toleti sustineri possent, in aditu ipso, & fronte ita præscriptũ habuisse: *Vtrum Virgo Deipara contraxerit debitum incurrendi peccati originale* (hanc enim illius actionis principẽ quæstionẽ esse voluerunt) in calce verò, & vmbilico ita subscriptum ab eisdẽ fuisse: *Conclusio est negatiua.* Delata est præfata conclusio, & propositio ad Doctores Complutenses, qui vt suã sententiã dicerẽt, per Fr. Minores, quorũ res agebatur, hunc ad modum quæsitum est. Ipsissima verba hic adscribo: *Quaeritur vtrũ responsio negatiua, vt cõstat ex illo verbo, contraxerit, neget tantummodo debitum proximum natum ex contractu, & pacto inito cum Adamo, quandoquidem is, qui* 21 *AEgid.*

tioſim iſtam defendit, concedit aliud debitum remotum pactum antecedens, cum quo vera, & propria redemptio optimè componitur. Ergo ad hunc modum rogati Complutenſis Academię proceres in præfata poſitione nihil eſſe grauiori cenſura dignum annuerunt.

22 Sed vt conſtet apertè, qualis fuerit Complutenſium mens, atque eos ſua qualificatione illam propoſitionem: *Beata Virgo in Adamo non peccauit*, ab omni nota liberam eſſe voluiſſe, ex multis vnus, qui ad inſtar omnium eſſe debet, grauiſsimus, ac ſapientiſsimus Doctor Ludouicus Monteſinus illius Academiæ Primas, & inter eos, quos ætas noſtra tulit, Theologos nulli ſecundus, inter alia eiuſmodi verba ſuo nomine ſubſcripta dedit: *Quartò obſeruandum eſt illud debitum habendi peccatum poſſe intelligi dupliciter, vnum quaſi proximum, alterum quaſi remotum. Quod ſic explico: Si Beata Virgo peccauit in Adam, habuit debitum proximum contrahendi originale, quia habuiſſet peccatum in ſe ipſa, ſi non præſeruata eſſet in primo inſtanti ſuæ animationis: ſi autem non peccauit in Adam, habuit debitum remotum, quia peccaſſet in Adã, ſi non fuiſſet excepta à lege communi, aut ſi non fuiſſet præſeruata in illo inſtanti.* Deinde verò aſſerit propoſitionem ſecundam, quod ſcilicet Virgo non peccauerit in Adamo, atque adeò remotum debitum tantummodo habuerit, nulla grauiori cenſura dignam eſſe, imò piè, ac probabiliter defendi poſſe. Idem fuit prorſùs aliorum Doctorum iudicium, vt ex locupleti quodam tranſſumpto eorum, quæ quiſque ad propoſitam ſibi quæſtionem reſpondit, & ſua manu ſubſcripta dedit, quod apud me ſeruatum habeo, facilè cuiuis conſtare poterit.

Ludouic. Monteſ.

23 Ex his liquet, quàm ſibi falſò illud ſumpſerit Frater Ægidius, affirmans ſanctiſsimum Inquiſitionis Tribunal de propoſitione illa, *Beata Virgo non peccauit in Adam*, nihil vnquam ſtatuiſſe, & ſua qualificatione hoc tantum indulſiſſe per diſsimulationem, vt ſententia tenens Beatam Virginem Deiparam non contraxiſſe debitum peccandi in propria perſona, piè, ac probabiliter defendi poſsit. Quandoquidem conſtat ipſos reos, quorum cauſa agebatur, ſeriò affirmaſſe omne debitum natum ex lege, & pacto à ſe abnegatum. Viderit ergo nunc ipſe Ægidius, an ſublata lege, & pacto, manere poſsit illud peccatum filiorum in parente, quod ipſe comminiſcitur, & quod debiti nomine compellandum eſſe dicit. Doctores etiam Complutenſes de illa quæſtione ſub eo ſenſu ſententiam dixiſſe ex præſcripto teſtimonio facilè conſtat. Accedit etiam, quod ſub idem tempus apud inſigne Sancti Franciſci Cenobium doctiſsimus Magiſter Fr. Antonius de Velaſco, tunc quidem ſacræ Theologiæ in eodẽ Cenobio Lector ſapientiſsimus: nunc verò eiuſdem meritiſsimus Guardianus, in totius Academiæ oculis, euocatis omnibus Doctoribus, theſes Theologicas publicè defendit, & in quarta Concluſione expreſſè ſcripſit: *Neque Virginem in Adamo peccaſſe, neque debitum proximum incurrendi culpam originalem contraxiſſe.* Et ſubinde etiam alij, atque alij in eadem Academia prædictam ſententiam conſutati ſunt.

F. Anton. de Velaſc.

24 Huius etiam rei facit fidem id, quod nuper eadem Academia Complutenſis cum incredibili omnium gratulatione, & ſui etiam nominis, ac ſplendoris incremento geſsit. Nam ne Academicis ſuis integrum deinceps eſſet, de Virginis originali iuſtitia piè non ſentire, decretum emiſit, in quo cauet, ne cui poſthac ad cuiuſuis facultatis gradum ſcandere liceat, qui priùs iuramento nuncupato, ad Virginis Deiparæ Immaculatam Conceptionem tenendam, defenſandamque non ſe obſtrinxerit. Iuramenti autem formula talis fuit: *Quoniam glorioſiſsima Virgo Maria Mater Dei auguſtiſsima his, qui elucidant ipſam (hoc eſt ipſius ſanctitatem eximiam, & gratias prope diuinas in lucem proferunt) vitam æternam pollicetur: florentiſsima Complutenſis Academia, & eiuſdem loci Eccleſia ſancta, ad grauiſsimam illam quæſtionem, quæ de illius Conceptione, ſanctificationiſque exordio eſt, Patrum monumentis diligenter inſpectis, perſpectiſque matura conſideratione Theologiæ momẽtis, amplam admodum occaſionem nacta elucidandi eius gloriam: doctrinam, quæ differit glorioſiſsimam Virginem Mariam, præueniente, & operante diuini numinis gratia, nunquam actualiter ſubiacuiſſe peccato originali, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali culpa, ſanctamque, & immaculatam, tanquam piam, & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei catholicæ, rectæ rationi, & ſacræ Scripturæ hactenus ſemper ſumma confiſione defendit, ac propugnauit. Sed quò fœlicius tandem eiuſdem ſanctiſsimæ gloriam in lucem proferat, atque ſit illuſtrius omnium oculis teſtata, eandem veram ſententiam tenendam, & amplectendam poſthac ſub ſacroſancta iuramenti Religione, tactis Euangelijs, promittit, recipit, ſpondet,*

Cuius formulæ pleraq; verba delibata ſunt
ex Concilio Baſilienſi in decreto de pura Virginis Conceptione, ſed tum maximè illa: *Doctrinam, quæ differit glorioſiſsimam Virginem Mariam, præueniente, & operante diuini numinis gratia, nunquam actualiter ſubiacuiſſe peccato originali.* Hæc autem verba ſtudioſè, & de induſtria in iuramẽti huius forma à Cõplutẽſibus addita fuere, vt ab eorum pleriſq; didici, ne ſcilicet aliquid de probabilitate illius opinionis derogarent, quæ in Virgine Deipara ne debitũ quidem originalis culpæ agnoſcit. Nam eapropter actualem immunitatem Virginis à culpa originali, non quidem nominatim per gratiam habitualem ipſi infuſam, ſed per gratiam præuenientem, & operantem perfectam fuiſſe affirma- 25

runt:

runt: quia eiusmodi nomina, *gratia praeueniens*, atque *gratia operans*, latius patent, atque non solùm de gratia habituali, sed in vniuersum de omni auxilio gratiae enunciari solent. Lege nostrum Gabrielem Vazquez 1. parte, disputat. 88. cap. 2. & 3. Nimirum grauissimi, atque doctissimi Academici noluerunt prorsus ei se obstringere doctrinae, quae affirmat liberationem Virginis à culpa originali per infusionem gratiae habitualis formaliter praestitam fuisse: iuxta quam necessum est debitum peccati originalis ita in eadem Virgine statuere, vt nisi ea ratione per infusionem gratiae habitualis praeuenta fuisset, ex iure, ac lege vniuersali peccatum sibi attraheret. Sed liberum esse voluerunt Academicis Virginem etiam à debito originali immunem defendere: ita tamen vt in liberationem Virginis à culpa originali, gratiam praeuenientem, & operantem agnosceremus, quam nullus ex Catholicis non agnoscit eo modo, quo nuper dicebam.

26 Ad haec nequaquam nouum, ac recens est hoc Complutensium Doctorum iudicium: nam multis ab hinc annis grauissimus, atque doctissimus Frater Ludouicus de Carauajal Ordinis Minorum regularis, cuius in Tridentino Concilio spectata fuit authoritas, Declamationem quandam pro Virginis pura Conceptione in lucem dedit, in qua exceptionem Virginis à lege vniuersali, atque adeò immunitatem à culpa, & à debito illius docuit cap. 23. quod caput ad hunc modum inscripsit: *Quod lex vniuersalis peccati originalis non sit in beatam Virginem lata*. Huius autem scriptoris authoritas in hac re magni momenti est, non solum, quia in Tridentino Synodo: sed etiam, quia cum habuisset acerrimos censores, qui aliquas eius propositiones seuerioribus censuris perstrinxerunt, adeò vt decem & quinque illius positiones erroris nota sugillauerint, contra hanc Virginis exceptionem à lege communi ne verbum quidem vnquam obiectum fuit: quin imò cum Carauajalius declamationem suam, & sibi obiectas propositiones ad duas totius orbis grauissimas Academias, Parisiensem, & Complutensem, detulisset, ac per Theologicam facultatem vtriusque vniuersitatis exactè fuisset expensa, ab vtraque tanquam pia, & catholica, posthabitis obiectionibus, declarata, & probata est, vt videre est in calce operis, vbi vtriusque Academiae censuras author adiecit.

Ludouic. de Cara.

Igitur nec de sanctissimi Tribunalis oraculo, nec de Complutensium iudicio amplius addubitare integrum erit. Facessant ergo tuae interpretationes, doctissime Ægidi: nam licet fas sit tibi cum grauissimis huius Academiae magistris, vel Patribus non sentire: at illis sensum tuum, ac mentem affigere, & accommodare nefas est. Id certè de me fateri possum, olim ei sententiae, quae negat immunitatem Virginis à debito originalis culpae, pertinacius adhaesisse, adeò vt opposita mihi temeraria, & (si Deo placet) erronea videretur. At postquam didici sanctae Inquisitionis oraculum, & Doctorum Complutensium super hac re iudicium, tantis, ac tam splendidis Ecclesiae luminibus fidem habere, à mea, quam prius ebiberam, sententia labare, omnesque Virginis à praefato debito vendicandae modos, & vias agitare mecum coepi. Hanc igitur mentem, & animum, quem mihi inditum à Deo in maximi beneficij loco pono, tibi, omnibusque alijs Virginis amatoribus opto. 27

DVAE ALIAE OPINIONES Recentiorum.

 CAP. IX. 

1. *Virginem decretam filiam Adami pro statu innocentiae sentiunt Recentiores.*
2. *Ex electione Virginis ante omnem creaturam praedictam sententiam confirmant primò.*
3. *Dictum Recentiorum assertum quàtùm Virginem deceat.*
4. *Ex similitudine, qua Eua Virginem referebat, idem secundò probant.*
5. *Ex dicta ratione, Virginis ante omnes creaturas electio fulcitur.*
6. *Eua ex Adami costa formatio immaculatam Mariae Conceptionem adumbrauit.*
7. *In Eua, quae ex Adamo adhuc iusto formata est, Maria Adami filia pro statu innocentiae decreta adumbratur.*
8. *Adamus fuit imago, & vmbra Christi, & ante lapsum, & post lapsum.*
9. *B. Virgo spiritualiter genita est à Christo, prout innocentis Adami imaginem gessit.*
10. *Eua ante ruinam, Ecclesiae vmbra fuit.*
11. *Maria Virgo praecipua Christi sponsa.*

12. Adami & Euæ coniugium, Christi cum Ecclesia, propter vnam Mariam, nuptias præfigurauit.
13. Euæ formatio secundò aliter Immaculatam Virginis Conceptionem referebat.
14. Quarè Eua non facta, sed ædificata dicatur.
15. Mariæ formatio magis conditoris artem commendat, quàm Christi productio.
16. Euæ formatio, quia ædificatio dicitur, Mariæ Immaculatam Conceptionem significat.



1 HVIUS Quæstionis discutiendæ ardor, & studium erga Beatam Virginem, quod huius temporis altercationes in multis excitarunt, ad excogitandas nouas rationes, quibus Virgo, non modo à culpa originali, sed etiam ab illius debito vendicari posset, plurimorum mentes exacuit. Quapropter noui quidam authores non vulgaris doctrinæ, laude insignes, ad hunc modum senserunt, Adamum scilicet duplici statu potitum fuisse: alter fuit fœlix, & beatus ante culpam admissam: alter verò infœlix, & infortunatus post delictum. Aiunt ergo in decretis Dei Virginem Deiparam Adami filiam præfinitam fuisse, pro eo statu priori fœlici, & fortunato ante culpam: reliquam verò illius posteritatem subinde post culpam illi decretam. Ex quo fit, Mariam, neque in pactum transfusionis ingressam, neque peccato primi parentis obnoxiam fuisse. Hanc opinionem refert doctissimus noster Ioannes de Pineda in tractatu de Immaculata Conceptione, quem ad constitutionem Ioannis Aragoniæ Regis nuper edidit, sed fundamenta illius compendij studiosus non aperit: potest tamen ad hunc modum confirmari, & explicari. *P. Pined.*

2 Ponendum imprimis est, id quod ex celebri aliorum sententia non semel diximus, Virginem Deiparam, ante omnes creaturas, primam post Christum electam, & prædestinatam fuisse: rursus omnes alias creaturas propter ipsam subinde præfinitas fuisse eo modo, quo supra cap. 3. latè exposuimus, vbi etiam consequenter dicendum decreuimus, Adamum, & Euam primos hominum parentes propter Virginem primo, & per se definitos, deinde verò secundario, & consequenter propter reliquam ipsorum posteritatem. Ex his ergo præfata sententia non ineruditо discursu elici potest, ad hunc modum. Cum Adamum, atque Euam propter Mariam primariò creatos, & productos fuisse dicimus, non aliter sanè ad illam ordinatos intelligimus, nisi vt parentes ipsius forent, nimirum, vt Virgo, quam Deus ante illos fore decreuerat, ex ipsis genus suum traheret. Et quidem ita prorsus dicendum videtur iuxta ea, quæ in capite supra citato scripsimus, vbi non solùm ipsum Adam, atque Euam quoad substantiam, sed etiam statum illum fœlicem, in quo editi sunt, ad Mariam ordinatum ex mente horũ Doctorum asserebamus. Ergo Maria Adami, atque Euæ filia pro illo statu decreta est: nam aliter status ille propter ipsam intendi non potuit. Luculentius dicam: propterea Virgo protoplasti filia pro statu innocentiæ præfinita est, quia cum iam inde prius Deus illam fore decreuisset, Adamusque, & Eua in fœlici illo statu ad futuritionem ipsius ordinati sint: sanè illorum filia pro illo statu existimanda est, in quo parentes ad illam, & propter illam conditi sunt: præsertim cum ex his, quæ nuper pro superiori sententia diximus, constet, pugnantia dicere illos, qui Virginem ante Adamum prædestinatam, & efficaciter electam asserunt, & illam postea ex pacto Dei, fragili voluntati eiusdem Adami commissam tentur. Secus autem de reliqua eius posteritate existimandum est: hæc enim illi deinde ex Dei decreto adscripta fuit, atque adeò eiusdem Dei lege, & sanctione ipsius voluntati tradi potuit, vt gratiam, vel culpam in eam deriuaret.

Et quidem Virginem Deiparam ad eum modum pro statu innocentiæ originalis Adami filiam decerni, ipsi perquam decentissimum fuisse sic probo. Quia legibus ita cauetur, vt ex delicto, quod pater post filium natum admisit, infamia, & dedecus ad filium nequaquam veniat. Ergo cum Virgo Adami filia prius decreta fuerit, quam ipse tanti delicti reus extiterit, profecto illius delicti nota ipsam attingere non debuit. Nam licet Virgo re ipsa post Adami delictum procreata sit: tamen in Dei definitionibus, quæ ad pactum transfusionis (de quo hic agimus) potissimum obseruandæ sunt, ante delictum extitit, & ad gratiam quoque ante delictum electa fuit: atque adeò ab omni labe, & macula, quæ ex delicto illo in reliquam Adami posteritatem serpit, prorsus libera esse debuit. 3

Ad hæc, potest hæc sententia non infirma quadam ratione fulciri: quia vt communis Patrũ sententia fert, Eua fuit imago quędam, & simulacrũ perfectissimũ sanctissimæ Deiparæ, non quidẽ post lapsum, cũ ortas ex culpa iniurias subire coacta est, sed ante lapsum, cũ gratia, atq; iustitia originalis in ipsa vigebant. Ergo iã inde in eo fœlici statu hæc illi filia decreta erat. Non enim ita dicẽdum est, ex casu quodam temere accidisse, vt filia matri similis euaderet, sed eam similitudinem à Deo de industria intentã, & quęsitam, ita vt Deus Euam in prima sui conditione propterea tot ornamentis, ac dotibus insig- 4

nierit

nierit, vt Mariæ imago absolutissima esset: ergo iam tunc etiam in illo statu Deus in Mariam inspiciebat, vt imago exemplari suo responderet, & filia prorsus cum matre congrueret. Ex quo fit iam tunc etiam in illo statu eam filiam matri suæ adscriptam, & decretam fuisse.

5 Vrgeri autem potest ratio ista ad probandam Virginis electionem, & prædestinationem ante omnem creaturam, atque adeò ante Adamum, & Euam: quia eam, quæ inter Euam, & Mariam similitudo intercedit, sic mente contueri opus est, vt dicamus Euam vmbræ, ac simulacri cuiusdam rationem habuisse, Mariam vero primi exemplaris, seu prototypi gloriam ferre. Cũ ergo in mente artificis exemplar prius sit, quam ea forma, quæ ab illo ducitur, fateri opus est, Mariam in Dei intentione, atque idea ante Euam electam, Euamque Mariæ subiectam, sub illam scilicet deinde decretam, & ad ipsam ordinatam fuisse. Simile enim argumentum ex Adamo ad Christum duci consueuit, ad probandum hunc ante illum prædestinatũ. Quid inde? Sane inde fit Mariam, iam tunc in eo fœlici statu innocentiæ, non solum in Euæ lumbis, tanquam in matre, & parente præfuisse, sed etiam in eadem extitisse eo modo, quo res in sua similitudine, & imagine inesse dicitur. Quapropter ne imago, exemplarque dissiderent, fœlix ille status originalis iustitię filiæ concedi debet, quo mater tunc gaudebat, vt tali parenti talis filia pro eo statu prorsus tribuenda sit.

6 Et quidem ex collatione hac Mariæ cum Eua in statu innocentiæ, non infirmæ rationes ad Virginis Conceptionem immaculatam comprobandam deriuari possunt. Primò, Euæ productionem ex Adami costa venuste admodum ad Marianæ Conceptionis puritatẽ ostendendã transtulit grauissimus author Catherinus in disp. pro immaculata Conceptione, lib. 3. cap. 4. cuius verba subscribere libet, sunt enim peruenusta. Nã vbi priorem generationis modum, quo Adam ex terra virgine, & minime maledicta procreatus est, de Conceptione Christi ex Maria Virgine exposuit, quam veteris maledicti ærumnę non attigerunt, deinde productionem Euæ ex viri costa, de Virginis Conceptione sic expendit. *Accipe* (inquit) *nunc secundum generationis modum Euæ, & hic etiã ante peccatum, & a Deo, sed non sine viro. Etenim de costa viri in soporem coniecti ædificata est post virum mulier in innocentia. Hic quæso aperi oculos, bone lector, & agnosce hanc secundam spiritualem generationem Virginis, quam profitemur, quæ ex Christo fuit, non a semetipsa ex vi propriæ natiuitatis, & tamen in innocentia sicut ille, & ex costa eius, id est, ex fortitudine, & potentia gratiæ, qua voluit apud patrem, vt inde educi posset adiutorium simile sibi, id est, innocentissimum pro aliorum regeneratione. Et quam pulchre tunc educta est, cum in soporem coniectus est vir ille: vt intelligas etiã Virgini opus fuisse Christi morte, vt ex eius latere isto modo illibatissima educeretur: tunc enim Dominus quasi in soporem coniectus est, quando velut nihil sentiens, & nullam sui ipsius rationem habens, passus est opprobrium crucis. Sed magno vtique Dei consilio factum, vt inde primum hæc Eua nostra sancta prodiret viro similis, vt omnium vere viuentiũ mater fieret. Tunc enim (vt beatus Augustinus in quodam loco dixit) hora illa venit, quando matrem summo amore, & honore respexit, scilicet cum pendere capit in cruce illa Dei caro, cuius ipsa mater erat: tunc vere mulier prodijt, vt & alios cum viro generare posset Deo, sicut illa Eua generauit carni. Propter quod, & illam misterij huius vocem audiuit stans ante crucem: Mulier ecce filius tuus, vnde virago verissime hæc dici potest, quia de viro Christo educta est, & per virum fortis, & cum illo: quoniam ante omne peccatum educta est ipsa sola de costa. Cæteri omnes, qui secundum carnem nati sunt, post peccatum nati sunt, & parentes peccatores habuerunt: sola Eua habuit parentem suũ Adam nondum peccatorem, à quo ducta est. Ita Christus illi soli nõ fuit peccator, quam ab omni peccato præseruauit, nec pro illa vt peccatrice deprecatus est, sed ne fieret peccatrix: ideo nec est captus in templo.*

Catherin.

Hactenus Catherinus, cuius extrema verba huic sententiæ patrocinari videntur, ex quibus talis ratio confici potest. Eua suam originem recenset ex Adamo, antequam peccatum admitteret, vt pote quæ in statu innocentiæ, eius ex costa fabricata est: Ergo Maria, cuius Eua typus extitit, eiusdem Adami pro illo statu filia censenda est. Vel aliter si ex Adamo ad Christum (cuius ille forma fuit) gradũ faciamus: sicut Eua ex Adamo nondum peccatore fata, reliqui vero filij ex eodẽ iam peccatore prognati sunt: ita etiam in regeneratione, quæ per Christum facta est, Virgo vtique Christo innocenti, reliqui vero (liceat sic dicere) Christo peccatori originem suæ iustitiæ, & sanctitatis debent. Christum autem peccatorem appellauit Catherinus, non existentia, sed forma, atque similitudine, propter formam scilicet serui, ac peccatoris, quam assumpsit. 7

Nam duplici modo Adami similitudinem induit Christus Dominus secundum duplicem statum, inquo fuit: Adamus enim in statu innocentiæ Christi forma extitit. Sic Paulus ad Ephesios 5. qui cum præmisisset illa verba ab eodem Adamo ante peccatum dicta Genes. 5. *Propter quam relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna,* subnectit. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Ex quo loco colligunt Patres Adami atque Euæ nuptias, Christi & Ecclesiæ coniunctionem perspicue adumbrasse: 8

Ad Ephesios. 5.

Genes. 5.

ita

ita vt Adamus Christum, Eua vero Ecclesiam exprimat. Rursus idem Adamus, etiam post delictum in statu culpæ, Christi forma fuit, eodem Apostolo authore ad Rom. 5. *Sed regnauit* (inquit) *mors ab Adamo vsque ad Moysem, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri*: nimirum Christi futuri (sic vno excepto Augustino, reliqui Patres & interpretes exponunt) quę verba de Adamo peccatore capienda sunt.

Ad. Ro. 5.

9 Ergo cum Christus Adami innocentis, ac peccatoris formam gesserit, ita dicẽdum est nouam Euam, id est Mariam, ex illo, quatenus innocentis Adami imaginem in se expresserat, suæ spiritualis generationis traxisse initia: reliquos vero homines ab eodem Christo quatenus Adami prępuaricatoris similitudinẽ portabat, regeneratos fuisse. Itaq; Virgo Deipara ab omni peccato permunda innocentis Adami in Christo formam inuenit: reliqui vero, cum peccatis infecti sint, à Christo eiusdem Adami transgressoris similitudinem gerente suæ regenerationis initia petunt.

10 Sed quia nuper diximus Euæ, atque Adami nuptias in statu innocentiæ pactas Christi, & Ecclesiæ coniunctionẽ adumbrare, ita vt iam tunc Adamus Christi forma, Eua autem Ecclesiæ vmbra esset, vt tradit Paulus. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Hinc sane difficultas sese dat non vulgaris: quonam modo iam tunc ante peccatum Eua Ecclesiã referre, & adũbrare potuerit, cũ certũ sit subinde post peccatum, & post præuisionem passionis Christi, quæ ex peccato occasionem sumpsit, Ecclesiam, eiusque formam à Deo definitam fuisse. Quomodo ergo Eua iam tunc Ecclesiam illam in se ipsa exprimet, quæ necdum futura erat? Neque vero licet dicere Euam pro eo statu Ecclesiæ illius symbolum fuisse, quæ Adamo minime delinquente foret, non autem huius, quæ post delictum illius à Christo collecta fuit: cum Paulus de illa Ecclesia manifeste loquatur, quæ modo est per Christum comparata, & coacta.

Paulus.

11 Quapropter dicendum est Ecclesiam totam in vniuersum sponsam Christi ita censeri, vt Maria Deipara primò, ac principaliter quasi per antonomasiam hoc nomen ferat: ipsa enim est princeps Christi spõsa, in quam apprime quadrant verba illa Cant. 6. *Sexaginta sunt Reginæ, & adolescentularum non est numerus: vna est colũba mea perfecta mea, &c.* Ad hæc: in parabola decem virginum sic habes. *Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ exierunt obuiam sponso, & sponsæ.* Vbi patres per decem virgines totius Ecclesiæ vniuersitatem, & per sponsum Christum capiunt: at per sponsam Deiparam Virginem notari vult Catherinus, & ex illo alij. hæc enim prima, & princeps sponsa Christi,

Cant. 6.

cum qua aliæ iustorum animæ collatæ non tam sponsæ, quàm eiusdem Virginis famulę, ac pedissequæ censentur.

Ex his fit, Adami, atque Euæ nuptias in statu originalis innocentiæ coniunctionem Christi, & sponsæ suæ Ecclesiæ arcano Sacramento iam tunc notare, non quidem secundum totã ipsius Ecclesiæ vniuersitatem, hæc enim necdum tũc futura prępuidebatur; ergo secundum vnam Mariam Virginem principalem Christi sponsam, quæ iam tunc in Dei decretis futura erat, atque adeò Adami, atque Euæ filia pro fœlici illo statu censeri debebat, ante delictum, & pactum: quapropter nec pacto obnoxia, nec delicti consors fieri potuit. 12

Rursus hanc Virginis Deiparę exceptionem ex lege communi, & pacto cum Adamo inito ipsa Euæ formatio alio ex capite venuste admodum adumbrat. Eua quippe ex latere Adami tunc producta est, cum Adamum sopor altus demerserat: atqui in sopore nullus rationis, aut libertatis vsus est. Vt vel sic constaret in Virginem Deiparam, cuius conditio in Euæ formatione præfigurabatur, ex libera Adami voluntate nihil promanasse, atque adeò peccatum, quod deliberatio voluntatis perficit, ad ipsam minime deriuatum: non enim quęuis priuatio gratiæ, & iustitiæ peccatum originale constituere nata est, nisi voluntaria, & libera: non quidem à propria vniuscuiusque, sed ab aliena protoplasti deliberatione, & voluntate, vt non semel aliàs obseruauimus. 13

Ad hæc, ex formatione primæ mulieris aliter Virginis immunitas corroborari potest: quia vt concors tenet Patrum sententia, in Adami prima conditione Christi Domini prima etiam cõditio, & in Euæ formatione Mariæ quoque formatio adumbrata est. Sed notandum est quoddam valde latum inter vtramque dissidium: nam cum de Adami conditione, & animatione sermo est, sic habet textus sacer Genes. 2. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Obserua illud verbum *faciamus*, quod licet trium personarum ad hominem condendum sese exhortantium nescio quam conspirationem adsignificare videatur, vt docent Basil. & Ambrosius: tamen si vim verbi spectes, simplicem, & minime artificiosam efficientiam notat. *Faciamus.* Cum vero de formatione mulieris agitur, ad hunc modum subditur. *Et Ædificauit Dominus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Animaduertenda etiam potestas illius verbi *ædificauit*, quod non simplicem efficientiam, sed aptũ quoddam secundum artem opificium significat. Itaque in formatione mulieris, conditoris ars, & peritia exprimitur, in formatione hominis nõ item. Quorsum hęc? Ergone licebit ad Christum, & Mariam vtriusq; formationis circumstantias sic transferre, vt affe- 14

Genes. 2.

Basil. Ambros.

ramus

ramus in Maria efformanda, & expolienda conditoris artem, & peritiã magis quodammodo excelluisse, quã in Christo: ita vt Christus factus simpliciter, Maria vero exædificata, & secundum artem exstructa dicatur? Absurdum certe hoc, verbo tenus, videtur: sed si sententiam penitus calleas, certum omnino esse ex ipsa vtriusque hominis formatione deprehendes. Nã si materiã attentius animaduertas, ex qua vterq; factus, & cõstitutus est, certe ars conditoris in mulieris formatione præluxit. Nã de conditione Adami sic habes. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentē.* Idest, statuam ex limo affabre cõfinxit, & illam statim sua inspiratione inanimauit, quod magis quodammodo pronum, ac facile erat, quia materies ipsa non parum iuuabat artificem. De mulieris vero formatione sic attexitur. *Ædificauit Dominus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Itaque costam rigidam, paruam, & obtortam sumpsit Deus, & ex illa fœminam pulchram, & elegantem perstruxit, in qua structura ars cõditoris mirum in modum sese prodidit, quatenus materies minus opportuna, & accõmodata ad opificiũ erat, & ob hanc vtriusque fabricæ differentiam, homo factus simplici efficientia, mulier vero ex arte ædificata dicitur.

Gen fi. 2. *Genesis. 3.*

15 Nec dissimili ratione de Christo, & Maria iudicandum est: in hac enim (audens dico) opificis ars magis quodammodo excelluit, quam in illo: non vtique ratione rei factæ, nam Maria sub his terminis immenso interuallo cedit Christo, sed ratione materiæ. Nã (liceat sic dicere) ex diuinitate, atq; humanitate in eadem hypostasi vnitis tantum opus moliri, scilicet Christum Dominum mundi totius redemptorem, & assertorem, supremum creaturarum omnium Regem, & Pontificem, non modo peccati omnis expertem, sed anamartiton, idest, impeccabilem, res vtique magna, & admirabilis fuit: sed tamen vsque adeò materies operi ipsi accõmodata erat, vt ea ex parte opificis artem quodammodo eleuaret. Attamen ex fœmina, quæ sua conditione à reliquis minime differebat, matrem Dei, cœli, ac terræ supremam Reginam, & post Christum salutis nostræ causam, non vtique impeccabilem, sed tamen peccati omnis expertem affabre perficere, opificis artem magnopere commendat, quatenus materies tanto operi parum opportuna videbatur. Eapropter de Christo, secundum quod in Adamo præfigurabatur, simpliciter dictum est. *Faciamus hominem.* Maria vero in Eua *ædificari*, id est, secundum artem componi, & effingi dicitur, ita quod in Christi fabrica materies, in Mariæ structura ars conditoris quodammodo excelluit.

Genesis. 1

16 Quid plura? Dum Virgo Maria in prima Eua ædificari dicitur, iustitia eius originalis non obscure eo verbo adumbratur. Nam Virginis huius prima formatio, & molitio propterea *ædificatio* appellatur, quia iã tunc cum primum formabatur, ædes, domus, palatium, ac templum erat, non vtique alterius, quam ipsius Dei: ergo ab ipso iam tunc adamabatur ardentius. Huius consequutionis vis in eo sita est: quia (vt commune habet Philosophorum placitum) inter voluntatem, & intellectum hoc interest, quod intellectus res cognitas ad animum trahit: voluntas vero ad res adamatas animum ipsum trãsfert, ita vt in ipsis degere, & morari recte dicatur. Maria ergo in prima sui conditione, vt ex verbo illo, *ædificauit*, constat, Dei ædes ac tẽplum propterea dicitur, quia iam tunc Deus in illam per amorem migrauerat, vt in ipsa inhabitaret, & eam incoleret: hæc enim vis illius amoris est. Et sane quandoquidem Deum a se ipso ad alia externa per amorem demigrare oportuit, nulla domus augustior illi euenire potuit, quam Maria. Quis ergo non vereatur dicere huius domus, quam ipse sibi molitus est, primos incolatus dæmoni permissos fuisse: ita vt prius ille per culpam ibi degeret, quam Deus ipse per gratiam inhabitaret? Rursus: quonam iure Virgo Deipara tunc ædificari diceretur? An non potius si iam tunc culpæ locus fiat, destrui, atque ab ipsis fundamentis subuerti dicenda erit? Et quidem verbum, *ædificare*, metaphoricè primæ mulieri, atque adeò Virgini accommodatum est, sumpta similitudine ab ædium constructione: in ædibus vero fundamentum totius fabricæ robur continet. Ergo cum conceptio infantis reliquæ vitæ fundamentum sit, ne Virgineæ domus fabricam infirmam, & mobilem esse dicamus, affirmare oportet conceptionem eius iam tunc per iustitiam originalem solidari, ac robustam fuisse: nam qua ratione tantam sequentis vitæ molem immundæ Conceptionis male firmum fundamentum sustinere posset? Aut quomodo reliqua huius domus fabrica non decidua esset, cum ab ipsismet fundamentis iam nutaret?

Mitto alia multa, in quibus Eua pro illo fœlici innocentiæ statu Mariæ præstantissima effigies fuit, ex quibus non obscure confici videtur, ipsam ad illum statum pertinuisse, & Adami, atque Euæ filiam iam tunc pro eo statu censendam, ita vt cum reliquę posteritatis massa permisceri non debeat.



CEN-

CENSVRA SVPERIORIS opinionis.

§. II.

17. Si Virgo pro statu innocentiæ Adami filia decreta est, immunitatem à peccato ex meritis Christi trahere non potuit.
18. Non solam Virginem, sed & reliquos Adæ minores ante præuisam culpam iam decretos, & futuros concedere coguntur superioris sententiæ authores.
19. Quo modo Eua Virginis similitudinem gesserit.
20. Quare Euæ similitudo, quæ Mariam repræsentabat, eiusdem puram Conceptionem confirmet.

17 ROFECTO Hæc sententia, quam bonæ notæ recentiores Theologi amplexi sunt, acuminis aliquid, solidi autem roboris nihil continet. Imprimis enim multa habet communia cum opinione Catherini supra adscripta, quæ similem ad modum confutari debent. Ex illa enim sequitur, Virginem ex meritis Christi passibilis electam, & à peccato originali afferram non fuisse: nam cum dicat Mariam in commune transfusionis pactum ideo non venisse, quia multò ante in fœlici innocentiæ statu ante lapsũ protoplastorũ, eorum filia decreta est, atq; adeò ex iustis, non autem ex peccatoribus originem traxisse: non potuit sane illi hæc libertas, & immunitas per mortem, & passionem Christi euenire, cum hæc mors, atque passio subinde post eorundem protoplastorum lapsum definita fuerit.

18 Rursus ex eo etiam lapsi videntur prædicti authores, quod solam Virginem Deiparã pro statu innocentiæ ante pactum, & peccatum Adami, filiam eius definitam, & decretam volunt: nam iuxta ipsorum sententiam certo certius est, non solum eam, sed reliquos homines Adæ posteros ante pactum, & culpam ex eodem Adamo fore in decretis Dei ratum fuisse. Nam cum isti Doctores tam Virginem, quam omnes alios iustos ante pactũ, & culpã ad gloriã prædestinatos, & electos affirmẽt, fateri etiã debent illos etiã ante pactum, & culpam præuisam ex decreto Dei futuros fuisse: prius enim est esse, quã eligi, aut prędestinari. Rursus pactũ ipsum, vt infra, cap. 17. latius dicemus, non est initum pro filijs Adæ in vniuersum consideratis in esse possibili, sed in particulari pro singularibus futuris: atque adeò prius illos Deus ex Adamo fore præcognouit, atque decreuit, quam aliquid circa transfusionem gratiæ, aut culpæ pacisceretur. Sicut ergo omnes Adæ minores quamuis ante transfusionis pactum filij ipsius pręuisi, atque decreti fuerunt, non ideo tamen ab eodem pacto exclusi censentur: ita etiam licet demus ante pactum pro fœlici statu innocentiæ definitum fuisse, vt Virgo Deipara Adami filia foret, non tamen ex eo conficitur, illam à communi pacto seruatam, & exceptam.

Ratio autem illa, quæ ducitur ex similitudine Euæ, atque Mariæ, satis infirma est. Non enim ita putãdum est, Deum optimum maximum, Euam eo modo ab initio condere decreuisse, vt Mariæ primam conditionem adumbraret: id enim à sensu Patrum abhorret plurimum. Sed illorum mens talis est, Deum post præuisionem culpæ, & lapsus, vt naturam instauraret, sic totam rem transegisse, vt duo assertores, Christus, & Maria, priores illos subuersores, Adamũ, & Euã imitatione simularent, vt vulneri medicina responderet. Et quia præuaricatorũ duplex status fuit, alter fœlix, tunc cum in his gratia, & iustitia velut primo flore vernabat: alter subinde infelix, postquam illum gratiæ, & iustitiæ florem culpa violauit: vtrũq; certe statum duo illi assertores dissimili quadam lege imitati sunt. Quia nimirum, vt homines ad eam fœlicitatem, quam amiserãt, reuocarent, ita opus fuit, vt ea fœlicitate, cuius authores alijs futuri erant, ipsi non carerent: vtque instauratio destructionis, & euersionis formam seruaret, necesse etiam fuit, vt per eosdem gradus duo assertores instaurando pergerent, per quos ruina homines ad perniciem impulerat.

Quapropter non leuia argumẽta ad immaculatam Virginis Conceptionem comprobandam ex similitudine Euæ, atque Mariæ depromi posse puto: hæc tamen non ex eo vim habent, quia Maria ante Euam velut prototypon in mente Dei præmissa fuerit, & ex ipsa Eua veluti imago substiterit: sed potius è contra, quia præuia cum esset in decretis Dei ipsa Eua, ad omnes illius ruinas instaurandas sic pręparata est Maria, vt reparatrix per omnia similis esset ei, quæ subuersionis, & ruinæ causam dedit, vt infra, cap. 18. latius conficiemus. 19

ALIA OPINIO RECENTIORŨ, quæ cum Virginis Deiparæ prædestinatione ante omnem creaturam eiusdẽ libertatẽ à peccato, & à debito illius componere contendit.

§. III

§. III.

21. *Aliorum Recentiorum circa Virginis electionem sententia, & specialis decretorum ordinatio.*
22. *Decretorum Dei iuxta hanc opinionem series digeritur.*
23. *Christum Dominum ante omnem creaturam in carne passibili, & redemptorem decretum probatur ex Irenæo.*
24. *Idem confirmatur ratione ex efficacia redemptionis Christi petita.*
25. *Secunda ratio pro eodem asserto à simili conformatur.*
26. *Tertia à remotione inconuenientium.*
27. *Iuxta prædictum ordinem rectè potest B. Virginis electio meritis Christi adscribi.*
28. *Ex eodem rectè explicantur aliqua Patrũ de Virginis redemptione præconia.*
29. *Exponitur Ildephonsus, & Dionysius Alexandrinus.*

21 TVDIVM, Et pietas erga Deiparam vsque adeò in omnibus viris doctis viget, vt licentiam nacti meliora, & digniora de illius innocentia sentiendi, omnes pro virili contenderint vias adinuenire, quibus eius immunitatem à culpa simul, & à debito illius contutari possint. Ergo cum Recentiores grauissimi, ac doctissimi, & in his Gundisaluus Sanchez Lucero almæ Ecclesiæ Granensis Canonicus Magistralis, cuius æqualis fuit in suggestu, & in cathedra facultas, æqualis gloria, in tractatu, quem de hac thesi nuper dedit, vt Virginem à culpa originali, & ab obligatione illius ita liberam esse defenderet, vt tamen redemptioni propriè dictæ locum faceret, de prædestinatione Christi, atque Deiparæ aliter ad hunc modum meditatus est. In primis autem doctrinã in schola nostra celebrem præmittit: concedendam scilicet plane in Deo scientiam futurorum conditionalium, sine qua prædestinationis nostræ pelagus enauigare, & liberi arbitrij, gratiæque concordiam metiri nullo modo licet: atque hac posita, decretorum Dei seriem hac ratione pangit. Antequam Deus optimus Maximus Adamum, ac reliquos illius posteros absolutè, ac simpliciter fore decerneret, per eam, qua pollet, omnium futurorum cognitionem, conditionali scientia hoc præuidit, quod si vnum Adamum, & ex illo cunctum genus humanum existere decreto suo iuberet, atque vlteriùs in vnius Adami voluntate hominum salutem, & iustitiam sitam esse vellet, futurũ tandem erat, vt Adã legem transgressus laberetur, ac rueret, atq; adeò posteros suos ruinæ suæ consortes, & peccati reos efficeret. Id quidem certo certius est. Quid inde? Sanè sic conficit. In decretis suis absolutis (in omnẽ euentum prouidens) talem ordinem seruauit Deus

Gundis. Sanchez.

In primo signo Christum Dominũ Deum simul & hominem formare decreuit: neque verò eum (vt plerique alij existimant) impassibilem decreuit, neque etiam (vt alij volũt) Christum secundum substantiam ita definiuit, vt pro eo signo de statu passibilitatis nihil vel deliberaret, vel statueret: sed reuera iam tunc passibilem fore, crucem, mortemq; subire præfinitione sua cõstituit. Quid tum postea? In secundo signo sanctissimam Deiparam fore iussit, & illam ex meritis Christi præscitis ad gloriam elegit, & matrẽ eiusdem Christi nuncupauit. In tertio signo propter Christum, & Mariam mundum vniuersum moliri, Adamum item, & ex illo reliquum humanum genus condere, adde etiã, & Virginem ipsam ex eodem Adamo progigni voluit. Vlterius verò, in quarto signo, conditionali sua scientia instructus Deus, atque adeò futurum sub conditione ratus, vt Adamus etiam originali iustitia, & auxilijs illis præuentus, quibus illum tandem aliquando ornauit, in culpam laberetur: ad pacti cum illo de transfusione gratiæ ineundi conditiones veniens sic constituit, vt si Adamus perseueraret, iustitiam & sibi, ac posteris suis seruaret: sin verò delinqueret, non sibi solùm, sed posteris etiam suis iustitiam amitteret. Quia tamẽ tota hæc res erat aleæ plena, & certissimam filiorum Adæ perditionem sub conditione Deus nouerat, meritis Christi, iam inde in primo signo præscitis, inductus Mariam Deiparam ab vniuersali aliorum lege excipere, & alio iure gratiam capessere voluit, per quam ad illam demùm gloriam perueniret, ad quam in secundo signo electa, & præord.nata fuit. Subinde verò per scientiam absolutam Adami peccatum, & posterorum ruina præuisa, ac præscita est: & tandem decretum, vt Christus mortem, & passionem suam, quæ in primo signo definita fuerat, in communis culpæ redemptionem, & compensationem destinato tempore subiret. 22

Et quidem aliqua mihi occurrunt, quæ huic sententiæ fidẽ conciliare videntur, quæ (si liceat mihi per authores illius) hic adscribam libentiùs. In primis ordinem istum in decretis Dei seruatum suadent illustria Irenæi verba, lib. 3. aduersus Hæreses, cap. 34. vbi ad hunc modum scribit. *Vnde, & à Paulo typus futuri dictus est ipse Adam, quoniam futuram circa filium Dei humani generis dispositionem fabricator omnium verbum præformauerat, prædestinante Deo primum animalem hominem videlicet, vt ab spirituali saluaretur. Cum præexisteret saluans, oportebat & quod saluaretur fieri, vti non vacuum esset saluans.* Quę verba hunc sensum reddere videntur. Propterea Paulus dicit Adamum fuisse typum futuri, scilicet Christi, quia Deus in ipso quan- 23

Irenæ.

so quandam incarnationis imaginem prçluserat. Ita enim Deus suæ prædestinationis ordinem disposuit, vt tunc, cum hominem produxit, eo iam consilio produceret, vti à Christo saluaretur. Ecce qua ratione in decretis Dei præmittit Ireneus Christum saluantem, & redimentem, quandoquidem hominem ex ordinatione Dei ad id productum, & formatum esse dicit, vt saluaretur.

Neque verò id ita intelligendum est, vt eo fine productus dicatur homo, vt saluaretur à peccato iam admisso: ad hunc enim finem consequendum necessarium esset peccatum ipsum permittere, quod est absurdum: sed vt præseruaretur à culpa, cui ex natura sua subiacebat: id enim sufficit ad veram rationem saluationis, vt aliàs dicemus infra, cap. 24. §. 9. & 10. Et consectarie ad hanc doctrinam attexit: *Nam cum præexisteret saluans, oportebat & id, quod saluaretur, fieri, &c.* Non loquitur Irenæus de præexistentia in duratione: constat enim Christũ in duratione, Adamo, atq; alijs hominib' posteriorem fuisse. Loquitur ergo de præexistentia in decretis Dei. Itaque ait, cum iam inde in Dei præfinitione decretus esset saluator, & redemptor, operæ pretium erat, vt fierent hi, qui postmodum ab illo salui fierent, vt suppeterent illi redemptionis materia, & seges, ne inanis, & vacua esset tanta saluandi potentia, & facultas. Hæc Irenęus.

24 Ex quibus fortissimum argumentum depromi potest, quod superiori sententiæ robur facit, ad hunc modum. Quia in Christo Domino præcipua facultas, & maximè vtilis fuit nos saluare. Nam cum alia omnia, quæ Christus gessit, ab alia pura creatura patrari possent: tamen saluare, & redimere, gratiam condignè alijs promerendo, & condignam etiam, rigorosamque satisfactionem pro alijs offerendo, ita proprium fuit Dei, & hominis Christi, vt nulla alia creatura pura id conari, aut contendere possit. Quapropter æquũ fuit, vt Christus ab initio præfiniretur vt saluator, ac redemptor, ne tanta saluandi potentia, & facultas in ipso vacua prorsus, ac vana esse posset.

25 Secundò probatur ista sententia: quia medici etiam tunc, cum non vrgent morbi, medicamenta expediunt. Et Nauarchus etiam cum secundo vtitur vento, malos, rudentes, & cætera auxilia ad tempestatem sustinendam, & peruincendam comparata, & prompta apud se habet: & id quidem, quamuis tam medicus, quàm gubernator, hic tempestatem, ille morbos futuros ignoret prorsus. Ergo cum Deus per scientiam conditionatã certò præsciret fore, vt Adamus laberetur, & sui lapsus damna in posteros effunderet, prouidè admodum rebus consuluit, Christum ab initio, non expectato rerum euentu, tanquam saluatorem, ac redemptorem prædestinans, & præfiniens.

Tertiò confirmatur prçfata sententia, quia posito isto prædestinationis modo, & forma, omnia vitantur incõmoda, & de cætero omnia bene constant, ita vt nihil vltrà desiderari possit. Nam Deiparæ Virginis immunitatem à peccato originali, & à debito illius asserentes, ex meritis nihilominus Christi redemptam affirmare possumus, quod iuxta alias opiniones tueri non facile est. 26

Quartò etiam roboratur ex eo: quia illi quotquot prædestinationem Christi secundum substantiam ante peccati præscientiam prçmittendam asseuerant: & tamẽ illum deinde post peccatum ad passionem, & mortem ordinatum aiunt, similem ad modum ante peccati prçuisionem electionem efficacem tam ipsius Virginis, quàm aliorum prædestinatorum ad gloriam præponendam, ac præmittendam asseuerant. Qui non satis explicare possunt, qua ratione talis electio, in qua tota prædestinatorum salus continetur, ex meritis Christi parta sit. Nam (vt aliàs obseruaui) non habet locum hic communis illa, ac peruulgata distinctio asserentium, electionẽ hãc factam sine meritis in intẽtione, & pro meritis in executione. Nam quamuis hoc de donatione tum gratiæ, tum gloriæ aptè dici possit: tamen in electionẽ, quę Deo prædestinante fit, cadere non potest ista distinctio: hæc enim electio non intenta modò, sed facta supponitur ante merita Christi: imò eius fieri nihil aliud est, quam intendi, atque adeò merita necdum præscita nõ possunt mouere diuinam voluntatem ad illam faciendam. Et idem est de electione efficaci Virginis in matrem Dei, & de exceptione eiusdem à pacto, & à lege communi: vtraq; enim similem ad modum secundum principia præscriptæ opinionis meritis Christi adscribi non possunt, quia similem ad modum ante præscientiam mortis, & passionis Christi intenta, atque adeò in eo genere perfecta, & executa censentur, quandoquidem earum fieri, & exequi nihil est aliud, quàm intendi. Quid inde? Sanè cum electio æterna Virginis ad gloriam, & in matrem Dei, radix, ac semen sit vtriusque beneficij in tempore re ipsa conferendi, tum etiam omnium donorum & gratiarũ, quæ postea Virgini in tempore à Deo collata fuerunt: certè à ratione, & à veritate longissimè abire videntur, quotquot sentiunt ad eiusmodi electionem faciendam nullis Christi meritis diuinam voluntatem inductam fuisse. Atqui sententia ista, quæ tradit Christum non modo secundum substantiam, sed etiam vt redemptorem, & saluatorem merita sua morte consummantẽ ab initio prædestinatũ fuisse, has omnes difficultates peruincit, adeò vt iuxta illam nihil prorsus remaneat, quod sub efficaciam meritorum Christi non cadat, siue prædestinatio Virginis, siue aliorum iustorum ad gloriam, siue electio eiusdem Virginis

27

ginis ad dignitatem matris Dei, siue exceptio eius à lege vniuersali: ergo alijs sentẽtijs facilè præferenda est. Effugium verò, quod aliqui sibi finxerunt, vt vim rationis istius declinarent, existimantes in Christo merita quædam communia, vtrique statui, passibili, & impassibili, aut merita in vniuersum abstrahentia à passione, & impassibilitate supra cap. 6. validissimis rationum momentis non elusimus tantum, sed etiam præclusimus.

28 Addo etiam secũdum principia huius sententiæ aliqua de Virgine cumprimis magna, & excelsa enuntiari posse, quæ ab aliquibus audacter prolata sunt. In primus enim locũ habet testimonium Ambrosij in Lucam ad illa verba: *Ecce ancilla Domini, &c. Nec mirum, si Dominus redempturus mundum operationem suam inchoauit à matre, vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.* Nam cum in hac sententia Deiparæ electio ad gloriam, ad maternitatem, & ad gratiam, & exceptio etiam, vendicatioque à communi lege, quibus eius redemptio continetur, ante aliorum redemptionem perfecta, & absoluta intelligatur, præclarè admodum ostenditur, quonam modo salus, quæ per Christum parata est, inchoata fuerit à matre, ita vt illa prima fructum suæ redemptionis hauriret ex pignore. Addo etiam iuxta præfatam sententiam aptè admodum quadrare in Virginem verba illa D. Bernardini in sermone de Assumptione. *Plus* (inquit) *pro Virgine redimenda venit, quàm pro omni alia creatura, iuxta illud Cant. 1. Vulnerasti cor meũ, &c. id est pro amore tuo carnẽ sumpsi, & vulneribus primis vulnerasti in cruce cor meum. Nam primogenita redemptoris filij sui fuit B. Virgo.* Et sanè illud: *Plus venit pro Virgine redimenda*, istam anticipationem, & prioritatem redemptionis Marianæ, quam sententia ista constituit, adsignificare videtur: & id etiam sibi vult illud: *Primogenita Redemptoris filij sui.*

Ambros.

D. Bern.

29 Sed quod caput est, secundum principia huius sententiæ in Virginem apprime quadrant illa D. Ildephonsi verba in lib. de Virginitate Mariæ, c. 2. *Procido ante te solum opus* (vel vt alij codices legunt) *sola opus incarnationis Dei mei.* Quibus accinunt alia perquam similia S. Dionysij Alexandrini in epistola contra Paulum Samosatenum: *Vna autem, & sola Virgo filia vitæ genuit verbum viuens.* Iã ergo illud percontari libet, quonam sensu sola Virgo opus redemptionis dici potest, cum nostrum omnium redemptiones, & liberationes incarnationis opera esse constet? Quomodo etiam sola vitæ filia dici potest, cum omnes iustos illius dignitatis socios habeat, qui similem ad modũ vitæ filij eodem iure ob acceptam iustitiam compellari debent? Profectò si in præscripta opinione sistamus, huius quæsiti solutio in promptu est.

Ildephon.

Dionys. Alexan.

Quia cum affirmet in decretis Dei Virginẽ ante alios electam efficaciter ad gloriam, ad maternitatem, & ad gratiam, imò a pacto communi exceptam, in quibus consistit eius liberatio, & redemptio, antequam de aliorum libertate ageretur: inde factum, vt ex vi vtriusque decreti antecedentis, etiamsi nihil vlterius Deus de alijs redimendis deliberaret, aut decerneret, sed illos emori, & damnari fineret, Virgo nihilominus redempta, & asserta fuisset, ac sola redemptionis fructum perciperet. Dicitur ergo sola filia vitæ, & sola redemptionis opus, quia illi soli ante alios in consilijs, ac decretis Dei ita præparata est salus, & redẽptio, vt quãlibet alij redemptionis expertes fierent, ipsa nihilominus redempta, & à culpa vẽdicata foret. Sunt etiam alia ad Deiparæ gloriam attinentia, quæ ex prædicta opinione confici possunt.

CENSVRA SVPERIORIS *sententiæ.*

§. IIII.

30. *Contra communem opinionem est prædictus decretorum ordo, quem Recentiores constituunt.*
31. *Etiamsi nec Adamus peccaret, nec homines conderentur, Christum passurum coguntur admittere.*
32. *Conditionali scientia Dei prædicti Recentiores certè abutuntur.*
33. *Conditionalis præscientia non magis ad Christi futuritionem, quàm nonfuturitionem decernendam, Deum inducebat.*
34. *Irenæi testimonium pro superiori sententia adductum explicatur.*
35. *Dissoluuntur eiusdem sententiæ rationes.*
36. *Christi passibilis, & Mariæ electionem ante omnes creaturas speciali ratione adstruunt alij recentiores.*
37. *Decreta Dei non licet aliter, atque aliter coordinare, modò conditionata, modo absoluta considerentur.*
38. *Circa diuersa obiecta non vnum, sed multiplex Dei decretum considerandum est.*
39. *Circa mentem horum Recentiorum coniectatio initur.*
40. *Si quam coniectamur, eorum sententia est, impugnatur.*


HÆC Tamen sententia, quamuis specie tenus aliquas difficultates peruincere videatur, alias vero grauissimas continet, vt propterea purem nullam solidam doctrinam ipsi imponi posse, vt pote, quæ à fundamento suo nutet, ac labet. Id enim, quod ait Christum

stum quatenus redemptorem, & saluatorem merita sua morte perficientem, in primo decretorum Dei signo definitum fuisse, ex eo primùm ruit, quia singulare est, & à communi sententia abit longiùs: omnes enim quotquot in via Scoti Christum Dominum ante præuisionem peccati prædestinatum fuisse aiunt, decretum mortis, & passionis vsque ad præcognitioné peccati demorantur, atque adeò id præmittere ante dictam præuisioné, à communi opinione discedit, & à tritissima exorbitat via.

31 Deinde etiam ex illa sequitur graue quoddam absurdum: quia nimirum posito tali decreto efficaci Dei in primo signo, inde fit cõsequenter, vt data hac hypothesi, quod scilicet Adamus deinde non peccaret, nec posteris suis iustitiam peccando eriperet: alia itẽ grauiori hypothesi admissa, quod nimirum nullus deinde homo, imo nec Virgo ipsa conderetur, ac formaretur, Christus nihilominus veniret in mundum, nec veniret solùm, sed etiam pateretur, ac mortem obiret. Id verò nemini hactenus ne in mentem quidem venit. Consecutio autem est perspicua, quia cum decretum illud sit efficax, & primum: ea ex parte, qua efficax est, non posset non effectum sortiri: ea verò ex parte, qua primum est, à nullo alio dependentiam haberet, atque adeò omni alio sublato, deberet impleri.

32 Deinde etiam contra istam sententiam pugnat robustum aliud argumentum: quia nimirum scientiã conditionalem Dei ad quendam vsum traducit, cui ipsa nulla ratione inseruire potest. Nam vt fert stata, rataque Theologorum sententia, scientia conditionata non eò ponitur in Deo, vt ipsius voluntatem ad aliquid præstandum permoueat: sed eò vt Deus in his, quæ à voluntate libera pendent, quid agat, norit prorsùs, ac teneat. Quapropter sic comminisci, quod Deus scientia sua conditionali permotus remedium peccati ante præuisionem ipsam peccati præparauerit, Christi Domini incarnationem simul, & passionem decernens, incongruum est: alioqui possemus dicere Deum ex præscientia conditionali boni vsus futuri auxiliorum, & gratiæ moueri, & induci ad gratiam donandam: quæ positio damnata est ab Augustino.

33 Probatur vlteriùs, quia similem ad modum, & clarè cognouit Deus sub conditione fore, vt si Adami voluntatem efficacioribus auxilijs instrueret, perseueraturus, & gratiã, iustitiamque ad posteros effusurus esset. Cur ergo ex hac præscientia non magis inductus est ad decernendum Christum impassibilem, quàm vt ipsum passibilem, imo passum, ac demortuum definiret? Nec præstat aliquid, si dicas ideò permotum, vt passibilem decerneret, quia nouerat sub conditione voluntatem Adami his auxilijs præuentam, quibus deinùm instructa fuit, ruituram prorsus, atque casuram. Nam Deus in eo priori signo, ac momento, in quo isthæc sub conditione cognoscere apprehenditur, non magis decreuerat auxilia illa conferre Adamo, quibus victor foret, quàm illa, quibus victus caderet. Ergo nulla tunc suberat ratio, ob quam potiùs ex præsciẽtia ruinæ moueretur, quàm ex præscientia victoriæ. Hæc ratio (me iudice) sententiæ istius neruos omnes elidit.

34 *Irenæus.* Rationes autem, quibus sese offirmat, facili negotio subuertuntur. In primis enim testimonium Irenæi non est accõmodatum: Nã pro illis verbis *prædestinante Deo primũ animalem hominem, &c.* plures codices habent *præformante*, quod de ea, quæ secundum tempus perfecta est, Adami ante Christum formatione intelligi debet. Cum verò Adamum præformatum ait, vt à Christo saluaretur, non ita accipiendum, quasi ad eum finem conditus sit: sed quia cõsequenter prius ex posteriori occasionaliter factum est. Itaque ideò Adamus propter saluatorem formatus dicitur, quia oblata est illi occasio ex Adamo, vt ipsum saluaret, ac redimeret. Cum verò statim attexit: *Cum præexisteret saluans, &c.* non intelligendus est Irenæus de præexistentia temporali, nec de præexistentia in decretis Dei: sed de præexistentia in ipso Adamo, tanquam in vmbra, & figura, de qua nuper dixerat. Atque adeò sensus est. Cum iam in ipsomet Adamo, tanquam in quadam imagine, forma Christus præexisteret, oportebat sanè fieri, ac formari multos Adæ filios, qui per Christum salutem reciperent, ne tanta salus, tantusque saluator quasi in vacuum præparatus videretur. Vel aliter longè accõmodatiùs dico non comparari inter se præexistentiam Christi æternam in præuisione Dei cum præexistentia Adami in eadem præuisione, neque temporalem etiam vnius cum temporali alterius: sed æternam Christi cum temporali Adami, hoc sensu, cum præexisteret iam Christus in præuisione Dei, hoc est, cum ab æterno prædestinatus esset saluator, oportebat, vt ante ipsum in tempore produceretur Adamus, qui saluandus erat, ne si non esset aliquis, qui saluari deberet, irritum fieret decretum Dei æternum formandi saluatorem.

35 Ad secundum argumentum respondeo tã medicum, quàm gubernatorem, illum quidem medicamenta expedire, hunc verò auxilia ad tempestatem comparare, antequam vel morbus, vel tempestas vrgeat: tum quia vterque ignorat futuros euentus: tum etiam, quia cum sæpius in subitis casibus non valeant subitô, & ex tempore ea, quæ necessaria sunt ad subueniendum morbo, aut periclitanti nauigio conferre, oportet, vt iam olim à longo tempore illa expediãt, ac comparent. At Deus non ita, nouit enim omnes rerum euentus, & nihil est tam subitum,

cui

cui non etiam subito remedium aptare possit, illud pro re nata iuxta rerum exigentiam decernens, perficiens, & accommodans. Frustrà ergo, & sine aliquo vsu ponemus in Deo illam præstantissimi remedij (vt ita dicam) adeò maturam præparationem.

Quod verò ad tertium, & quartum argumentum attinet, assentior planè, graues aliquas difficultates peruinci in hac sententia, quæ alias opiniones oppugnant: aio tamen alias non minus graues ex illa excitari, vt nuper dicebam. Quomodo autem illa verba Patrũ, quæ huic opinioni adfauere videntur, iuxta veriorem sententiam exponenda sint, infrà subscribemus cap. 24. §. 13.

36 P.Gran. Postquam hæc præscripserã, ex nostris doctissimus vir Pater Iacobus de Granados de immaculata Virginis Cõceptione aureũ libellum nuper vulgauit, in quo superiorem prædestinationis ordinẽ tradit. Nam in lib. 1. c. 3. §. 8. sic scribit (partim verba partim sen tentiam subijcio.) *Dices quando Deus iniuit pactũ cum Adamo, nondum ipse peccauerat: ergo nondum Deus decreuerat incarnationem, & præsertim mortẽ filij sui, quæ prædestinata est in medelam peccati: Ergo non fuit Virgo exempta à lege, & pacto propter mortẽ Christi Domini. Ergo non fuit per mortem eius redempta. Respondetur decretum incarnationis, & mortis filij Dei fuisse, antequam Deus re ipsa iniret pactũ cum Adamo, & ante scientiam visionis peccati, vt in materia de Incarnat. tract. 3 declaratum est, & ideò potuisse eximi Virginem à lege illa propter mortẽ Christi Domini, licet nondũ supponeretur peccatũ re ipsa futurũ, & absolute præcognitum scientia visionis. Itaq; ante decretum creationis mũdi prænouit Deus sciẽtia conditionata (quæ secundũ rationẽ est prior, quam decretũ diuinæ voluntatis) si crearet Adamũ, fore vt cum illo, & posteris iniret pactũ prædictũ, & ipse illud violaret; indeq; sumeretur occasio assumendi carnem passibilem, & mortalẽ ex Virgine Maria, vt mediãte morte resarciretur ea violatio. Qua cogitatione posita, Deus vno indiuisibili decreto statuit creare mundũ, inire pactũ cum Adamo, permittere violationem huius, mittere filiũ suum, vt per mortẽ suam mederetur generi humano, ad eumq; finem conciperetur ex Virgine purissima, quam propterea ab illa lege eximebat intuitu mortis filij, quem erat conceptura.* Et sanè ad ea, quæ perdoctus Lucero in suo tractatu scribit, hoc tantũ adijcit Gran. Deũ scilicet præmissa noticia illius ordinis per scientiã cõditionalẽ, quasi in priori rationis statim vnico indiuisibili decreto ea omnia simul, semelq; statuisse mundũ cõdere, pactũ cũ Adamo inire, eiusdẽ pacti violationẽ permittere, Christũ venire, & reliqua eo ordine, quo supra prescripta sũt.

Sed vt dicã, quod sentio, huius autoris mẽtẽ
37 hactenus assequi nõ potui, nec satis video, qua
ratione eã, quã sibi obiecerat, difficultatẽ diluerit. Et sanè vsum sciẽtiæ conditionalis ad mouendã Dei volũtatẽ, & dirigẽda, seu ordinãda Dei decreta perperã adhiberi nuper cõfecimus. Sed licet talis vsus cõditionatę sciẽtię opportunus, atq; idoneus esset: tamen nõ satis video qua ratione inductus Doctor iste, quẽ (vt par est) suspicio, & permagni facio, aliũ ordinẽ in absolutis, aliũ in conditionatis ponendũ sibi persuaserit. Nã si Deus per cõditionalẽ scientiã res ita cõnexas, & inter se cõfertas vidit, vt prius illi se se obiecerit mũdi conditio, deinde verò pacti cõstitutio, peccati permissio, Christi Domini aduentus, & mors, & alia suo ordine, quonam iure aliũ ordinem, ac seriẽ in decretis absolutis seruatũ dicit? Quia in conditionatis ordinẽ prioris, & posterioris facit dependentia: ideò enim Deus creationem mundi priùs conditionali scientia nouit, quàm pacti constitutionem, & peccati permissionem, quia positio istius ex alterius positione, tanquam ex conditione pendet. Cũ igitur res cũ eadem dependentia obijciantur præscientiæ, & voluntati absolutæ, qua obijciũtur scientiæ conditionatę, ergo idẽ prorsus ordo tam in prænoscẽdis, quã in decernẽdis absolutè rebus seruari debet.

Rursùs nõ capio, quorsũ spectet illud, quod
quasi pręcipuũ huius doctrinę fundamẽtũ ia- 38
citur, scilicet Deũ vnico indiuisibili decreto simul, vnàq; res omnes definire. Si enim velit Dei decreta non esse alia priora, & alia posteriora secundũ rẽ, aut secundũ naturã, id spõdamus, quippè quod à simplicitate Dei lõgè abhorret: nos enim cũ in decretis Dei alia, & alia priora, & posteriora dicimus, nõ de diuersitate, aut prioritate reali, aut ex natura rei, sed de prioritate, ac diuersitate secũdũ rationẽ intelligimus. Nam cũ decretũ Dei liberũ ipsius Dei essentiã simplicissimã includat, & rursus rem, vel effectũ ad extra producẽdum cõnotet extrinsecè: quamuis ea ex parte, qua essentiã Dei cõtinet, simplicissimũ, & indiuisum sit: tamen ex altera, quatenus connotat effectus producẽdos, non vnũ, sed multiplex, scilicet aliud, & aliud, prius ac posterius esse constat eo ordine, quo res inter se priores, ac posteriores sunt iuxta dependentiã, quam inter se ab inuicem habent.

Cęterùm quantùm coniectura assequi pos-
sum, mẽs huius Doctoris est, Deũ vnico indi- 39
uisibili decreto omnia constituisse, atq; adeò cum omnia simul, vnàq; secundum naturam in mentem, atque in voluntatem eius venerint, vt ab ipso decernerẽtur: fieri potuit, vt quamlibet in scientia conditionali vnũ post aliud occurrerẽt eo ordine, quo vnum alteri occasionem daturum erat: tamen in voluntate absoluta conuerso ordine res decernerentur, ita vt quod dignius, ac nobilius erat, scilicet incarnatio, ac mors filij Dei, prius secundum rationem efficaciter appeteretur à Deo, & reliqua omnia propter illam. Itaque authores isti scientiam conditionalem ad id deseruire fortasse sentiunt, vt causas omnes secundum eum ordinem, quem ex

natura sua habēt inter se, quatenùs aliæ alias effecturæ, vel aliæ alijs occasionem daturæ sunt, diuinæ menti proponat. At postquā res ad eum modum menti diuinæ obiectæ, ac propositæ sunt, addunt necessarium non esse, vt voluntas Dei in absoluto decreto illas eodem ordine prosequatur: sed posse illas, quæ secūdum seriem naturalem posteriores sunt, prius secundum rationem velle, & ad eas reliqua ordinare: ex quo fit, vt in scientia visionis, quæ secundum rationem posterior est voluntate Dei absoluta, aliquid posterius sit, quod in conditionali prius erat.

Cæterùm si hæc sit præfati Doctoris ger-
20 mana mens, mihi nullo modo probatur: quia Deus per scientiam conditionalem eo ordine res cognoscit, quo aliæ alias causaturæ sunt, atq; adeò cū altera ex causis, ex qua res habent, vt futuræ sint, ipsum sit decretū Dei efficax, non potest Deus rem futuram sub cōditione cognoscere, quin prius sub conditione etiam decretum suum agnouerit. Rursus decretum suum efficax non potest Deus sub conditione cognoscere, nisi cognouerit etiā ea omnia, ex quibus id habiturum est, vt efficax fit. Verbi causa, exceptio Virginis à lege vniuersali non potuit agnosci à Deo futura sub conditione, quin decretum suum efficax illam excipiendi sub conditione etiam futurum Deus prænosceret. Rursus decreti sui efficacis futuritio sub conditione non potuit à Deo præcognosci, quin ea omnia, quæ ad ita decernendam illum permouere debebāt, similem ad modum sub conditione præsciret. Quapropter cum Deum ad decernēdam exceptionem Virginis à lege vniuersali mors, & merita Christi impulsura forent (vt authores isti sentiunt) non potuit certè eiusmodi exceptionem sub conditione præscire, quin priùs mortem, & merita Christi sub conditione cognosceret. Et eadem ratio est de mūdi conditione, de pacto, de permissione peccati, & de alijs: hæc enim omnia non alio modo, aut ordine in conditionali scientia diuinæ menti proposita fuerunt, quàm per absolutam voluntatem decreta sunt: nam decretū efficax, quod relatè ad absolutam futuritionem rei tanquam ipsiusmet rei principium absolutè præsciri debet, idem prorsùs relatè ad futuritionem sub conditione debet similiter sub conditione prænosci. Atq; adeò impossibile est, vt alius ordo sit in scientia visionis, & in decretis Dei absolutis, alius in sciētia conditionali. Hęc sufficiant interim, dum de istius Doctoris mente certius aliquid cōstabit.

ALTERA SENTENTIA RECENTIORUM, QUA VIRGINIS ELECTIO ANTE OMNEM CREATURAM, & EIUSDEM IMMUNITAS À CULPA, & À DEBITO ILLAM INCURRENDI DEFENDITUR.

CAP. X.

1. *Eandem electionem à duplici totali fine posse pendere sentiūt Recentiores, & suadent exemplis.*
2. *Confirmant ratione, & authoritate Triden.*
3. *Virginis electionem ad primam gratiam duplici titulo factam opinantur.*
4. *Duplex iste titulus duplex meritorum Christi genus esse potest.*
5. *Ex electione hoc duplici titulo habita Virginis immunitas ab originali, & debito illius elicitur.*
6. *Duplicē eligēdæ Virginis titulū aliter, & aptiùs assignant prædicti Recentiores secūdò.*
7. *Huius opinionis authores recensentur.*
8. *In hac sententia Virginis immunitas ab originali, & à debito illius optimè constituitur.*
9. *Quantum Virginem deceat duplici titulo electam fuisse ad primam gratiam.*
10. *Nobilitas à parentibus in filios deriuatur, & rursus iure naturæ inuicem à filijs in parentes redundat.*
11. *Hinc comprobatur Mariæ electio duplici titulo facta.*
12. *Dignitas Matris Dei originalem iustitiam iure suo exigit.*
13. *Idem cōfirmatur ex Anselmo, & Bernardo.*
14. *Firmatur ex Dionysio Carthusiano.*
15. *Stabilitur ratione secundò.*
16. *Originalem iustitiam in Virgine comprobant multa priuilegia, quorum ea gratia radix est.*
17. *Mariæ gratiam quadruplici dimensione metitur Bonauent. & quæ sit eius altitudo.*

18. Hanc gratiæ altitudinem sine originali iustitia non dari.
19. Ex longitudine eiusdem gratiæ, iustitia originalis in Maria deducitur.
20. Ex profunditate idem conficitur.
21. Idem persuadet latitudo.
22. Virginis originale peccatum Christo Domino, in opinione hominum, quodammodo foret dedecori.
23. Ingenuitas Christi liberam exigit matrem, seruam non patitur.

1 OCTISSIMI Quidam Theologi, vt plæraque argumenta contra superiores sententias à nobis efformata eliderent, & Virginis electionem ante omnem creaturam, eiusq; immunitatem à culpa, & à debito illius incurrendæ tueri possent, quamuis quod attinet ad signa decretorum Dei, eorū ordinem eodem prorsus modo pangant, quo prima opinio suprà exhibita c.4. tamē rationem illius ordinis aliam accommodant.

Hi ergo vt opinioni suæ fidē faciant, præmittunt, primò vnam, eandemq; rem ex duplici fine intendi posse: non quidem ita vt ex illis, tāquam ex finibus partialibus vnus adæquatus, & integer finis coalescat, sed ita vt quiuis illorum totalis sit, atque adæquatus. Quam positionem exemplis, & ratione communiunt. Nam si quis (inquiunt) verbi causa, Toletum petere apud se decreuisset, alicuius negotij peragendi gratia, ac deinde amicū aliquē charissimū inibi grauiter ægrotare ex fama disceret, qui illius ope plurimū indigeret, hic sanè ita hoc iter aggredi apud se statueret, vt vterq; finis illi integer, & adæquatus esset. Quod ex eo euinci videtur: quia quolibet ex his finibus sublato, ex altero seorsum ad iter illud suscipiendum sufficienter moueretur. Ergo etiam cum vnus, & alter coeunt, sufficienter, & adæquatè voluntatem mouent. Vel si placet, accipe aliud exemplū ad nostrum institutū accōmodatius. Sit quispiam miles, v. g. qui ob res gestas maiorum suorum priuilegio immunitatis à vectigalibus pendendis gaudeat: & hic rursùs marte suo æqualia maioribus suis facinora perpetrauerit, quibus sibi eandem immunitatem per leges, & iura pepererit: nonnè iste ea immunitate duplici ex titulo integrè, & adæquatè gaudebit? Atq; adeò dicendum erit id priuilegij ex duplici adæquata, & totali causa, seu titulo à Principe militi indultum, imò etiam ipsi præfatam immunitatem duplici ex nomine adæquatè deberi: quandoquidem, quolibet deficiente, eandem ex altero solùm pleno iure capesseret.

2 Rursus hanc doctrinam ratio ipsa suadet: quia voluntas nostra potest ad vnā, & eandem rem faciendā ex duplici adæquato fine seorsim moueri: ergo etiam potest ex duplici simul, non quidem vna, & simplici intentione; id enim autores isti inter impossibilia numerant, sed ex duabus. Itaq; mens illorum non est, duplici ex fine integro, & adæquato vnam intentionem in nobis cōflari posse; & ex hac intentione vnica medium aliquod eligi: sed circà duos fines duplicem intentionē ponūt, & ex duplici intentione adæquate, & totaliter mediū aliquod simplex per vnicā electionē assumi posse volunt. Quod planè in Deo admittere videtur Conc. Trid. sess. 6. c. 15. vbi docet gloriam iustis à Deo conferri, & tanquam gratiam filijs per Iesum Christū liberaliter promissam, & tanquam mercedē ex ipsius Dei promissione eorū operibus fideliter reddendam. Addūt præterea, quod licet hoc cū frequenti modo operandi voluntatis nostræ pugnaret, tamen de potentia Dei absoluta fieri posse, haud negari debere, quādoquidem in causis efficientibus hoc accidit. Etsi enim de potentia ordinata vnius effectus duplex causa totalis esse non possit: id tamen potentiæ absolutæ adimere nequaquā licet, cum nulla in eo repugnantia se se offerat. Ad hęc, quamuis humanę voluntati ob illius imbecillem potentiam id prorsus denegandum foret, nequaquàm inde fieret, eam vim diuinæ voluntati auferendam esse. *Cōc. Trid.*

Ex hac igitur positione ad hunc modū cōficiūt. Primò signa decretorū Dei eo planè modo subordinant, quo prima opinio supra à nobis data c.4. deinde addūt, incarnationē Christi à Deo Opt. Max. duplici ex fine decretā. Nam primaria intentione propter finem ipsi germanum, & intrinsecum, hoc est, propter operis ipsius amabilitatem, quā ratione propriæ, ac genuinæ bonitatis, & perfectionis cohibet, & ob quam cætera Dei opera facilè vincit, ante præuisionem culpæ verbi incarnationem à Deo volitam ponunt: ac subinde post culpam propter redemptionem generis humani eandem incarnationem veluti secūdaria intentione definitam affirmant: ita tamen vt vterque finis diuinam volūtatem integrè, totaliter, & sufficienter sic induxerit, vt altero inuicem deficiente, propter quemlibet seorsum verbum Dei carnem indueret. Inde verò ad Virginis prædestinationem, similem discursum deriuāt, & secundū eum duplici via Virginē à culpa originali, & à debito illius contrahendæ eripi posse autumant. 3

Alia quidem est facilior, ac procliuior, quā ex illo principio non semel alias à me inculcato petere licet: nimirum in Christo duplex fuisse meritorū genus, aliud cōmune vtriq; statui passibilitatis, & impassibilitatis, quod neque includat, neq; excludat passionē: aliud verò, quod passionē necessariò concernit, & includit, de quibus supra c.6. latè disseruim*. Quo posito, ad hūc modū cōminisci equū est. Primò Virginem Deiparam ad gratiam ori- 4

12. *Adami & Euæ coniugium, Christi cum Ecclesia, propter vnam Mariam, nuptias præfigurauit.*
13. *Euæ formatio secundò aliter Immaculatam Virginis Conceptionem referebat.*
14. *Quarè Eua non facta, sed ædificata dicatur.*
15. *Mariæ formatio magis conditoris artem commendat, quàm Christi productio.*
16. *Euæ formatio, quia ædificatio dicitur, Mariæ Immaculatam Conceptionem significat.*

---

1 VIVS Quæstionis discutiendæ ardor, & studium erga Beatam Virginem, quod huius temporis altercationes in multis excitarunt, ad excogitandas nouas rationes, quibus Virgo, non modo à culpa originali, sed etiam ab illius debito vendicari posset, plurimorum mentes exacuit. Quapropter noui quidam authores non vulgaris doctrinæ, laude insignes, ad hunc modum senserunt, Adamum scilicet duplici statu potitum fuisse: alter fuit fœlix, & beatus ante culpam admissam: alter verò infœlix, & infortunatus post delictum. Aiunt ergo in decretis Dei Virginem Deiparam Adami filiam præfinitam fuisse, pro eo statu priori fœlici, & fortunato ante culpam: reliquam verò illius posteritatem subinde post culpam illi decretam. Ex quo fit, Mariam, neque in pactum transfusionis ingressam, neque peccato primi parentis obnoxiam fuisse. Hanc opinionem refert doctissimus noster Ioannes de Pineda in tractatu de Immaculata Conceptione, quem ad constitutionem Ioannis Aragoniæ Regis nuper edidit, sed fundamenta illius compendij studiosus non aperit: potest tamen ad hunc modum confirmari, & explicari.

P. Pined.

2 Ponendum imprimis est, id quod ex celebri aliorum sententia non semel diximus, Virginem Deiparam, ante omnes creaturas, primam post Christum electam, & prædestinatam fuisse: rursus omnes alias creaturas propter ipsam subinde præfinitas fuisse eo modo, quo supra cap. 3. latè exposuimus, vbi etiam consequenter dicendum decreuimus, Adamum, & Euam primos hominum parentes propter Virginem primo, & per se definitos, deinde verò secundario, & consequenter propter reliquam ipsorum posteritatem. Ex his ergo præfata sententia non ineruditо discursu elici potest, ad hunc modum, Cum Adamum, atque Euam propter Mariam primariò creatos, & productos fuisse dicimus, non aliter sanè ad illam ordinatos intelligimus, nisi vt parentes ipsius forent, nimirum, vt Virgo, quam Deus ante illos fore decreuerat, ex ipsis genus suum traheret. Et quidem ita prorsus dicendum videtur iuxta ea, quæ in capite supra citato scripsimus, vbi non solùm ipsum Adam, atque Euam quoad substantiam, sed etiam statum illum fœlicem, in quo editi sunt, ad Mariam ordinatum ex mente horũ Doctorum asserebamus. Ergo Maria Adami, atque Euæ filia pro illo statu decreta est: nam aliter status ille propter ipsam intendi non potuit. Luculentius dicam: propterea Virgo protoplasti filia pro statu innocentiæ præfinita est, quia cum iam inde prius Deus illam fore decreuisset, Adamusque, & Eua in fœlici illo statu ad futuritionem ipsius ordinati sint: sanè illorum filia pro illo statu existimanda est, in quo parentes ad illam, & propter illam conditi sunt: præsertim cum ex his, quæ nuper pro superiori sententia diximus, constet, pugnantia dicere illos, qui Virginem ante Adamum prædestinatam, & efficaciter electam asserunt, & illam posteà ex pacto Dei, fragili voluntati eiusdem Adami commissam tentur. Secus autem de reliqua eius posteritate existimandum est: hæc enim illi deinde ex Dei decreto adscripta fuit, atque adeò eiusdem Dei lege, & sanctione ipsius voluntati tradi potuit, vt gratiam, vel culpam in eam deriuaret.

Et quidem Virginem Deiparam ad eum modum pro statu innocentiæ originalis Adami filiam decerni, ipsi perquam decentissimum fuisse sic probo. Quia legibus ita cauetur, vt ex delicto, quod pater post filium natum admisit, infamia, & dedecus ad filium nequaquam veniat. Ergo cum Virgo Adami filia prius decreta fuerit, quam ipse tanti delicti reus extiterit, profecto illius delicti nota ipsam attingere non debuit. Nam licet Virgo re ipsa post Adami delictum procreata sit: tamen in Dei definitionibus, quæ ad pactum transfusionis (de quo hîc agimus) porissimum obseruandæ sunt, ante delictum extitit, & ad gratiam quoque ante delictum electa fuit: atque adeò ab omni labe, & macula, quæ ex delicto illo in reliquam Adami posteritatem serpit, prorsus libera esse debuit. 3

Ad hæc, potest hæc sententia non infirma quadam ratione fulciri: quia vt communis Patrũ sententia fert, Eua fuit imago quędam, & simulacrũ perfectissimũ sanctissimæ Deiparæ, non quidẽ post lapsum, cũ ortas ex culpa iniurias subire coacta est, sed ante lapsum, cũ gratia, atq; iustitia originalis in ipsa vigebant. Ergo iã inde in eo fœlici statu hæc illi filia decreta erat. Non enim ita dicẽdum est, ex casu quodam temere accidisse, vt filia matri similis euaderet, sed eam similitudinem à Deo de industria intentã, & quęsitam, ita vt Deus Euam in prima sui conditione propterea tot ornamentis, ac dotibus insignieerit 4

nierit, vt Mariæ imago absolutissima esset: ergo iam tunc etiam in illo statu Deus in Mariam inspiciebat, vt imago exemplari suo responderet, & filia prorsus cum matre congrueret. Ex quo fit iam tunc etiam in illo statu eam filiam matri suæ adscriptam, & decretam fuisse.

5 Vrgeri autem potest ratio ista ad probandam Virginis electionem, & prædestinationem ante omnem creaturam, atque adeò ante Adamum, & Euam: quia eam, quæ inter Euam, & Mariam similitudo intercedit, sic mente contueri opus est, vt dicamus Euam vmbræ, ac simulacri cuiusdam rationem habuisse, Mariam vero primi exemplaris, seu prototypi gloriam ferre. Cũ ergo in mente artificis exemplar prius sit, quam ea forma, quæ ab illo ducitur, fateri opus est, Mariam in Dei intentione, atque idea ante Euam electam, Euamque Mariæ subiectam, sub illam scilicet deinde decretam, & ad ipsam ordinatam fuisse. Simile enim argumentum ex Adamo ad Christum duci consueuit, ad probandum hunc ante illum prædestinatũ. Quid inde? Sane inde fit Mariam, iam tunc in eo fœlici statu innocentiæ, non solum in Euæ lumbis, tanquam in matre, & parente præfuisse, sed etiam in eadem extitisse eo modo, quo res in sua similitudine, & imagine inesse dicitur. Quapropter ne imago, exemplarque dissiderent, fœlix ille status originalis iustitię filiæ concedi debet, quo mater tunc gaudebat, vt tali parenti talis filia pro eo statu prorsus tribuenda sit.

6 Et quidem ex collatione hac Mariæ cum Eua in statu innocentiæ, non infirmæ rationes ad Virginis Conceptionem immaculatam comprobandam deriuari possunt. Primò, Euæ productionem ex Adami costa venuste admodum ad Marianæ Conceptionis puritatẽ ostendendã transtulit grauissimus author Catherinus in disp. pro immaculata Conceptione, lib. 3. cap. 4. cuius verba subscribere libet, sunt enim peruenusta. Nã vbi priorem generationis modum, quo Adam ex terra virgine, & minime maledicta procreatus est, de Conceptione Christi ex Maria Virgine exposuit, quam veteris maledicti ærumnę non attigerunt, deinde productionem Euæ ex viri costa, de Virginis Conceptione sic expendit. *Accipe* (inquit) *nunc secundum generationis modum Euæ, & hic etiã ante peccatum, & a Deo, sed non sine viro. Etenim de costa viri in soporem coniecti ædificata est post virum mulier in innocentia. Hic quæso aperi oculos, bone lector, & agnosce hanc secundam spiritualem generationem Virginis, quam profitemur, quæ ex Christo fuit, non a semetipsa ex vi propriæ natiuitatis, & tamen in innocentia sicut ille, & ex costa eius, id est, ex fortitudine, & potentia gratiæ, qua voluit apud patrem, vt inde educi posset adiutorium simile sibi, id est, innocentissimum pro aliorum regeneratione. Et quam pulchre tunc educta est, cum in soporem coniectus est vir ille: vt intelligas etiã Virgini opus fuisse Christi morte, vt ex eius latere isto modo illibatissima educeretur: tunc enim Dominus quasi in soporem coniectus est, quando velut nihil sentiens, & nullam sui ipsius rationem habens, passus est opprobrium crucis. Sed magno vtique Dei consilio factum, vt inde primum hæc Eua nostra sancta prodiret viro similis, vt omnium vere viuentiũ mater fieret. Tunc enim (vt beatus Augustinus in quodam loco dixit) hora illa venit, quando matrem summo amore, & honore respexit, scilicet cum pendere cæpit in cruce illa Dei caro, cuius ipsa mater erat: tunc vere mulier prodijt, vt & alios cum viro generare posset Deo, sicut illa Eua generauit carni. Propter quod, & illam misterij huius vocem audiuit stans ante crucem: Mulier ecce filius tuus, vnde virago verissime hæc dici potest, quia de viro Christo educta est, & per virum fortis, & cum illo: quoniam ante omne peccatum educta est ipsa sola de costa. Cæteri omnes, qui secundum carnem nati sunt, post peccatum nati sunt, & parentes peccatores habuerunt: sola Eua habuit parentem suũ Adam nondum peccatorem, à quo ducta est. Ita Christus illi soli nõ fuit peccator, quam ab omni peccato præseruauit, nec pro illa vt peccatrice deprecatus est, sed ne fieret peccatrix: ideo nec est captus in templo.*

Catherin.

Hactenus Catherinus, cuius extrema verba huic sententiæ patrocinari videntur, ex quibus talis ratio confici potest. Eua suam originem recenset ex Adamo, antequam peccatum admitteret, vt pote quæ in statu innocentiæ, eius ex costa fabricata est: Ergo Maria, cuius Eua typus extitit, eiusdem Adami pro illo statu filia censenda est. Vel aliter si ex Adamo ad Christum (cuius ille forma fuit) gradũ faciamus: sicut Eua ex Adamo nondum peccatore sata, reliqui vero filij ex eodẽ iam peccatore prognati sunt: ita etiam in regeneratione, quæ per Christum facta est, Virgo vtique Christo innocenti, reliqui vero (liceat sic dicere) Christo peccatori originem suæ iustitiæ, & sanctitatis debent. Christum autem peccatorem appellauit Catherinus, non existentia, sed forma, atque similitudine, propter formam scilicet serui, ac peccatoris, quam assumpsit. 7

Nam duplici modo Adami similitudinem induit Christus Dominus secundum duplicem statum, inquo fuit: Adamus enim in statu innocentiæ Christi forma extitit. Sic Paulus ad Ephesios 5. qui cum præmisisset illa verba ab eodem Adamo ante peccatum dicta Genes. 5. *Propter quam relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna,* subnectit. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Ex quo loco colligunt Patres Adami atque Euæ nuptias, Christi & Ecclesiæ coniunctionem perspicue adumbrasse: 8

Ad Ephesios. 5.

Genes. 5.

ita

ita vt Adamus Christum, Eua vero Ecclesiam exprimat. Rursus idem Adamus, etiam post delictum in statu culpæ, Christi forma fuit, eodem Apostolo authore ad Rom. 5. *Sed regnauit* (inquit) *mors ab Adamo vsque ad Moysem, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri*: nimirum Christi futuri (sic vno excepto Augustino, reliqui Patres & interpretes exponunt) quę verba de Adamo peccatore capienda sunt. Ad. Ro. 5.

9 Ergo cum Christus Adami innocentis, ac peccatoris formam gesserit, ita dicẽdum est nouam Euam, id est Mariam, ex illo, quatenus innocentis Adami imaginem in se expresserat, suæ spiritualis generationis traxisse initia: reliquos vero homines ab eodem Christo quatenus Adami pręuaricatoris similitudinẽ portabat, regeneratos fuisse. Itaq; Virgo Deipara ab omni peccato permunda innocentis Adami in Christo formam inuenit: reliqui vero, cum peccatis infecti sint, à Christo eiusdem Adami transgressoris similitudinem gerente suæ regenerationis initia perunt.

10 Sed quia nuper diximus Euæ, atque Adami nuptias in statu innocentiæ pactas Christi, & Ecclesiæ coniunctionẽ adumbrare, ita vt iam tunc Adamus Christi forma, Eua autem Ecclesiæ vmbra esset, vt tradit Paulus. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Hinc sanè difficultas sese dat non vulgaris: quonam modo iam tunc ante peccatum Eua Ecclesiã referre, & adũbrare potuerit, cũ certũ sit subinde post peccatum, & post præuisionem passionis Christi, quæ ex peccato occasionem sumpsit, Ecclesiam, eiusque formam à Deo definitam fuisse. Quomodo ergo Eua iam tunc Ecclesiam illam in se ipsa exprimet, quæ necdum futura erat? Neque vero licet dicere Euam pro eo statu Ecclesiæ illius symbolum fuisse, quæ Adamo minime delinquente foret, non autem huius, quæ post delictum illius à Christo collecta fuit: cum Paulus de illa Ecclesia manifeste loquatur, quæ modo est per Christum comparata, & coacta. Paulus.

11 Quapropter dicendum est Ecclesiam totam in vniuersum sponsam Christi ita censeri, vt Maria Deipara primò, ac principaliter quasi per antonomasiam hoc nomen ferat: ipsa enim est princeps Christi spõsa, in quam apprime quadrant verba illa Cant. 6. *Sexaginta sunt Reginæ, & adolescentularum non est numerus: vna est columba mea perfecta mea, &c.* Ad hæc: in parabola decem virginum sic habes. *Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ exierunt obuiam sponso, & sponsæ.* Vbi patres per decem virgines totius Ecclesiæ vniuersitatem, & per sponsum Christum capiunt: at per sponsam Deiparam Virginem notari vult Catherinus, & ex illo alij; hæc enim prima, & princeps sponsa Christi, Cant. 6.

cum qua aliæ iustorum animæ collatæ non tam sponsæ, quàm eiusdem Virginis famulę, ac pedissequæ censentur.

Ex his fit, Adami, atque Euæ nuptias in statu originalis innocentiæ coniunctionem Christi, & sponsæ suæ Ecclesiæ arcano Sacramento iam tunc notare, non quidem secundum totã ipsius Ecclesiæ vniuersitatem, hæc enim necdum tũc futura pręuidebatur: ergo secundum vnam Mariam Virginem principalem Christi sponsam, quæ iam tunc in Dei decretis futura erat, atque adeò Adami, atque Euæ filia pro fœlici illo statu censeri debebat, ante delictum, & pactum: qua propter nec pacto obnoxia, nec delicti consors fieri potuit. 12

Rursus hanc Virginis Deiparę exceptionem ex lege communi, & pacto cum Adamo inito ipsa Euæ formatio alio ex capite venuste admodum adumbrat. Eua quippe ex latere Adami tunc producta est, cum Adamum sopor altus demerserat: atqui in sopore nullus rationis, aut libertatis vsus est. Vt vel sic constaret in Virginem Deiparam, cuius conditio in Euæ formatione præfigurabatur, ex libera Adami voluntate nihil promanasse, atque adeò peccatum, quod deliberatio voluntatis perficit, ad ipsam minime deriuatum: non enim quęuis priuatio gratiæ, & iustitiæ peccatum originale constituere nata est, nisi voluntaria, & libera: non quidem à propria vniuscuiusque, sed ab aliena protoplasti deliberatione, & voluntate, vt non semel aliàs obseruauimus. 13

Ad hæc, ex formatione primæ mulieris aliter Virginis immunitas corroborari potest: quia vt concors tenet Patrum sententia, in Adami prima conditione Christi Domini prima etiam cõditio, & in Euæ formatione Mariæ quoque formatio adumbrata est. Sed notandum est quoddam valde latum inter vtramque dissidium: nam cum de Adami conditione, & animatione sermo est, sic habet textus sacer Genes. 2. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Obserua illud verbum *faciamus*, quod licet trium personarum ad hominem condendum sese exhortantium nescio quam conspirationem adsignificare videatur, vt docent Basil. & Ambrosius: tamen si vim verbi spectes, simplicem, & minime artificiosam efficientiam notat. *Faciamus.* Cum vero de formatione mulieris agitur, ad hunc modum subditur. *Et Ædificauit Dominus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Animaduertenda etiam potestas illius verbi *ædificauit*, quod non simplicem efficientiam, sed aptũ quoddam secundum artem opificium significat. Itaque in formatione mulieris, conditoris ars, & peritia exprimitur, in formatione hominis nõ item. Quorsum hęc? Ergone licebit ad Christum, & Mariam vtriusq; formationis circunstantias sic transferre, vt asse- 14 Genes. 2. Basil. Ambros.

ramas in Maria efformanda, & expoliendA conditoris artem, & peritiā magis quodammodo excelluisse, quā in Christo: ita vt Christus factus simpliciter, Maria vero exædificata, & secundum artem exstructa dicatur? Absurdum certe hoc, verbo tenus, videtur: sed si sententiam penitus calleas, certum omnino esse ex ipsa vtriusque hominis formatione deprehendes. Nā si materiā attentius animaduertas, ex qua vterq; factus, & cōstitutus est, certe ars conditoris in mulieris formatione præluxit. Nā de conditione Adami sic habes. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentē.* Idest, statuam ex limo affabre cōfinxit, & illam statim sua inspiratione inanimauit, quod magis quodammodo pronum, ac facile erat, quia materies ipsa non parum iuuabat artificem. De mulieris vero formatione sic attexitur. *Ædificauit Dominus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Itaque costam rigidam, paruam, & obtortam sumpsit Deus, & ex illa fœminam pulchram, & elegantem perstruxit, in qua structura ars cōditoris mirum in modum sese prodidit, quatenus materies minus opportuna, & accōmodata ad opificiū erat, & ob hanc vtriusque fabricæ differentiam, homo factus simplici efficientia, mulier vero ex arte ædificata dicitur.

Gen. fi. 2.

Genesis. 3.

15 Nec dissimili ratione de Christo, & Maria iudicandum est: in hac enim (audens dico) opificis ars magis quodammodo excelluit, quam in illo: non vtique ratione rei factæ, nam Maria sub his terminis immenso interuallo cedit Christo, sed ratione materiæ. Nā (liceat sic dicere) ex diuinitate, atq; humanitate in eadem hypostasi vnitis tantum opus moliri, scilicet Christum Dominum mundi totius redemptorem, & assertorem, supremum creaturarum omnium Regem, & Pontificem, non modo peccati omnis expertem, sed anamartiton, idest, impeccabilem, res vtique magna, & admirabilis fuit: sed tamen vsque adeò materies operi ipsi accōmodata erat, vt ea ex parte opificis artem quodammodo eleuaret. Attamen ex fœmina, quæ sua conditione à reliquis minime differebat, matrem Dei, cœli, ac terræ supremam Reginam, & post Christum salutis nostræ causam, non vtique impeccabilem, sed tamen peccati omnis exortem affabre perficere, opificis artem magnopere commendat, quatenus materies tanto operi parum opportuna videbatur. Eapropter de Christo, secundum quod in Adamo præfigurabatur, simpliciter dictum est. *Faciamus hominem.* Maria vero in Eua *ædificari*, id est, secundum artem componi, & effingi dicitur, ita quod in Christi fabrica materies, in Mariæ structura ars conditoris quodammodo excelluit.

Genesis. 1.

Quid plura? Dum Virgo Maria in prima Eua ædificari dicitur, iustitia eius originalis non obscure eo verbo adumbratur. Nam Virginis huius prima formatio, & molitio propterea *ædificatio* appellatur, quia iā tunc cum primum formabatur, ædes, domus, palatium, ac templum erat, non vtique alterius, quam ipsius Dei: ergo ab ipso iam tunc adamabatur ardentius. Huius consequutionis vis in eo sita est: quia (vt commune habet Philosophorum placitum) inter voluntatem, & intellectum hoc interest, quod intellectus res cognitas ad animum trahit: voluntas vero ad res adamatas animum ipsum trāsfert, ita vt in ipsis degere, & morari recte dicatur. Maria ergo in prima sui conditione, vt ex verbo illo, *ædificauit*, constat, Dei ædes ac tēplum propterea dicitur, quia iam tunc Deus in illam per amorem migrauerat, vt in ipsa inhabitaret, & eam incoleret: hæc enim vis illius amoris est. Et sane quandoquidem Deum a se ipso ad alia externa per amorem demigrare oportuit, nulla domus augustior illi euenire potuit, quam Maria. Quis ergo non vereatur dicere huius domus, quam ipse sibi molitus est, primos incolatus dæmoni permissos fuisse: ita vt prius ille per culpam ibi degeret, quam Deus ipse per gratiam inhabitaret? Rursus: quonam iure Virgo Deipara tunc ædificari diceretur? An non potius si iam tunc culpæ locus fiat, destrui, atque ab ipsis fundamentis subuerti dicenda erit? Et quidem verbum, *ædificare*, metaphoricè primæ mulieri, atque adeò Virgini accommodatum est, sumpta similitudine ab ædium constructione: in ædibus vero fundamentum totius fabricæ robur continet. Ergo cum conceptio infantis reliquæ vitæ fundamentum sit, ne Virgineæ domus fabricam infirmam, & mobilem esse dicamus, affirmare oportet conceptionem eius iam tunc per iustitiam originalem solidam, ac robustam fuisse: nam qua ratione tantam sequentis vitæ molem immundæ Conceptionis male firmum fundamentum sustinere posset? Aut quomodo reliqua huius domus fabrica non decidua esset, cum ab ipsismet fundamentis iam nutaret? 16

Mitto alia multa, in quibus Eua pro illo fœlici innocentiæ statu Mariæ præstantissima effigies fuit, ex quibus non obscure confici videtur, ipsam ad illum statum pertinuisse, & Adami, atque Euæ filiam iam tunc pro eo statu censendam, ita vt cum reliquę posteritatis massa permisceri non debeat.



CEN-

CENSVRA SVPERIORIS opinionis.

§. II.

17. *Si Virgo pro statu innocentiæ Adami filia decreta est, immunitatem à peccato ex meritis Christi trahere non potuit.*
18. *Non solam Virginem, sed & reliquos Adæ minores ante præuisam culpam iam decretos, & futuros concedere coguntur superioris sententiæ authores.*
19. *Quo modo Eua Virginis similitudinem gesserit.*
20. *Quare Eua similitudo, qua Mariam repræsentabat, eiusdem puram Conceptionem cõfirmet.*

17 ROFECTO Hæc sententia, quam bonæ notæ recentiores Theologi amplexi sunt, acuminis aliquid, solidi autem roboris nihil continet. Imprimis enim multa habet communia cum opinione Catherini supra adscripta, quæ similem ad modum confutari debent. Ex illa enim sequitur, Virginem ex meritis Christi passibilis electam, & à peccato originali asserram non fuisse: nam cum dicat Mariam in commune transfusionis pactum ideo non venisse, quia multò ante in fœlici innocentiæ statu ante lapsũ protoplastorũ, eorum filia decreta est, atq; adeò ex iustis, non autem ex peccatoribus originem traxisse: non potuit sane illi hæc libertas, & immunitas per mortem, & passionem Christi euenire, cum hæc mors, atque passio subinde post eorundem protoplastorum lapsum definita fuerit.

18 Rursus ex eo etiam lapsi videntur prædicti authores, quod solam Virginem Deiparã pro statu innocentiæ ante pactum, & peccatum Adami, filiam eius definitam, & decretam volunt: nam iuxta ipsorum sententiam certo certius est, non solum eam, sed reliquos homines Adæ posteros ante pactum, & culpam ex eodem Adamo fore in decretis Dei ratum fuisse. Nam cum isti Doctores tam Virginem, quam omnes alios iustos ante pactũ, & culpã ad gloriã prædestinatos, & electos affirmẽt, fateri etiã debent illos etiã ante pactum, & culpam præuisam ex decreto Dei futuros fuisse: prius enim est esse, quã eligi, aut prędestinari. Rursus pactũ ipsum, vt infra, cap. 17. latius dicemus, non est initum pro filijs Adæ in vniuersum consideratis in esse possibili, sed in particulari pro singularibus futuris: atque adeò prius illos Deus ex Adamo fore præcognouit, atque decreuit, quam aliquid circa transfusionem gratiæ, aut culpæ pacisceretur. Sicut ergo omnes Adæ minores quamuis ante transfusionis pactum filij ipsius pręuisi, atque decreti fuerunt, non ideo tamen ab eodem pacto exclusi censentur: ita etiam licet demus ante pactum pro fœlici statu innocentiæ definitum fuisse, vt Virgo Deipara Adami filia foret, non tamen ex eo conficitur, illam à communi pacto seruatam, & exceptam.

Ratio autem illa, quæ ducitur ex similitudine Euæ, atque Mariæ, satis infirma est. Non enim ita putãdum est, Deum optimum maximum, Euam eo modo ab initio condere decreuisse, vt Mariæ primam conditionem adumbraret: id enim à sensu Patrum abhorret plurimum. Sed illorum mens talis est, Deum post præuisionem culpæ, & lapsus, vt naturam instauraret, sic totam rem transegisse, vt duo assertores, Christus, & Maria, priores illos subuersores, Adamũ, & Euã imitatione simularent, vt vulneri medicina responderet. Et quia præuaricatorũ duplex status fuit, alter fœlix, tunc cum in his gratia, & iustitia velut primo flore vernabat: alter subinde infelix, postquam illum gratiæ, & iustitiæ florem culpa violauit: vtrũq; certe statum duo illi assertores dissimili quadam lege imitati sunt. Quia nimirum, vt homines ad eam fœlicitatem, quam amiserãt, reuocarent, ita opus fuit, vt ea fœlicitate, cuius authores alijs futuri erant, ipsi non carerent: vtque instauratio destructionis, & euersionis formam seruaret, necesse etiam fuit, vt per eosdem gradus duo assertores instaurando pergerent, per quos ruina homines ad perniciem impulerat.

Quapropter non leuia argumẽta ad immaculatam Virginis Conceptionem comprobandam ex similitudine Euæ, atque Mariæ depromi posse puto: hæc tamen non ex eo vim habent, quia Maria ante Euam velut prototypon in mente Dei præmissa fuerit, & ex ipsa Eua veluti imago substiterit: 19
sed potius è contra, quia præuia cum esset in decretis Dei ipsa Eua, ad omnes illius ruinas instaurandas sic pręparata est Maria, vt reparatrix per omnia similis esset ei, quæ subuersionis, & ruinæ causam dedit, vt infra, cap. 18. latius conficiemus.

ALIA OPINIO RECENTIORŨ, quæ cum Virginis Deiparæ prædestinatione ante omnem creaturam eiusdẽ libertatẽ à peccato, & à debito illius componere contendit.

§. III.



21 TVDIVM, Et pietas erga Deiparam vsque adeò in omnibus viris doctis viget, vt licentiam nacti meliora, & digniora de illius innocentia sentiendi, omnes pro virili contenderint vias adinuenire, quibus eius immunitatem à culpa simul, & à debito illius contutari possint. Ergo cum Recentiores grauissimi, ac doctissimi, & in his Gun- *Gundis.*
disaluus Sanchez Lucero almæ Ecclesiæ Gra- *Sanchez.*
nensis Canonicus Magistralis, cuius æqualis fuit in suggestu, & in cathedra facultas, æqualis gloria, in tractatu, quem de hac thesi nuper dedit, vt Virginem à culpa originali, & ab obligatione illius ita liberam esse defenderet, vt tamen redemptioni propriè dictæ locum faceret, de prædestinatione Christi, atque Deiparæ aliter ad hunc modum meditatus est. In primis autem doctrinā in schola nostra celebrem præmittit: concedendam scilicet plane in Deo scientiam futurorum conditionalium, sine qua prædestinationis nostræ pelagus enauigare, & liberi arbitrij, gratiæque concordiam metiri nullo modo licet: atque hac posita, decretorum Dei seriem hac ratione pangit. Antequam Deus optimus Maximus Adamum, ac reliquos illius posteros absolutè, ac simpliciter fore decerneret, per eam, qua pollet, omnium futurorum cognitionem, conditionali scientia hoc prauidit, quod si vnum Adamum, & ex illo cunctum genus humanum existere decreto suo iuberet, atque vlteriùs in vnius Adami voluntate hominum salutem, & iustitiam sitam esse vellet, futurũ tandem erat, vt Adã legem transgressus laberetur, ac rueret, atq; adeò posteros suos ruinæ suæ consortes, & peccati reos efficeret. Id quidem certo certius est. Quid inde? Sanè sic conficit. In decretis suis absolutis (in omnē euentum prouidens) talem ordinem seruauit Deus.

In primo signo Christum Dominũ Deum simul & hominem formare decreuit: neque 22
verò eum (vt plerique alij existimant) impassibilem decreuit, neque etiam (vt alij volũt) Christum secundum substantiam ita definiuit, vt pro eo signo de statu passibilitatis nihil vel deliberaret, vel statueret: sed reuera iam tunc passibilem fore, crucem, mortemq; subire præfinitione sua cõstituit. Quid tum postea? In secundo signo sanctissimam Deiparam fore iussit, & illam ex meritis Christi præscitis ad gloriam elegit, & matrē eiusdem Christi nuncupauit. In tertio signo propter Christum, & Mariam mundum vniuersum moliri, Adamum item, & ex illo reliquum humanum genus condere, adde etiã, & Virginem ipsam ex eodem Adamo progigni voluit. Vlterius verò, in quarto signo, conditionali sua scientia instructus Deus, atque adeò futurum sub conditione ratus, vt Adamus etiam originali iustitia, & auxilijs illis præuentus, quibus illum tandem aliquando ornauit, in culpam laberetur: ad pacti cum illo de transfusione gratiæ ineundi conditiones veniens sic constituit, vt si Adamus perseueraret, iustitiam & sibi, ac posteris suis seruaret: sin verò delinqueret, non sibi solùm, sed posteris etiam suis iustitiam amitteret. Quia tamē tota hæc res erat aleæ plena, & certissimam filiorum Adæ perditionem sub conditione Deus nouerat, meritis Christi, iam inde in primo signo præscitis, inductus Mariam Deiparam ab vniuersali aliorum lege excipere, & alio iure gratiam capessere voluit, per quam ad illam demùm gloriam perueniret, ad quam in secundo signo electa, & præordinata fuit. Subinde verò per scientiam absolutam Adami peccatum, & posterorum ruina præuisa, ac præscita est: & tandem decretum, vt Christus mortem, & passionem suam, quæ in primo signo definita fuerat, in communis culpæ redemptionem, & compensationem destinato tempore subiret.

Et quidem aliqua mihi occurrunt, quæ
huic sententiæ fidē conciliare videntur, quæ 23
(si liceat mihi per authores illius) hic adscribam libentiùs. In primis ordinem istum in
decretis Dei seruatum suadent illustria Ire- *Irena.*
næi verba, lib. 3. aduersus Hæreses, cap. 34. vbi ad hunc modum scribit. *Vnde, & à Paulo typus futuri dictus est ipse Adam, quoniam futuram circa filium Dei humani generis dispositionem fabricator omnium verbum præformauerat, prædestinante Deo primum animalem hominem videlicet, vt ab spirituali saluaretur. Cum præexisteret saluans, oportebat & quod saluaretur fieri, vti non vacuum esset saluans.* Quæ verba hunc sensum reddere videntur. Propterea Paulus dicit Adamum fuisse typum futuri, scilicet Christi, quia Deus in ipso quan-

ginis ad dignitatem matris Dei, siue exceptio eius à lege vniuersali: ergo alijs sententijs facilè præferenda est. Effugium verò, quod aliqui sibi finxerunt, vt vim rationis istius declinarent, existimantes in Christo merita quædam communia, vtrique statui, passibili, & impassibili, aut merita in vniuersum abstrahentia à passione, & impassibilitate supra cap. 6. validissimis rationum momentis non elusimus tantum, sed etiam præclusimus.

28 Addo etiam secũdum principia huius sententiæ aliqua de Virgine cumprimis magna, & excelsa enuntiari posse, quæ ab aliquibus audacter prolata sunt. In primus enim locũ habet testimonium Ambrosij in Lucam ad illa verba: *Ecce ancilla Domini, &c. Nec mirum, si Dominus redempturus mundum operationem suam inchoauit à matre, vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.* Nam cum in hac sententia Deiparæ electio ad gloriam, ad maternitatem, & ad gratiam, & exceptio etiam, vendicatioque à communi lege, quibus eius redemptio continetur, ante aliorum redemptionem perfecta, & absoluta intelligatur, præclarè admodum ostenditur, quonam modo salus, quæ per Christum parata est, inchoata fuerit à matre, ita vt illa prima fructum suæ redemptionis hauriret ex pignore. Addo etiam iuxta præfatam sententiam aptè admodum quadrare in Virginem verba illa D. Bernardini in sermone de Assumptione. *Plus* (inquit) *pro Virgine redimenda venit, quàm pro omni alia creatura, iuxta illud Cant. 1. Vulnerasti cor meũ, &c. id est pro amore tuo carnẽ sumpsi, & vulneribus primis vulnerasti in cruce cor meum. Nam primogenita redemptoris filij sui fuit B. Virgo.* Et sanè illud: *Plus venit pro Virgine redimenda*, istam anticipationem, & prioritatem redemptionis Marianæ, quam sententia ista constituit, adsignificare videtur: & id etiam sibi vult illud: *Primogenita Redemptoris filij sui.*

Ambros.

D. Bern.

29 Sed quod caput est, secundum principia huius sententiæ in Virginem apprime quadrant illa D. Ildephonsi verba in lib. de Virginitate Mariæ, c. 2. *Procido ante te solum opus* (vel vt alij codices legunt) *sola opus incarnationis Dei mei.* Quibus accinunt alia perquam similia S. Dionysij Alexandrini in epistola contra Paulum Samosatenum: *Vna autem, & sola Virgo filia vitæ genuit verbum viuens.* Iã ergo illud percontari libet, quonam sensu sola Virgo opus redemptionis dici potest, cum nostrum omnium redemptiones, & liberationes incarnationis opera esse constet? Quomodo etiam sola vitæ filia dici potest, cum omnes iustos illius dignitatis socios habeat, qui similem ad modũ vitæ filij eodem iure ob acceptam iustitiam compellari debent? Profectò si in præscripta opinione sistamus, huius quæsiti solutio in promptu est.

Ildephon.

Dionys. Alexan.

Quia cum affirmet in decretis Dei Virginẽ ante alios electam efficaciter ad gloriam, ad maternitatem, & ad gratiam, imò a pacto communi exceptam, in quibus consistit eius liberatio, & redemptio, antequam de aliorum libertate ageretur: inde factum, vt ex vi vtriusque decreti antecedentis, etiamsi nihil vlterius Deus de alijs redimendis deliberaret, aut decerneret, sed illos emori, & damnari sineret, Virgo nihilominus redempta, & asserta fuisset, ac sola redemptionis fructum perciperet. Dicitur ergo sola filia vitæ, & sola redemptionis opus, quia illi soli ante alios in consilijs, ac decretis Dei ita præparata est salus, & redẽptio, vt quãlibet alij redemptionis expertes fierent, ipsa nihilominus redempta, & à culpa vẽdicata foret. Sunt etiam alia ad Deiparæ gloriam attinentia, quæ ex prædicta opinione confici possunt.

CENSVRA SVPERIORIS sententiæ.

§. IIII.

30. *Contra communem opinionem est prædictus decretorum ordo, quem Recentiores constituunt.*
31. *Etiamsi nec Adamus peccaret, nec homines conderentur, Christum passurum coguntur admittere.*
32. *Conditionali scientia Dei prædicti Recentiores certè abutuntur.*
33. *Conditionalis præscientia non magis ad Christi futuritionem, quàm non futuritionem decernendam, Deum inducebat.*
34. *Irenæi testimonium pro superiori sententia adductum explicatur.*
35. *Dissoluuntur eiusdem sententiæ rationes.*
36. *Christi passibilis, & Mariæ electionum ante omnes creaturas speciali ratione adstruunt alij recentiores.*
37. *Decreta Dei non licet aliter, atque aliter coordinare, modò conditionata, modò absoluta considerentur.*
38. *Circa diuersa obiecta non vnum, sed multiplex Dei decretum considerandum est.*
39. *Circa mentem horum Recentiorum coniectatio initur.*
40. *Si quam coniectamur, eorum sententia est, impugnatur.*



HÆC Tamen sententia, quamuis specie tenus aliquas difficultates peruincere videatur, alias vero grauissimas continet, vt propterea putem nullam solidam doctrinam ipsi imponi posse, vt pote, quæ à fundamento suo nutet, ac labet. Id enim, quod ait Christum

cui non etiam subito remedium aptare possit, illud pro re nata iuxta rerum exigentiam decernens, perficiens, & accommodans. Frustrà ergo, & sine aliquo vsu ponemus in Deo illam præstantissimi remedij (vt ita dicam) adeò maturam præparationem.

Quod verò ad tertium, & quartum argumētum attinet, assentior planè, graues aliquas difficultates peruinci in hac sententia, quæ alias opiniones oppugnant: aio tamen alias non minus graues ex illa excitari, vt nuper dicebam. Quomodo autem illa verba Patrū, quæ huic opinioni adfauere videntur, iuxta veriorem sententiam exponenda sint, infrà subscribemus cap. 24. §. 13.

36 P. Gran. Postquam hæc præscripserā, ex nostris doctissimus vir Pater Iacobus de Granados de immaculata Virginis Cōceptione aureū libellum nuper vulgauit, in quo superiorem prædestinationis ordinē tradit. Nam in lib. 1. c. 3. §. 8. sic scribit (partim verba partim sententiam subijcio.) *Dices quando Deus iniuit pactū cum Adamo, nondum ipse peccauerat: ergo nondum Deus decreuerat incarnationem, & præsertim mortē filij sui, quæ prædestinata est in medelam peccati: Ergo non fuit Virgo exempta à lege, & pacto propter mortē Christi Domini. Ergo non fuit per mortem eius redempta. Respondetur decretum incarnationis, & mortis filij Dei fuisse, antequam Deus re ipsa iniret pactū cum Adamo, & ante scientiam visionis peccati, vt in materia de Incarnat. tract. 3 declaratum est, & ideò potuisse eximi Virginem à lege illa propter mortē Christi Domini, licet nondū supponeretur peccatū re ipsa futurū, & absolute præcognitum scientia visionis. Itaq; ante decretum creationis mūdi prænouit Deus scientia conditionata (quæ secundū rationē est prior, quam decretū diuinæ voluntatis) si crearet Adamū, fore vt cum ille, & posteris iniret pactū prædictū, & ipse illud violaret; indeq; sumeretur occasio assumendi carnem passibilem, & mortalē ex Virgine Maria, vt mediāte morte resarciretur ea violatio. Qua cogitatione posita, Deus vno indiuisibili decreto statuit creare mundū, inire pactū cum Adamo, permittere violationem huius, mittere filiū suum, vt per mortē suam mederetur generi humano, ad eumq; finem conciperetur ex Virgine purissima, quam propterea ab illa lege eximebat intuitu mortis filij, quem erat conceptura.* Et sanè ad ea, quæ perdoctus Lucero in suo tractatu scribit, hoc tantū adijcit Gran. Deū scilicet præmissa notitia illius ordinis per scientiā cōditionalē, quasi in priori rationis statim vnico indiuisibili decreto ea omnia simul, semelq; statuisse mundū cōdere, pactū cū Adamo inire, eiusdē pacti violationē permittere, Christū venire, & reliqua eo ordine, quo supra prescripta sūt.

37 Sed vt dicā, quod sentio, huius autoris mētē hactenus assequi nō potui, nec satis video, qua ratione eā, quā sibi obiecerat, difficultatē diluerit. Et sanè vsum sciētiæ conditionalis ad mouendā Dei volūtatē, & dirigēda, seu ordināda Dei decreta perperā adhiberi nuper cōfecimus. Sed licet talis vsus cōditionatæ sciētiæ opportunus, atq; idoneus esset: tamen nō satis video qua ratione inductus Doctor iste, quē (vt par est) suspicio, & permagni facio, aliū ordinē in absolutis, aliū in conditionatis ponendū sibi persuaserit. Nā si Deus per cōditionalē scientiā res ita cōnexas, & inter se cōsertas vidit, vt prius illi se se obiecerit mūdi conditio, deinde verò pacti cōstitutio, peccati permissio, Christi Domini aduentus, & mors, & alia suo ordine, quonam iure aliū ordinem, ac seriē in decretis absolutis seruatū dicit? Quia in conditionatis ordinē prioris, & posterioris facit dependentia: ideò enim Deus creationem mundi priùs conditionali scientia nouit, quàm pacti constitutionem, & peccati permissionem, quia positio illius ex alterius positione, tanquam ex conditione pendet. Cū igitur res cū eadem dependentia obijciantur præscientiæ, & voluntati absolutæ, qua obijciūtur scientiæ conditionatæ, ergo idē prorsus ordo tam in prænoscēdis, quā in decernēdis absolutè rebus seruari debet.

Rursùs nō capio, quorsū spectet illud, quod quasi præcipuū huius doctrinę fundamētū iacitur, scilicet Deū vnico indiuisibili decreto simul, vnàq; res omnes definire. Si enim velit Dei decreta non esse alia priora, & alia posteriora secundū rē, aut secundū naturā, id spōte damus, quippè quod à simplicitate Dei lōgè abhorret: nos enim cū in decretis Dei alia, & alia priora, & posteriora dicimus, nō de diuersitate, aut prioritate reali, aut ex natura rei, sed de prioritate, ac diuersitate secūdū rationē intelligimus. Nam cū decretū Dei liberū ipsius Dei essentiā simplicissimā includat, & rursus rem, vel effectū ad extra producēdum cōnotet extrinsecè: quamuis ea ex parte, qua essentiā Dei cōtinet, simplicissimū, & indiuisum sit: tamen ex altera, quatenus connotat effectus producēdos, non vnū, sed multiplex, scilicet aliud, & aliud, prius ac posterius esse constat eo ordine, quo res inter se priores, ac posteriores sunt iuxta dependentiā, quam inter se ab inuicem habent. 38

Cęterùm quantùm coniectura assequi possum, mēs huius Doctoris est, Deū vnico indiuisibili decreto omnia constituisse, atq; adeò cum omnia simul, vnàq; secundum naturam in mentem, atque in voluntatem eius venerint, vt ab ipso decernerētur: fieri potuit, vt quamlibet in scientia conditionali vnū post aliud occurrerēt eo ordine, quo vnum alteri occasionem daturum erat: tamen in voluntate absoluta conuerso ordine res decernerentur, ita vt quod dignius, ac nobilius erat, scilicet incarnatio, ac mors filij Dei, prius secundum rationem efficaciter appeteretur à Deo, & reliqua omnia propter illam. Itaque authores isti scientiam conditionalem ad id deseruire fortasse sentiunt, vt causas omnes secundum eum ordinem, quem ex 39

18. *Hanc gratiæ altitudinem sine originali iustitia non dari.*
19. *Ex longitudine eiusdem gratiæ, iustitia originalis in Maria deducitur.*
20. *Ex profunditate idem conficitur.*
21. *Idem persuadet latitudo.*
22. *Virginis originale peccatum Christo Domino, in opinione hominum, quodammodo foret dedecori.*
23. *Ingenuitas Christi liberam exigit matrem, seruam non patitur.*

1 OCTISSIMI Quidam Theologi, vt plæraque argumenta contra superiores sententias à nobis efformata eliderent, & Virginis electionem ante omnem creaturam, eiusq; immunitatem à culpa, & à debito illius incurrendæ tueri possent, quamuis quod attinet ad signa decretorum Dei, eorũ ordinem eodem prorsus modo pangant, quo prima opinio suprà exhibita c.4. tamẽ rationem illius ordinis aliam accommodant.

Hi ergo vt opinioni suæ fidẽ faciant, præmittunt, primò vnam, eandemq; rem ex duplici fine intendi posse: non quidem ita vt ex illis, tãquam ex finibus partialibus vnus adæquatus, & integer finis coalescat, sed ita vt quiuis illorum totalis sit, atque adæquatus. Quam positionem exemplis, & ratione communiunt. Nam si quis (inquiunt) verbi causa, Toletum petere apud se decreuisset, alicuius negotij peragendi gratia, ac deinde amicũ aliquẽ charissimũ inibi grauiter ægrotare ex fama disceret, qui illius ope plurimũ indigeret, hic sanè ita hoc iter aggredi apud se statueret, vt vterq; finis illi integer, & adæquatus esset. Quod ex eo euinci videtur: quia quolibet ex his finibus sublato, ex altero seorsum ad iter illud suscipiendum sufficienter moueretur. Ergo etiam cum vnus, & alter coeunt, sufficienter, & adæquatè voluntatem mouent. Vel si placet, accipe aliud exemplũ ad nostrum institutũ accõmodatius. Sit quispiam miles, v.g. qui ob res gestas maiorum suorum priuilegio immunitatis à vectigalibus pendendis gaudeat: & hic rursùs marte suo æqualia maioribus suis facinora perpetrauerit, quibus sibi eandem immunitatem per leges, & iura pepererit: nonnè iste ea immunitate duplici ex titulo integrè, & adæquatè gaudebit? Atq; adeò dicendum erit id priuilegij ex duplici adæquata, & totali causa, seu titulo à Principe militi indultum, imò etiam ipsi præfatam immunitatem duplici ex nomine adæquate deberi: quandoquidem, quolibet deficiente, eandem ex altero solùm pleno iure capesseret.

2 Rursus hanc doctrinam ratio ipsa suadet: quia voluntas nostra potest ad vnã, & eandem rem faciendã ex duplici adæquato fine seorsim moueri: ergo etiam potest ex duplici simul, non quidem vna, & simplici intentione, id enim autores isti inter impossibilia numerant, sed ex duabus. Itaq; mens illorum non est, duplici ex fine integro, & adæquato vnam intentionem in nobis cõflari posse; & ex hac intentione vnica medium aliquod eligi: sed circa duos fines duplicem intentionẽ ponũt, & ex duplici intentione adæquate, & totaliter mediũ aliquod simplex per vnicã electionẽ assumi posse volunt. Quod planè in Deo admittere videtur Conc. Trid. sess. 6. c. 15. vbi doceet gloriam iustis à Deo conferri, & tanquàm gratiam filijs per IesumChristũ liberaliter promissam, & tanquam mercedẽ ex ipsius Dei promissione eorũ operibus fideliter reddendam. Addũt præterea, quod licet hoc cũ frequenti modo operandi voluntatis nostræ pugnaret, tamen de potentia Dei absoluta fieri posse, haud negari debere, quãdoquidem in causis efficientibus hoc accidit. Etsi enim de potentia ordinata vnius effectus duplex causa totalis esse non possit: id tamen potentiæ absolutæ adimere nequaquã licet, cum nulla in eo repugnantia se se offerat. Adhęc, quamuis humanę voluntati ob illius imbecillem potentiam id prorsus denegandum foret, nequaquàm inde fieret, eam vim diuinæ voluntati auferendam esse. Cõc. Trid.

Ex hac igitur positione ad hunc modũ cõficiũt. Primò signa decretorũ Dei eo planè modo subordinant, quo prima opinio supra à nobis data c. 4. deinde addũt, incarnationẽ Christi à Deo Opt. Max. duplici ex fine decretã. 3
Nam primaria intentione propter finem ipsi germanum, & intrinsecum, hoc est, propter operis ipsius amabilitatem, quã ratione propriæ, ac genuinæ bonitatis, & perfectionis cohibet, & ob quam cætera Dei opera facile vincit, ante præuisionem culpæ verbi incarnationem à Deo volitam ponunt: ac subinde post culpam propter redemptionem generis humani eandem incarnationem veluti secũdaria intentione definitam affirmant: ita tamen vt vterque finis diuinam volũtatem integrè, totaliter, & sufficienter sic induxerit, vt altero inuicem deficiente, propter quemlibet seorsum verbum Dei carnem indueret. Inde verò ad Virginis prædestinationem, similem discursum deriuãt, & secundũ eum duplici viã Virginẽ à culpa originali, & à debito illius contrahendæ eripi posse autumant.

Alia quidem est facilior, ac procliuior, quã ex illo principio non semel alias à me inculcato petere licet: nimirum in Christo duplex fuisse meritorũ genus, aliud cõmune vtriq; status passibilitatis, & impassibilitatis, quod neque includat, neq; excludat passionẽ: aliud verò, quod passionẽ necessariò concernit, & includit, de quibus supra c. 6. latè disseruim[9]. Quo posito, ad hũc modũ cõminisci equũ est. Primò Virginem Deiparam ad gratiam ori- 4

quidē incredibili plausu excepta est: ab alijs autem non modò exagitata, & explosa, sed etiam graui censura confixa fuit. Et vt multa supprimam, quæ contra dictam sententiam, & illius authorem tētata, & periclitata sunt ab his, quibus non placuit vsque adeò piè de Virgine sentiri, dum contentio, & conflictus pro vtraque parte rem versat, ad illius Academiæ proceres Theologos delata res fuit: hi verò libratis vtriusque sententiæ momentis, tam asserentis, quàm negantis Virginem à debito culpæ originalis immunem, omnes ad vnum annuerunt, & non modò immunitatem Virginis à debito culpę originalis piè, ac probabiliter defendi posse dixerunt: sed etiam in ea via, per quam noster Gondisaluus susceptam thesim contutatus fuerat, nihil subesse nota, aut censura dignū, non verbo tantum, sed scripto confirmarūt. Authoritas verò Complutensium vsque adeò obtrectatorum calumnias extinxit, vt plærique graues Theologi in eam sponte deinceps abierint. Et in his doctissimus Ioannes Baptista de Lezana ex Carmelitana familia Sacræ Theologiæ Magister copiā ita de Virgine sentiendi nactus præfatam opinionem scriptis mandauit in Apologia, quam de Virginis pura conceptione nuper in lucem edit. Adde etiam aliquid, quod huic opinioni fidem maximam facit. P. Fr. Suar. cuius authoritas ad instar omnium esse debet, hac super re percontatus, & quæsitus huius sententiæ probabilitatē suo calculo cōfirmauit.

Baptis. de Lezana.

P. Suar.

8 Deinde etiam hæc sententia multa continet, quæ ad Virginis Deiparæ gloriam, & splēdorem faciunt. Imprimis enim illā non solùm à culpa, sed etiā à debito illius perspicuè vendicat. Nam cum ad Virginē in primo suæ conceptionis instanti sanctificandam duplex ille titulus ita cōspirauerit, vt per se quilibet, adæquata, & integra ratio esset Deo, ad gratiam illam primam donandam; etiamsi ex his titulus alter Adamo peccante prorsus defecerit, eadem gratia ex altero titulo illi prorsus debita erat: atq; adeò nunquam dicere licet illam gratia originali carere debuisse: & ex consequenti fit, illam ab omni debito prioris peccati contrahendi prorsus immunem fuisse. Exempli causa: multis ex causis potest quis à vectigalibus pendendis liberari: aut per maiorum suorū hæreditariā nobilitatē, aut per suas res gestas, aut etiam per principum liberalē indulgentiam: quæ omnes rationes sunt adæquatæ, & sufficientes, quibus prædicta immunitas obtineri potest. Fac ergo militem aliquem nobilitate maiorum carere, atq; eo ex capite ad tributa pendēda teneri, tamen & rebus à se præclare gestis, & liberali item principis largitione immunem esse. De istiusmodi milite affirmare prorsus licet, illū tributa nequaquā debere, nec tributis pendēdis obligatum, & obstrictum esse: quia obligationē illam, seu debitū, quod natalium illius... aliter inducit, Reipublicæ gratitudo ob propriorū facinorū gloriā, & liberalitas principis omnino dissoluunt. Ad eundē modū de Virgine cōstituere licet, quod licet illam natalium suorū ignobilitas ex Adamo petita contrahendæ culpæ debito subiecerit: tamen & diuina liberalitas, quæ matri ex decētia debebatur, & gratitudo Dei, quæ Christi meritis respondet, debitum illud prorsus extinxerunt. Quapropter absolute dicendum videtur illam contrahendæ culpæ debito prorsus caruisse.

Deinde gratiam originalem Virgini Deiparæ multis titulis, ac nominibus ex Dei decretis deberi, ipsi perquam gloriosum est. Nā apud homines etiam splendidū valde ac perillustre censetur dignitate aliqua non vno tā tum titulo potiri. Nimirum Hispaniæ Proceres, & Heroes valde gloriosum ducunt, pluribus ex titulis Magnos esse, & dici: his nimirum titulis, qui talis conditionis esse consueuerunt, vt per se se singuli quolibet per vices deficiente Magnos reddere, ac constituere possint. Ergo similem ad modū Virgini Deiparæ gloriosum imprimis erit, gratiam originalem, & immunitatem ab omni culpæ labe, quæ prima, & præcipua ingenuitas est, pluribus nominibus, ac titulis ita capessere, vt quamlibet ex his aliquis ex eo defecerit, quia in liberam voluntatem Adami relatum fuerat: nihilominus tamen alius, & alius eiusdem gratiæ obtinendę titulus illi suppeteret. Pende nunc quam impense Matri suæ Deus gratiam originalem optauerit, quandoquidem illius consequendæ tot vias illi præparauit, atq; expediuit, atq; hanc ita ex alterius volūtate pēdere iussit, vt sibi ius illius liberaliter donandæ nequaquam ademerit. 9

10 Ad hæc, vt constet quam apte, & ex natura rei hæc dicantur: succedat memoriæ id, quod Prouerb. 8. ver. 15. multis ostendimus, nimirū nobilitatē, & imperium non modo à parētibus ad filios demitti, sed etiā à filijs ad parentes redire: quod quidē iure ipso naturali constare, tū autoritate, tum etiā ratione confecimus. Et quidem, vt pleraq; locupletissima testimonia missa faciam (vtpote quæ ex eo loco facile peti possunt) rationem hic subijciam, quæ sic habet. Filij imperium, & nobilitatem à parentibus iure quodammodo naturali capiunt: quia cū natura ita suadeat, vti filij per omnia sint parentibus suis similes, & compares: indecorū prorsus, & naturæ ipsi aduersum videtur, vt dignitas aliqua, aut ingenuitas in parētibus resideat, ad cuius cōsortium filij non euocentur. Rursus, natura etiam duce, parentes patriā potestatē habent in filios, cuius potestatis tanta vis est, vt non modò filiorum bona, & fortunæ: sed vita etiā, & quidquid in ipsis est, huic potestati iure naturali obnoxia sint (nam emancipationes filiorū iure positiuo inuentas fuisse, inibi etiam perspicue ostendimus.) Quapropter

fateri oportet omnem filij siue dignitatem, siue gloriam, siue imperium parētibus, natura suadente, subdi; atq; adeò ab ipsamet natura prorsus abhorret dicere aliquid dignitatis, gloriæ, aut imperij ad filium vndequaq; deuenire posse, in quo pater filio suo cedat, ac minor sit. Eapropter sentire cogimur quālibet filij dignitatem, & gloriā ex legibus naturæ (si iura ciuilia, & humana excludas) a filijs ad parentes ascendere.

Quid inde? Profectò inde fit apte admodū
11 ab his Doctoribus affirmari Virgini gratiā originalem duplici ex titulo à Deo decretā, & definitam fuisse. Imprimis enim, æquum fuit, vt filia à parentibus suis gratiam hæreditariam haberet, ita vt si Adamus acceptam iustitiam seruaret, eam communi consortio cum reliquis eius posteris Virgo à parente suo ferret. Rursus quia similem ad modū immunitas, & splendor à filijs ad parentes suos redit, ita prorsus decuit, vt Mater Dei à filio suo gratiam originalem, & immunitatem ab omni peccati labe obtineret. Nam quis dicere ausit Virginem Deiparam, ex eo quod Adami filia esset, arctiori iure ad gratiam vocatam fuisse, si ipse in iustitia constans esset, quā ex eo, quod Dei Mater esset? Sed ius illud prius integrū, & adæquatū erat, vt ex illo gratiam obtineret, ergo & posterius. Et sanè Virginem sanctam ex filio claritatē, & gloriam accepisse non insulse dicit Pet. Dami. in ser. 2. de Natiuitate: *In humano* (inquit) *genere ille nobilis dicitur, qui claris maiorum titulis insignitur: Beata Virgo Maria, licet generosa sit patrum stirpe progenita, ab illo tamen trahit amplioris excellentiæ genus, qui de illa est nouo nascendi genere procreatus. Clara proauorum titulis, sed incomparabiliter clarior generositate prolis: filia siquidem Regum, sed Mater Regis Regum.* Quæ verba ad nostram sententiam conuertere omnino licet, si quod de generis claritate Damianus scripsit, de gratiæ, seu iustitiæ originalis splendore, & nitore identidem pronunciemus. Ita scilicet (Deo pacifcente) factum, vt Virgo ab Adamo parente suo acceptam gratiam seruante iustitiam hæreditariā obtineret, vt hoc titulo deficiente, eandem potiori, & antiquiori iure à filio suo longè excellentius obtineret. Quapropter inde accidit, vt altero sublato, alter titulus nō deesset, & ita in patre suo Adamo gratiam amiserit, vt illā ex filio suo Christo, antiquiori, adæquato, & integro iure propter decentiam maternitatis habuerit.

Petr. Damian.

Et quidem hanc dignitatem Matris Dei
12 ad sui decentiam, omnibus alijs sublatis, gratiam originalem postulare, grauissimarum rationum momentis euinci potest. Primo, quia constanter affirmandum est, tum Angelos, tum etiam duos illos generis humani fontes, Adamum, atque Euam gratia originali à Deo in prima cōditione donatos fuisse. Si verò rationem huius rei penitus inuestiges, non alia profectò succurrit; nisi quia dignitas naturæ Angelicæ, & humanæ ad sui decentiam id postulabat, vt originali iustitia perornarentur: aliter enim duæ illæ nobilissimæ naturæ prorsus indecenter se haberent, & authoris in eisdem condendis, & expoliēdis peritiam requireremus, desideraremus. Atqui dignitas naturalis Matris Dei, humanæ, & Angelicæ naturæ dignitatem immenso interuallo superat: ergo huius dignitatis decentia potiori iure originalem gratiam sibi vendicat. Aliter enim authoris dexteritas in tanta matre absoluenda, & perficienda manca prorsus videretur.

Et quidem ad eam sententiam adduci de- 13
bent illa Anselmi tritissima verba de conceptione Virginis, & de peccato originali: *Nē pe decens erat, vt ea puritate Virgo illa niteret, cui Deus pater vnicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tanquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque communis Dei patris, & Virginis filius, & quam ipse filius substantialiter sibi matrem facere eligebat, & de qua Spiritus Sanctus volebat, & operaturus erat, vt conciperetur, & nasceretur ille, de quo procedebat.* Hæc ille: quæ verba hunc sensum reddunt. Dignitas Matris Dei, vt decenter se habeat, maiorem puritatem, & nitorem gratiæ per se exigit, quam omnis alia creata natura, quę sub Deo excogitari, aut intelligi quiuerit: nam cum omnis alia naturalis, & creata dignitas huic dignitati facile concedat, nulla est profectò, quæ parem, aut similem decentiam ad gratiam afferre possit. Si ergo Angeli, & primi parentes naturali sua dignitate ad gratiam originalem decentiæ satis attulisse constat: ergo potiori iure Virgini ob dignitatem Matris Dei iustitia originalis ex decentia debebatur. Vnde ex hoc principio Bernard. in epist. 174. sic conficit: *Quod itaq; vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantæ Virgini fuisse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam.* Quamuis enim Bernard. in ea epistola Virginem primi peccati maculam traxisse non abnuat, atque adeò gratiam, iustitiamque originalem in ea desideratā fuisse prorsus annuat, tamen ratio ab illo efformata, vel nihil probat, vel Virginem etiam à culpa originali immunem, & originalis iustitiæ nitore illustrem fuisse euincit.

Anselm.

Bernard.

Accedant etiam verba Dyon. Cart. in lib. 1. de Laud. Virg. quibus decentiā huius splēdidissimę dignitatis pulchre admodum extollit. *Quemadmodum* (inquit) *decentissimum fuit, vt illam naturam, quam creator voluit suæ personæ vnire, omni charismate gratiæ, ac gloriæ, omni virtute perfecta, ac dono Spiritus Sancti summe, & incōparabiliter decoraret: ita omnino cādecens fuit, vt Virginē illā, quā sibi matrē elegit, post humanitatē assumptam vniuersis gratiæ, ac gloriæ charismatibus inenarrabiliter*

Dyonisius Carthus.

excellentius, munificentiusq; ornaret: quantum sine dubio decuit Matrem Dei præ ministris ornari, & exaltari. Etenim sicut non decuit naturam humanã nisi pulcherrime, & incomparabiliter decoratã assumi à verbo: ita nullatenus decēs fuit personã humanã effici Dei Matrem, nisi speciosissime, ac gloriosissime ornatã. Pēde illa verba, *Decuit vtiq; Matrē Dei præ ministris ornari, & exaltari.* Nã si in ministris, tam Angelis, quã hominibus (vtraq; enim natura ad ministeriũ nata est) ob naturalē perfectionē satis decentiæ fuit, vt Deus gratiam originalē ipsis decorē conferret: eandem gratiã in Matrem decentius longe cadere, atq; adeò liberalitatē Dei melius, & accōmodatiùs in ipsam, quam in Angelos, atque primos homines collocari perspicuum est.

15 Rursus huic dignitati Matris Dei gratiam originalem veluti ex iure deberi; alia ratio suadet. Quia nimirum hæc dignitas prima, & præcipua mensura, atq; radix est, ex qua omnes illius gratias, & priuilegia non modo erui, sed etiam admetiri debent. Ita docent Bonauent. in speculo c. 8. vbi præfatam dignitatem tum *radicem*, tum etiã *mensuram* vocat: *radicem* inquam, ex qua omnes aliæ Virginis gratiæ progerminant: *mensuram* verò, per quam ipsarum magnitudo deprehenditur.

D. Bonau.

Si ergo illam veluti primam gratiarum radicem contemplemur, ita quidem cogitandũ est ex illa gratiam originalem sponte pullulasse. Quia cũ aliæ, atq; alię gratiæ huic pares, imò etiam longè superiores ea ex radice tanquam ex integro, & adæquato principio

16 emerserint: cur non etiam iustitiam originalē ex eadem germinasse dicamus. Quinimò cum hæc iustitia originalis radix etiam sit aliarum gratiarum, & donorum, quæ cum ipsa cohærent, & ab ipsa fluunt (eiusmodi sunt extinctio fomitis, indolentia partus, & id genus alia) quicumque in Virgine harum gratiarum, & donorum copiosam messem viderit, satis illi iniurius est, si non statim natiuã, & germanam illorum radicem in ipsa suspicetur. Non enim tam affluens, & tam copiosa ramorum seges se se effunderet, nisi hæc radici suæ insisteret, & ab ipsa virorē, & amœnitatem traheret. Profectò radix ista aliarum gratiarum, & donorum, scilicet gratia originalis, cum altera prima, & præcipua earundē radice, quæ est dignitas Matris Dei, cohærere, & coalescere putanda est: ita vt illa dignitas gratiam originalem: hæc verò reliqua dona, & priuilegia sponte afferat.

Quod si eandem dignitatem, ceu mēsuram

17 reliquarum gratiarum iam nunc cogitemus, pensandum certè est, id quod D. Bonauent. in speculo cap. 5. docet, nempè in gratia Virginis quadruplicem dimensionem excogitari posse, celsitudinem, longitudinem, latitudinem, ac profunditatem. Primum ergo altitudo gratiæ Marianæ est illius intēsio, & augmentum, quod ex illa mensura maternitatis aucupari volens idem Bonauent. immensitatem gratiæ in Maria deprehendit, in eodem c. 5. *Immensa* (inquit) *certe fuit gratia Mariæ, immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit istud, quo est plenũ: Mariæ autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui cœlo maior est, continere potuit.* Et infrà: *Si ergo Maria tam capacissima fuit ventre; quanto magis mente. Et si capacitas tanta fuit gratia plena: oportuit vtiq; quod gratia illa, quæ tantam impleuisse potuit capacitatē, esset immensa.* Et quidem D. Bonauent. & alij, qui Virgini gratiæ immensitatem dant. Hi sunt Epiph. in serm. de Laudibus Virginis, Ansel. de Excellentia Virginis, c. 8. Damasc. orat. 1. de Natiuit. Mariæ, & alij passim, ita explicandi sunt, vt non tam quid gratiæ Virgo re ipsa habuerit (id enim finitum, & mensura certa conclusum fuisse constat) nobis exponant, quam quid dignitati illi respondeat. Ita vt sensus sit tantam gloriam ex dignitate Matris Dei Mariæ parari, vt quantumlibet gratia in immensum excresceret, nullus vnquam designari posset tam eximius, & excellens gratiæ, & iustitiæ gradus, ad quem dignitas illa Matris Dei satis decentiæ non afferret. Quia cum dignitas illa infinita sit, vt cum Sancto Thoma sentit Scholasticorum reliqua turba, nulla vtique gratia finita, & terminata ad explendam illius dignitatis mensuram peruenire potest. Ad hunc modum superiores illas Patrum locutiones quidam viri satis docti publice exposuerunt, qui de Virgine, ac Christo, quod ad gratiam habitualem attinet, eodem modo decernendum putant, scilicet gratiam illi certa quadam mensura tributam, non quæ ad omnem suæ dignitatis decentiam attigerit (hæc enim infinita est) sed eam, quæ sic certè decuit, vt alia minor ipsam prorsus dedeceret.

D. Bonau.

Epiph.
Anselm.
Damasc.

Vnde obiter iustitiam originalem Marię deberi ex eo titulo Matris Dei ad hunc modum conficio. Quia si æqualitas inter dignitatem Matris Dei, & gratiam, quæ illi respondet, hoc postulabat, vt gratia, si fieri posset, secundum intensionem augeretur in immensum (quia cum dignitatis illius gloria nulla mensura definiri, aut concludi possit, ad immensam gratiam quodammodo decentiam habet) quis neget gratiam, & iustitiam originalē illi ex decentia deberi? Quinimò tanta immensitas, ac celsitudo gratiæ hanc basim requirere videtur, ne si aliquid minus solidũ illi fundamenti loco sternamus, eandem labare, ac nutare necessum sit. Sed rationem istã amplius vrgere libet: nam dignitas maternitatis, vt hactenus cōfecimus, adimmensam, si fieri posset, gratiam decentiam afferebat: sed tamen illam aliàs ob causas finitam esse oportuit, atq; adeò conueniēs fuit, vt intra limites finitæ gratiæ plurimũ augeretur: Quid inde? Certè vt eiusmodi augmentũ ma- 18

ius, ac maius sensim fieret, hinc factũ credo, vt Virgini ex peculiari priuilegio id datum fuerit, quod nemini aliàs cõcessum est, vt scilicet ex eo momẽto, quo primum sanctitate donata fuit, per reliquam deinceps vitam, ne ad instãs quidem actum amoris Dei tunc inchoatum intermiserit. Quorsum? Vt nimirũ gratia, quam actus ille charitatis condigne promerebatur, nunquam non cresceret, atq; adeò assiduis aucta incrementis, talis, ac tanta deniq; euaderet, qualis infinitam maternitatis dignitatem decebat. Si ergo ob maternitatis decentiam (ipsis etiam aduersarijs id fatentibus) speciali Dei prouidentia factum, vt post primum conceptionis momentũ nullum fuerit tempus, aut instans temporis, in quo Virginis gratia continuo nõ augeretur, cur eandem Virginẽ hoc incremento in primo instanti defraudatam affirmant? Cur Dei prouidentiã minus (vt ita dicam) prouidã in ipso conceptionis momẽto, quam in reliquis vitæ momentis fuisse asserunt? Alij alia sentiant: ego enim Virginem in primo conceptionis instanti Deum amasse, et gratiam Angelis ipsis maiorem, et digniorem sortitam credo, et conijcior.

19 Bonau. Rursus Marianæ gratiæ longitudinem ex duratione ipsius petit Bonauentura: quapropter, vt hæc duratio illi mensuræ ad amussim respondeat, profectò gratiam Mariæ ab ipso conceptionis instanti auspicari oportuit. Nam cũ certa, et efficax electio illius in Matrẽ Dei in decretis Dei à conceptionis præuisione inceperit, vt supra c. 6. pluribus docuimus, iam tunc in ipsis Dei decretis Mater Dei Maria censebatur, atq; adeò illa dignitas gratiam sibi decentẽ postulabat, vt duratio durationi exæquaretur. Hæc doctrina pẽdet ex his, quæ suprà diximus c. 7. vbi maternitatem Dei, atq; iura illius ad gratiã ad id tempus retrotrahendam esse, ex quo electio ad illam efficax initiũ duxit, non paucis argumentis, ex Doctorum istorum mente, euicimus. Sed tamen si gratiæ tuæ (ò Virgo sanctissima) longam durationem cum illa maternitatis Dei mensura rursus comparemus, eodem sanè modo de duratione, ac de intensione iudicandum videtur. Nam quemadmodum ex eo, quod dignitas illa Matris Dei infinitam quandã perfectionem habet, immensam illi gratiã ex decentia respondere diximus: ita etiam ex eodem capite illi dignitati infinitæ, aut æternæ cuiusdã durationis gratiam decenter exæquari dicemus, ita vt si fieri posset, initio careret, ac fine. Cæterum cum hoc impossibile sit, et gratiæ quemadmodũ ipsius Mariæ durationi initium dare necessum sit, ne aliquid contra decentiã, et exigentiam illius dignitatis cõmittamus, initium hoc morari minimè debemus, sed ab eo instanti illud recensere, quo nullum prius esse, aut excogitari possit: nimirum ab ipso conceptionis articulo.

Ad hæc, profunditatẽ gratiæ Marianæ ad 20
incomprehensibilitatẽ illius refert Bonauẽ. Bonauen.
quia nimirum illam nulla creata mens cõplecti potest. Cui affine est id, quod in ipsam iactauit Damasc. orat. 1. de Natiuit. vbi illã Damasc. *gratiæ abyssum profundissimam*, eodem sensu nuncupauit. Itaq; dignitas Matris Dei gratiam postulat profundissimam, quã sola diuini intellectus vis exhaurire, aut peruadere possit. Profunditas verò ad diuinam mẽtem relata non tam rei magnitudinẽ incomprehensibilem adsignificat, quam dispositionẽ, ordinẽ, et rationẽ captu difficilem. Verbi causa: *Iudicia Dei abyssus multa*, inquit Propheta, et Paulus ait: *O altitudo sapientiæ, et scientiæ Dei*: Paul. vbi altitudo profunditatẽ sonat: et alia id genus, quæ quidẽ significant rationes, causas, et dispositionẽ consiliorum Dei profundissime reconditas esse. Ergo cum audis gratiã Mariæ profundissimã esse, de ipsius magnitudine gloriæ ne cogita, sed eiusdem, rationes, et causas minimè obuias esse puta: cunctam nimirũ illius prædestinationem, et electionẽ non vulgarem, et communem, sed propriam, singularem, arcanam, et penitus abditã apud te statue. Et quidẽ cùm Marianæ gratiæ mensura sit dignitas Matris Dei, vti eius profunditas huic mẽsuræ respondeat, talẽ esse oportet eam gratiã, vt non communes, et obuias, sed peculiares, sibi proprias, et planè absconditas causas, et rationes in prædestinatione, ac decretis Dei habeat. Nã cũ hæc dignitas præter, imò supra ordinem aliarũ rerum sit, causarum, rationumq; cõmunium dispositionem egredi debet. Quapropter mirandũ non est, si Virgini tam singularis, et ipsi propria, peculiarisq; prædestinatio, et electio accommodetur, vt à peccato originis, et ab illius debito libera fiat.

Deniq; latitudo huius gratiæ in eo poni- 21
tur à Bonauẽ. quod ita late pateat, vt omnes Bonauen.
gratias, dona, et prærogatiuas sic ambiat, vt nulla illius latissimã complexionẽ fugiat. Et sanè, vt latitudo Marianæ iustitiæ, et mensuræ, quæ à dignitate Matris Dei assumitur, exæquari possit, ex decentia sua hoc etiam postulat, vt vel si infinitæ essent gratiarũ differentiæ, conditiones, et circumstantiæ, omnes vtiq; ad vnã Mariam perornandã, et decorãdam conuenirẽt. Nam cũ ea dignitas infinita sit, quidquid fines, ac limites agnoscit, infra terminos decentię ipsius manet. Quapropter nemo dixerit eam gratiæ, et iustitiæ circumstantiã, quæ inter reliquas nobilissima est, videlicet originalẽ esse, in Virgine desideratã fuisse. Quinimmò fateri oportet ei dignitati, vt decẽter se haberet, gratiam illam ita debitam fuisse, vt ni ipsam latitudine sua cõplecteretur, indecentissime sordesceret.

At enim vt ex matre ad filium gradum fa- 22
ciam, non modo matris honor, ac decor eam gratiam originalem sibi tot nominibus requirit, sed etiam filij authoritas, et maiestas.

Imprimis enim illud compertum est, peccatum originale turpem satis maculam esse, atque adeò, qui Virgini eiusmodi peccatum tribuunt, indecoram satis illi notam inurũt. Arnold. Audi nunc Arnoldum Carn. de Laudib. Mariæ. *Filij* (inquit) *gloriam cum matre, non tã communem iudico, quam eãdem.* Atqui contrariorum ea lex est, vt circa eadem subiecta ijsdem conditionibus versentur: ergo dedecoris, & ignominiæ par ratio, idemq; iudicium esse debet, ac gloriæ. Quapropter sicut matris, ac filij gloria non tam communis est, quam eadem, ita etiam idem vtriusq; dedecus, & turpitudo: atque adeò si Virginem peccato obstrictam, aut peccati debito obnoxiam fuisse fateamur, necessum erit filiũ in huius peccati, aut debiti participium, & consortiũ vocare, ita vt vnum vtriusq; peccatum, & vnum debitum dicere ratio supra facta nos adigat. Non quo putem, Christum Dominum ex matre peccatrice nasciturum peccatorem, nam ab ea mente longius absum: sed sicut gloria matris ad filium pertinet, ita quoque eius dedecus aliquo modo in illum effundi videtur. Itaque communionem illam non in culpa, sed in dedecore futuram contendo, non in re, sed in opinione.

23 Illephõs. At vero quantũ dedecus ex matris dedecore nasceretur filio in opinione hominũ, pereleganter descripit Sanctus Illephonsus in libello de Parturit. Virginis: vbi postquam Virginem ab omni labe originis exortem non semel statuit, sic demum attexit. *Alioqui si materna viscera quasi pro peccato corrumperet, & sordibus ex vitio primæ damnationis coinquinaret, non esset Dei filius naturalis, sed adoptiuus, vt cæteri: imo nec adoptiuus, quia nullus esset per quem adoptaretur ipse, si non esset proprius, sed seruus, &c.* Quam rationem paulo ante latius expenderat. Sed tamen licet illius vis non statim se prodat, tamen a nobis explicanda est. Sensus ergo verborum sic habet. Si Christus Dominus parentem suam in peccatum originis labi, atque adeò eius effectus experiri omnino sineret, nempe corruptionem, dolores, atque sordes, non esset vtique filius Dei naturalis, &c. Cuius rationis vis in eo sita est. Partus profecto, quod attinet ad libertatem, vteri sui conditiones sequitur: filius enim ancillæ verna est, etiamsi patrem ingenuum sibi numeret: filius item liberæ liber est, etiamsi pater seruus existat. Oportuit ergo (inquit Illephonsus) vt is, qui etiam in quantum homo filius Dei naturalis erat, atque adeò liber, ex libera matre nasceretur: ex matre (inquam) libera, id est, ex ea, quæ nunquam peccati seruitutem, nec illius leges subierat, nequis dicere, aut suspicari posset, ex serua, & ancilla necessario nasci vernam, & seruum. Nam ad hanc suspicionem amolliendam non satis videbatur ex libero patre suam originem recensere, nisi etiam accederet libertas matris. Itaque cum Sanctus Illephonsus absolute dicit, Christum filium Dei naturalem minime futurum, si ipsius mater peccati, & eorum, quæ ex peccato promanarunt, vitiorum consors esset, non quidem ex re ipsa, sed ex opinione, & existimatione humana rationem ducit, cui tale quidpiam de Christo cogitandi ingens ansa offerebatur. Ex his ergo liquet, gratiam originalem Virgini Deiparæ non vno nomine debitam fuisse, sed duobus titulis adæquatis, & integris: nimirum, & quia illam ex Adamo nasci oportebat, & quia ad matris Dei dignitatẽ prius electa fuerat. Quapropter licet eam ex altero amiserit, tamen ius integrum ad illam ex altero eidem mansit: atque adeò carendi omni gratia debitum minime contraxit.

CENSVRA SVPERIORIS OPINIONIS.



CAP. XI.



1. *Duos fines inter se non subordinatos eandem electionem totaliter causare posse: probabiliter defenditur primò.*
2. *Idem secundò confirmatur.*
3. *Solutione obiectionis roboratur.*
4. *Si fines subalternẽtur, ad vnam, & eandem electionem causandam non possunt concurrere.*
5. *Tituli, quibus electionem Virginis adscribunt recentiores, subordinati sunt.*
6. *Etiamsi duos, aut tres illos titulos, non media, sed fines efficiant recentiores, argumenti facti vim non declinant.*
7. *Fines item si bonitatis oppositas rationes habent, etiam si non subordinentur, eandem electionem totaliter causare non possunt.*
8. *Vnicam electionem à duplici fine totali nunquam procedere posse efficaciter probatur.*
9. *Effugium aduersariorum præcluditur.*
10. *Recentiores Virginem à debito peccati non liberant, etiamsi demus eam duplici titu-*

lo ad primam gratiam electam.
11. Eorundem responsio argumentum nō infirmat.

1 

HÆC Sententia superiores meo iudicio facile superat, quia plæraque argumenta, quæ contra illas supra produximus, nō sine astutia declinat. Tamen si illius fundamenta penitus inspiciantur, nec omnino robusta sunt, nec firma. Imprimis enim contra hanc sētētiā militant omnes illæ rationes, quibus supra cap. 6. electionem Virginis efficacem, siue ad gloriam, siue ad matris dignitatem ante præuisionem peccati, & ante Christi passibilis, imo & ante ipsiusmet Virginis merita præscita, validissime confutauimus.

Deinde dignitas illa, cui sententia ista innititur, scilicet voluntatem à duplici fine adæquato, & integro moueri posse ad electionem alicuius medij singularis, ad trutinam vocari debet. Eam enim, vt iacet, nulla facta distinctione, confutat P. Gab. Vaz. in 3. p. disp. 10. cap. 8. ad quem compendij studiosus lectorem refero. Interim autem vt ad ea, quæ dicturus sum, gradum sternam, præmittendum est duos fines ad mouendam voluntatem duplici modo conuenire posse: vel ita vt vnus alteri subijciatur, sic nimirum vt alter desiderium alterius, & voluntatem præsupponat: vel ita vt vterque æquè primò voluntati sese amandum præbeat. Si ergo horum Doctorum assertum in posteriori sensu accipiatur de duplici fine non subordinato, licet ad susceptam thesim comprobandā non conferat, vt statim aperiam: tamen non improbabiliter forsan sustineri posset.

Nam ea, quæ hactenus ab aliquibus obiecta fuerunt, facilè propulsari queunt. Eorum propositionem in prædicta acceptione figurat exēplum ab ipsis passim vsurpatum. Cum videlicet aliquis Toletum negotij alicuius grauioris peragēdi gratia petere apud se statuit, & subinde morbum amici cognoscit, ac tunc demum ex vtroque fine iter aggreditur. Nam in eo casu duo fines ad voluntatem mouendam ita conspirant, vt vnus alteri non subijciatur. Contra præfatum ergo assertum obijciunt primo, in hoc casu vnum, & alterum finem sic conuenire, vt vnus sit motiuus, alter impulsiuus. Hoc tamen effugium facilè præcludi potest. Quia finis impulsiuus talis naturæ est, vt sublato fine principali, quem motiuum nominant, ipse non moueat, quippe qui non ad substantiam actionis, sed ad modum illius impellit animum: nimirum, vt alacrius, vt celerius, vt ardentius res suscipiatur. Atqui ex duobus illis finibus propositis quilibet ad Toletum adeundum ita voluntatem adducit, vt quolibet per vices sublato, alter nihilominus totaliter, & adæquate ad iter illud capessendum inducturus sit.

Alij obijciunt duos illos fines, cum inter se coeunt, ita voluntatem mouere, vt ex totalibus partiales fiant, & vnam electionem eliciant: quemadmodum in causis efficientibus euenire consueuit: hæ namque, etiamsi quælibet effectum adæquate producere nata sit, tamen cum forte conuenerunt, actiuitatem suam temperant, & partialiter, vt aiunt, concurrunt. Sed tamen ratio isthæc non satis facit. Illud enim pro certo haberi debet, quod vti fines isti partiales dicerentur, vna eademque intentione ad electionem concurrere deberent, quia intentio est causalitas ipsius finis. Quapropter, sicut duæ causæ partiales efficientes, vt tales sint, totusque effectus illis partialiter respondeat, eadem actione in illum influere debent: similem ad modum de duobus finibus partialibus decernendum est, eos scilicet per vnam intentionem simplicem causare debere. Quid inde? Certe vt ex duobus finibus tanquā partialibus vna intentio fiat, debet sane vterque finis in aliqua ratione bonitatis cōmuni conuenire, sub qua vnus & alter desideretur: quia si duplex, & diuersa ratio bonitatis in his finibus sit, quandoquidem vtraque propter ipsam amari debet, non potest vtique ex vtraque vna intentio coalescere. Atqui duo illi fines, negotium videlicet, & morbus amici, non conueniunt in aliqua ratione bonitatis communi, sed vterque sibi propriam, & peculiarem bonitatem habet, ratione cuius expeti debeat: ergo non possunt tāquam fines partiales ad vnam intentionem causandam coire.

Ad hæc aliqui dicunt finem illum, qui prius menti obuersatus est (verbi gratia) negotium Toleti cōficiendum, totaliter, & adæquate voluntatem mouere ad iter aggrediendum: illum vero, qui subinde sese obtulit, nempe morbus amici, non quidem mouere, sed omnino paratum esse, vt altero deficiente, moueat. Id plane experientiæ aduersatur: is enim, cui vterque ille finis sese dedit, si suæ voluntatis motus obseruet, satis experitur ab vno, & altero animum suum pulsari, atque allici. His rationibus, atque effugijs aliqui eorum sententiam infirmare contendunt, qui duos fines ad vnam electionem conspirare autumant, quæ subiectis solutionibus prorsus excluduntur. Quapropter probabile admodum olim existimabam in prædicto, ac similibus alijs casibus, quando fines inter se minime subordinātur, nec ab inuicem pendent, volūtatem nostrā à duplici fine totali impelli posse, ita vt ad vnā electionem vnius medij vnus, & alter adæquate moueant. Imo id valde frequenter accidere putabam, nimirum toties, quoties in

medio

medio duplicis finis honestas reperitur. Verbi gratia, cũ quis eleemosynã ex affectu misericordiæ, & affectu tẽperantiæ donat, quia nimirũ ideo donat, vt leuet pauperis miseriã & vt donatis his, quæ habet, temperanter victitet: nã in hoc casu donationẽ illã eleemosynæ duplici honestate, misericordiæ, ac tẽperantiæ insigniri credebam: quã duplicẽ honestatem non tantum in exteriori actu esse putabam, sed etiam in interiori electionis motu. Neque enim ratio aliqua satis robusta tunc occurrebat, quæ suaderet, vnam electionem à duplici fine pendere non posse, & ab vtroque honestatem mutuari. Cæterum quamuis prædicta opinio de duplici fine nõ subordinato, quam olim veram putabam, infrà tamen robusto quodã argumento subuertam, prorsus vera esset: tamen ad defendendam Virginis electionem ad primam gratiã duplici ex titulo idonea nõ est. Quia (vt ex infrà dicendis apertum fiet) fines isti, seu tituli totales, quos authores isti in prędicta Virginis electione inueniunt, ita inter se cohærent, vt vnus alteri subijciatur.

4 Cum autem finis ad hunc modum alter alteri supponitur, & ex altero pendet, ita vt vnius intentio alterius amorẽ præcedat (quæ est secunda dicti asserti acceptio, & distinctionis suprà adscriptæ secundum membrũ) pro certo habeo, & semper habui vnam electionem à duplici fine adæquato, & totali causari nõ posse. Cũ enim fines prædicto modo subordinantur, & ita alter sub altero est, vt posterior ad priorem ordinetur, tunc sane is, qui ad alium ordinatur, non tam finis, quã medij rationem, nomenque sortitur: atque adeò locum nõ habet superior doctrina. Quia duo media, quæ ad hunc modum alterum alteri subditur, non possunt ad eandem electionem adæquate causandam conspirare: nã semper voluntas posterioris medij alterius voluntatem supponit. Itaque quamuis vnum opus externus ex duplici electione, quę totaliter moueat, fieri fortasse possit: tamẽ duo media subordinata ea ratione in vnam voluntatem conuenire non posse certum est.

5 Ergo in casu prœsenti compertum in primis est, illos duos, vel tres titulos, quos præmissi authores fines totales, & integros appellant, propter quos Deum Virgini gratiam originalem decreuisse dicunt, respectu diuinæ voluntatis non esse proprie fines, sed media: nam Deus omnia propter se ipsum, & propter suam bonitatem, & gloriam appetit, atque adeò hunc ad finem reliqua dirigit, vt media. Rursus addo tres illos titulos, siue media, inuicem subordinari: nã primus titulus adæquatus est dignitas matris, propter quam aiunt gratiam Virgini à Deo liberaliter decretam, ab eo signo suorum consiliorum, in quo illam in matrem suam ante omnem aliam creaturam efficaciter delegit. Secundus titulus est pactum cum Adamo in tũ de gratia in posteros transfundenda. Tertius titulus est merita Christi passibib.lis, quæ Adamo in peccatũ prolapso, à Deo prædestinata, & præordinata sunt, vt tam Virgo, quam alij, qui in Adamo iustitiam amiserant, eo auxilio recuperarent. Sed tamen dissimili lege cum Maria, & cum alijs actum est: alij enim labi permissi, ac deinde liberalitatẽ Christi experti: Maria vero ex ijsdem meritis iustitia originali donata est, ita vt si prior illa electio deesset, per quam liberaliter illi gratia decreta est ante Adamum, & pactum transfusionis, hoc posteriori auxilio à culpa sua vendicaretur, quamuis debitum illius incurrendi non fugeret. Ex his constat eiusmodi titulos, ita quidem alios sub alijs esse, vt ad vnam electionem perficiendam, & causandam simul accedere non possint: nã quãdo (verbi causa) titulus liberalitatis propter matris dignitatem electionẽ Virginis ad gratiam originalem iam iam causauerat, necdum de Adamo, necdum de pacto transfusionis Deus cogitauerat: quin imo, ex istorum Doctorum sententia, Adamus propter Mariam conditus, & pactum etiam propter eandem primo, ac principaliter initum est. Rursus cum Adamum condere, & fœdus illud transfusionis cum ipso percutere Deus decreuit, necdum Christi passio, & mors præuisa erat, sed subinde post lapsum occasionaliter ad damna illius reficienda, & instauranda præparata est: ergo tres isti tituli nõ possunt ad eandem electionem causandam adæquate conuenire, quandoquidem electio facta ob posteriorem titulũ illam essentialiter supponit, quæ ex priori titulo perfecta est.

Quod si aliquis contendat hæc ita esse media respectu bonitatis Dei, propter quam à Deo amatur, vt etiam ratione propriæ bonitatis, quæ in ipsis apparet, à Deo veluti fines deligantur, & expetantur. Certe quamuis id verum esset (quod tamen falsum plane reor ob eas rationes, quas erudite infert Pater Gab. Vazquez, in ea disp. citata. ad quẽ breuitatis studiosus lectorem remitto) tamen ratio nuper data hanc etiam doctrinam labefactat. Quia cum fines isti siue ex natura rei, siue quia Deus ita decreuit, alius post alium subinde intendatur, profecto vnius intentio alterius intentionem necessario supponit, atque adeò ad vnam etiam intentionem causandam simul conuenire nõ possunt. Sed quid, inquies, de altero duplici titulo sentiendum erit, quod ex duplici specie meritorum Christi supra deduximus? Profecto idem omnino de his duobus titulis sentiendum est, non posse aut vnam intentionem, aut vnam electionem perficere, cum alius alium, & electio, seu intentio vnius alterius electionem, vel intentionem præsupponat. 6

Vazquez.

Rursus alio ex capite duo fines totales ad 7

eandem

eandem electionem causandam conflari non possunt: tunc nimirum cum rationes honestatis oppositas habent. Verbi causa, non potest vna electio ex fine duplici liberalitatis, & gratitudinis simul, & adæquate pendere. Ratio est in promptu, quia non potest vna intentio ex vtroque illo fine causari, ergo neque vna electio: ideò enim vna, eademq; intentione in duos illos fines oppositos voluntas ferri non potest, quia duplex ratio bonitatis opposita, quæ in illis est, non potest vno actu, & motu voluntatis amari. Sed ratio eadem in electionem quadrat: ergo non potest vna electio à duplici fine adæquate pendere. Nam inter electionem, & intentionem hoc interest, quod intentio respicit finem vt consequendum per media, atque adeò directè, & primario fertur in honestatē finis, indirectè & secundario in vtilitatem mediorum: electio vero è conuerso respicit medium, vt ad finem assequendum conducit, atque adeò primario, & directe in vtilitatem medij: secundario autem, & indirecte in honestatem finis tendit. Cum igitur constet per electionem finem etiam ipsum, & illius bonitatem expresse adamari, nulla sufficiens ratio occurrit, ob quam vna intentione duplex bonitas finis opposita expeti nequeat, & tamen vna electione possit. Ad rem: si omnes illos titulos attente dispicias, quos authores præmissi adæquatos, & totales appellant, facile agnosces eos rationes oppositas claudere: nam prior est liberalis, duo alij onerosi: alter enim ad fidelitatem spectat, alter ad gratitudinem, vterque autem cum liberalitate oppositionem habet, atque illi contradicit.

8 Ergo dimissa illa ratione, quam P. Vazq. in ea disp. sententiæ suæ tenax contra oppositam producit, ex comparatione causæ finalis cum causa efficienti, quæ mihi non admodum robusta visa est. Quia causæ efficientes actiuitate sua naturali causant iuxta exigentiam illam, quam effectus habent, vt à causis suis pendeant. Quapropter cum effectus sufficienter pendent ab vna causa, atq; adeò exigentiam nullam habent alterius causæ, non videntur posse pendere ab alia: nam hæc dependentia, vel nihil aliud est, quam illa exigentia, aut certe sine illa esse non potest. Tamen de causis finalibus aliud iudicium est: isthæc enim per amorē, & desiderium sui electionē causant, atque adeò illius causatio non tam ex indigentia effectus metiri debet, quam ex libera amantis voluntate. Dimissa, inquam, illa ratione, alia certe fortior, atque robustior ex dictis suppetit ad probandum vnam electionem ex duplici fine totali, omni oppositione sublata, pendere non posse. Quia nimirum (vt nuper dicebamus) duplex ratio bonitatis diuersa non potest vna intentione propter se amari: nam si duæ rationes honestatis ad eundem modum propter se vno motu voluntatis expeti possent, profecto nulla subesset ratio, ob quam non possimus eadem actione amicum ex complacentia ipsius, & nos ipsos ex nostri complacentia diligere, ita vt vnus, & idem motus esset philautiæ, & amicitiæ. Si ergo per vnam, & eandem intentionem duo fines adamari non possunt, ergo neque per vnam electionem, ob rationem supra confectam.

Quod si instes dici posse in nostro casu donationem ipsam gratiæ originalis Mariæ indultam ex triplici illo titulo opposito, non vna, sed triplici etiam electione totali à Deo volitam fuisse, ita vt vna post aliā deinceps succedente nouo titulo esse inciperet. Respondeo id dici nullomodo posse, quia vt ex dictis constat, quælibet ex his electionibus, quæ ab his authoribus confingi potest, efficax esse debet: si ergo efficax est, prior vtiq; electio effectum includit, atque adeò cum suo simul effectu ad posteriorem supponitur, posterior ergo non potest effectam rem rursus facere. Dicam luculentius, si electio Virginis ad gratiam originalē ex iure, ac debito maternitatis Dei titulo liberali adæquata, & efficax sit, profecto tota illa cum suo effectu ante aliam posteriorem præmittitur, nimirum decretum etiam donationis gratiæ ante factum supponitur, quam alia posterior electio accedat. Ergo liceat ita loqui, neque factio illius à posteriori electione pendere, neque duplex electio ad illud causandum conspirare potest. 9

Sed quod caput est, cum hæc sententia ideo inuenta, & excogitata sit, vt Virginem Deiparam non solum a culpa originis, sed à debito illius incurrendæ immunem reddat, id certe consequi non potest. Nam authores illius ingenue fatentur, quod ad Adamum attinet, illum peccato suo vere dignum factū, vt Virgo originali gratia, sicut alij eius minores, priuaretur. Ergo ex illo etiam capite debitum, & necessitatem peccandi in se ipsa contraxit: nam ea ex causa gratia originali perinde carere debuit, sicut & reliqua Adami posteritas. Nam sicut in pactum Adami communi lege cum alijs venisse adæquate, ratio erat gratiæ per ipsum obtinendæ, ita etiam & culpæ incurrendæ adæquata, & integra causa erat. Quod autem gratia alio titulo ipsi præparata sit, non tollit quominus ipsa culpæ debitrix sit ex alio. Nam quemadmodum si quispiam ab ignobilibus satus immunitatem liberalitate principis habeat, affirmare licet hunc ex natalibus suis vectigalem esse, etiamsi aliunde immunitatem assecutus fuerit. Ita etiam fateri oportet Virginem culpæ originali ex suis etiam natalibus obligatam esse, licet aliunde ex liberalitate Dei gratiam originalem habuerit. 10

At inquies ex mente horum doctorum nō 11

ideo

ideo Virginem excipi à debito culpæ, quod gratiam alio ex titulo habuerit: sed ex eo, quia illam habere debuerit, atque adeò debitum carendi gratia bene excludi per debitum habendi. Respondeo, debitum illud carendi gratia, quod ex pacto, & delicto Adami ad Virginem transiuit, per aliud debitum illam habendi, quod ex dignitate matris Dei in ipsam proficisci putant, minime deleri posse. Quia prius illud debitum carendi gratia est verum debitum natum ex lege, ex pacto, & ex delicto patris: posterius autem debitum habendi gratiam non est verum debitum, nam cum ad Dei liberalitatem referatur, vt supra dixi, ab omni vero, ac proprio debito quamlongissime abest. Nihil enim liberalitati magis aduersum, quam debitum vndecumque natum sit. Quapropter non tam debitum, quam decentia dici debet. Et licet verum debitum appellaretur, ex liberalitate, vel promissione, vel decentia, aut ex quacumque alia ratione ortum, tamen debitum Virginis ex origine ab Adamo contractum extinguere non posset, quia huiusmodi debita contraria non sunt. Apte enim potest Deus, antequam puer concipiatur, promittere parentibus nasciturum filium sine peccato originali, quia ipse illum liberaliter sic sanctificare velit, & ita ex promissione Dei est debitum, vt filius in gratia concipiatur, quæ promissio, & natum ex illa debitum, non extinguet vlla ratione debitum aliud intrinsecum, quo filius, quia nascitur ex parentibus peccatoribus, id est ex Adamo, debeat peccatum incurrere: dum enim ab eo hæc origo naturalis nō tollitur, debitum intrinsecum tolli nulla ratione potest, vt explicabo latius, cap. 13.

Igitur propter has difficultates, quæ huic sententiæ propriæ, ac peculiares sunt, & propter alias, quas cum alijs iam præmissis cōmunes habet, mihi certe probari hactenus minime potuit, eo sensu, quo a præfatis Doctoribus hactenus tradita est. An vero hæc sententia alio modo explicata probabilitatem habeat, dicam infra, cap. 24. §. 14.

SENTENTIA SCOTI, QVA electionem, ac prædestinationem Mariæ post præscientiam peccati cum ipsius immunitate à culpa originali componit.

 CAP. XII. 

16. *Immediatè post Christi mortem decretam, Virginem electam fuisse suadet ipsius iuxta crucem statio.*

17. *Confirmatur ex illo. Cant. 8. Sub arbore malo, &c.*

18. *Sub cruce Virgo electa, & de aliorum numero extracta.*

19. *Virginem Deiparam non sine doloribus crucis peperit mater gratia.*

20. *Virginem gratia non regenerauit: sed genuit.*

21. *Gratia in Virginis parturitione tempus prauertit partus.*

22. *Gratia quasi ad crucis virgam intuens efformauit Mariam.*

23. *Quare cruciformem Mariam enixa est, quippe quæ dolores subiuit solùm, vt crucis gereret similitudinem.*

24. *Commune sontium bonum exigebat Virginem ad maternitatem electionem ad vsq; peccatum præuisum demorari.*

25. *Nostra intererat Virginem omni prorsus caruisse labe.*



SENTENTIAM Subtilissimi doctoris in hunc locum propterea distuli, quia, vti mea fert eximatio, ex his, qui prædestinationem Christi ante culpam Adami præuisam præmittendam putarunt, verisimiliora pronunciat, & quæ in alijs opinionibus supra datis, excitantur difficultates, longe facilius superat. Forcassis autem noua, & ab his, quę de Scoti mente alij scripserunt, aliena dicam, conabor tamen germanum ipsius iudicium sic exprimere, vt illius sensum me assequutū fuisse, his, qui prædicta loca obierint, perspicuum fiat.

1 *Scotus.* Ergo Scotus, si conferantur ea, quæ docet in 3. dist. 7. quæst. 3. & dist. 19. q. vnica, §. *in ista quæstione*, & quæ vtrobique dicit in reportationibus, signa decretorum Dei ad hunc modum distribuit. In primo instanti considerauit Deus se ipsum sub ratione summi boni, ad quod reliqua omnia creata bona ordinari opus erat. In secundo instanti animam Christi ante omnem aliam creaturam non tantùm fore decreuit: sed etiam ad illud gloriæ fastigiū prædestinauit, quod postea obtinuit.

2 Animam verò Christi de industria apposui, nō Christum, quia si omnia loca, in quibus de Christi prædestinatione ante Adami lapsum loquitur Scotus, attentiùs perlustres, videbis profectò illum animam tantū vsurpare, non carnem. Nam in quæst. 7. sic habet: *Inter prædestinatos, quibus vult gloriā, ordinatè priùs videtur velle gloriam illi, quem vult esse proximum fini: & ita huic animæ Christi vult gloriam, priusquam alicui alteri velit gloriam.* Et infra etiam semel & iterùm eiusdem animæ meminit, suppresso carnis nomine, cuius subinde in quinto signo prædestinationem intulit.

Nos verò signa ipsa claritatis gratia minutiùs concidemus. In tertio igitur instanti iuxta mentem Scoti, omnes Angelos, & cunctas hominum animas nō modo producere decreuit Deus, sed ex vtrisque plures ad gloriam prædestinauit. Adiecit etiam, vt tam Angelos, quàm hominum animas illi animę Christi, tanquam communi capiti, ac principi, summitteret, vt pote quam ad celsiorem, & subliniorem gloriam euexerat. 3
Rursus in quinto signo ne videretur ordo præposterus, Angelicā naturam (quæ longè nobilior est, quàm humana) inferiori parere, & obsequi, animam illam ad diuini suppositi vnionem assumere decreuit Deus. Cuius ordinis meminit Scot. in ea q. 7. §. *Secundum dubium*, vbi sic addit: *Deus priùs voluit aliquam naturā non summam habere summam gloriam, ostendens quod non oportet eum conferre gratiam secundum ordinem naturarum, ac deinde voluit illam naturam esse in persona verbi, vt sic Angelus non subesset puro homini.*

Id verò cum eiusdem Scoti constantissimis principijs valde conforme est: quia cum exploratum sit animæ substantiam, & existentiam esse independentem à carne: addo etiam hanc animam cum hac, & cum illa carne posse copulari, locus est electioni diuinæ, vt hæc potiùs, quàm illa caro cum hac anima copuletur. Deinde etiam cum certum sit carnem propter animam tanquam propter finem effectam fuisse, non autem è cōtrà animam propter carnem: locum habet dogma illud familiare ipsi Scoto: *Qui ordinatè vult, priùs vult finem, deinde ea, quæ sunt ad finem:* atque adeò fateri oportet Deum prius voluisse animam Christi tanquam finem, deinde verò illius carnem: atq; adeò ex consequenti inter prædestinationem animæ Christi, & electionem eius carnis, quę illi animæ vnita fuit, alia atque alia à Deo prædestinari, & eligi potuisse. Et eandem rationem esse puto de prædestinatione aliorum hominum, ita vt existimem iuxta mentem Scoti animas hominum tam ad existentiam, quàm ad gloriam priùs præordinatas fuisse, quàm ea corpora, & carnes, quibus denique vnitæ fuerunt. Quapropter reliquam prædestinationis seriem per sua signa, & instantia ad hunc modum in doctrina Scoti componendam esse puto.

Post quintum illud instans suprà adscriptum, in sexto instanti animas hominum, 4
quas priùs secundum substantiam producere decreuerat, & ad gloriam elegerat, suam quamque determinatam carnem, & corpus habere voluit, ita quidem, vt prædestinatorum corpora, quemadmodum & animas, priùs eligeret ad gloriam: deinde verò eadé hoc vel illo modo contemperare decerneret.

In

In septimo momento hæc ipsa corpora, quæ poterat Deus per semetipsum, aut per generationem naturalem producere, ita quidem per naturalem procreationem formare decreuit, vt Adamum huius generationis fontem, & caput esse vellet. In octauo signo, cum ad consequendam gloriam tam animæ, quàm corporis (ad quam prædestinatos efficaciter elegerat) gratia, & iustitia esset necessaria, optimum ratus, vt qui generationis naturalis fons erat, idem esset caput, & initium, ex quo iustitia ad posteros deflueret, legem transfusionis Adamo indixit, & fœdus de gratia deriuanda cum eo pepigit. In nono signo vidit Deus peccatū Adami, atq; eius posteros morti, & peccato obnoxios propter parentis culpam. Nihil hactenus de carne Christi Domini: cuius prædestinationem iuxta eum decretorum ordinem, quem secutus est Scotus, satis congruè ad id vsque tempus differendam duxit, quia cum in eius morte ac passione continetur remedium, ac redemptio peccatorum, congruè admodum expectauit Deus præuisionem constantiæ, aut ruinæ primi hominum parentis, vt illi animæ Christi, quam priùs ad gloriam, & ad vnionem hypostaticam elegerat, aut carnem impassibilem, præuisa Adami constantia, aut carnem passibilem, præuisa eiusdem ruina, assignaret, aptaretque.

6 Igitur in nono signo præuidens Deus Adami culpam ad eum modum posteris impendentem, vt huic malo medicinam pararet, animæ Christi Domini eam carnem passibilem, quam habuit, vnire decreuit, ita quidem vt priùs eam ad gloriam prædestinaret, & subinde post prædestinationem ad gloriam, passionem, & mortem eiusdem definiret. Et quidem prædestinationem carnis ad hunc vsque locum morandam esse, in mente Scoti, plane colligitur ex his, quæ dicit in distinctione illa 7. quæst. 3. sed clariùs in reportationibus eadem distinctione, quæst. 4. §. *dico quod*, vbi ad hunc modum scribit: *Dico quod gloria est ordinata animæ Christi, & carni, sicut potest carni competere: & sicut fuit collata animæ in assumptione, ita etiam statim fuisset collata carni, nisi quod propter maius bonum illud dilatum fuit, vt per mediatorem, qui potuit, redimeretur gens à potestate diaboli, & quia maius bonū fuit gloria animarū beatarū, quàm gloria carnis Christi. Ideò in quinto instanti vidit mediatorem venientem, passurum, & redempturum populum suum, qui non venisset, vt mediator, vt passurus, & vt redempturus, nisi aliquis priùs peccasset, neque fuisset gloria carni delata, nisi fuissent redimendi.* Hactenus Doctor subtilis, qui planè docet ex vi præsentis decreti in primo instanti, in quo anima Christi ad gloriam prædestinata est, nihil de carne Christi decretum fuisse, sed rem hanc dilatem in posteriora signa, vt scilicet, præuiso peccato, & caro ipsa ad gloriam eligeretur, & subinde passio & mors Christi decerneretur. Quod si obijcias, Scotum in eo loco non prædestinationem existentiæ carnis Christi, & vnionis eiusdem cum verbo, sed prædestinationem illius ad gloriam, ad præuisionem vsque peccati dilatam sensisse: occurret tibi idem Scotus in illa distinctione 7. quæst. 3. §. *Sed hic sunt*, vbi ad Patrum, & scripturæ sacræ testimonia, quæ Christi prædestinationem post peccati præscientiam tradere videntur, respondet his verbis: *Omnes authoritates possunt exponi sic, scilicet, quod Christus non venisset, vt Redemptor, nisi homo cecidisset: neque fortè passibilis, quia non fuit aliqua necessitas, vt illa anima à principio gloriosa, cui Deus præoptauit non tantum summā gloriam, sed etiam coæuam illi animæ, quod vnita fuisset corpori passibili, nisi esset redemptio facienda.* Ne abeant tibi inexpensa illa verba, *non vnita fuisset corpori passibili*: hæc enim planè significant, iuxta mentem Scoti, vnionem animæ cum corpore passibili post præuisionem peccati fuisse perfectam: certū verò est existentiam carnis Christi non fuisse definitam, antequam decerneretur vnio ipsius cum anima.

Vlteriùs dilationem istam decreti diuini circa carnem, & corpus Christi, luculentiùs tradit Scotus in illa distinctione 19. quæst. vltima. §. *in ista quæstione*, vbi sic habet: *In quinto signo præordinauit, seu prouidit de remedio per passionem filij, ita quod Christus in carne, sicut & omnes electi, priùs prædestinabatur ad gloriam, quàm præuideretur passio ipsius Christi, vt medicina contra lapsum.* Pende illa verba: *Christus in carne priùs prædestinabatur ad gloriam, &c.* Ergo ante præuisionem peccati non fuerat prædestinatus in carne. Sed vlteriùs vrgeo tam hæc, quàm superiora verba, quia vt ex illis constat, negari nequit, subtilissimum Doctorem in ea sententia fuisse, vt putaret in hoc signo, quod ipse quinto loco subiecit post præuisionem peccati, carnem Christi primùm efficaciter ad gloriam electam, deinde passionem, & mortem eidem decretam fuisse. 7

8 Iam ergo sic percontari libet, si putauit Scotus carnem Christi, quoad existentiam in primo signo cum ipsa anima fuisse præfinitam, quorsum illius prædestinationem ad gloriam ad quintum vsque signum dilatam fuisse dicit? An non meliùs, & aptius esset, vt carni simul cum anima gloria decerneretur? At inques, Christus suæ carnis gloriam promeruit, non verò gloriam animę: atque adeò satis consectariè dictum ab Scoto, gloriam carnis post præuisionem culpæ fuisse efficaciter cum eiusdem meritis definitam. Cæterùm hæc obiectio non est idonea, quia cum præfinitionem istam efficacem gloriæ corporeę ante præuisionē mortis, & passionis Christi factam docet subtilis Doctor: siue tunc statim post præuisum peccatum in quinto

signo

signo: siue antea in primo signo ante præuisionem illius cõstitueretur, eodem modo sub efficaciam Christi aut caderet, aut non caderet.

9 Adde etiam verisimilius esse, iuxta mentem Scoti, Christum non promeruisse illam electionem efficacem suæ carnis ad gloriã, quæ merita ipsius antecessit, quamuis donationem eiusdem gloriæ sibi factam reuera pro meritis exceperit. Nam quod ad hoc attinet, eodem modo de efficaci electione carnis Christi ad gloriam sensisse Scotum, sicut de electione nostri corporis ad eandem gloriam putandum est: nimirum electionem ipsam sine meritis: donationem verò pro meritis factam.

10 At quid, inquies, fieret, si Adamus non peccasset? Aut si Adamus cõditus non esset? Quod de carne Christi consilium à Deo tunc ineundem putauit Scotus? Sane crediderim Scotum in ea mente fuisse, vt putaret nihil Deum tunc de carne decreuisse: si tamen rationes illę abessent, quibus deinde inductus est, vt carnem passibilem Christo decreto suo assignaret, aliud decretũ habiturum, quo carnem impassibilem, & gloriosam eidem adscriberet: ait enim consequenter ad illa verba, quæ suprà dedimus: *Non fuisset gloria carni delata, nisi fuissent redimendi, sed statim fuisset totus Christus glorificatus.* Quod si reliqua instãtia, vel signa subijcere velimus iuxta doctrinam præceptoris subtilis, addendum est in nono instanti omnes Adami posteros, quos prius culpæ parentis obnoxios viderat, in eam labi permissos, & subinde in decimo instanti Christum merita sua ad illos redimendos, & asserendos applicasse. Scot.

11 Hæc de Christo Scotus (hactenus enim nihil de sanctissima Deipara inseruimus) cuius doctrina ad hunc modum explicata plæraque eludit argumenta, quæ contra ipsum Thomistæ excogitarunt. Qui putantes Scotum in ea sententia fuisse, vt diceret, totum Christum, & non tantum eius animam ab initio ante omnem creaturam fuisse prædestinatum, illum ad quædam absurda compellere contendunt. Scilicet quod Deum mutabilitati subiecerit, ita vt minime sibi constans, decretum prius cum posteriori alio commutauerit, aut quod res in vniuersum confuse, & temere decreuerit. Quia vel Deus, inquiunt, Christum ab initio prædestinans illum in carne impassibili venire determinare apud se statuit: tunc vero decretum suum, succedente peccato Adami, mutare cogeretur: vel carnem in vniuersum sumptam, neque passibilem, neque impassibilem illi assignauit: tunc autem confusus, & perplexus decretor foret. Hæc (inquam) absurda longissime absunt à mente Scoti, quippe qui solius animæ Christi prędestinationẽ ante præuisionem culpæ præmittendam putauit, & carnis præfinitionem subinde post culpam induxit. Vnde fit etiam nullum testimonium ex Patribus, aut etiam ex sacra scriptura contra hanc Scoti doctrinam satis validum produci posse, cum omnia illa, quæ Christum in Adami auxilium, & peccati medelam venisse dicunt, de carne illius exponi possunt. Quapropter opinio subtilissimi huius Doctoris inter illas, quæ prædestinationem Christi ante præuisionem culpæ præuertunt, mihi veritati cognata magis videtur. In qua, si principium illud demas, cuius vtique tenacissimus est hic author, scilicet finem nunquam non prius esse diligendum, & decernendũ efficaciter, quam ea quæ ordinãtur ad finem, quod in medijs moralibus falsum esse supra cap. 6. contra Doctores primæ opinionis statuimus: de cętero nulla difficultas excitari potest, quæ non facilè dilui, atque eludi possit.

Itaque, quod asserit animam Christi ad gloriam primum ante omnem creaturam efficaciter prædestinatam, tolerabilius dici posset: quia Christus animæ suæ gloriam minime promeruit, atque adeò ante præuisa Christi merita efficaciter decerni potuit. Quia tamen ea gloria, nõ nisi filiationis naturalis titulo, Christo donata est, dicendum est, non nisi post hypostaticam vnionem decretam, animæ Christi talem gloriam præparatam, & prædestinatam fuisse: vnio autem hypostatica non est decreta in primo illo signo, etiam in sententia Scoti: imo eam post præuisum peccatum definitam existimo, vt optime probat P. Vazquez, ad quæst. 1. quare electio animæ Christi ad gloriam ante præuisum Adæ peccatum fieri non potuit. Quod autem subdit ex Angelis, & hominibus plærosque ad gloriam ante præuisionem culpæ electos, quod ad Angelos vtique spectat, concedi potest, quos neque gratiam, neque gloriã per Christi promerita obtinuisse probabilius censeo. At quod ad homines attinet, falsam doctrinam cohibet: quia hominum primam electionem, & prædestinationem Christi meritis adimere nefas esse existimo: fieri autem non potest, vt hæc prædestinatio, & electio efficax ante culpæ præuisionem præmissa sub meritum Christi ceciderit, vt supra in eo cap. 6. multis ostendimus. Eodem modo de prædestinatione illa efficaci eius gloriæ, quæ carni Christi donata est, censendum puto, scilicet perperam ab Scoto ante præuisionem passionis, & mortis eiusdem anteuerti, cum Christus illam sibi suæ mortis, atque passionis pretio coemerit ob assignatas ibi rationes. 12 Vazquez.

Sed tamẽ his dimissis, quæ ad filium pertinent, ad matrem veniamus. Quid ergo subtilissimus Doctor de Virginis prædestinatione, & electione senserit, non satis compertum est, nullibi enim suam mentem vulgauit. Cæterum ex his, quæ hactenus ex doctrina illius excerpta statuimus, & quæ in eodem 3. dist. 3. 13

quæst. 1.

q. 1. de Virgine ferit, mentẽ illius venari non difficile est. Nam cum planè asserat carnem Christi post culpam Adami præuisam, fuisse prædestinatam, fateri debet etiam post eandem culpam præmissam Virginem Deiparã in matrem Dei electam fuisse: nam maternitas ideò Virgini decreta est, vt ex illa verbũ Dei carnem assumeret. Dicemus ergo iuxta Scoti mentẽ, Mariæ animã cũ reliquis simul prædestinatis ante culpæ præuisionem fuisse ad gloriam prædestinatam. Dixi autem *simul cum alijs prædestinatis:* quia cum necdum in matrem Dei esset electa, nulla tũc ratio suberat, ob quam ab alijs discerni, & alijs præferri deberet. Deinde verò cum alijs etiã hominibus decretum, vt caro animæ sociaretur, & vti ex Adamo originem traheret, atq; pari aliorum iure in legem transfusionis veniret, vt ex Adamo gratiam, & iustitiam reportaret, aut culpæ particeps fieret. Deniq; post præcognitionem culpæ, tunc cũ peccatũ posteris Adami iam iam propagandũ impendebat, imò post carnem Christi, & post passionem, mortéq; eiusdem præuisam, in Dei parentem electã fuisse, & subinde ad huius dignitatis decentiam gratiam originalẽ ex meritis Christi eidem præparatam. Post hæc verò culpam illã Protoplasti, quæ hactenus veluti pendebat, in massam reliquam effundi permissam, & subinde per Christi merita massam istam ad gratiã, & iustitiam vocatã. Hęc autem tam sera Virginis electio in Dei parẽtem obseruanda imprimis est, quia fundamẽtum sternit ad ea, quę infrà c. 23. dicemus, vbi Scoti principia ad nostram quoq; sentẽtiam allicere, ac deflectere pro virili conabimur.

14 Et quidem hec Scoti sententia non paucis nominibus in Mariæ gloriam cedit. Primò, quia dum eius prædestinationem, & electionem ad dignitatẽ matris Dei, & ad gratiam originalẽ sic moratur, vt illam post culpam iam præuisam, atq; adeò post Christi passionem, & mortem præcognitam inducat, decẽtiæ illius dignitatis prospicit, & gratiam originalem, quam Virgo obtinuit, ad digniorem conditionem vocat. Illud enim satis exploratum est, eximia Dei Optimi Maximi dona, & præstantissimas gratias per Christi mortem, & passionem hominibus partas fuisse. Et sanè non parum decoris, & gloriæ ipsismet donis, & gratijs ex eo paratur, quod tali, ac tanto pretio constiterint. Cum ergo hi, qui electionem efficacem Virginis in matrem Dei ante præuisionem culpæ anteuertunt, aut electionem istam nullo modo ex Christi meritis factam fuisse, aut saltem sub mortis, & passionis ipsius meritum minime cecidisse fateri debeant, vt supra cap. 6. multis rationibus euicimus: certè eam electionem non magni faciunt, quandoquidem illam aliter, quam ex pretio mortis, ac passionis Christi æstimandam putant. Quinimò si Virgo Deipara sic ab initio ante omnem creaturam in matrem Dei efficaciter electa fuisset, vt sublato peccato, cum nihilominus paritura esset impassibilem, & incruciabilem, sanè per succedentem deinde passionẽ dignitas illa matris quodammodo deterior facta fuisset: quandoquidẽ occasione illius Virgo passibilẽ parere coacta est eũ, quem alias digniori, & nobiliori ratione impassibilem, & incorruptibilem generaret.

Deinde gratiæ, seu iustitiæ originalis, quã Virgo obtinuit, melior redditur conditio, cũ tota sub meritum passionis, & mortis Christi dicitur cecidisse: quia exploratum est longè maiores, ac sublimiores gratias, & dona à Deo hominibus impensa fuisse iã inde postquam Christus re ipsa mortẽ pertulit, quam omnibus retro sęculis, antequam mortẽ subiret. Ita enim decebat (vt non semel August. docet) effusiorem esse ad retribuendũ Dei manum exacto tempore, & soluto pretio, quam eodem tantummodo pendente. Si ergo Deũ maiora, atq; digniora dona hominibus largiri æquũ fuit, cũ pretium sanguinis Christi iã acceptauerat, quã cũ sperabat, quamuis spes illius certa, & rata esset: quanto etiã eũ profusiorem esse oportebat, tunc cum vel acceptauerat, vel certo sperabat, quam tunc cũ nec re ipsa, neq; spe pretiũ ebiberat, imò nec de pretio aliquid cogitauerat. Ergo qui in hoc articulo, aut signo ante peccati præcognitionẽ, atq; adeò ante mortem Christi præuisam, gratiã originalẽ Virgini præparatam volũt (mea quidẽ sentẽtia) eam gratiam extenuãt, & longè minorẽ faciunt, quàm hi, qui eãdem post præuisionem mortis, & passionis decretam esse dicunt. Quia nullus inficiabitur ita rationi consonum esse, vt Deus præuisa morte Christi effusior ad donandum esset, quam eadem non pręuisa, nec cogitata. Et quidem hæc persuasio, quod scilicet Virgini gratia originalis post præuisionẽ mortis, ac crucis Christi decreta fuerit, in vsum plurimarũ Ecclesiarũ transtulit orationẽ illam satis celebrem: *Deus qui per immaculatam Virginis cõceptionẽ dignum filio tuo habitaculum præparasti, quæsumus, vt sicut ex morte eiusdem filij sui præuisa eã ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mundos, &c.* Cui accinit etiam D. Ambr. *Ambr.* in verbis illis supra c. 2. adscriptis. *Nec mirũ si Dominus redempturus mundum operationem suam inchoauit à matre, vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.*

Cæterum Virgo in præuisione Dei ita post mortem, & crucem Christi prædestinata, & electa fuit, vt non remote, sed proximè post ipsam in eadem præuisione steterit: Virgo enim simul, atque passio, & crux Christi à Deo pręuisa est, nullo interstitio, aut interuallo, secũdum hanc Scoti sententiam, ad gratiã originalẽ ascita fuit. Alij verò subinde lõgius postquam labi permissi; & delicti communis consortes facti ad gratiæ participium vo

ecti sunt. Et quidem ne huius rei aliquod vel symbolum, vel exemplū desideraremus, summo Dei consilio, & prouidentia factum videtur, vt alijs longe recedentibus, Virgo Deipara iuxta crucem defixa staret: sic enim habet: *Stetit autem iuxta crucem Iesu Mater eius.* Quorsum stetit? Certè vt simulacrum illud exterius nos commoneret similem ad modum in prædestinatione, ac decretis Dei, Mariam proximam, & vicinam fuisse cruci: alios verò dissitos, ac remotos: quippe cui gratia, & adoptio per crucem longè prius, quam alijs præparata, & decreta fuit. Dicit autem scriptura: *Stetit iuxta crucem*, id est, vel ideò stetit, quia iuxta crucem, cuius auxilio à communi lapsu vendicata est: alijs enim labi, & delinquere, id ipsum fuit à cruce abstrahi, ac remoueri: Virgini verò peccatum declinare, id ipsum fuit stare, & cruci viciniùs in prædestinatione Dei adhærere. *Cant. 7.* Nec piget dicere ob eam causam in eam quadrare verba illa Cant. 7. *Quæ est ista, quæ ascendit, sicut aurora consurgens*, in conceptione *pulchra vt Luna*; in Natiuitate, *electa vt Sol*, in Assumptione, *terribilis, vt castrorum acies ordinata*. In originibus est, *terribilis, vt vexillata*. At cur Maria vexillata dici debet, nisi quia iuxta vexillum sanctissimæ crucis vicinior stetit, aut illius (si placet) vexillifera fuit in redemptione Christi prævia, alijs subinde consequenter abeuntibus?

17 *Cant. 8.* Rursus in eandem Virginem quadrant illa verba Can. 8. *Sub arbore malo excitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Quem locum lxx. sic extulerunt. *Ibi cum doloribus peperit te mater tua, cū doloribus parturiuit te genitrix tua.* Communis vtiq; Patrum consensus per malum arborem Christi crucem intelligit: cum verò per matrem, atque genitricem alij alia conceperint: tamen *Theodor. Ambr. s.* Theodoret. & Ambr. gratiā Spiritus Sanct. capiendam putant, ad quam pertinet filios Dei generare. Itaq; si verba hæc ad Virginē accommodētur; sensus erit: sub crucis sancto ligno à sordibus, in quibus te iacere opus erat, excitaui te, id est, non ante, sed post crucē præuisam ipsius crucis auxilio tibi presto fui. *Rupert. Beda. Anselm.* Sed enim mali arboris nomen cruci datū putant Rupert. Beda, Iustus, & Ansel. cum respectu ad eam malum, ex qua pomum vetitum decerpsit Adam, per quam sui delicti consortes nos effecit. Quasi dicat: ad antiquæ illius mali damna, & iniurias pellendas salutifera crucis malus inuenta est: sub malo illa prior Adamus cecidit, sub posteriori Virgo sanctissima excitata est. Quod quidem non ita accipiendum, quasi prius iacuerit per culpam, & postea erecta fuerit per gratiā, sed ita vt à casu, & lapsu, quo aliàs iaceret, seruata fuerit.

13 Et quidē Græca habent ἐξήγειρά σε, quam vocem aliqui trahunt, non quidem ex verbo ἐγείρω, idest, *suscito, expergefacio*, sed ex verbo ἀγείρω, id est, *congrego*, & *colligo*: atq; adeò perinde est, ac si dicat, *excongregaui*, id est, ex cōgregatione, & turba separaui. Quod Virgini perquā aptè accōmodatur, quam Deus à massa, & turba reliqua filiorum Adami sua prouidentia, & prædestinatione sub crucis arbore separauit. Nam cū reliquā filiorū Adami collectionē, & cœtū parentis sui culpā cōtrahere permiserit, Mariā vtiq; (liceat sic fari) Deus auxilio crucis excollegit, aut excongregauit, idest, à collectione vniuersali secreuit, & primā ante alios ante cōmunē ruinā stare iussit. 19

Deinde verò subdit: *Ibi cum dolore peperit te mater tua, ibi parturiuit te cū dolore genitrix tua.* Sic habent lxx. Per matrem, & genitricē *Ambr. Theodor.* gratiam accipio cum Ambr. & Theodor. ita vt sensus sit. Ibi, ò Virgo sanctissima, id est, sub crucis malo, crucis videlicet auxilio, & merito, gratia ipsa cum doloribus genuit, ac procreauit te Dei filiam. Quasi dicat, falluntur planè, & à veritate longius abeunt illi, qui docent Mariā à gratia ante dolores, passionem, & mortem Christi præuisam ex liberalitate Dei, aut etiam per merita illa Christi cōmunia, & ab vtroq; statu passibili, & impassibili abstrahentia, quæ à quibusdam excogitata sunt, fuisse progenitam. Quia verè cū doloribus Mariam peperit gratia Dei, quippè quæ doloribus, ac passionibus Christi fœta illam in lucem edidit.

Ad hęc obseruanda sunt verba illa *peperit, parturiuit*, necnon vox illa *genitrix*, quæ hic specialem quoque vim habent. Nam gratia communis iustorum omnium mater non parere, parturire, aut gignere alios dicitur, sed *regenerare*, quia nimirum in culpa primum genitos ipsa regenerat, & si fas est ita dicere, reparturit, ac recreat, atque adeò tunc gratia, non tam genitrix dicitur, quam regeneratrix, & qui ab ipsa ad hunc modum regenerantur, non tam nati, quam renati appellari debent. Hunc modum loquendi celebrauit Petrus 1. cap. 3. *Renati* (inquit) *non ex semine corruptibili, sed incorruptibili.* Et supra: *1. Petr. 3.* *Qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam.* Et Paulus ad Titum. 3. baptismum, per quem culpa originis expiatur, *lauacrum regenerationis* appellauit. *Ad Tit. 3.* Soli Virgini inter reliquos mortales gratia genitricem se exhibuit, quia illam ab initio sanctam, & mundam genuit, & spiritu adoptionis donauit: atque adeò sola audire meretur verba illa: *Ibi peperit te mater tua, ibi parturiuit te genitrix tua.* 20

21 *Nicetas.* Nec caret etiam emphasi verbum *parturiuit*, cui subest in primitiuis Græcis ὠδίνησε: cuius verbi vim attentius examinans Nicet. in Naz. docet ex genuino sensu partum præcocem, non quidem naturæ legibus, & terminis adstrictum, sed violentum, & citatū notare. Quid igitur significantius addi potuit ad cū partum innuendum, quo Mariam Spiritus Sancti gratia in Dei filiū enixa est? Fuit enim partus ille pręcox, citatus, & cōmunes aliorū

terminos,

terminos, legesque anteuerterit. Nam cum in alijs gratia culpæ locum fecerit, & eos iam enectos, regenerauerit, Mariam quidẽ, peccatum præuertens, ab initio sanctam, & iustã genuit, & filiã Dei esse prius iussit, quam ex Adami origine aliquid labis in ipsam transiret. Et quidem (ni fallor) ad hunc sensum traduci debẽt verba vulgata. *Ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua*. Nã perinde est, ac si dicant, ibi ante tempus soluit vterum, & partum violentũ, & citatum passa est. Ibi inquam, id est, sub crucis vmbra, vel ad crucem intuens.

22 *Genes 30.* Succedat memoriæ actus ille Iacob Genes. 30. vbi cum vellet agnos ab ipso partu variegatos edi: *Tulit* (inquit scriptura) *virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex parte decorticauit eas, detractisq; corticibus, in his, quæ spoliata fuerant, candor apparuit: illa verò, quæ integra fuerant, viridia permanserunt, atq; in hunc modũ color effectus est varius, posuitque eas in canalibus, vnde effũdebatur aqua, vt cũ venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & ex aspectu earum conciperent. Factũque est, vt in ipso calore coitus oues intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, & diuerso colore respersa.* Simile quidpiã ipsi gratiæ, quam matrem, & genitricem hactenus diximus, in Mariæ partu euenisse dixerim. Hęc enim ad crucis virgam intuens, & ex respectu ad illam fœta, & grauida Mariam enixa est: quod vel ex eo deprehẽdi potest, quod cruci ipsi perquam adsimilis, & conformis euasit.

23 *Epiph.* Ita enim cẽsuit Epiph. in ser. illo de Laud. Virg. vbi illã *cruciformem* appellauit. In qua illud obseruatione dignum est, quod cũ alias peccati originalis iniurias prorsus ignorauerit, tamen à passionibus, & doloribus, quos etiã originis culpa in mundum inuexit, non fuit immunis. Rationẽ huius rei accõmodat *Scotus.* Scot. in ea d. 3. q. 1. quia nimirũ ita decuit, vt auferrentur ab ea pœnæ, nõ modo inutiles, sed etiam ignominiosæ, ac turpes: attamen pœnis alijs, quæ sibi promeritorũ causæ futuræ erant, vtilibus, inquam, & honestis subiacere illam nõ tantũ decuisse, sed etiam oportuisse. Addo etiam vlterius id congrue admodum factũ: nam cũ gratia sub crucis vmbra, & ad crucem intuens Mariam enixa fuerit, maximẽ conueniens fuit, vt quãlibet ab alijs culpæ originalis ærumnis eiusdem crucis auxilio erepta fuerit, tamen proprios crucis colores, conditiones, & affectiones, scilicet dolores, atq; passiones retineret: vt enim constaret eam saluificæ crucis auxilio ab omnibus alijs peccati ignominijs immunitatẽ adeptam fuisse, eapropter proprias crucis affectiones eam seruare, & retinere oportebat.

24 Insuper docet Scotus, pendente iam in posteros Adami culpa, Virginem electam, ita vt eam matrem Dei prædestinari, & nuncupari in peccatum, tanquam in occasionem referri debeat. Quod non fine magno emolumento nostro, & ipsius Virginis gloria patratum videtur. Audi Ansel. de excellentia Virginis c. 1. *Verum cũ recogito* (inquit) *sanctum filium eius ob hoc, vt peccatis hominũ mederetur, factum esse ipsius filiũ, nũnihil spei concipio, sciens videlicet illã magis propter peccatores, quàm propter iustos esse factam Dei matrem: dicit enim bonus filius eius se nõ venisse vocare iustos, sed peccatores. Si igitur ipsa propter peccatores, scilicet propter me, meiq; similes facta est Dei mater, quomodo immanitas peccatorũ meorum cogere poterit desperare veniã eorum, cum tam ineffabile bonum sit factum ex ea ob curationem eorum? At ipsa curatio ad quos efficacius progredictur, aut in quibus misericordius operabitur, quam in illis, à quibus, & propter quos tantum bonũ amatur, amplectitur, & veneratur?* Et infrà c. 12. Virginẽ sic affatur: *Cur itaq; non iuuabis nos peccatores, quãdoquidem propter nos in tantam altitudinem es leuata, vt te Dominã habeat, & veneretur omnis pariter creatura?* Itaq; mens Anselmi est, Virginem quodammodo peccatis, & peccatoribus obstrictam, & obligatam esse, vt ipsis misericordiam impendat: quandoquidem peccata, & peccatores exaltationi ipsius causam, & occasionem dederunt: vtpote quã Deus occasione accepta ex peccatis in matrem suam elegit, atque eapropter ea dignitas ipsismet peccatis quodammodo obstricta, & obærata est. De quã thesi infrà c. 23. vberius dicemus. *Anselm.*

Nunc verò ex hoc principio non insulse, nec inefficaciter conficio, Virginem ab originali, & ab omni alia actuali culpa permundam esse, non tantum ipsi gloriosum, sed etiã nobis valde commodum fuisse. Nam si verè aliquo vel originali, vel actuali peccato fœdata vnquam fuisset (liceat sic fari) culpæ ipsius damna experiri coacta, minus benè erga peccatores afficeretur. Nam quamuis illis, quatenus suæ exaltationis occasionem obtulerũt, benè velle, & erga illos rectè affici posset: tamen illos in suam etiam perniciẽ editos cogitans, non posset non plurimum odisse, & detestari, adeò vt crediderim futurum, vt tunc maior illi detestationis, & odij causa suppeteret ex damno accepto, quàm beneuolentiæ, & amoris ex cõmodo. Quapropter ex re nostra fuit, & Virgini valde gloriosum, vt proprium peccatum non haberet, vti erga nostrum peccatum, cuius occasione ad tantam gloriam euecta fuerãt, sub ea ratione quatenùs sibi tanti boni, & splendoris causam occasionalem dederat, nunquam nõ rectè affici posset: non quidem ita vt ipsum adamaret, absit, sed ita, vt de remedio illius libentiùs ageret, & erga peccatores amantiorem se præberet. His, & alijs rationibus, & argumentis ostendi potest, quam gloriose de Virgine senserit Scotus, cuius sensum vlterius vrgere in animo est. 25

ctrinam satis probabilem petitam ex modo, quo aliàs per sacramenta pro debitis peccatorum nostrorum pœnis Deo sit satis. Nam cogita, exempli causa, sacramentum baptismi. Certè lauacrum illud nō solùm animam expiat,& emundat à culpa, sed etiam omne debitum pœnæ, quod alias propter peccata pendendum erat, dissoluit:ita nimirum vt culpam per infusam gratiam deleat, debitum autem, seu dignitatem pœnæ per satisfactionem ipsius Christi prorsus dissoluat. Ergo ad eundem modum de peccato originali, & de debito illius decernit Scotus, peccatum scilicet per infusam Virgini gratiam in ipso conceptionis instanti fuisse præoccupatum: debitum autem per merita Christi eidem Virgini tunc accommodata euitatum prorsus,ac dissolutum: atque ita demum factum, vt Virgo Maria, quæ ex demerito sui parentis Adami debitrix culpæ foret, per Christi meritum debitum illud effugerit. Ne dicamus fortius, aut efficacius fuisse primi hominis demeritum ad debitum inducēdum,quam Christi meritum ad illud diluendum,ac dissoluendum.

3 Hæc Scoti doctrina sic explicata mihi vsque adeò nonnunquam arrisit, vt putarem nulla alia ratione faciliori, ac procliuiori Virginem Deiparam à debito originalis culpæ contrahendæ posse vendicari ab his, qui contendunt illam in pactum transfusionis cum reliqua Adami sobole ingressam fuisse: quia nimirum,specie tenus, plana, & aperta videtur,& eas obiectiones subterfugit, quibus aliorum opiniones hactenus confutauimus. Deinde verò penitiùs candē inspiciēs, & acri iudicio examinans,non admodum solidam esse comperi. Cogita igitur inter illa duo similia,quibus doctrina Scoti nititur, latissimam dissimilitudinem versari. Scotus enim duas res inter se composuit valde distantes,scilicet debitum pœnæ soluendæ, & debitum culpæ contrahendæ, quas plurimū dissidere necesse est,vt iam iam demonstro.

Ergo verisimile est id, quod à grauissimis Theologis traditur, dignitatem illā pœ-
4 næ,quæ culpis iā per gratiā deletis, in homine restare consueuit,per Christi merita, aut etiā per applicitam alterius hominis satisfactionē repelli posse:quia probabile etiam est hanc dignitatem pœnæ non esse intrinsecam aliquam formam, quæ nos illius pendendæ dignos intrinsecè reddat, sed extrinsecam quandam destinationem (quæ scilicet manat ex peccato præterito iam dimisso quoad maculam, non autem quoad offensæ satisfactionem) quæ nos pœnę addicit,ac deuouet. Ex quo fit, vt per extrinsecam etiam formā, id est,per satisfactionem alterius deleri possit,ad eum modum, quo debitum pecuniæ à me contractum per satisdationem alterius omnino extinguitur. Quia cum debitum istud nihil aliud sit,quam obligatio quædam extrinseca nata ex contractu, aut ex re accepta, per alterius compensationem dissolui potest. Quotquot autem ex aduerso docent dignitatem illam ad pœnam esse formam intrinsecam, quæ hominem intrinsecè pœnæ debitorem constituit,quia putant, quemque non ex voluntate Dei, sed ex suismet actionibus,quemadmodum & culpæ,sic etiam pœnæ reum esse: consequenter docent hanc dignitatem per extrinsecam satisfactionem alterius aboleri non posse, sed necessariam esse mutationem intrinsecam. Nimirum fortissimo inducti argumento:quia si forma intrinseca aliter quam per intrinsecam mutationem remoueri posset, nulla satis valida ratio subesset ad probandum, hominem per iustitiam, & sanctitatem extrinsecam Christi à peccato emundari non posse. Nam si semel demus,formam intrinsecam ab extrinseca forma repelli posse, quid causæ erit,cur Christi sanctitas nostram malitiam non diluat prorsus, atque deleat, corruatque identidem definitio Concilij Tridentini contra nostri temporis Heresiarchas?

Ego equidem de veritate harum sententiarum non discepto, id enim aliorum iudicijs libens permitto. Illud tantummodo ex illis mihi sumo, quod si semel constiterit debitum peccati originalis contrahendi aliquid intrinsecum esse in Adami posteris, id certe, neque per Christi merita, neque per aliam formam extrinsecam omnino aboleri posse.

Aio ergo primo. Debitum istud contrahendæ culpæ originalis non est destinatio 5
aliqua extrinseca diuinæ voluntatis, per quam Adæ soboles culpę addicatur: nam si ita res haberet, Deus esset causa talis culpæ, quod absurdissimum est. Rursùs non est aliqua mere extrinseca obligatio ex demerito Adami in posteritatem eius profecta, ratione cuius debitores culpæ reddantur. Quia cum macula originalis sit proprium, & intrinsecum cuiusque peccatum (vt planè definit Concilium Tridentinum sessione *Cōc. Trid.*
5. §. *Si quis hoc Adæ peccatum*) proximum illius fundamentum debet esse intrinsecum: quemadmodum enim impossibile est, vt per iustitiam extrinsecam alterius iustus aliquis fiat: ita etiam fieri non potest, vt aliquis per extrinsecum alterius peccatum peccator fiat, neque peccati debitor: sed aliquid intrinsecum subesse debet, quod huic formæ intrinsecæ fundamentum offerat.

Addo etiam hoc intrinsecū fundamentum 6
non esse aliquam dignitatem intrinsecam,& propriam eius, qui peccato obnoxius est, quia talis dignitas ex aliquo defectu priori existente in eo,qui peccati reus dicitur, manare deberet: atqui nullus eiusmodi defectus in Adæ sobole excogitari potest,qui peccati debitum anteuerterit: ergo nulla est talis dignitas. Quapropter dicendum est

fundamentũ huius debiti, ratione cuius Adæ minores peccato obligati, & obstricti sunt, nihil aliud esse, quam lege, & pacto præsupposito, ex naturali propagatione viri, ac fœminæ nasci. Ratio huius est perspicua, quia fundamentum, seu debitum huius peccati (vt constat ex supra positis) debet esse intrinsecum peccatori: atqui in filijs Adæ nihil prorsus excogitare licet intrinsecum, quod peccatum præcedat, nisi eo modo nasci ex illo per naturalem propaginem: ergo hæc natiuitas est fundamentum proximum eiusmodi peccati. Quod exemplo facili, & obuio compertum fiet: nam sicut in peccato actionis, quod ex transgressione præcepti contingit, fundamentum proximum illius est actio, præsupposita lege, & præcepto, & ideò peccatum actionis dicitur: ita etiam in peccato traducis, præmissa etiam lege, & pacto, fundamentum proximum est origo ipsa, & natiuitas: ideò enim peccatum originis appellatur. Itaque esse aliquem talis propaginis, & originis, vt virtute eius in peccato conciperetur, nisi alias gratia ocyùs præueniatur, id certè est peccati debitorem esse.

7 His ergo constitutis, Scoti sententia superiori modo intellecta facili quadam ratione subuertitur. Forma, quæ filios Adæ culpæ debitores efficit, est intrinseca, ergo per extrinsecam accommodationem meritorum Christi deleri non potest. Quia vt supra decreuimus, omnis forma intrinseca per intrinsecam mutationem aboleri debet. Vrgeo Scotum. Fundamentum, ac debitum proximum, & intrinsecum huius peccati est natiuitas, seu origo naturalis, præsupposito pacto tanquam conditione: sed hoc fundamentum per merita Christi expelli, aut euanescere non potest: ergo neque debitum præmissum dissolui. Quod verò nihil intrinsecum animæ infundi possit, quod fundamentum illud euertere queat, inde patet, quia hoc non potest esse aliud, nisi gratia habitualis, hæc autē ex se compossibilis est cum eo fundamento, & debito; aut extrinseca Dei acceptatio, quæ vel ex eo, quia extrinseca est, insufficiens est ad hunc effectum præstandum, vt nuper dixi. Cæterum quamuis Scoti sententia, & doctrina eo modo, quo supra à nobis explicata est, prorsus displiceat, aliquid tamen infra cap.24. §.15. subijciam magis solidum, & cum subtilissimi huius Doctoris mente magis conforme, de immunitate Virginis, tam ab originali, quàm à debito illius. Require eum locum. Interim vel ad præcipuam Scoti doctrinam gradum referens, præter ea, quæ superiori capite contra ipsam obseruaui, illud imprimis difficile est, quod de impendentia peccati originalis in posteros, ni fallor, primus adinuenit. Nam quod ait, peccato Adami pendente, & in sobolē eius ruinam minitante, passibilem carnem Christo fuisse decretam, & matrem eidem definitam, id certè, quod ad illam peccati impendentiam attinet, mihi nunquam satis probari potuit: sed quia hæc difficultas huic sententiæ cum ea, quæ sequitur, communis est, eius vtique exactam discussionem in cap.15 sciens, ac volens differo.

8 Rursus id, quod ex illius principijs apte deductum subiecimus, scilicet Virginem Deiparam prius efficaciter electam ad dignitatem matris, quam vel ad gloriam, vel ad gratiam, similem ad modum confutandum est per ea, quæ supra cap.6. diximus contra illos, qui non dissimilem prædestinationis ordinem in electione Virginis ante peccati præuisionem, & Christi passibilis præcognitionem commenti sunt. Nam quamuis ex doctrina Scoti non sequatur id, quod in alios intorsimus, scilicet Christũ meritis suæ mortis, atque passionis eam dignitatem matri non exorasse, quandoquidem eam electionem post præuisionem eorum subinducit: tamen ex illa conficitur, ipsammet Virginem ad eam dignitatem nihil meriti attulisse: quod rationi, & Patrum doctrinæ satis aduersum est, vt ex his, quæ inibi diximus, cuilibet compertum erit. Interim verò ab omnibus huius Scholæ proceribus id precario contendo, id supplex posco, vt doctrinæ istius de prædestinatione Christi, & sanctissimæ illius matris, quæ sine aliqua ambiguitate Scoti germana mens est, tenaces sint. Nam si ita senserint, non erit arduum in via subtilissimi Doctoris nouam aliam rationem comminisci, qua Virginem Deiparam non modo à culpa originali, sed etiam à debito illius vendicare solide simul, ac facile liceat: quam infrà c.24. subijciam.

SENTEN-

SENTENTIA P. GABRIELIS Vazq. & aliorum de prædestinatione Virginis post peccati præuisionẽ, & de eius immunitate à culpa originali, non tamen à debito illius.

CAP. XIIII.

1. Virginis electionẽ, & Christi prædestinationẽ qualiter post peccatũ cõstituat P. Vazq.
2. Originalis iustitia, ad quam primò Maria electa est, eam primò à reliquis Adæ minoribus secernit.
3. De hac originalis iustitia nota expenditur illud Prouerb. 8. Ab æterno ordinata sum.
4. Originali iustitia, tanquam tessera, insignita fuit Maria in Dei prædestinatione.
5. Per hanc ab omnibus Dei hostibus discernitur, & ab amicis agnoscitur.
6. Originalis iustitia Virginem tesseræ in modum quadrauit ne labi posset.
7. In prædefinitione Dei, quasi subductis tesseris, Virgini fœlicissimus iactus obtigit.
8. Ab originali iustitia contra impendens peccatum Virgo protecta est.
9. Per huius gratiæ præparationem, creaturarũ omnium Regina inaugurata fuit.
10. Originalis iustitia, quia maternitatis semẽ, Virginem à primo suæ conceptionis articulo Reginam constituit.
11. Ante verbi incarnationem Gabriel Virginẽ vt Reginam veneratur, & ipsi ab instanti conceptionis tanquã Reginæ Angeli omnes obsequuti sunt.
12. Virgo imago Dei conflatilis extitit, nõ malleis efformata.
13. In decretis Dei non cum reliquis permixta, sed loco, & ordine prælata reliquis Maria dicitur.

1 OCTORES isti certũ, & ratum cum primis esse volunt cum S. Tho. atque vniuersa illius Schola 3. p. q. 1. ar. 3. Christum Dominum subinde post peccatum originale fuisse prædestinatum: quam sententiam, tum scripturę, tum etiam Patrum testimonia vsq; adeò mihi persuadent, vt quidquid priuilegij, cõmendationis, aut laudis ex opposita sententia ad Mariæ gloriam accersitur, illud sponte sua nutare, ac ruere omnino sentiam. Hoc ergo præstabilito fundamento, de reliquo decretorum Dei ordinem ad hunc modũ digerunt. In primo signo præuidit Deus Adam lapsũ, & cunctã eius sobolẽ ad lapsum etiã procliuẽ: itaq; cõstituũt instãs quoddã, in quo post culpam Adami absolute pręcognitã cõcipimus eandẽ vt posteris iam impẽdentẽ, & subinde deriuandã, ac posteros similiter eidẽ obnoxios: in hoc verò instanti Mariam cũ reliquis Adæ filijs cõmuni cum ipsis debito obstrictã ponũt. Post hęc in secũdo signo Christũ, eiusque mortẽ in remediũ culpæ pręfinitã fuisse aiunt. Ex tunc verò in tertio signo, cũ posset Christus merita sua accõmodans omnes homines ab originali peccato erectos in gratiã originalẽ asserere, reliquis posthabitis eam gratiam soli Marię impendisse affirmant.

S. Thom.

C VIII 2.

Neq; verò dicunt eã in eo instanti ex Christi meritis pręuisis primũ ad dignitatem matris Dei, seu ad gloriã, deinde ad gratiã efficaciter electã fuisse: sed ita decernũt Deũ simplici quadã, & inefficaci, sed tamen ardẽti volũtate, tũ matris Dei dignitatem, tũ etiã beatitudinẽ Marię desiderasse, & ex hac volũtate primũ iustitiã originalẽ, & deinde alias gratias eidẽ efficaciter per Christi merita decreuisse. Itaq; mens illorũ est, per electionem ad iustitiam originalẽ Mariã ab alijs Adæ filijs primũ secernit, ita vt iustitia hęc prima, & propria nota sit, quę illã ab ijs omnino diremit, & peculiari, & proprio decore insigniuit. Dein verò adijciũt in quarto signo reliquos homines, Deo quasi conniuente, in peccatũ originale, quod hactenus pependerat, labi permissos. Ac demum in quinto signo Christum Dominũ illis remedia pręparasse affirmant. 2

Hæc est Gabrielis nostri sentẽtia 3. p. disp. 116. & sæpè alibi sibi constans eandem tuetur, illamq; deinceps alij obuijs, vt aiunt, manibus amplexati sunt. In qua (vt ea dimittam, quæ ad illustrandam Scoti sententiam, quatenus electionem Virginis ad dignitatem matris Dei sub peccati præuisionem, & passionis Christi præcognitionem inducit, suprà serui cap. 12. quæ omnia in hunc locum transferri possunt) illud peculiare, & minime vulgare ad Virginis gloriã est, quod primam notam, per quam à reliquo cætu filiorum Adam secernitur, gratiam, & iustitiam originalem esse affirmat. Libet vtiq; in hunc locũ pręcipiti stylo, è vicino versu accersere illa verba: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret.* Hebr. נִסַּכְתִּי *Nisachthi* ex verbo *Nasach* (quę verba licet in Cõmentarijs ad Prouerbia Salomonis de Vir- P. Gazq. 3

gine à me explicata sint: hic tamen aliqua præfabor) Sanè illius verbi *Nasach* anceps vis est: nam significat primum *tegere*, & *protegere*, deinde *fundere*, ac *conflare*, ac rursus *regnare*, & *principem constitui*, vel vt adnotauit Mercerus, ex germana significatione sua *regno initiari*, vel *inaugurari*: ac demum quibusdam etiam videtur inter huius verbi significationes aliam esse *tessellare*, id est, tessera insignire, & notare.

4 Vt ergo ab hac extrema significatione exordium capiam, certè Rabinus Himanuel præmissum locum sic extulit: *A sæculo tessellata sum*, quod certè ad prædestinationem Virginis referendum est, ita vt sensus sit: à sæculis externis in Dei præscientia veluti tessera quadam insignita sum, vt per hanc à reliquis discerni possem. At quænam isthæc tessera? Succedant memoriæ illa verba Psalmi.4. *Signatum est super nos lumen vultus tui.* Vbi per vultus Dei candorem, ac lumen, ipsius Dei gratiam accipiendam esse communis interpretum cõspiratio suadet. Vnus autem Basilius locum istum sic conuertit: *Tessellatum est super nos lumen vultus tui.* Quasi dicat: per tuam gratiam quasi per tesseram quandam nos adnotasti, vt hæc nos à reprobis prorsus dirimeret. Ad eundem modum intellige Mariam id vsurpare: *Ab æterno tessellata sum*, id est, in Dei æterna præsciẽtia gratia mihi decreta est pro tessera, quę me ab omnibus alijs discerneret: gratia inquam, & iustitia originalis.

Rabi Himan.

Psalm. 4.

Basil.

5 Sanè non vna tesseræ significatio: imprimis illa valde celebris apud milites, inter quos tessera erat peculiaris nota, qua amici ab amicis cognoscebantur: nam ne milites exęstuante pugna, vt fieri solet, amici amicos nullo discrimine aliquando confoderent, dabantur vtique ab Imperatore militibus tesseræ, per quas, & ab hostibus dignosci possent, & amicis etiam innotescerent. Cogita ergo sanctissimæ Deiparæ eodem consilio gratiam originalem tesseræ loco donatam fuisse, vt per hanc scilicet à cunctis ipsius Dei hostibus secerneretur, id est, ab omnibus alijs Adami filijs, qui ob peccatum traducis hostes Dei nascuntur: ac rursus per eam ab amicis agnosceretur, id est, vt omnes illius studiosi amatores illam ex hoc signo, & tessera originalis iustitiæ agnoscant, agnitamque obseruent. Nam quotquot notam istam propriam in illa non obseruant, ipsam vtique (liceat ita fari) cum alijs passim Dei hostibus lethali culpæ vulnere confodiunt.

6 Sed liceat vlteriùs circa præfatam lectionem aliquid ludere. Tessera igitur alio sensu dicta est, quasi τέσσαρα: atque adeò proprissimè quamlibet figuram quadratam significat, quam Græci *Cubum* nominant, quæ cum iacitur, in quancumq; partem incubuerit, stabilis est, ac cõstans. Ita q; alia quæcumq; corpora in quaslibet alias figuras conformata, si iaciantur, labi, ac iacere possunt: at tessera, vel cubus in quamcumq; partem versata semper apte cadit: imò potius cadere, aut labi non potest, cum nunquam non recta, stabilisque consistat. Iam intelligis, quò tendam: *Ab æterno* (inquit Virgo) *tessellata sum*. Liceat sic interpretari, tesseræ in modũ quadrata sum, id est, in ipsis decretis Dei, quibus mihi iam tunc ex Dei gratia forma præparabatur, tesseræ in morem præformata sum: atque adeò cum alij per culpam illam hæreditariam cadere, labi, & iacere potuerint, ego quidem semper, vtcumq; versata, recta vtique steti, & lapsum omnino ignoraui. Ego quidẽ ita contemplor inter studiosos Virginis amatores, qui de illius prædestinatione, & pura conceptione diuersa opinantur, id accidere, quod tesseram iacientibus: nam cum vnum sit omnibus votum, vt illam à peccato originis immunem seruent, vtcumq; tesseram versant, siue in hanc, siue in illam partem incubuerit, nunquam non illis stat, & recta consistit, semper scilicet à communi lapsu vendicatur.

Sed enim tesseræ nomen familiarius est in talorum ludo: itaq; tesseræ, atq; aleæ communis significatio vulgò existimatur. Erant autem in tesseris, atq; aleis fœlices, atq; infœlices iactus. Et quidẽ infœlicissimus iactus *Canis*, fœlicissimus autem *Venus*. Liceat ergo ex licentia quadam hæc etiam ad Virginẽ allicere: *Ab æterno tessellata sum*, id est, in æterna Dei præsciẽtia, & præfinitione, veluti subductis tesseris, fœlicissimus mihi iactus obtigit. Quia cum alijs damnosus Canis obuenerit (nam culpam originalem sic censere non piget, quandoquidem id nominis illi dedit August. in epist. illa de peccato traducis ad illa verba: *Et de manu canis vnicã meã*) Virgini vtiq; fœlicissima, ac fortunatissima Venus obtigit. Nec veneris nomẽ in hac causa Mariæ iniurium, ac turpe videri debet: nam per illum iactũ veteres in numeris septenarium notari voluerunt, qui numerus, vt docent Elias in Naz. orat. 3. & Nizetas orat. 42. valde mysticus est, & ab arithmeticis *Virgo* appellatur, quia intra numeros simplices, qui denario includuntur, neq; generat, neq; generatur, atque ea propter ad Virginalem, Angelicamq; vitam notandam, eodẽ Nizeta autore, passim assumitur. Itaq; venereum fœlicissimum, ac fortunatissimum iactum in Dei prouidentia, & prædestinatione Mariæ euenisse cum audis, cogita illi septenarium numerum Virginitatis indicẽ obtigisse: Virginitatis inquam, cui socia etiam esset Dei maternitas. Nam per septenarium numerum ad eum modũ sub venere deprehensum, Virginitatem maternitati adiunctã non iniuria significari dixerim: vt cõstet propterea in ea diuinæ prædestinationis alea, in qua non ex fato, sed ex cõsilio Dei res aguntur, fœlicissimam sortẽ Mariæ obtigisse, quia illi iam tũc 7

Elias.
Nizetas.

(liceat

(liceat sic dicere) sub Venere septenarius numerus, id est, sub maternitate Dei virginitas incolumis decernebatur, ad quam damnoso peccati caue euitato, per originalem iustitiam præparanda erat.

8 Sed quanam, inquies, ratione Virgo Deipara damnosum illud peccatum euasit? Succedat secunda lectio, aut translatio superioris loci. ***Ab æterno tecta sum, & ex antiquis, antequam terra fieret.*** Sensus enim est, cum alias peccatum ex parente deriuandum mihi impenderet, obiectu diuini fauoris tecta fui, ne dum culpa à cõmuni capite quasi decisa deuoluebatur, me etiã cũ alijs impeteret. Quasi dicat: vt culpam istam effugerem protectio Dei in causa fuit: nam alias me communis piaculi vnda inuolueret.

9 Tertia translatio habet: ***A sæculo princeps inaugurata***, aut ***initiata sum***. Nam per gratiã, & iustitiam originalem, quæ mihi ab initio conceptionis donata fuit, id obtinui, vt ex tunc Regina, & Princeps omnium creaturarum inaugurarer, idest, certissimo præsagio ad eam dignitatem destinarer, quam postmodum iure, ac titulo matris Dei capessere licuit. Et quidem nullum præsagium certius regni istius capessendi Mariæ offerri poterat. Nam cum primus homo ab initio creaturarum omnium, quæ corpore constant præses nuncupatus esset: iuxta illud Genesis. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, &c.* Et iterum. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, &c.* Genes. Sane regnum illud cũ iustitia originali prorsus amisit, sed & nobis etiam illius amittendi causa, & author extitit: Ergo vt Virgo regnũ illud recuperaret, originalis iustitia opportuna fuit, vt cum ipsa etiã potestatem illam, & ditionem in creaturas omnes acciperet. Sed de hoc Mariæ regno, & qua ratione ex illo impollutam Virginis conceptionem colligere liceat, infra dicendum, cap. 7.

10 Quod si obijcias, iuxta hanc opinionem, quæ electionem Virginis efficacem ad matris dignitatem, ad ipsam vsque incarnationem moratur, eius regnum à Conceptione auspicari non posse. Quia cum efficax illa electio, ex qua ius regnandi procedit, vt supra admonui, cap. 5. longo interuallo post ipsam Conceptionem subsistat, nihil est, quod regnũ hoc retro ad ipsam Conceptionem reuocare possit. Quanuis hac de re infra loco citato pluribus agere oporteat, hic tamen aliquid præmittam. Dico ergo etiam in hac sententia Mariam per originalem gratiam ab ipso conceptionis instanti Reginam, & dominam rerum omnium fuisse initiatã, eo tantum nomine, quia isthæc gratia tanquam quoddã maternitatis Dei semen ipsi collata est. Nam quemadmodum iustos omnes gratia Dei, etiam nunc in exilio, Reges constituit, ac Principes, quanuis regnum nondum adierint, ex eo enim quia gratiam Dei habent, quæ semen est regni, & certum regnandi ius in se continet, reges eos nuncupari fas est, non quidem abusiue, sed vere ac proprie, vt ex Petro apostolo didicimus in 1. Can. cap. 2. *Vos autem regale sacerdotium, gens sancta, &c.* D. Petr. Ad eundem modum sanctissima Deipara ab ipso Conceptionis suę articulo, cum primum originali iustitia decorata est, Reginæ, ac principis tam hominum, quam Angelorum nomen tulit, quia ex tunc regni istius semen accepit, gratiam videlicet originis, quæ maternitatis Dei, atque adeò regni illius latissimè patentis semina, & primordia in se cohibuit. Quapropter apte in illam cadit illud: *A sæculo regina initiata sum, &c.*

Huc spectat illud Fulberti Carnotensis in serm. de Natiuitate Virginis, qui postquã præmisit Virginem Angelorum Reginam ab initio fuisse, id certe ex quodam non ineleganti argumẽto colligit his verbis. 11 Fulbert. Carnot. *Virgo* (inquit) *hac dignitate venerabilis facta est, ipsis quoque Angelorum ordinibus. Quod opere manifesto declarauit illi magnus, atque fortis Archangelus Gabriel, qui eam, antequam mater Dei fieret, quia futuram nouerat, tanta veneratione salutando præuenit.* Pende illa verba, ***quia futuram nouerat***, hoc est, ex electione diuina. Et sane hoc Angelorum obsequium, quod Mariæ tanquam Reginæ, ac Dominæ deferebant, ab ipso conceptionis instãti inchoatum docet idem Fulbertus infrà hisce verbis. ***Quanta putamus prouisio Angelorum circa tam Deo gratissimos parentes ab initio suæ procreationis, & excubatio super tam ingentem sobolem? Nulli fidelium dubium est, quod circa eam iam tunc omnis frequentia cœlestium agminum inuigilabat, vt potè quam supra se exaltandam minimè ambigebant.***

Quarta translatio superioris loci ad Virginis commendationem etiam flecti potest, quæ sic habet. *A sæculo conflata sum.* 12 Rabi Dauid. Eius meminit Rabi Dauid, & de sapientia Dei ad hunc modum illam interpretatur: *A sæculo conflatilis in morem imaginis, quasi per fusionem quandam bonam in formam composita fui.* Quasi dicat. Ego Dei sapientia nequaquam vt alij malleis, & ictibus, liceat sic dicere, opus habui, vt erudirer, ac formarer, id est, id quod didici, non vtiq; tempore, atq; labore constitit mihi, sed conflatilis in morẽ imaginis ab initio eam formam accepi, qua nunc prædita sum. Sensu igitur non dissimili verba isthæc Virgini adaptari possunt. Nã cum reliqua naturę humanę massa, postquam Adamus acceptam Dei similitudinem, & imaginem peccato suo obliterauit, ad eam recuperãdam multo tempore, nonunquam etiam malleis, atque ictibus, idest, pœnitentia, atque dolore opus habeat: ipsa quidem ab initio suæ conceptionis conflatilis ad instar simulachri, veluti per fusionem quan-

dam ipsius Dei expressissima imago, & similitudo euasit nunquam amplius obliteranda.

13 Ad extremum vulgata lectio habet. *Ab æterno ordinata sum.* Quæ verba rationem cõtinent eius immunitatis, quam Virgo ex beneficio Dei obtinuit, quasi dicat in ordine, ac seriè decretorum Dei nequaquam cum alijs Adæ filijs confusa dispositione permixta sum, sed per Dei prospicientiam mihi in Dei consilio, & prædestinatione peculiaris ordo, locusque decretus fuit, ne me communis aliorum ruina inuolueret.

NATVRA, ET TVRPITVDO debiti originalis peccati contra superiorem sententiam statuitur, & Deiparæ immunitas ab illo defenditur.

CAP. XV.

1. *Ad asserendam Virginis immunitatem à debito peccati mouet authoritas, & Virginis gloria.*
2. *Debitum originalis peccati est formaliter in ipsis Adæ minoribus receptum.*
3. *Debitum istud non est aptitudo habendi peccatum originale, non impotentia illud vitandi, non Dei ad ipsum destinatio.*
4. *Est autem obligatio quædã moralis incurrẽdi peccatum: quæ exemplis declaratur.*
5. *Ea obligatio, si terminis iuris notetur, dicẽda est naturalis, ciuilis, & pretoria.*
6. *Quomodo dicta obligatio, aut debitum ab ipso peccato distinguatur, exponitur.*
7. *Ne Virginem à debiti deformitate liberare cogantur aliqui Doctores, debiti turpitudinem extenuare frustrà nituntur.*
8. *Debiti turpitudinem declarat ratio seruitutis, quam continet.*
9. *Item quia misera captiuitas est.*
10. *Quantum Virginem dedeceat dicta captiuitas, quæ neque optimam, neque maximam illam sinit compellare.*
11. *Præterea quia ipsius nobilitatem, vel omnino tollit, vel maximè labefactat.*
12. *Quantam ingenuitatem, & libertatem Virgini attulerit maternitas Christi.*
13. *Tantæ libertati repugnat seruitus, quam peccati debitum inducit.*
14. *Qui Virginem peccati debito obstringunt, iuxta varios modos opinandi, diuersæ illã mancipant seruituti.*
15. *Iidem iniustè satis magnam sanctitati illius splendoris partem detrahunt.*
16. *Debiti turpitudo ex eius causis perpẽditur, & primò ex lege, & pacto.*
17. *Neque minùs deforme Virginem adstringit debitum, si dicamus, eã duplici titulo electã.*
18. *Turpius in Maria, quàm in reliquis Adæ minoribus esset debitum peccati.*
19. *Virginẽ à lege peccati exceptam suadet eiusdem ab alijs minùs indecoris legibus exemptio*
20. *Præfati debiti deformitas secundò ostenditur, tum quia peccati effectus est, tum quia peccati seruum constituit debitorem.*
21. *Idem declarat humillimi Christi Domini immunitas ab isto debito, & seruitute.*
22. *Debitum istud quia relatio quædam est ad peccatum originale, tum summè deforme, tum malum, & peccati nomine dignum comprobatur.*
23. *Minus decorum Virgini est debitum peccati, quàm fomitem habuisse.*
24. *Quomodo Ægidius debiti deformitatẽ exaggeret, vt illud Virgini affigat.*
25. *Recentiorũ mens in exaggeranda debiti turpitudine, quantò laudabilior, & præstantior sit Ægidij consilio.*



HANC Vtique sententiã superioribus omnibus facile præferrem, & in ipsa sisterem: nam & meum erga authorem studium, & ipsius etiam fundamẽta ita suadebant, nisi nouam nobis facultatem de Virgine meliora, & digniora sentiendi recens sacræ Inquisitionis oraculum, & grauissimorum Theologorum pietas nuper obtulisset, quæ Virginẽ non modo ab originalis peccati labe permundam, sed etiam à debito illius incurrendæ liberam esse, sine iniuria fidei sustineri

posse,

posse, re plurimùm deliberata, affirmauit, ac sanxit. Quis autem Deiparæ beneuolus amator sit, qui, quandiu ita liceat, de Virgine digniora non semper concipiat ac data opportunitate digniora loquatur?

2 Igitur superior sententia, quæ in aliarum ordine, ac serie septima est, id habet cõmune cum prima, quod vtraque in Virgine debitum originalis culpæ fatetur, & ipsam in Adamo peccasse annuit. Nam licet de prædestinatione Christi, & de electione Virginis ante, vel post præuisionem peccati, haru sententiarum authores non eodem modo sentiant: tamen quod ad debitum, & obligationem peccati attinet, paria decernunt, quatenus asserunt Virginem commune aliorum fœdus, legemq; transfusionis ingressam, atq; adeò communi etiam debito obstrictam, & obæratam fuisse. Igitur contra vtrâque sententiam in hoc capite nobis pugnandum est, quæ vel ex ea causa pluribus displicere cœpit, quia opositam defendere, ac tueri iam licet post locupletissimam illam supremæ Inquisitionis censurã: & quia sanctissimam Virginem ab eo debito, & obligatione vendicare, ipsi valde gloriosum, & decorum est. Ac primum quidem quia præfati authores hanc immunitatem Virginis à debito culpæ originalis non magni faciunt, atque illam ipsi Virgini non valde decoram, & gloriosam autumant: eapropter de turpitudine, ac deformitate illius pauca præfari libet, vti inde constet, quàm turpe, & indecorum Mariæ sit, eo debito obstringi, quamque gloriosum, ac splendidum ab illo liberam, & immunem prædicari. Illud ergo cumprimis certum esse debet ex his, quæ supra cap. 1. §. 9. latius præscripsimus, Adamum propter scelus commissum dignum factum, vt omnes illius posteri, quotquot ab ipso naturalem originem recenserent, originali gratia carerent. Et licet aliqui addubitent Theologi, an dignitas hæc in solo Adamo resideat, an etiam ad sobolem aliquid huius dignitatis, aut debiti promanarit: tamen vt optime noster Vazquez 3. part. disp. 116. et nos etiam supra loco citato docuimus cõtra Ægidium, & alios, ex primo peccato non solum effecta est in Adamo obligatio actiua, qua ipse sobolem suam obstrinxit, sed etiam ad filios pertransiuit obligatio passiua, qua soboles ipsa obstricta, & obærata mansit, vt de peccato patris inficeretur. Hæc autem obligatio passiua appellatur debitum peccati originalis, cuius debiti formam, & naturam modo examinare, ac vestigare volumus.

3 Ergo debitum hoc (perstringam ea, quæ in eo, cap. 1. fuse tradidi) non est destinatio aliqua diuinæ voluntatis ad contrahendum peccatum originale, vt quidam de dignitate pœnæ, quæ ex peccato relinquitur, pronuntiant. *Vazquez.* Id vero ex eo probat noster Vazquez in ea disputatione 116. cap. 5. quia inde sequeretur Virginẽ Deiparam eiusmodi debitum minime contraxisse, quia per diuinam voluntatem non ad peccatum, sed ad gratiã potius, & iustitiam originalem destinata, & ordinata fuit. Sed alia etiam robustiori ratio confirmari potest ex malitia originalis peccati petita: nam ad tantam malitiam aliquẽ diuina voluntate destinatum, & addictum dicere prorsus impium esset, secus vero ad pœnam, hec enim non est per se mala, neque turpis. Deinde debitum non est sola aptitudo ad recipiendum peccatum originale (vt quidam satis insulse dixerunt) nam si ita res haberet, etiam homo præter naturam ex limo conditus, aut ex matre virgine procreatus haberet debitum peccati originalis, nam & hic etiam suapte natura huius peccati incapax non est. Adde etiam non satis bene huius debiti naturam explicari ab illis, qui dicunt illud nihil aliud esse, quàm impotentiam non contrahendi peccatum originale ex se, & natura sua, comparatione facta cum causis: id enim non satis exprimit germanũ illius conceptum.

4 His ergo reiectis, dicendum est, hoc debitum quandam esse obligationem moralem, quæ ex pacto Dei cum Adamo inito, & ex illius transgresione redundauit in sobolem, per quam debitrix carendi iustitia originali efficitur. Quod exemplo ex humanis rebus petito facile capi potest. Sicut enim in impositione alicuius census, fundus, vel domus, quæ hypothecæ nomine obligantur, quanuis nihil ipsa in contractum agant, nec influant, ex sola voluntate, & rescripto contrahentium manent obligata, & obærata ad solutionem censalis: quæ obligatio reuera in fundo, aut domo esse dicitur, ita vt cum illa ab his ad alios dominos transeant, & demigrent. Ita etiam de peccati originalis debito censere debent, quotquot illud admittunt: hoc nimirum ex pactione illa prima cum Adamo inita in posteros transire, ita vt quanuis ipsi in pactum propria voluntate nihil vel egerint, vel influxerint, tamen debitores prorsus maneant carendi iustitia originali. Aut si placet, aliud exemplum accõmodatius suppetit ex crimine proditionis. Nam lege cautũ est, vt proditoris filij quasdam pœnas sustineant, & quasdam immunitates, quibus aliorum ciuium liberi gaudent, amittant, paternorumq; bonorum hæreditate priuentur. Quapropter statim atq; pater crimen proditionis perpetrauit, filij eius, quantumuis illius criminis conscij nõ fuerint, pœnis tamen à lege constitutis obnoxij fiunt, & illarũ sustinendarum debitores, quod debitum revera in ipsis hæret, adeò vt liceat dicere, illos propter delictum patris dignos esse, qui talibus defraudentur. Eadem prorsus est conditio filiorum Adam. Quod si obligationis, aut debiti huius naturam ad scholæ terminos reuocemus, dicen-

dum

dum erit debitum peccati originalis esse relationem quandam vinculi, aut necessitatis ad carendum iustitia originali natam ex pacto Dei, & peccato primi parentis, atque illud respicientem, vt supra etiam, c.1.§.9. fuse tractauimus.

5 Quod si ad terminos iuris naturam huius debiti reducere velimus, vocanda est in memoriam obligationis finitio, quam tradit Iustinianus Imperator, §. de obligationibus, lib. 3. instit. titulo 14. his verbis. *Obligatio est iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius soluendæ rei.* In quem locum adnotant iuris periti triplex esse obligationum genus; aliud, quod ex lege nascitur, quod dicitur *ciuile*: aliud, quod ex contractu fluit, & dicitur *naturale*: aliud denique, quod ex facto redundat, nimirum ex delicto, aut quasi delicto, & dicitur *pretorium*. Lege Petrum GregoriūSyntagmatis iuris vniuersi, lib. 21. cap. 3. vbi exactissime has omnes obligationum differētias persequitur. Ad rem nostrā. Certe obligatio hæc, qua proles Adami ad carendum iustitia originali obstringitur, omnes istas iuris prænumeratas obligationes imitatur. Quapropter quodammodo dici potest *ciuilis*, quia ex lege à Deo lata, & Adamo ab initio insinuata profecta est: quodammodo etiam *naturalis*, quia ex pacto cum ipso Adamo inito fluxit: quodammodo etiam *pretoria*, quia ex delicto eiusdem Adami redundauit. Itaque cum aliæ obligationes ex altero ex præfatis capitibus manare soleant, hæc obligatio, aut debitum filiorum Adami ex omnibus præscriptis capitibus defluit: atque adeò si illud per iuris terminos exprimere libeat, sic erit definiendum. *Est vinculum ciuile, naturale, & pretorium, quo necessitate carendi iustitia originali debita omnes Adami liberi adstringimur.* Quæ descriptio continet integram definitionem Iustiniani, qua obligationem in vniuersum exposuit, & differēciam propriam, qua ab omnibus alijs debitis, & obligationibus discerni queat.

Iustinia. Imperat.

Petrus Gregor.

6 Vlterius vt constet, quam ob causam præfati authores debitum incurrendi peccatum originale, & carendi iustitia ab ipsomet peccato distinguant, exemplū aliud ex iure petitum subijcere libet. Quia vt præscriptus Petrus Gregorius admonet loco citato, ideo iura inter obligationem ad rem, atque rem ipsam differentiam statuūt: *Quia multa* (inquit) *cadere possunt inter calicem, supremaque labra, quibus eripiantur res, & inanes sint actiones.* Itaque differentiam hanc ex separatione iurisperiti aucupantur. Nam quia nōnunquam obligationem, atque ius ad rem habet, qui re ipsa fraudatur, ideo inter obligationem, & rem discrimen adstruitur. Haud dispari ratione Theologi isti, quia putant homines ex delicto Adami ita teneri ad contrahendum peccatum originale, vt tamen aliquem ex his, qui sub hoc debito, & obligatione sunt, à peccato liberari, & immunem fieri non repugnet, recte admodum inter obligationem peccati, & peccatum ipsum discrimen ponunt ex separatione quæsitum.

Cognita igitur huius debiti natura, de illius deformitate aliquid subijcere oportet. 7
Quædam certe (liceat sic compellare) ignaua, & desidiosa ingenia, ne cogantur modum aliquem vestigare, quo Virginem ab hoc debito liberent, serio affirmant debitum hoc nihil deforme, aut turpe continere, atque adeò frustra eniti eos, qui illud Virgini auferre satagunt. Quinimo audacter dicunt, id debiti, & obligationis erga peccatum, vel ex eo in Deipara defendendam esse, quia illam Deo magis, ac magis obligat, & obstringit, quatenus illam ea ratione peccato obligatam, ab ipso peccato seruare maius beneficium est, quàm ab omni culpæ debito aliàs immunem sanctitate, & iustitia donare. Cæterum authores isti, me iudice, huius debiti naturam minime assequuti sunt. Est igitur, vt ex dictis colligitur, debitum hoc contrahendi peccatum quędam obligatio moralis, quæ ex peccato primi parentis fluit, & ad peccatum vergit, atque adeò nihil non deforme habet. Itaque si naturam eius spectes, obligatio est: si initium, & causam illius obserues, ex peccato fluit: si finem, & obiectum illius respicias, ad peccatum respicit. Quapropter ex natura, ex causa, & ex obiecto huius debiti illius deformitatem, ac turpitudinem aucupari aggrediar. Singula expēdo.

Primo ea ex parte, quatenus obligatio est, 8
libertatem adimit, seruitutemque adducit: nam omnis obligatio, quæ rei, vel personæ ius quomodolibet imminuit, seruitus quędā est. Vt enim communis fert iuris peritorum sententia, quæcunque diminutio iuris, quæ rem, aut personam alteri vtcunque cum aliquo sui intertrimento summittit, seruitus appellatur. Eiusmodi aliquid est debitum peccati originalis, quod eorum, qui hoc debito obstringuntur, ius plane extenuat, & illos Adamo primum ita subdit, ac summittit, vt illorum caput, ac princeps merito dicatur: deinde illos culpæ, & peccato ita obstringit, vt illi per seruitudinem quandam obnoxij sint. Quod autem istiusmodi subiectio seruitus appellari debeat, probare licet ex Paulo ad Rom. 8. *Quia ipsa* (inquit) *creatura liberabitur à seruitute corruptionis.* Vbi alij per corruptionem mortē naturalem intelligūt, atque adeò dicunt, eam subiectionem, per quam omnes morti obnoxij sumus, seruitutem à Paulo nuncupari. Rursus alij nomine *corruptionis* culpam accipiunt, atque adeò sentiunt id subiectionis, per quod homo quilibet, quantumuis sanctus existat, quandiu in hac vita moratur, de sua salute dubius est, quia peccare potest, & gratiam amittere, *seruitutem corruptionis* appellari. Hinc ergo sic conficio. Si subiectio illa, per quam homo

Ad Ro. 8.

morti

morti naturali summittitur, seruitus appellatur, potiori ergo iure ea demissio, per quam morti spirituali, & capitali peccato Adæ filius subijcitur, seruitutis nomen feret. Item si salutem nostram pendere, & in eo statu esse, in quo peccare possimus, seruitus quædā est, ergo potiori iure obligatū esse, & ex quadam necessitate obstrictum ad peccandum seruitus computari debet.

9 Ad hæc, Diuus Paulus vim concupiscētię, & fomitis ad peccatū inclinantis insinuās ad Rom.7. sic habet. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me sub lege peccati.* Quibus verbis propensionem appetitus ad peccatum captiuitatem appellat, per quam homo ipsi peccato mancipatur. Atqui appetitus non cogit, nec peccandi necessitatem inducit, sed tantummodo inuitat, &(vt commune fert Theologorum placitum) non ad formale, sed tantū ad materiale peccati impellit, ac trahit: potiori ergo iure captiuitas, & seruitus peccati dici debet illa obligatio, illudq; debitū originale, quod suapte natura cogit, & peccati formalis contrahendi necessitatem inducit.

Ad Ro.7.

10 Quam vero indecorum sit ad hunc modum seruitutem sustinere ex eo colligere licet, quia vt ait suprà citatus Petrus Gregorius, lib.4.cap.1. *Quidquid eiusmodi iuris diminutionem habet, neque optimum, neque maximum dici potest.* Deinde ait. *Vilius est quidquid seruit, atque prædium pretiosius habetur à seruitute liberum.* Denique *Quidquid seruitutem aliquam patitur, non potest esse nobile: nobilitas enim in libertate, aut consistit, aut fundatur.* Quid inde? Sane inde fit, eos, qui in Virgine Deipara debitum originalis peccati agnoscunt, hæc omnia vel inuitos fateri debere. Ipsam scilicet eam iuris imminutionem passam, quæ seruitutem adducit: ac primum quidem per hanc seruitutem Adamo, in quantum caput, ac fons est tantam in sibi subditos homines perniciem manans, subijci prorsus, ac summitti: quod quam turpe sit Angelorum, hominumque Reginæ, ac rerum omnium dominæ, nemo non videt. Rursus fateri debent Virginem Deiparam, neque optimam, neque maximam appellari posse, cū quo pugnat illud, quod ipsa cecinit. *Magnificat anima mea Dominum.* Et infrà. *Fecit in me magna, qui potens est.* Ad hæc, inficiari non possunt ob eam seruitutem extenuato iure viliorem reddi, ac minus pretiosam: quod plane aduersatur illi sententiæ. *Mulierem fortem quis inueniet? Procul, & de vltimis finibus pretium eius.*

Petrus Gregor.

Luca.1.

Prouer.31

11 Denique affirmare debent Virginem Deiparam propter omnimodę libertatis defectum, nec nobilem prorsus, neque ingenuā esse: cui etiam aduersatur testimonium Magni Alberti in tractatu de laudibus Virginis, vbi ita quidem præmittit. *Nobilitas completa consistit in tribus, in conditionis libertate, in officij dignitate, & vitæ sanctitate.* Deinde vero exponit *conditionis libertatem* his verbis. *Libertas conditionis in tribus consideratur, in causa, & in substantia, & in efficientia.* De libertate vero in causa sic addit. *Secundum libertatē in causa, idest, in origine, beatissima Virgo fuit nobilissima, vt pote Principis filia.* (An quia Adami filia, quasi hic eius caput, ac princeps fuerit? Minime gentiū.) Subdit Albertus. *Illi enim dictum est: In Isaac vocabitur tibi semen; Isaac autem non est filius ancillæ, sed liberæ. Item ad Patrem: Princeps Dei es inter nos. Item ad filiam. Quam pulchri gressus tui in calceamentis filia principis* (in Primitiuis est *filia liberi*, aut *liberalis*) *& sic fuit liberrima in causa.* Obseruent ergo hæc verba illi, quotquot Mariam debito peccati oberatam dicunt, atque adeò Adami, atque Euæ filiā per hoc debitum statuunt: si enim seruorum filia, quomodo libera? Subinde libertatem Virginis quantum ad substantiam sic extollit Albertus. *Fuit etiam Maria liberrima in substantia, quam facit immunitas à peccato, & gratiæ plenitudo: nā vbi spiritus Domini, ibi libertas.* Denique libertatem in efficientia partitur Albertus in libertatem passiuam, & actiuam. Passiuam appellat eam, quam Virgini Christus donauit, & de hac sic scribit. *Fuit etiam Virgo liberrima in efficientia passiua: seruis enim dicitur, si filius vos liberauerit, vere liberi eritis, & secundum glossam* liberabit *ponitur, pro libertabit. Si ergo seruus, qui est seruus filij, liberatur, multo fortius mater, quia est mater filij, liberrima fuit.* Actiuam vero libertatem illam dicit, quam virgo reliquis hominibus attulit: de hac enim sic attexit. *Item in efficientia actiua liberrima fuit: ipsa enim est, per quam omnis creatura à seruitute corruptionis liberata est in libertatem filiorum Dei, vbi cessat omnis prælatio, vbi seruus liber est à domino suo, &c.* Hęc Albertus de Virginis libertate, qui omnes rationes complexus est, quib⁹ Virginis omnimoda libertas, & immunitas ab omni seruitute innititur, in qua nobilitas fundatur: de qua nobilitate idem author ita subnectit. *Hoc dicimus, quia beata Virgo secundum omnem dignitatem, & nobilitatis modum fuit nobilissima, & dignissima in summo.* Cum ergo illud debitum peccati, quod à præfatis authoribus in Virgine asseritur, seruitus quædam sit, libertatem, atque adeò nobilitatem imminuens, & extenuans, id certe à sanctissima Virgine longius repelli debet: alioqui non erit *nobilis*, neque *libera in summo*, vt contendit Albertus.

Albertus Magnus.

Sed redeat in memoriam illud, quod nuper dixit Albertus, discrimen adnotans inter matrem Dei, & alios homines: contendit enim matri iure maternitatis digniorem, & maiorem libertatem deberi. Quod melius vt capias, succedat etiam memoriæ id, quod dixi Prouerb.cap.8.ver.13. ex Philosopho, cum de Virginis humilitate verba 12

Aristot.

facc-

facerem, nihil scilicet magis aduersum esse dignitati matris in filium, quàm seruitutem, adeò vt, natura duce, impossibile sit matrem filij sui ancillam esse verè, ac propriè. Nam cum hæc per naturæ leges patriam potestatē habeat in filium, non potest ex iure aliquo, extincta hac potestate, filio suo seruiliter subiacere: vnde colligit Aristoteles parentem etiam bello captum, aut emptum à filio, vel quacumque alia ratione acquisitum non esse filij seruum, sed liberum, ingenuumque manere. Ad rem nostram. Certe ex hoc sequitur aliquid obseruatione dignissimum, quod libertatem, & ingenuitatē Virginis magnopere commendat. Nam cum omnes alij homines Christi Domini, non modo qua Deus, sed etiam in quantum homo erat, serui & mācipia sint, (nam, vt alias diximus, in eo cap. ver. 16. diuinitas humanitatem inungens, illi potestatem, ditionem, & verū, propriumq; dominium in creaturas omnes donabat) a Virgo ipsa, & mater Christi à communi aliarum iure, ac seruitute excipienda est, ita vt Christi, in quantum homo erat (neque enim de diuinitate loquor, huic enim communi aliarum creaturarum lege etiam Virgo seruiebat) ancilla proprie, & serua appellari nō debeat. Cuius rei ratio est in promptu: nam cum diuinitas humanitatem Christi inungens illam à patria Virginis potestate non exemerit, vt in eo ver. 16. ex communi Patrum doctrina euicimus, non valuit certe matrem eidem humanitati subijcere, & ancillam reddere, cuius patriā dignitatem excutere non potuit: nam patria potestas iure naturali omnem seruitutē perimit, vt ratio præscripta comprobat. Quorsum hæc? Vt constet quanta sit Virginis Deiparæ libertas, quanta immunitas à seruitute, vt pote, quæ omnibus hominibus, Angelisque communē seruitutem, qua Christo vtraque natura mācipabatur, minime ipsa sustinuerit. Neque aliud est illud maius libertatis ius, quod in Virgine supra omnes alios homines ob matris dignitatem agnoscit Albertus.

13 Hinc ergo ad debitum, & obligationem peccati originalis memet transfero, & ex præfato iure hunc ad modum conficio. Sane debitum originalis peccati, vt nuper diximus, seruitus quædam est, quæ Virginem Deiparam Adamo primum tanquam capiti, ac principi demittit, ac subrogat, ipsiusque salutem fragili illius voluntati committit: deinde, quod grauius est, atque indignius, sub mortis, atque peccati regno, ac dominio illam ponit: de quo sic Paulus ad Rom. 5. *Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysem, etiam in eos, qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri.* Itane ergo vt cum beatæ Virgini maternitas tantam contulerit libertatem, & dignitatem, vt illam à seruitute Christi, qua homo erat, prorsus exceperit, eandem sub Adami, ac peccati ipsius seruitute quomodolibet per præfatū debitum, & obligationem reliquerit? Alij hoc crediderint: ego enim cōstāter inficior. 14

Ad Ro. 5.

Nos sane dignius de Virgine Deiparente loquimur. Audiendus etiam nunc Petrus Gregorius in syntagmate iuris vniuersi, lib. 11. cap. 1. vbi triplicem seruorum speciem enumerat: quam enumerationem legibus, iuribusque communit, imo & verba ipsa legum plerumque vsurpat. *Et quia quidam à seruitute restituti sunt in libertatem, quidam numquā seruierunt, ideo facta sunt tria genera hominum: alij liberi sunt, atque ingenui, qui nunquam seruierunt: alij liberti, qui seruierunt quidem, aut seruituti obnoxij fuerunt, sed tamen per manumissionem libertatem adepti sunt: alij serui, qui in seruitute ipsa semper manent.* Hæc tria hominum genera enumerat Vlpianus in lege Manumissionis de iustitia, & iure, lib. 1. tit. 1. §. *ius autem gentium.* Iustinianus, lib. 1. §. 1. de libertis. & lib. 2. §. 1. de iure personarum. Ergo seruitutis perpetuæ quàm degener, ac turpis conditio sit, nemo ignorat. De libertinis autē sic Petrus Gregorius ex Martiano Imperatore in lege. *Et seruorum* de statu hominum, lib. 1. tit. 5. *Libertis nota, & macula quædā inter ingenuos remanet, vt pote ob receptum beneficium illis, à quibus acceperint, nempe patronis, & eorum successoribus valde deuinctis.* Inde est illud Horatianū.

Vlpia. *Iustin.* *Petrus Gregor.*

Quem omnes rodunt libertino patre natū.

Horat.

Iam intelligis, quo tendam. In hoc certe seruitutis genere, quod illud peccati debitum, seu obligatio adducit, vt hactenus statuimus, triplex in Virgine conditio excogitari potest, quæ tribus illis hominum generibus ad amussim respōdeat secundum triplicem Doctorum opinionem. Illi enim, qui in Virgine nullum peccati originalis debitum agnoscunt, atque adeò nullam seruitutem in ea ponunt, per omnia liberam, & ingenuam Deiparam sibi efformant. Sunt tamen alij, qui Virginem in primo tantum instanti suæ conceptionis obnoxiam, & obligatam peccato, tamen reliquo deinceps tempore, extincto illo debito, liberam fuisse affirmant: hi vero sanctissimam Virginem libertā sibi fingunt, atque adeò in illa maculam, & notam fatentur, qualem inter ingenuos libertam habere necesse est (vt ait Gregorius) ita vt ipsam oporteat ratione huius notæ Angelis cedere, quorum natura nullo vnquam sensu peccato seruiuit. Alij demum hoc debitum, & obligationem peccati originalis in illa perenne, ac perpetuum fuisse dicunt, ita vt licet nunquam peccatum originale habuerit, tamen nunquam non in debito, & obligatione peccati originalis fuerit. Hi vero Virginem perpetuæ seruituti addicunt, ac deuouent.

Quapropter in eos, qui vtcunque debitū peccati originalis in Maria ponunt, illud intorquere libet, quod Aristoteles dixit in Problematis sect. 29. quæst. 13. vbi iudicibus sua

dens

dês, vt in dubio libertatis, & seruitutis, quo ad fieri possit, libertati faueant: sic addit. *Nam etsi iniquum etiam est liberum asseruisse eum, qui seruus est, longe tamen iniquius seruũ sanxisse eum, qui liber est.*

15 Rationẽ autẽ idẽ Aristoteles alibi attigit: quia nimirũ maior iniuria est hominẽ aliquẽ sibi ipsi eripere, & auferre, quã ab alio eundẽ tolli. Per seruitutem autem homo sibi ipsi quodammodo auferri, eripique videtur: aut si totus homo sibi ipsi nõ adimitur per seruitutem, magna certe pars tollitur. Iuxta illud Homeri apud Athenæum, lib. 6. cap. 7.

Athenæ.

Dimidium rapuit virtutis Iupiter almũ.
Cui seruum mox deputat esse.

Obserua dicendi formam *dimidium almum rapuit*, id est, dimidium almi, sanctitatis videlicet dimidiam partem aufert ei, quem ad seruitutem destinat. Quasi dicat, eripit illi dimidium sui, & dimidium sanctitatis. Quod ideo dictum puto, quia Poeta diuinum quid, ac sanctum libertati inesse putabat. Vel certe, vt quidã non insulse dixerunt, hoc carmine loquitur Poeta de Semidijs, quos propterea dimidia sãctitatis parte à Ioue priuatos dicit, quia alijs Dijs obseruire cogebãtur. Hinc ergo aduersarios sic perurgere licet. Hodie certe post accuratũ, & graue huius thesis examen, Virginis Deiparæ velut in ancipiti libertas est: nam duæ sunt probabiles opiniones; alia, quæ dicit illam debito & obligatione peccati originalis obæratã, & obstrictam fuisse, atque adeò per hoc debitum libertatem eius imminuit: alia, quæ debitum illud ab eadem repellit, atque adeo libertatem ipsius auget. Theologi ergo, qui veluti iudices in hac dubia causa sententiam ferunt, si æquitatis amatores videri volunt, pro Virginis libertate pronunciare debent: quia etiã hic habent locũ verba Aristotelis. *Etsi iniquũ etiam fuerit liberam asseruisse eam, quæ serua est, longe tamen iniquius seruam vtcumque sanxisse eam, quæ libera est.*

Aristotel.

At dices eiusmodi seruitutem (si tamen seruitus dici queat) leuem admodum notam esse. Absit, vt ego hanc leuem notam esse putem: liceat dicere cum Homero, *Dimidium rapuit Virgini almum, qui Virginem Deiparam eo modo seruam deputat esse.* Audacter id dictũ videtur (cautè loquar.) Magnam certe sanctitatis Mariæ aufert partem: (adhuc etiam cautius dicam) magnam sanctitatis splendorem, & decorem Virgini eripit, quisquis illam sub debito, & obligatione peccati qualicumque seruitute constituit. Pergo ad alia capita, ex quibus huius debiti deformitas, & turpitudo captatur.

Homerus.

16 Secundum ergo caput huius deformitatis desumendum est ex causa præfati debiti. Et quidem illud in primis cum nostro Gabriele Vazquez in disp. illa 115. cap. 5. ponendum est, debitum istud id cum peccato commune habere, quod Deus illud in Virgine non efficit, imo nec de absoluta sua potentia præstare potest. Quia cũ habeat necessariam cõnexionem cum peccato, sub diuinæ potentiæ efficientiam minime cadit: ex quo non parum illius deformitas deprehenditur.

Vazquez.

Habet ergo debitum hoc duas causas: aliã remotam, quę occasio potius, quam causa dici debet, nempe legem Dei Adamo indictam: aliam proximam, scilicet peccatum, & delictum primi parentis. Ex vtraque vero causa non minima deformitas illi accrescit. Nam primum valde indecorum est Virginẽ illi legi subditam asserere, quam Deus primo homini, atque omnibus eius posteris imposuit hoc tenore. *In qua die comederis, morte morieris:* tu scilicet, ac posteri tui: per quam legem omnium hominum vitam, & salutem fragili, & infirmę vnius Adami voluntati Deus cõmisit, cuius casum iam tum saltem sub conditione prænouerat. Absurdum autę videtur propria lege, ac constitutione Deum suæ matris salutem huic legi obnoxiam esse voluisse. Quod maxime indecorũ est in eorum opinione, qui Virginis electionẽ in matrẽ Dei ante peccatũ præmittendã putant.

Neque huius dedecoris notam eluunt illi, qui duas gratiæ originalis Virgini conferendæ causas totales, & adequatas ponunt: nam licet nihil contra Virginis gloriam, & decorem dicere videatur, dum asserunt gratiam, & iustitiam, quæ ex alio priori, & antiquiori titulo, quatenus Mater Dei futura erat, ipsi debebatur, nouo iure voluntati, & libertati Adami ita subiectam, vt ex illa etiã totaliter dependeret: tamen non modicam, ipsi etiam, me iudice, iniuriam irrogant: Nam si Virgo, iuxta hanc sententiam, pactũ ingressa est, atque adeò per delictum Adami integrè, & adæquate obligationẽ, debitumq; contraxit carendi iustitia originali, certe ex eo capite, vel (liceat sic dicere) ex eo latere libertatem, & ingenuitatem amisit, & totaliter, integreque seruituti illi mancipata est, quã hactenus descripsimus: ita vt iuxta hanc contemplationem fas sit dicere, Virginem de integro liberam, & ex integro quoque seruam esse, & integrã libertatem, integramq; seruitutem sortiri: atque adeò si libertas integra honori est, seruitus quoq; integra dedecori erit: ita vt mirabile sit rationem aliquã ab his Doctoribus inueniri, qua integra libertas, & nobilitas cum integra seruitute, & dedecore congruere potuerit. Quos exemplo quodam præclaro perurgere licet. Certe apud homines vulgo in summo pretio est nobilitas quadrata, quæ ex quatuor auis, paternis scilicet, ac maternis descendit: & licet ad immunitates, & priuilegia nobilium capessenda idonea, & sufficiens sit sola nobilitas, & claritas, quæ ex paternis auis deriuatur: ea vero, quæ ex maternis defluit, insufficiens quidem, ac minime idonea existimetur: nihilominus tamen huius defectus 17

in

in dedecore ponitur, etiam siut nuper dictum est, ad comparandam nobilitatem per se solam minime sufficiat. Ergo cum Virgini, iuxta horum Doctorum sententiam, gratiæ originalis nobilitas duplici ex fonte præparata fuerit, nimirum ex eo, quod Christi Mater futura erat, & ex eo, quod filia erat Adami, etiamsi primum caput integrum, sartumque fuerit, atque adeò ex illo gratiam acceperit, alterius certe defectus dedecori ipsi vertendus erit. Quia si defectus eius claritatis, quæ per se sola, si adsit, nobilitare, & immunitate donare hominem non potest, & si desit, eundem plebeium reddere, & immunitatibus priuare non valet, in hominum æstimatione indecorus, ac turpis est: ergo turpior defectus illius tituli, qui si adesset, per se solus Virgini sufficiens ius ad gratiam originalem obtinendam compararet: & quia defuit, sufficiens quoque, & integrum debitum carendi illa gratia, & iustitia illi asportauit. Tum vel maxime, quia vt supra diximus, cap. 11. vnum debitum alterum nequaquam extinguit, neque extinguere potest, atq; adeò si vtrumque in Virgine ponatur, vtrũque illã de suo nomine denominauit, atq; suum vel splẽdorem, vel turpitudinem illi ex integro comparauit.

18 Sed ad legem illam primam vt redeam, quam turpe sit eidem Virginem subiacere, possumus etiam colligere ex pœna: nam omnium gentium iure comparatum est, vt leges diuersas, & minus indecoras pœnas statuant in nobiles, & generosos, quam in plebeios, & degeneres: nam sæpius illę pœnę, quæ generoso homini irrogatæ grauissimæ sunt, eædem ignobili, & obscuro inflictæ leuissimæ putantur: quia inæqualitas personarum in pœnas ipsas redundat, atque adeò id, quod homini obscuro vix turpe est, idem homini ingenuo, & liberali turpissimum censetur. Ad rem. Certe nota est inter Virginem, atq; omnes alios homines conditionis, & dignitatis inæqualitas ex dignitate Matris Dei profecta, eius enim gloria, & claritas omnẽ aliam gloriam, & claritatem creatã immenso interuallo superat. Quid inde? Certe inde sequitur non debuisse vna, eademque lege cum reliquis hominibus comprehendi, nec eidem pœnæ subrogari: alioqui Deus longe seuerior esset in Matrẽ suam, quàm in alios Adami filios, nam dignitatis inæqualitas hoc efficeret, vt peccatum originale, ac debitum illius longe maiorem indecentiam, & turpitudinem haberet in Matre Dei, quam in reliquis hominibus: quia quo dignior est Mariæ persona, eo turpior in ipsa ea macula, vel seruitus appareret: & è contra, quæ inferior, & obscurior est aliorum hominum conditio, eo leuior, minusque indecens videtur. Ergo si Deus hac in re eodem iure cum Matre sua, & cum alijs Adami posteris egisset, longe seuerior in Matrem, quam in alios existeret. Eapropter censendũ tantam inæqualitatem, tantum, tam latumque discrimen personarum, nequaquam vno iure, atq; vna lege comprehendi, nec eisdem damnis, ac detrimentis subrogari debuisse.

Deinde ei legi Virginem minime subiectam, & obnoxiam fuisse ex eo validissimè probatur, quia Deus illam ob maternitatis decentiam ab alijs legibus, quæ minorem turpitudinem, ac deformitatem continebãt, immunem esse voluerit. Minùs certè indecora Virgini fuisset purificationis lex, quæ tãtummodo eas, quæ in partu sorduissent, per dies aliquot ab ingressu templi abstinere iubebat. Et lex etiam, quæ filium primogenitum Deo libare, eumque de more, agno, aut columbis redimere matri demandabat, paruam admodum indecentiam habebat. Atqui Deus non satis censuit Virgini has leges ex priuilegio indulgere, ita vt alias eisdem parere ex debito teneretur, sed omnino ab his liberam, & immunem, & nullo sensu eisdem obnoxiam, & subditam esse voluit. Ergo potiori iure à seuerissima illa lege Adamo indicta, quæ turpem magis, & indecorã obligationem claudebat, libertatem omnimodã Deiparæ concessam à Deo dicemus. Quapropter optimè D. Augustinus in expositione symboli, & orationis Dominicę, vt est in Milleloquio. *Conueniens* (inquit) *erat, vt lege peccati nostri, quæ per duorum concubitum verificatur in prole, Dei Mater non teneretur obnoxia.* Et Diuus Ildephonsus in libro de parturitione, & Virginitate Deiparæ. *Quid est, quod legem naturæ requirunt in Maria, vbi totum, quidquid in ea fuit, possidit Spiritus Sanctus.* Profectò Dei Matrem, & creaturarum omnium supremam Reginã tales leges, tãq; seuera iura ignorare prorsus decuit, quandoquidem eisdem subiacere sine turpitudine non potuit.

Altera causa proxima, ex qua præfatũ debitum descendit, est Adami peccatum, quę causa maximam illi deformitatem affert, atque adeò à sanctissima Virgine longius arcendũ suadet, quatenus si illud in Virgine ponamus, non tantum illam legi illi seuerissimæ, sed etiam Adami peccato subiectam, & obnoxiam fateri necesse est. Apud veteres olim infimus, & maxime obscurus seruitutis gradus existimabatur eorũ, qui *serui pœnæ* dicebantur. Hoc autem nomen ferebant omnes illi, qui vel ad metalla, vel ad bestias, vel ad pœnam aliquam capitalem damnabantur, leg. 6. §. *irritum*, ff. de iniusto reip. & l. 6. ff. de statu liberorum, & l. 25. §. *si quis plane*, ff. de acquirenda dignit. & sæpe alias. Rationem autem huius nominis accomodant leges, quia istiusmodi homines pœnæ magis (cui addicti sunt) quam Reip. aut fisco seruiunt: atque adeò pœnæ serui appellandi videntur. Itaque ipsa destinatio ad pœnam seruitutis nomen habet: & ad eum modũ per hanc de-

stinatio-

19 Aug. Ildephõs. 20

stinationem seruire pœnę extremus seruitutis gradus æstimatur. Quia cũ seruitus eo indignior sit, quo dominus obscurior existit, obscurissimus, & abiectissimus omnium dominorũ dominus videtur pœna. Si ergo pœnę seruire adeò turpis, & obscura seruitus est: longè igitur deterior, ac turpior seruitus erit peccato subditum esse, atq; illi ex debito subiacere: quia peccatum lõgè grauior, turpior, atque obscurior dominus est, quam pœna. Quapropter quotquot Virginem Deiparam huic peccati debito, & obligationi submittunt, omnium pessimo, atq; obscurissimo domino illam subijciunt: atq; adeò illam in extremo seruitutis gradu ponunt.

Hæc verò ratio ex eo illustrari potest, quia
21 Christus Dominus debitũ, & obligationem ad pœnam sibi imponere non dubitauit: tum quia Pater illi moriendi, & grauissima tolerandi legem indixit: tum etiam quia ipse sibi propria voluntate, & proposito hanc moriendi necessitatẽ imposuit: atq; adeò quodammodo etiam seruũ pœnæ (liceat sic fari) se ipsum effecit. Ad quem sensum allici possunt illa verba Pauli ad Philip. 2. qui postquã dixit, *formã serui accipiens*, vt de qua seruitute sermonẽ haberet, innueret, statim subtexuit: *Humiliauit semetipsum vsq; ad mortẽ, mortem autem crucis*, id est, semetipsum vsq; adeò demisit, vt pœnæ, ac mortis seruum se preberet, cui ab initio se se addixit, atq; deuouit. Hinc ergo illi' debiti turpitudinẽ agnoscere licet. Christus enim, qui hanc sibi pœnę, mortisq; à nobis promeritę obligationẽ, ne dicam serui tutem, imponere alienũ à gloria sua minimè duxit, nè remotissimũ quidem peccati debitum sustinuit. Quantum verò Christus ab hoc debito abhorruerit, constabit certè ex his, quæ dicemus infrà cap. 41. can. 2. quæ ad intelligendam illius deformitatem maximè accommodata sunt.

Ad Philipp. c. 2.

22 Deniq; tertiũ caput, ex quo turpitudo prefati debiti perspicuè dignoscitur, est illius obiectum, & terminus: non solũ enim ex peccato fluit, sed quod caput est, ad peccatũ pendet, & ad peccatum obligat, & quodammodo cogit. Et certè omnis relatio speciẽ, & naturam sumit ex termino: quapropter cum hæc obligatio, quã supra diximus in morali quadam relatione consistere, ad peccatum referatur, & illud tanquam terminũ respiciat, certè illius naturam sapit: & quamuis peccatum non sit, nescio quid peccato ad simile in se cõtinere videtur. Namprimo hæc obligatio nõ est bona: id enim, quod ad peccatũ cogit, bonũ esse nõ potest: nec est indifferens, vt patet: ergo mala prorsus, ac praua existit. Cuius malitia cũ speciẽ propriam nõ habeat, nõ potest alio, quã ad ipsam peccati originalis malitiã per reductionem referri: atque adeò meritò peccatũ appellari poterit. Si enim Paulus fomitem peccati ex eo, quia ad peccatum non quidem formale, sed materiale inclinat, ac vergit, peccatum nuncupare non dubitauit: *Sed quod habitat in me peccatũ, &c.* potiori iure huic debito peccati nomẽ imponere licebit, quod non tantum ad peccatũ allicit, sed etiã cogit, & non tantum ad materiale peccatum propendet, sed formalis peccati contrahendi necessitatem affert. Ex his ergo facilè agnosces, quam nobile obsequiũ Virgini præstent, qui debitum istud ab illa longius remouent, cum aliquid illi auferant, quod certè malum est, & licet peccatum re ipsa non sit; tamen peccati naturã sapit, ac refert; & peccati nomine aliquo modo censeri potest.

Et quidem id quidquid est obligationis, aut debiti peccati originalis à Virgine arcẽdũ suadet optima ratio ex dictis petita: quia fomes peccati, quem Paulus membrorum legem appellauit, ex eo in Virgine ab initio restinctum communis Patrum sentẽtia fert, quia ex natura sua ad peccatum materiale inducit, & peccatum suadet: omnibus autem Patribus valde indecorum, ac turpe visum est, Dei parentem aliquid eiusmodi habere, quod ipsam quomodolibet ad peccatum alliceret, seu inuitaret. Si ergo aliquid ad peccatum inuitans tantummodo, ac minimè cogens in Virgine ponere, Patrum opinione, turpissimum est, turpius ergo, ac deformius erit debitum quoddam in eadem fateri ex naturã sua ad peccatum cogens, & illius contrahendi necessitatem adducens. Quis hoc non videat? Ex his (ni fallor) liquidum manet, non de nihilo esse quæstionem illam, in qua disceptatur, an debitum, & obligatio peccati originalis fuerit in Deipara, quandoquidem hac in re non minima ipsius gloriæ, & decoris pars agitur. 23

Hæc sunt certissima, & constantissima principia, ex quibus huius debiti deformitas deducitur. Ea verò, quæ alij Recentiores de hoc debito commenti sunt, reijcienda prorsus, ac refellenda puto. Frater Ægidius de Præsentatione libro. 2. quæstione. 4. articulo. 3. §. 3. asserit debitum filiorum ad contrahendum peccatum originale non esse necessitatem aliquam, quæ in ipsis hæreat, sed verum eorum peccatum in Adamo patratum, & perfectum. Nam in eadem quæstione ad hunc modum comminiscitur. Quemadmodum in omni peccato actionis quasi duplex peccatum distinguere licet: aliud quidem actuale (actio enim ipsa, quã lex violatur, verè, ac propriè peccatum existit, vt ex Augustino constat, qui peccatum sic descripsit: *Factum, dictum, vel concupitum contra rationem, &c.*) Aliud habituale, quod nimirum transeunte actione, manet per modum maculæ, hoc autem non est aliud nisi priuatio gratiæ cum respectu, & habitudine ad actionem præteritam non retractatam. Ita etiam de peccato originali decernit: asserit enim illud similem ad modum constare actione, & macula. Actio 24

AEgid.

August.

(inquit) est ipsa Adami operatio, quā suppo-sita Dei institutione, & pacto, omnes Adæ filij cum ipso perfecerunt, atq; adeò in ipso, & cū ipso verè, & propriè actualiter peccarunt, quamuis non personaliter, sed originaliter. Macula verò est ipsa iustitiæ originalis priuatio cum habitudine, & respectu ad præfatā actionem præteritam, non vt Adami propria fuerat, sed vti nostra erat in ipso Adamo. In hanc sententiam sponte abierunt Recentiores aliqui satis graues, quatenus admittit illud peccatum nostrum verum, ac propriū in Adamo, & cū Adamo perpetratum: non verò quatenus dicit actionē illam, seu peccatum, qualecumq; sit in Adamo patratum, ad peccati originalis integritatem pertinere.

25 Est autem horum Recentiorum, atq; Ægidij longè diuersum consilium, & animi decretum: nam Recētiores præfati ex eo, id quod dicitur, *peccare in Adamo*, tanti faciunt, vt turpitudinem eius augentes, & exaggerātes inde conficiant, satis benè de Virgine sentire eos, qui ab hac nota ipsam vendicant, satisq; illi esse iniurios, qui tam deforme stygma ipsi inurere non verentur: atq; adeò eorum conatus boni cōsulere debemus. Hi sunt doctissimus, & grauissimus Gūdisal. Lucero Ecclesiæ Granatēsis Canonicus, & è nostris P. Granado, quorū doctrinam meritò tota suspicit Betica. At de te quid dicā, o Ægid.? Illud certè ausim pronuntiare te in exaggerando illo modo *peccandi in Adamo*, ac debito peccandi originaliter, oleum, atq; operam perdidisse. Quorsum enim tanto studio afferebas peccare in Adamo esse verā culpam, & veram mortem, & ipsius originalis peccati non minimā partē, vt id, quidquid apud te statueras, culpę, & quam tibi etiam finxeras, originalis peccati partem Virgini Deiparæ tribueres? Certè nullus est author ex his, qui Virginē à peccato originali immunem dixerunt, qui tam seuerè de Virgine censuerit. Cuncti enim Doctores, quotquot ita immunem à peccato originali Mariā asseuerant, vt eam eiusdē peccati debito obstrictam sentiant, ne minùs decorè de Virgine sentire videantur, omnes suos neruos contendunt, vt debitū hoc extenuēt, atq; eleuent, ac nihil turpitudinis, vel deformitatis in ipso reperiri demonstrent. At Doctor iste deformitatem, ac turpitudinem huius debiti amplificat, vt illud Virgini affigat. Hoc sanè ipsi certus polliceri possum, vix ac ne vix paucos futuros, qui susceptum laborem commendent, plures, qui obiurgent, atque insectentur. Nullus enim libenter audit Virginem verè peccatricem, demortuam, & culpæ originalis non paruam partem habentem. Longè gratior accidisset hæc industria, & labor, si quidquid operæ in recensendis, atque notandis grauissimorum Doctorum, tam antiquorum, quàm Recentiorum sententijs nauauit, id vel in extenuando debito culpæ originalis, quandoquidem illius ream Virginem statuebat; vel (quod satius esset) in liberanda, vendicandaque Virgine ab ea obligatione conferret.

Gund. Lucero.
P. Grana.

Ergo nostrum de Ægidij sententia decretum, & sensum habes supra cap. 1. §. 4. & 5. vbi quid sit in Adamo peccare fusè explicuimus. Quapropter consectariè ad ea, quæ inibi præscripsimus, nunc etiam asserimus hanc actionem, seu operationem nostram in Adamo, in qua peccati originalis debitum authores isti ponunt, minimè admittendam esse, sed totam debiti deformitatem, & turpitudinem ex præmissis capitibus deriuari oportere, & ex his etiam, quæ iam iam subijcio, clarius constabit.

VARIÆ SENTENTIÆ circa existentiam huius debiti expenduntur, atque ex illis eiusdem deformitas ampliùs declaratur.

§. II.

26. Debitum contrahendi peccatum originale in instanti suæ Conceptionis Virginem obligasse, & per originalem iustitiam simul exstinctum fuisse docent nonnulli.

27. Sententia istbæc contradictoria, & inter se pugnantia continet.

28. Qui peccati debitum per originalem iustitiam exstingui docent, nullum tale debitū Virginem in propria persona contraxisse tenentur concedere.

29. Quam indecoram Virgini notam affigunt, qui illā, vel in Adamo peccasse admittunt.

30. Quo sensu dicatur ab Augustino Maria in lumbis Abrahæ decimata.

31. Quare non simili locutione dicatur in lumbis Adæ peccasse.

32. Debitum contrahendi peccatum in Virgine per instans conceptionis tantum cum gratia coexstitisse, deinceps deletum docēt alij.

33. Debitum istud etiam per instans in Virgine ponere indecorum est.

34. Sententiam banc nonnulli ad contradictoria conantur deducere, sed frustra.

35. Debitum peccati, & extinctio ipsius ineptè comparantur cum debito pecuniæ, & dissolutione ipsius.

36. Cum naturali tamen moriendi necessitate aptè confertur.

37. Superior sententia aptè confutatur.

38. Virginem originalis peccati debito non pro conceptionis instanti tantùm, sed toto vitæ tempore obstrictam docent alij.

39. *Peccatum originale per gratiam deletum redire posse ex hac sententia perperam deducitur.*
40. *Carentia gratiæ in paruulis quomodo non per solum conceptionis instans, sed ad vsque iustificationem sit peccatum originale.*
41. *Peccati debitum tam in Virgine, quàm in reliquis momentaneum esse non potuit, sed necessario coæuum illi, in quo reperitur.*
42. *Debitum carendi iustitia ab actuali crimine proueniens per infusionem iustitiæ deletur, secus debitum peccati originalis.*
43. *Quàm indecens sit, Virginem huius debiti indelebili nota inustam fateri.*

26 IAM Ergo in hoc capite, vt nostræ sententiæ de exceptione Virginis ab originali, & à debito illius aperiamus viam, quid sentiant alij, qui debitum hoc in Virgine ponunt, de illius natura, & existentia examinare libet: ex his enim ampliùs cõstabit, quam sine fundamento, & quam indecore hæc iniuriosa obligatio in Deipara asseritur. Ergo prima opinio, quæ non paucos, nec humiles sibi authores numerat, vt turpitudinem huius debiti extenuet, ad hunc modum decernit, sanctissimam Deiparam, quatenùs Adami filia erat ex illius propagine descendens, per parentis culpam gratiam, quam ex illo habitura erat, non modo in ipso Adamo amisisse, atque adeò in illo peccasse, sed etiam in se ipsa reatũ, ac debitum originaliter peccandi prorsus cõtraxisse. Addit etiam hoc debitum in primo conceptionis momẽto per gratiæ infusionem extinctum prorsus, & abolitum.

27 Quam doctrinam sic conuellere fas est: quia nimirum pugnantia prorsus asseuerat. Nam si infusa gratia debitum peccati originalis in Maria restinguere valuit: ergo debitum hoc nunquam Virgo in se ipsa contraxit. Ratio est in promptu, quia vt vulgò auhores contra eos pronunciant, qui docebant, Virginem in primo instanti, & articulo suæ conceptionis, culpa originali infectam, & simul etiam sanctitate donatam, illos nimirum contradictoria dicere; quia inde sequeretur, Virginẽ Deiparam in eodem instanti sanctam esse, & non sanctam, iustam, & peccatricem, quæ manifestam contradictionem cohibent. Ita etiam contra ipsos statuere integrum est. Imprimis enim illud certum, ac ratũ est, Virginem Deiparam non habuisse debitum peccati, antequam existeret: nam vt infrà cap. 15. latius dicemus, pactum transfusionis nõ est initum pro possibilibus, sed pro futuris, atq; adeò hoc debitũ, & obligatio sequitur existẽtiam: deinde cuiuslibet accidentis existẽtia supponit existentiã subiecti. Si ergo Maria Virgo debitũ culpæ originalis in semetipsa aliquando habuit, illud certè in primo suæ conceptionis instanti habuit. Rursus in eodem instanti nequaquam illud habuisse fateri oportet, quia cum gratia, qua eiusdem Virginis anima in primo illo instanti donata fuit, non modo culpã, sed etiam (vt isti authores seriò docẽt) debitum illius expulerit, inde quidem sequitur præfatum debitum in eo primo instanti cũ gratia simul coexistere nequaquam potuisse, atque adeò fit in eodem indiuisibili temporis articulo, Virginem Deiparam gratia carere debuisse, ac non debuisse, quod planè contradictorium, & impossibile est.

Quapropter in eorum sententia, qui existimãt per gratiæ infusionem debitum peccati originalis deleri, si consectariè ad sua principia loquãtur, omnis profectò quæstio de debito in propria Virginis persona contracto exclusa deficit. Nullum enim eiusmodi debitum excogitari, nedũ esse in Virgine potest, sed tota lis eò redigitur, an hoc debitum in Adamo Maria incurrerit: vtrũ scilicet Adamus ius habuerit effundendi culpam in Virginẽ, quemadmodum in reliquam posteritatem suam. Fortasse autẽ id sibi voluit D. Anselm. in tract. de Virg. illibata conceptione, de cuius operis fide, & autoritate infrà in seculorum censu dicemus: *Si quid originalis peccati in propagatione matris Dei extitit, illud certè propagantiũ, & non propagatæ fuit.* Quasi diceret: illud certè in Adamo fuit, ex quo Maria propagata, in ipsa enim Maria nihil illius peccati fuit, nec esse potuit: nihil inquã peccati, nimirum nec peccatũ ipsum, nec debitũ illius: nam qui nihil dicit, totum excludit. 28 *Anselm.*

Neq; verò quæstio ista sic intellecta de nihilo est. Agitur enim de iure capitis, vtrũ scilicet Adamus Mariæ caput, ac princeps extiterit? Ex hac enim dignitate capitis, & non aliunde ius transfusionis illi accreuit. Quãtum verò à Virginis Deiparæ summa gloria abhorreat, ita illam Adamo summittere, vt ius, & potestatem capitis in ipsam obtinuisse fateamur, nõ obscure in superiori §. exposuimus. Itaq; iuxta hanc sententiã, id saltem fateri opus est, B. Virginem, quamuis nec peccatũ, nec peccati debitũ in propria persona contraxerit, verè tamen in Adamo, & peccasse, & peccati debitũ contraxisse: id verò sanctissimæ Virgini indecorum etiam puto. Nã Paul. ad Hebr. 7. hoc exprobrat Leui, quod in Abrahamo parente suo, hoc est, prout adhuc in lumbis eius erat, decimas Melchisedecho exsoluit. Putat enim Paulus tunc cũ Abrahã populi Israelitici princeps, & caput decimas dedit, omnẽ eius posteritatẽ, quæ tunc in lũbis eius erat, in ipso quodammodo etiã decimas exoluisse. Inde autẽ Sacerdotiũ Leuiticũ Sacerdotio Melchisedechi, atq; adeò Sacerdotio Christi (cuius Melchisedech vmbra erat) inferius esse, atq; illi cedere nõ obscure colligit. Itaq; quãuis Leuitica tribus nullas vnquam decimas per se ipsam alicui, vel soluerit, vel debuerit: ex eo tamẽ, quia illius ca- 29 *Ad Hebr. 7.*

par, & Patriarcha Abrahamus eiusmodi decimas pependit, colligit totam illam tribum, prout in lumbis parentis sui erat, easdem decimas dedisse, atque adeò inde innui Melchisedechi Sacerdotiũ Leuitico dignius fuisse. Si ergo Leuiticæ tribui decimas ea ratione rependisse, quatenus in Abrahæ lumbis erat, res humilis Paulo visa est, etiamsi per semetipsam, neq; reuera exsoluerit, neq; debuerit, indeq; illam tribũ Regi Salem Melchisedecho inferiorem, & ignobiliorem esse colligit: quanta erit Virginis humilitas, & abiectio hoc fateri, illam in Adamo peccasse, atq; in illo peccandi debitum incurrisse? Hęc profectò longe deterior, ac deformior subiectio est, quæ Virginem Adamo turpissime demittere videtur.

30 Sed quia in hunc Pauli locum incidimus, ex quo aliqui euinci putant, Virginẽ in Adamo peccasse, aut saltem peccandi debito in eodem obligatam fuisse, hac super thesi aliquid hic adscribere libet. Ergo S. Augustinus lib. 10. de Genesi ad literam ex hoc Pauli loco quæstionem excitat, an scilicet quemadmodum Leui in Abrahæ lumbis decimatum affirmat Paulus, sic etiam Christum Dominum, qui ex Abrahamo etiam suam recensuit originem, in eodem decimas quoque exsoluisse dicere liceat. Occurrit autem Augustinus affirmans Christum nequaquam tunc decimatum fuisse in lumbis Abrahæ, quia cum Christus non fuerit procreatus ex semine illo virili, quod ex lumbis decidit, non rectè dicitur eius caro in Abrahæ, seu alterius viri lumbis esse, nec prout in lumbis paternis aliquid agere. Secus autem de carne Virginis censendum, de qua sic August. *Secundum rationem quippe illam seminalem in lumbis Abrahæ fuit Leui, qua ratione per concubitum venturus erat in matrem, secundum quam rationẽ non ibi erat Christi caro, quamuis secundum ipsam ibi fuerit Maria caro.* Aliaq; subtexit, quibus probat hoc interesse inter Christum, & Mariam, quod Mariæ caro, quæ ex viri semine per naturalem concubitum defluxit, in Abrahæ lumbis inerat, atque in eisdem decimata fuit: Christi verò caro non ita, quia licet quodammodo etiam secundum corpulẽtam substantiam in Abrahę lumbis extiterit, non tamen secundum naturalem seminandi, ac procreandi rationem. Idem ergo Augustini argumentum retro ab Abrahamo ad Adamum reuocantes non pauci, affirmant Deiparam Virginem similem ad modum ob eandem rationem in Adami lumbis extitisse; atque adeò sicut in Abrahæ lumbis decimata fuit, ita etiam in Adami lumbis peccasse, aut peccati debitum contraxisse.

August.

31 Cæterum hæc consequutio multa peccat. Primo dum Virginem pari consortio cum Leui in Abrahæ lumbis extitisse, atque inibi cum eodem decimatam fuisse dicit Augustinus, nihil Virgini indecorum affirmat, quia tantummodo innuit ipsam, omnemque illius dignitatem Christo demitti, ac substerni, cuius Rex ille, Sacerdosque Melchisedech imago erat, sicut Leuiticum Sacerdotium eo argumento Christo subditum conficit Paulus. Cui sententiæ, quæ verissima, ac certissima est, sponte inseruiunt Augustini verba: reliqua verò coacta sunt. Quod melius vt capias, obseruãdam est, Pauli sententiam, quæ dicit omnem Abrahæ posteritatẽ in parentis sui lumbis decimas dedisse Melchisedech, non ex eo tantum verificari, quia tribus Leuitica per naturalem procreandi rationem ex Abrahamo deriuata est, sed vlterius ad hoc necessariam fuisse Dei institutionem. Nam Deus Abrahamum caput, ac principem illius populi sua institutione præficiens, ac nuncupans, sua etiam voluntate demissionem illam, per quam Abraham Melchisedech decimas reddidit, ad hoc ordinauit, ac destinauit, vt significaret Leuiticum Sacerdotium Christi Sacerdotio concessurum esse. Quod facili quadam ratione ostendi potest: quia filij Abrahæ in lumbis illius existentes non dicuntur alias patris actiones in ipso transegisse: non enim fas est dicere, filios in Abrahamo nupsisse Saræ, aut Ismael genuisse, & alia eiusmodi fecisse, quæ omnino aliena sunt, non aliunde certè nisi quia hæ, & aliæ huius generis Abrahæ actiones ex diuina voluntate, & institutione ordinatæ non fuerunt ad aliquid significandum, quod postmodum à filijs præstari deberet. Iam intelligis, quo tendam. Quemadmodum ergo vt Abrahæ soboles, prout in ipsius lumbis erat, decimas soluere diceretur, necessaria fuit Dei institutio, & ordinatio: ita etiam vt Virgo Deipara diceretur in Adamo peccasse, necessarium est asserere illam lege, & pacto cum Adamo inito comprehensam fuisse: atque adeò quicumque negauerit illam ex Dei ordinatione in eam legem ingressam, eandem in Adamo peccasse abnegare debet, etiamsi ex Adamo naturalem originem trahat. Quapropter, cum Augustinus ait carnem Virginis in lumbis Abrahæ decimatam, ideò dicit, quia sensit illam solutionem decimarum ab Abrahamo factam, ex Dei ordinatione institutam ad significandum Virginem cum reliqua tribu Leuitica, ex qua naturalem originem trahebat, Christo cedere, ac demitti debere, atque Sacerdotio illius indigere, quod certissimum est: de peccato verò originali nihil ibi miscet. Ad debitum ergo peccati redeamus.

Secunda opinio, quam tradit noster 32
Franciscus Suarez in tertiam partem Diui Thomæ quæstione 27. disput. 3. sect. 4. & 5. & quam alij huius grauissimi Doctoris discipuli amplexi sunt, ad extenuandã præfati debiti turpitudinem ita decernit, debitum peccati originalis, non quidẽ expulsum per se à

P. Suarez

gratia

gratia ex Virginis anima, sed in primo conceptionis instanti ita cũ gratia simul coextitisse, vt tamen tempore succedẽte omnino esse desierit. Itaq; docet Virginem Deiparã in primo conceptionis instanti iustam simul, & peccati debitricem: deinceps verò per reliquum tempus ab omni debito immunem fuisse. Ratio autem huius placiti ea est, quia causæ, quę per se necessarię sunt ad causandũ peccatum originale, tantummodo expeditæ, vel (si fas est ita loqui) in procinctu sunt ad illud efficiendum pro primo conceptionis instanti: si autem Deus pro tunc harum causarum efficientiam per gratiæ infusionem impedierit, reliquo deinceps tempore illud causare, & quasi redintegrare non valent. Ergo qui ea ratione in primo suæ conceptionis articulo sanctitate, & gratia donatus fuerit, pro eo tantum obligatus, ac debitor erit, nec vlterius eius debitum, & obligatio procedet.

33 Cæterum hęc doctrina mihi non parũ difficilis semper visa est. Primò, quia cum ex his, quę hactenus diximus, huius debiti, quo quis erga peccatum originale obstringitur, turpitudo comperta sit, non debet certe, si fieri potest, neq; per instans in Virgine cõcedi. Quia quemadmodum peccati originalis fœditate comperta, sæpè ac multũ inuehimur in eos, qui vel ad momentum Virginem eo peccato infectam affirmant, etiamsi asserant pro reliquo tempore sanctam fuisse: ita etiam cum constet id, quidquid est debiti originalis peccati indecentiam non paruam cõtinere, nec per vnum instans debet in Virgine concedi: tũ vel maximè, quia eo modo, vel ad momẽtum hoc debito Virginem obæratam fuisse qui annuit, fateri etiam debet illam Adamo ceu capiti subditam, illius imperiũ sustinuisse, quod quantum Angelorum, hominumque Reginam dedeceat, nuper expromsimus.

34 Sed quod caput est, pręmissa opinio si metaphysice expendatur, & examinetur, displiceat necesse est. Sunt ergo nonnulli, qui eam ad cõtradictionẽ compellere ad hunc modũ contendunt. Quia si ponamus Virginis animam in primo conceptionis instanti, gratia donatam fuisse, vera erit hæc propositio: *Impossibile est pro hoc momento Mariam originale peccatũ habere*: Nam istæ duæ formæ, peccatum originale, & gratia in eodem subiecto simul cohærere non possunt. Deinde si in eodẽ instanti debitum contrahendi peccatũ in ipsissima Virginis anima concedamus, oportebit etiam hanc enunciationem veram fateri: *Necesse est pro hoc instanti Mariã originale peccatum habere*. Debitũ enim peccati nihil aliud est, quam illius contrahendi necessitas. Hæc autem duo signa *impossibile*, & *necesse* contraria sunt: hanc verò contrarietatem ad cõtradictionem traducere integrũ est: nam possibile ita est sub necesse, tãquam inferius sub superiori, quidquid enim necessariũ est, possibile prorsus existit. Quapropter si pro conceptionis instanti in Virginis anima gratiã originalem, cum peccati debito vna componamus, illam pro eo momento peccatum habere, possibile simul, atque impossibile erit.

Cæterum hæc ratio, quæ specie tenus idonea videtur, mihi non satis arridet, atq; duo contradictoria facilè eludi posse credo, si dicamus Dialecticorũ solenni more, *nõ esse eiusdem de eodem*. Nam posterior illa propositio: *Necesse*, aut *possibile est Mariam pro conceptionis momento de peccato primi parentis infici*, nõ debet absolutè promi, sed cum hoc addito *ex natura sua*. Nam verbi causa, ponamus aquã per horam applicito igne cõtra naturã suam calentem: licebit certè tunc ita pronunciare, impossibile est hanc aquam per hanc horam naturaliter frigidam esse: quia nimirũ calor, frigusq; per naturam coire nõ possunt. Licebit itẽ sic affirmare, hæc aqua sibi relicta per eandem horã naturaliter frigiditatẽ habere debebat, atq; adeò frigiditatẽ recipere possibile, & necesse erat. Ad eundem modum de gratia, & debito peccati pro cõceptionis instanti cõcipere oportet: quamuis enim, infusa gratia, impossibile sit peccatũ in eo instanti in Virginis animæ esse, quia tamen isthæc gratia præter ipsius naturæ exigentiam, quæ potius sibi relicta peccatum sponte germinaret, indita fuit: ideò integrum est etiã dicere Virginem Deiparã pro eo instanti iuxta ipsius naturæ pondus peccatum cõtrahere debuisse, & sub iisdem terminis possibile fuisse.

Et quidem hi, qui præfato argumento cõtra Suariũ nostrum vsi sunt, me quidẽ iudice, 35
ex eo aberrant, quia putant, hoc debitũ peccati originalis imitari debita pecuniarũ ex contractibus, vel ex aliis causis profecta, quę præsenti solutione dissoluuntur, ac pereunt. Quapropter cẽsent simile: in ad modũ debitũ peccati per gratiæ infusionem aboleri, & extingui. Eo spectauit Ferrariensis qui eius opinionis tenax, quę docet Virginem in peccato Ferrarië.
originali cõceptã, affirmat serio eos, qui Virginẽ à peccato originali immunẽ asserunt, ab eiusdem peccati debito liberam facere debere, ne dissentanea, & incohærentia pronuncient. Nam lib. 4. contra gentes c. 50. postquã posuit eam obligationẽ pro primo cõceptionis momento instare, & non ante, inde sic cõficit: *Quod si per gratiam in eo momento peccato locus non fiat, nulla erit obligatio ad peccatũ. Si enim* (inquit) *tibi teneor soluere centum aureos die crastina, & illos mihi donas, & non vis, vt die crastina restituam, non ero tibi amplius debitor die crastina*. Ergo ad eundem modum si quis pro illo suæ conditionis primo instanti tenebatur ad contrahendum peccatum, accepta gratia, quæ est condonatio, & remissio peccati, accipit etiam condonationem illius debiti, atque adeò pro illo instanti debitor non erit. Cæterum hæc ratio idonea non est, quia vt supra c. 1. §. 7. contra Ægid. Augustinianum, & cap. 13. contra Scotum statuimus,

inter debitum pecuniæ, & debitum peccati originalis latissimum discrimen versatur. Ad ea verò, quæ ibi diximus, id etiã appone, quia debitum pecuniç est obligatio quædam externa non tam personã ipsam obstringẽs, quã fortunas: hç enim proximè debitis obligatç, & obæratæ sunt: eapropter quãdiù quis nullas fortunas habet, ex quibus debitũ compenset, non manet debitor, & redeũtibus fortunis debitũ instauratur. Quapropter eiusmodi debitũ per externam remissionẽ, aut condonationem dissolui potest: debitũ verò peccati originalis intrinsecũ est in ipsa naturali generatione fundatũ, atq; adeò non satis aptè per debitum pecuniarum exprimitur.

36 Optimè tamen prçfatum peccati debitum per naturalem mortis necessitatem, aut debitũ adumbratur (nihil enim magis peccato affine, quam mors) ergo mortis debitũ in ipsa hominis conditione, quatenus ex contrarijs qualitatibus coalescit, fundatũ est: atq; adeò quamuis quis in ipso primo suæ conditionis instãti incorruptionis, & immortalitatis dote afficeretur: id tamen non tolleret, quin in eo instãti talis homo suapte natura corruptibilis, ac mortis debitor existeret. At inquies, debitũ peccati originalis nõ est naturale, sed morale ex pacto à Deo inito, & ex delicto voluntario Adami profectũ. Ita quidem fateor, sed tamen aio illud in ipsa naturali generatione proximè fundari, atq; adeò cũ alijs naturç debitis rectè conferri posse. Vide plura locis citatis.

37 His ergo prætermissis, præfata sententia alio argumento conuellenda est: quia nimirum fateri opus est, sobolẽ Adami tãtundem debere, quantũ illi Adamus peccato suo promeruit. Atqui Adamus delicto suo nõ modo ad soboli promeruit, vt in primo conceptionis instanti peccatũ originale cõtraheret, sed etiam eiusdẽ peccati perpetuã, & non intermissam, indelebilemq; continuationẽ: ergo non solũ posteritatem suam debito carendi gratia per primũ suæ conditionis instans, sed etiam per reliquũ deinceps tempus obstrinxit. At inquies ita planè fatendũ Adami sobolem non modo primæ contractionis, sed etiam continuationis debitricẽ esse: quia tamen continuatio huius peccati cũ prima sui productione ita connexa est, vt si hæc per gratiæ infusionẽ impediatur, continuatio de reliquo reddatur impossibilis, atq; eapropter dicendũ integrum debitum tam primæ contractionis, quàm continuationis ad primum instans cogi, ita vt si anima in eo momento sanctitate, & iustitia donetur, iam deinceps peccati debitrix esse non possit. Respondeo ex hoc argumento confici, debitũ peccati etiam in primo instanti concedendũ non esse; quia si ex eo præcise, quia impedita prima originalis peccati productione per infusionẽ gratiæ in primo instanti, eiusdem cõtinuatio in reliquo tẽpore impossibilis redditur, Virgo Deipara nõ fuit debitrix continuationis: ergo cum similem ad modũ per eandem gratiæ infusionẽ, & concreationem cum anima, prima eiusdem peccati contractio in momẽto conceptionis impossibilis fiat, nõ erit similiter pro eo momento debiti prçdicti rea. Quod autem aiunt causas peccati originalis pro eo instanti velut in procinctu esse ad causandum illud, idoneum non est: nam per gratiç à Deo productç præsentiã istiusmodi causæ prorsus exarmantur, ita vt ex natura sua possibilius sit in tempore sequenti peccatũ originale, expulsa gratia, reproduci, quã cũ gratia simul in primo instanti coexistere: illud enim Deus præstare poterat, pactũ sub ea lege cũ Adamo ab initio componens: hoc verò Dei potentiam exsuperat. Puto enim etiam per absolutam Dei potentiam gratiam cum peccato in anima conuenire non posse.

Hinc ergo nata tertia sententia, quam tradit noster Gabr. Vazq. in 3. p. D. Tho. disput. 116. c. 5. & alij eius discipuli tanquam veriorem amplectuntur. Affirmant enim debitum hoc non tantum in primo conceptionis instãti, sed etiam per reliquũ vitæ tempus in Virgine perseuerasse. Loquuntur autem de debito sub præmissa acceptione, vt significat obligationem, quam Virgo sibi ipsi relicta secũdum naturam suam, prout naturalis Adami filia, ad originale peccatum contrahendũ habebat. Et quidem si ita sentirem, Virginem Deiparam communi cunctorum hominum lege comprehensam fuisse, in hanc sententiã libentius discederem, quia mihi ante alias verisimilior videtur. 38 *Vazquez.*

Obijciunt tamen aliqui ad hunc modum. Si ita dicamus debitũ peccati originalis esse perenne, & insolubile, inde sequitur, quod in paruulo, qui semel iustificatus fuit, si post aliquod interuallum gratia illi auferatur, peccatum originale iterum redeat, ac quasi rediuiuum emergat: nam eiusmodi paruulus haberet tunc priuationem gratiæ debitæ, atque adeò peccatum originale. Acquiescit noster Vazquez affirmans in eo casu peccatum originale instaurandum iri. Mihi tamẽ hoc placitum nũquam probari potuit, atq; adeo ego iuxta hanc sententiã huic obiectioni sic occurrendũ existimo. Inter gratiam, & culpam, de quibus à Deo cũ Adamo pactio inita fuit, hoc sanè interfuit, quod si Adamus constanter egisset, atq; adeò gratiam sibi, ac posteris seruaret, trãsfunderet quidem illam primò, non tamen illius gratiæ confirmationẽ promereretur. Ita docet S. Th. 1. p. q. 10. ar. 2. in corp. vbi sic habet: *Respondeo dicendũ, quod non videtur possibile, quod pueri in statu innocentiæ nascerentur in iustitia cõfirmati. Manifestũ est enim, quod pueri in sua natiuitate nõ habuissent plus perfectionis, quã eorũ parentes in statu generationis: parentes autẽ quamdiu generassent, nõ fuissent confirmati in gratia, &c.* De peccato verò alia est ratio. Adamus enim delicto suo 39 *S. Thom.*

necessi-

necessitaté peccandi ad posteros transmisit,
sic scilicet vt non modo peccatū primo cōtra
herent, sed etiā vt illud nunquam non retine
rent: quod perspicue etiā tradit D. Th. in eo
art. 2. ad 3. argumentum. Sicut enim quis per
peccatum actuale propriū debitum incurrit
carendi gratia, & omni auxilio Dei, quo
ad iustitiam iterum se se referat: ita etiam
Adamus peccato suo originalem culpam ad
nos transmittens similem ad modum gratia,
& auxilio Dei semper carendi reos nos fe-
cit. Quid inde? Sanè inde fit ex vi origi-
nis, ac traducis, primam tantummodo gra-
tiæ infusionem esse debitam filijs Adæ, con-
seruationem verò, & continuationem hu-
ius gratiæ non ita: hanc enim Deus lege,
atque pacto suo nequaquam perennem es-
se iussit, sed à se, & ab ipsis Adami filijs,
eorumque voluntate pendere voluit. Qua-
propter si Deus vsus iure suo à paruulo ali-
quo, quem semel per gratiæ infusionem
sanctificauit, gratiam adimeret, nequa-
quam tunc peccatum originale velut redi-
uiuum denuo recurreret, quia licet esset
tunc carentia, & nuditas gratiæ, non tamen
gratiæ debitæ in esse: hanc enim ex vi origi-
nis tantummodo pro prima infusione debi-
tam esse nuper decreuimus.

Sed dices inde etiā sequi, priuationē gratiæ
40 originalis in momento tātū primæ conditio
nis peccati malitiam habere, deinde verò se-
quenti tempore illam deponere: quia si gra-
tia pro primo tātum instanti debita est ex vi
originis, eius priuatio per illud etiam instās
erit priuatio gratiæ debitæ, & non vlterius.
Ad obiectionem istam respondere primum,
scilicet, quod sicut in actuali delicto ex pri-
ma commissione peccatū emergit: deinceps
verò habitualiter perseuerat macula per rela
tionem ad actum preteritum non retractatū:
idem etiam de peccato originali iudiciū fe-
rendum est, illud quidē in primo instanti ge-
nerationis contrahi, ad cōsequens verò tem-
pus per habitum transmitti, quoad vsq; per
infusam gratiā eluatur, ac detergatur. Dein-
de aio gratiam, & iustitiā originalē, ex pacto
Dei non tātum pro primo instanti debitam,
sed pro reliquo tēpore, donec vel Deus vtens
iure suo illam non conseruet, aut homo ipse
proprio peccato illam expellat. Gratia enim
non potest deficere, nisi aut defectu causæ cō
seruātis, quæ sol⁹ Deus est: aut à cōtrario suo,
hoc est, à peccato, expulsa. Quapropter si dica
mus primam illius infusionē debitam esse, fa
teri etiam oportet tamdiù eam ex debito
manere debere, quamdiù vel Deus illā con-
seruare non desierit; vel homo eandē pecca-
to suo non expulerit, atque adeò his exclu-
sis, carentia illius nunquam non erit priua-
tio, & absentia gratiæ debitæ, in qua consi-
stit ratio peccati.

Hac igitur difficultate superata, quę in hac
41 sententia præcipua est, dico primò eos, qui
Virginē sub debito peccati originalis ponūt,
si cohęrentia, & cōsentanea dicere velint, pla
nè asserturos debitum hoc non fuisse momē-
taneum in primo generationis instanti, sed
perenne, & perpetuū per totam deinceps vi-
tam in ipsa mansisse. Ratio est, quia Adamus,
vt nuper dicebā, delicto suo nō solū filijs suis
hoc promeruit, vt peccatum originale primo
contraherent, sed etiam vt illud perpetuo re
tinerent: sed filij tantundē debent, quantum
pater illis delicto suo meruit: ergo filij sibi
ipsis relicti, & ex natura sua, & ex vi originis
debitores sunt peccati, non tantū primo pri-
mo contrahendi, sed etiā perpetuo retinen-
di: atq; adeò non modo debitores sunt pec-
cati in primo generationis momento, in quo
primo cōtrahitur, sed etiam in reliquo dein-
ceps tempore, in quo permanere, ac perseue-
rare opus erat. Nam quod vel in primo instā
ti, vel posteà ab aliquo extrinseco impedimē
to factū sit, ne peccatū originale in Virgine,
aut initio produci, aut posteà retineri potue-
rit, non tollit quominus illa ex natura sua, &
ex vi originis suæ illius contrahendi, ac reti-
nendi debitrix semper fuerit. Quod exemplū
illud corruptibilis corporis, immortalitatis,
& incorruptionis dote donati apprime de-
clarat: nā licet corpus ab initio, prout eo do-
no affectū, corrumpi, ac deficere non possit,
tamen id nō tollit quominus suapte natura,
& ex principijs suis semper corruptioni, &
morti obnoxiū sit. Adde etiā aliud ab homi-
ne aliquo petitum, qui cæcus natus est: nam
licet in hoc visus naturaliter sit impossibilis,
tamē hoc nō tollit, quominus natura ipsa hu
mana, quę in illo est, semper visū exigat, & illi
etiā connaturaliter debeatur, atq; adeò carē
tia illa nō negatio, sed priuatio visus dicatur.

Sed obijcies inde sequi, eū, qui peccatum
actuale admisit, atq; adeò delicto suo, omni 42
auxilio, & gratia perpetuò carendi debitū si-
bi accersiuit, etiamsi posteà ex Dei beneficio
gratiā recuperet, debitorē nihilominus præ-
dictæ carentiæ manere: aliàs si gratia animo
infusa huiuscemodi debitū carendi gratia ex
propria culpa contractū excludere potest, ac
valet: ergo similē admodū debitum illud ex
Adami delicto profectū dissoluere, atq; extin
guere valebit. Ad hanc difficultatē diluendā
præmittendū est, culpam ex propria actione
contractā duplici ratione deleri posse: aut so
la infusione gratię præcisè sine aliqua actio-
ne: aut proprio actu, siue tanquam dispositio
ne, siue tanquā forma, id enim non curo. Ali-
qui ergo autores sic statuunt in eo casu, cum
aliquis post perpetratū peccatū propria san-
ctificatur actione, debitū carēdi gratia in ip-
so prorsus expiari, & extingui, quia cum per
eiusmodi actionē præterit⁹ peccati act⁹, in
quo relatio debiti fūdatur, sufficiēter retra-
ctetur, ac refutetur, ablato fūdamēto, tollitur
etiam de medio relatio vinculi, & obligatio-
nis. Secùs verò siquis post admissū scelus sine

aliquo actu per solam gratiæ infusionem san ctus fieret:in hoc enim debitum carendi gra tia tamdiu permansurum putãt, quoad actio nem aliquam exequatur, quæ sit retractatio, & recantatio præteriti peccati,aut illam vir tute contineat: nam manente fundamento, non potest non relatio illa debiti permanere:qui authores de hoc debito idem pronun ciandum putant, quod alias de debito, seu dignitate temporalis pœnæ plures non improbabiliter defendunt. Ego verò his non assentior: existimo enim per solam infusionem gratiæ,absque vlla expressa retractatione actus præteriti,debitum illud carendi om ni gratia,& auxilio,prorsus dissolui, ac deleri.Ratio est in promptu,quia sola infusio gratię tollit fundamentum,cui incumbit illa relatio debiti carendi omni gratia, & auxilio: ablato autem fundamẽto non potest permanere talis relatio:fundamentum enim prædi ctæ relationis non est aliud, nisi actio præterita,in quãtum mala est formali malitia peccati:hæc autem vt sic per infusionem gratiæ prorsus deletur,ac per consequens debitum, quod ex illa nascitur, permanere non potest. Secùs accidit in nostro casu: quia debitum peccati originalis fundatur in peccato, & libera transgressione Adami,ex qua obligatio istæc in posteros redundat, & in generatione naturali,præsupposito pacto, & lege Dei. Hæc autem omnia fundamenta etiam post infusionem gratię integra perseuerant.Hinc autem deducitur ratio à priori, quæ suadet, debitum peccati originalis in Virgine,& in alijs sanctificatis perpetuum esse, atque ineuitabile:nam cũ hoc debitum vere, ac proprie sit quædam relatio vinculi,& obligationis in transgressione libera Adami,& in generatione ipsa naturali fundata, cumque fun damentum hoc perenne, ac perpetuum sit, debitum etiam interrumpi, ac cessare non potest: relatio enim cum fundamento pariter incipit,cum fundamento persistit, & non nisi deficiente fundamento deficit.

His positis, ad fœditatem, & turpitudinem huius debiti ostendendam iterum ve-
43 nio.Cum ergo (vt ex dictis constat) eos, qui debitum illud in Virgine agnoscunt,in hanc extremam sententiam rationum momenta compellant,fateri certè debent,illam perenni quadam, & indelebili nota semper inustam. Et quidem hunc ad sensum accersere licet illa verba Prouerb. 30. & exemplum *Prou. 30.* ex adulterina prole à Salomone desumptum: *Generatio, quæ sibi munda videtur, & non est lota à sordibus suis.* Quem locum lxx.sic extulerunt:*Filius malus iustumse facit, & non lauit exitum suum*: vbi Salomon agit de filio spurio,per *exitum* autem natiuitatem intelligit: itaque sensus est. Filius malus, id est, nothus, & degener, etiamsi postea alicuius priuilegij auxilio nobilitetur, ac bonus, id est, nobilis reddatur, nunquam tamen suæ natiuitatis,originisque labẽ detergit. Haud dissimili ratione de Virgine cẽsendum: nam si semel demus, illam ex suis quidem natalibus (liceat sic dicere) spuriam, & notham, peccato obnoxiam, & mancipatam fuisse, etiamsi per gratiam, & fauorem Dei immunitatem adepta fuerit, tamen natiuitatem suam non omnino eluet, semperque in ipsam quadrabunt verba illa, *non lauit exitum suum.* Licebitque etiam eidem accommodare id,quod Baldus in cap.final.de translatio- *Baldus.* ne Episc. circa medium ferit: *Spurius* (inquit) *legitimatus, aut aliqua alia ratione nobilitatus similis est agro curato à vulnere,cuius aliqua semper remanet cicatrix.* Nam similem ad modum si fateamur Virginem ex genere suo spuriam, & notham, etiamsi per gratiam adoptionem statim acceperit, superet tamen adhuc in illa aliqua opprobrij cicatrix, quæ nullis medicamentis deleri possit. Illud igitur certum, ac ratum sit,eos de Virgine dignisśime sentire,qui ab illa commune debitum arcent. Quapropter omnes illæ sententiæ,quæ Mariam peccati originalis debitricem efficiunt, ex eo satis efficaciter refelluntur, quod Mariam huic tam deformi, ac turpi debito subdere non verentur.

Ex his constat satis (ni fallor) quam non sine causa hanc, & alias superiores sententias,quatenus debitum peccati originalis in Virgine agnoscunt,repudiandas,ac refellendas affirmemus,quamque vtiliter, & decenter operas suas collocent illi, qui ingenij sui neruos contendunt, vt Virginem ab hoc debito immunem fuisse defendant. Ad alia ergo sententiæ præfatæ fundamenta libranda, & examinanda faciamus gradum.

CONFVTATIO EORVM, QVAE tradit superior sententia circa ordinem decretorũ Dei, & pacti cum Adamo initi constitutionem.

CAP. XVI.

1. Christum propter solum Adæ peccatum venisse, coguntur admittere, qui ante transfusionem actualẽ originalis culpæ præuisam, ipsius prædestinationem constituunt.
2. Prædictorum effugium præoccupatur.
3. Christum non propter vnius Adæ peccatum, sed propter omnium culpam præuisam venisse ex scriptura probatur.
4. Prædicta loca de secundaria intentione dicti recentiores explicare non possunt.
5. Idem confirmatur ex Prospero, & Anselmo.
6. Idem ex Fulgentio, & Athanasio.
7. Hoc ipsum suadent Gregorius, Cyrillus, & Augustinus.
8. Vrgentur præfata testimonia contra aduersarios.
9. Si qui actualia etiam peccata ad primariam incarnationis intentionem pertinuisse docere videntur, explicantur.
10. Hoc idem sentire videtur D. Thomas.
11. Ideò S. Thomas aliter de B. Virgine sensit, quia credidit Christum nõ nisi præuiso peccato in singulis contracto prædestinatum fuisse.

1 EINDE Nõ parum difficile est id, quod asserit P. Vazquez ex doctrina subtilis Scoti, Adami peccato in posteros pendẽte, antequam re ipsa deriuatum, ac propagatum præuideretur, Christum Dominum prædestinatum fuisse. Hoc enim tantum inter Scotũ, & Gabrielem nostrum intercedit, quod hic in eodem articulo, & momento Christum secundum substantiam prædestinatum docet: ille vero in eodem signo passibile corpus eidem Christo decretum asseuerat, vt supra cap. 12. & 13. monstrauimus.

Vazquez.

Ex hac ergo positione aliqua non parũ absurda deduci possunt. Illud in primis absonum inde conficitur, Christum Dominum ex vi suæ prædestinationis, & ex primaria intentione propter solum peccatum Adami venisse in mundum, adeò vt verum sit dicere propter nullum originale peccatum ea intentione, nec propter posteriores homines, sed propter primum hominem venisse: quandoquidem etiamsi nullum deinde in posteris Adæ consequeretur ex traduce peccatum, & licet nullum etiam sub Adamum homo procreatus esset, ex vi illius primariæ intentionis propter vnum, ac solum Adamũ non veniret modo, sed etiam eam mortem oppeteret, quam demum perpessus est. Hanc doctrinam libenter admittunt isti Doctores. Vt autem suã positionem, quę speciem duriorem offerre videtur, deliniant, ac mitigent, addunt, dici etiam posse propter omnes omnium culpas, tam originales, quam actuales primaria etiam intentione aduectasse in causa, atque in radice, nam peccatum Adam, reliquorum peccatorum caput, & causa extitit.

Sed tamen, vt ab hoc extremo illorum responso exordium capiam: sane illud eam, quæ in præmissa doctrina sese offert, difficultatem minime diluit. Quia peccatum Adami ita fuit radix omnium peccatorum, vt eo etiam vtcumque per æqualem satisfactionẽ sublato, omnia, quæ ab ipso fluxerunt crimina, integra, & incompensata perseuerent: nõ enim ita peccatum Adami radix, & causa est cæterorum, sicut in arbore radix causa est ramorum, aut sicut fons est causa riuuli: nam in his exsiccata radice tabescunt rami, & exsiccato fonte arescit riuulus. Sed quemadmodum arcus causa est motus sagittæ ad scopum, aut funda iactus lapidis in destinatum locum: nam sagitta excussa, etiamsi arcus statim exarmetur, nihilominus mouetur ad scopum; & lapis proiectus, etiamsi illico funda alligetur, nihilosecius impellitur in locum suum. Idem iudicium ferendum est de peccato Adami, quod ita est causa nostrorum originalium peccatorum, vt ipso etiam vtcumq; per æqualem compensationem deleto, nihilosecius labes ab ipso profecta ad omnem illius posteritatem promanet, ac cum labe reliquæ ipsius ærumnæ. Ergo sublata causa patris, manet integra, & incompensata 2

sata filiorum causa: atque adeò cum dicunt hi Theologi Christum venisse propter peccatum Adami deriuandum in posteros, nisi intelligant ipsum iam actu deriuatum, & transfusum, solius Adami causam agunt. Quæ ratio ad hunc modum vrgeri potest. Quia si quid non priuatum, sed commune omnibus, à Christo Domino in Adamo ipso expiari, & deleri posset, maximè debitum contrahendi culpam: id tamen debitum, vt ipsi etiam huius sententiæ authores seriò affirmant, non erat in Adamo, sed in eius posteris. Imò illud etiam audacter asseuerant, debitũ istud talis naturæ esse, vt nec per infusam gratiã, nec per Christi merita dissolui, & expiari possit: adeò vt illud etiam in beatis perseuerare dicant. Ergo peccato Adami sublato, posteros causa integra manet.

3 Primariam autem intentionem incarnationis in eas angustias conijcere, vt propter vnum Adamum, & non propter alios homines, & propter vnum illius peccatum, & non propter aliorum peccata, vel originalia, vel actualia primario suscepta sit, mihi certe cum scriptura sacra, & cum doctrina Patrum pugnare, & rationi etiam parum cõforme esse videtur. Et vt ab sacris ex ordiar, *Mat. 18* Math. 18. *Venit enim filius hominis saluum facere, quod perierat*, Et *Ioan. 10.* Ioan. 10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant*. & cap. 12. *Non enim veni, vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundũ*. *Ad Tim. 1* Et Paulus ad Timothæũ 1. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus in hunc mundum venit peccatores saluos facere*. Et passim alia: quibus adnectere libet illa verba Nizenæ Synodi. *Synodus Nizen.* *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis*. Ex quibus locis satis liquet scripturam sacram, cum causam assignat aduentus Christi, non vnum aliquem hominem, sed omnium hominum, ac mundi vniuersi salutem causæ loco ponere. Et quidem licet plura alia adducere possem loca, quæ passim, ac mortuum pro omnibus Christum affirmant, ea libentius vsurpaui, quæ aduentum Christi, & causam illius continent, quia hęc (mea quidem sententia) ad probandam thesim aptiora sunt. Nam pono, verbi causa, medicum peritum ad aliquem Principem curandum è curia Complutum accersitum venisse. Addo etiam hunc, postquam illuc concessit, non modo Principem, sed plures alios grauiter ægrotãtes inuenisse, & inde ad eos etiam curãdos accingi. Certe medicus iste ex sola intentione illius Principis sanandi venisse, atque iter illud succepisse dicendus est: nã cum aliorum morbos minime præuiderit, aut didicerit, nõ potuit vtiq; ab his ad veniendum impelli. Haud dissimili ratione de Christo Domino cogitandum est, qui si ita propter vnum Adamũ venisset, vt tunc aliorum peccata nec præuiderit, nec cogitauerit, etiamsi postea alijs etiam hoc aduentu subuenire decerneret, tamen neutiquam dici posset propter ipsos venisse.

Quod si prædicti Theologi contendant, hæc loca de illa intentione consequenti, & secundaria exponi posse: ita mihi tunc 4
perurgendi videntur. Quænam, rogo, loca Christum Adamo peccante minime venturum ipsis suadeant? Certe hęc ipsissima, & non alia: si ergo hæc valida sunt ad probandum Christi aduentum post vnius hominis peccatum præuisum decretum fuisse, cur non eadem probabunt post cunctorum etiam hominum, ac totius mundi peccata præuisa eundem aduentum fuisse susceptum, cum plane affirment Christum Dominum propter omnium salutem venisse? Quod si ex ea parte, quatenus omnes homines, & mundũ vniuersum comprehendunt, de secundaria, & consequente intentione explicari possunt, cur non etiam eodem modo exponi poterunt ea ex parte, qua Adamum vnum ex omnibus in se includunt? Ita scilicet, vt significent similem ad modum Christi aduentum decretum, & definitum fuisse: primario autem, & antecedenter propter ipsius Dei gloriam, vel aliam quamlibet rationem. Quapropter mihi persuasum est, aut vtrumque, aut neutrum his testimonijs valide confirmari.

Ad hæc, inter Patres omnes, qui aduentum Christi ita ad salutem hominum impensum dicant, vt si hæc deesset, ipsum ne- 5
quaquam venturum asserant, nullus est, qui propter Adamum solum, aut propter vnum illius peccatum tantum bonum definitum esse dixerit. Quorum aliqua testimonia libet expendere. Prosper Aquit. Augustini discipulus ad capitula obiectionũ Vincẽtianarũ, *Prosper. Aquita.* cum ita quidem obiectum esset, quod Christus Dominus non pro omnium hominũ salute, & redemptione sit passus, sic occurrit. *Cõtra vulnus originalis peccati, quod in Adam omnium hominum corrupta, & mortificata natura est, & vnde omnium concupiscentiarum morbus inoleuit, verum, & potens, ac singulare remedium est mors filij Dei, qui liber à mortis debito, & solus absque peccato pro peccatoribus, & debitoribus mortuus est.* Quibus verbis incarnationem Christi propter peccatum originale non vnius tantum Adami, (id enim in ipso actuale potius, quam originale dici debuit) sed singulorum susceptã esse dicit: & statim attexit. *Cum itaque propter vnam omnium naturam, & vnam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam recte omnes dicantur redempti.* Ad hæc Diuus Anselmus, lib. de Concep. Virgi. & de peccato *Anselm.* originali, cap. 27. cum statuisset posse Deum hoc facere, vt sublatis his, quos prius Adamo decreuerat filios, & quos in pactum transfusionis incluserat, alios illi filios ex possibilibus decerneret, qui pactum nequaquã essent ingressi, atque adeò ex illo iustam, & san-

ctam prolem in lucem edere: statim dubiolum quoddam excitat ad hunc modum. Cur non ita factum, vt causa sublata, incarnatio etiam Christi de medio tolleretur? Certe cũ posset sic occurrere, incarnationem propter vnum Adamum, quatenus peccatum illius in posteros deriuandum impendebat, ab initio fuisse decretam, atque adeò non deficere causam primariam incarnationis, quanuis posteri aliàs ex illo procreandi de medio tol-

Anselm. lerentur: aliam obtulit rationem his verbis. *Ideirco etiam non fecit homines, qui essent ab initio boni, nisi nullus de propagatione naturali saluaretur, frustrà naturã illam in Adam condidisse, & quasi quod nõ bene fecisset, aut quod eam iam læsam curare non potuisset, correxisse videretur.* Partim verba, partim sententiam suffeci studiosus cõpendij: ex quibus liquet, Anselmum in ea mente fuisse, vt crederet nõ propter vnius Adami delictum, sed propter culpas etiam sobolis fuisse Christum prædestinatum.

6 Fulgentius & ipse etiam Augustini discipulus in libro de Incarnatione, & gratia Domini nostri Iesu Christi, cap. 3. redemptionis præcipuam causam obseruans sic habet.

Fulgent. *Nam quia omnes homines ex coitu maris, fœminaque nascentes ipsius Conceptionis exordium originalis peccati habent contagione respersum: quia peccatum, quod primus homo diabolica malignitate seductus admisit, in posteros etiam cum pœna, & cum morte transiuit: necessarium vtique admodum fuit, vt misericors Dominus, & iustus, &c.* Subinde autem Incarnationẽ Christi attexit: ex quo aperte colligitur peccatum Adami non vtique deriuandum, vt ipsi aiunt, sed iam iam deriuatum, & propagatum in præscientia Dei Incarnationis decretum anteuertisse. Succedat Diuus Athanas. qui de causa finali incarnationis sic scrit.

Athanas. *Cum tamen homo efficitur, tunc causa subsistitur, cur eum oporteat carnem gestare. Necessitas itaque, indigentiaque hominum anterior est, qua sublata carnem non induisset. Quæ autem fuerit ea necessitas, quæ causam attulit, vt homo efficeretur, ipse Dominus istis verbis palam fecit: Descendi è cœlo, non vt faciam voluntatem meã, sed eius, qui misit me: voluntas porro eius, qui misit me, ista est, vt omne, quod dedit mibi, non perdam ex eo quidquam, &c.* Quæ verba valde obseruanda sunt: ait enim sublata causa Incarnationem Christi tollendam: causam autem hanc, qua ablata, Incarnatio non foret, non vnius hominis, scilicet Adami, sed cunctorũ necessitatem esse dicit. Idem etiam Athan. in eodem serm. non longe ab initio, cum causam integram Incarnationis ad redemptionem hominum retulisset, sic in vniuersum prefatus est. *Non igitur propter se ipsum, sed propter nostram salutem, & ob demolitionem mortis, & condemnationem peccati, & vt cæci visum reciperent, & omnes è mortuis excitarẽtur, aduenit.* Et iterum de Incarnatione verbi Dei. *Cum videret rationale genus perire, & mortem vi, efficaciaq; corruptionis tyrannice dominantem, minasque pœnarum, quibus præuaricatio denunciata fuit, hanc corruptionem potenter stabilire, simulque conspiciens absurdum esse legem, antequam compleretur, abrogari, & sua, quæ ipse architectatus est, aboleri, hominumque immensa scelera contra ipsos in immensum crescere, ac pariter omnes homines morti obnoxios detineri, misertus generis nostri, indolensq; nostram imbecillitatem, demisit se ad nostram corruptionem.* Et post pauca, non longo interstitio sic assuit. *Quandoquidem ita hominibus aduersus homines vires suas colligerat mors, ideo rursus per hominis naturam a verbo Dei susceptam mortis dissolutio facta est, & vitæ resurrectio, dicẽte Apostolo. Et quemadmodum in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, & cætera quæ sequuntur. Hæc igitur prima dominica incarnationis causa.* Hactenus Athanasius: qui cum asseurat primam Incarnationis causam fuisse omnibus hominibus communem, frustra alij cõtenderint priuatam efficere vni Adamo, atq; illius delicto primam causam adscribere, & prima causa aliam priorem excogitare, dum alijs secundariam tantum rationem, & posteriorem relinquunt.

7 Adhæc, Diuus Gregorius Magnus in cap. 1. lib. 1. Regum, lib. 4. cap. 8. *Et quidem (inquit) nisi Adam peccaret, redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret, nõ enim venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam: si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent eũ venire, nõ oporteret.* Itaq; non vnum aliquẽ hominẽ, neque vnius peccata, sed peccatores, & peccata Incarnation. Christi causam dedisse ita existimat, vt his sublatis, ipsa etiã cessaret. Accedit etiam Cyrillus Alexandri. dialog. 5. de Trinitate, vbi sic habet. *Etiam non curans etiam si nunc minus decorum videatur, quandoquidem necessarium hominum lapsibus, & nostris peccatis erat, vt vnigenitum pati: sciat autem quod humanitatis crimina illi diuinæ gloriæ occasio fuerit: nam si non peccassemus, neque factus fuisset nobis similis, neque sustinuisset, &c.* Deniq; Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis, & remission. cap. 26. *Commodius (inquit) arbitror acerbatim congerere quæ occurrere potuerint, vel quæ sufficere videbuntur, quibus appareat, Dominum nostrũ Iesum Christum non aliam ob causam in carne venisse, & forma serui accepta, factum fuisse obedientem vsq; ad mortem crucis, nisi vt hac dispensatione misericordissimæ gratiæ, omnes, quibus tanquam mẽbris in suo capite constitutis caput est, ad capessendum regnum cælorum viuificaret, saluos faceret, liberaret, redimeret.* Ecce qua ratione Augustinus non vnum aliquem, sed omnes homines Incarnationi causam dedisse affirmat.

Mitto alia Patrum testimonia vndequaque obuia, quibus id ipsum constabilire liceret. Nunc vero eos, qui Christum propter vnum

Ada-

Marginal notes: Anselm. | 6 | Fulgent. | Athanas. | 7 | D. Greg. Mag. | Cyrillus. | August.

8 Adamum, & propter illius culpam vt posteris impendentem primaria intentione, ita venisse pronunciant, vt licet alia peccata, etiam originalia deessent, nihilosecius ad nos descenderet, ad hunc modum perurgeo. Profecto authores illi his locis à me supra adscriptis, atque alijs eiusmodi tantum tribuunt, vt putent ex illis satis euinci, Christũ Adamo non peccante non venturum, non quidem alio ex capite, nisi quia peccati redẽptionem causam finalẽ Incarnationis fuisse affirmant. Ergo cum eodem tenore non tantum vnum Adami peccatum, nec vnum tantum peccatorem, sed hominum peccata in vniuersum, atque omnes peccatores Incarnationi occasionem exhibuisse dicant, quid causæ subesse potest, quod Adamum, eiusq; peccatum primam, præcipuam, & integram Incarnationis occasionem fuisse dicãt, aliorum vero peccata secundariam, & consequẽtem, quibus sublatis nihilosecius extitcret?

9 Fateor quidem ex his Patribus nonnullos esse, qui etiam actualia peccata in finem Incarnationis primarium videantur includere. Ego vero de his actualibus peccatis nihil statuo, id enim maioris, ac difficilioris est negotij, tantum id affirmare ausim, doctrinam sacræ Scripturæ, ac Patribus satis conformem videri, Christi incarnationem non modò post præcognitum Adamum, eiusque peccatum ea ratione deriuandum in posteros, sed etiã post præuisam eiusdem peccati propagationem prædestinatam, & decretam fuisse, ita vt peccata originalia omnium, ac singulorum in primariam ocasionem incarnationis referenda, computanda, & censenda sint. Nam saltem præmissa scripturæ, ac Patrum loca id conficere videntur, scilicet causam primariam incarnationis non fuisse priuatam, sed vniuersalem, & ad omnes latissimè patentem; si autem vt minimum peccata singulorum originalia in primariam incarnationis occasionem ad eum modum nõ reponantur, certè occasio hæc adeò coarctatur, vt ex vniuersali efficiatur priuata. Dixi autem ex præmissis Patrum, atq; scripturæ locis vt minimum id confici. Quia id, quod asserunt, Christum Dominum non pro vno, sed pro omnibus hominibus, & pro vniuerso mundo, nec pro peccato tantum, sed pro peccatis, ac peccatoribus carnem sumpsisse ea lege, vt si alias hæc deessent, eam minime sumeret, & alia eiusmodi satis bene constabant, si concedamus pro originalibus omnium culpis primaria intentione venisse. Quod si ex Patribus aliqui innuere etiã videntur, peccatorum actualium redemptionem in primariam illam intentionem etiam referri, hi certe sic explicari possunt, vt senserint pro his etiam primaria intentione venisse in radice, & causa. Nam peccatum originale, quod in vnumquemque ex Adamo traductum est, reliquorum peccatorum actualium, quæ succedente tempore à singulis admittũtur, radix, & origo est. Id enim nominis illi dedit Diuus Augustinus de ciuitate, lib. 22. cap. 22. Adde D. Gregorium Magnũ in Moral. qui originalem culpam *matrem omnium peccatorum actualium*, eodem sensu nuncupauit: vterque autem de peccatis originalibus, prout in singulis contractis plane loquitur citatis locis: vt enim nos alibi vberius dicemus, peccata actualia, quæ singuli postea admittimus, nõ sunt proxime effectus culpæ ab Adamo perpetratæ, sed eius, quæ in nos per originem propagatur. Hæc enim est regula ab August. præscripta, lib. 5. contra Iulian. *Propterea* (inquit) *nullus est hominum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est, hominum præter Christum, qui peccatũ non habuerit infantilis ætatis exorsu.* Vbi cõsequenter docet eum, qui peccato originali vacauerit, eo tantum nomine nullius actualis reum futurum.

August. *Gregor. Mag.*

Præterea hanc fuisse Angelici Doctoris mentem mihi compertum est: nam 3. par. q. 1. artic. 1. concludit tandem Christum Dominum principalius venisse propter peccatum originale, quam propter actualia. Et licet quispiam (nec iniuria) dicere possit Diuum Thomam in ea fuisse sententia, vt putaret etiam actualia hominum peccata in primariam incarnationis intentionem ingressa, ait enim in corpore articuli. *Respondeo dicendum, quod certum est Christum venisse in hunc mundum, nõ solum ad delendum illud peccatum, quod traductum est originaliter in posteros, sed etiã ad deletionem omniũ peccatorũ, quæ postmodum superaddita sunt, &c.* Et cum postea rationem subijciat, qua inductus sentit Christum propter peccatum originale principalius venisse, non vtiq; illam ex eo petit, quod etiãsi actualia nulla essent, nihilosecius propter originalia ad nos descendisset: si autem ita sentiret, nullam posset magis aptam accommodare rationem: sed sic addit. *Tanto autem principalius ad alicuius deletionẽ Christus venit, quanto illud peccatum maius est.* Ratio autem, qua demum probat, peccatũ originis cæteris malitia præstare, & in sua se conclusione offirmat, sic habet. *Et quantum ad hoc Christus principalius venit ad tollendum originale peccatum, in quantum bonum gentis diuinius, atque eminentius est, quam bonum priuatum.* Quamuis, inquam, alijs videri posset, eum peccata etiam actualia in primariam incarnationis occasionem retulisse: illud tamen certo certius est, ipsum ita sensisse, non tantum pecatum Adami, vt deriuãdum, sed etiã peccata originalia singulorum iam deriuata ad eam occasionem primariã pertinuisse. Initio enim suæ conclusionis sic habet. *Certum est Christum venisse in hunc mundum, nõ solum ad delendum illud peccatum, quod traductum est originaliter in posteros.* Vbi non

10 *S. Thom.*

tradu-

traducendum, sed traductum dixit, & infra bonum, quod per incarnationem quæsitum est, nō vnius esse dicit, sed totius gentis, idest, non priuatum, sed vniuersale. Nequis autem obijceret peccatum vnius Adami dici posse peccatum gentis, in solutio. 3. sic demum adiunxit: *Et ideo nō excluditur, quod principalius venerit abolere peccatum totius naturæ, quàm peccatū vnius personæ: sed illud peccatū naturæ ita perfectè curatū est in vnoquoq; ac si in vno solo esset curatum, & ideo propter vnionem charitatis totum, quod omnibus est impensum, vnusquisque sibi debet adscribere.* Ex quibus verbis constat, Christum non modo principalius venisse propter peccatum Adami, quatenus hoc aliqua ratione naturæ, aut originis peccatum dici potest, sed propter originale in vnoquoq; cōtractū. Et quidē hanc sententiā D. Tho. vniuersa illius amplectitur schola.

11 Nec vero mihi quisquam suadeat sanctissimum illum præceptorem alia inductum ratione ad existimandum Virginem originali labe respersam fuisse, nisi ea, quæ ex dictis facili consequutione infertur, ad hunc modum. Christus post præuisum originale peccatum non quidem deriuandum, aut traducendum, sed prorsus deriuatum, atque traductum in totam Adæ posteritatem decretus, & prædestinatus est: si ergo Mariam ab hac communi aliorum lege, ne dicam fato malo, excipiamus, fateri etiam oportebit eam à Christo neque redemptam, neque assertā fuisse. Cuius cōsecutionis tanta vis est, vt in ea dissoluēda hactenus ab omnibus Mariæ amatoribus plurimū desudatum fuerit. Et quidem hoc sibi voluit sanctus Doctor in eadem 3. part. quæst. 27. art. 2. cum suæ conclusionis rationem offert. *Et sic quocumque modo ante animationē Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis peccati, & ita non indiguisset redemptione, & salute, quæ est per Christum, de quo dicitur Math. 1. Ipse saluū faciet populum suum à peccatis eorum.* Cuius rationis tota vis in superiori consecutione sita est, quam ex prædestinatione Christi post præuisionem peccati originalis in omnibus Adæ minoribus propagati, & transfusi hactenus deprompsimus. Quasi dicat, *non indiguisset redemptore,* quia per gratiam ante redemptoris præscientiam, ex liberalitate Dei præuenta, quod ad deletionem peccati originalis attinet, nō eguisset redemptore Christo, qui subinde post peccatum in posteris Adami propagatum prædestinatus est. Quis enim hoc sapientissimo illi Doctori adscribat, vt tā futili ratione inductus adeò seueram in Virginē censuram protulerit, nisi putaret illam in validissimo illo principio offirmari, quod ex prædestinatione Christi post præscientiam peccati originalis desumitur?

Ego quidem in his nihil certi statuo, maneat sua cuilibet, si ita libuerit, incōcussa doctrina: tantum id ex dictis mihi sumo, nemini ambiguum esse posse, opinionem eorū, qui ad tuendam immaculatam Virginis cōceptionem Christi prædestinationem, peccato Adami pendente, submittunt, non leuibus rationibus labefactari, vt ex dicendis etiam sequenti capite liquescet.

EX PACTO TRANSfusionis, & prima illius cōstitutione non leue contra superiorem sententiā argumentum ducitur.

§. II.

12. *Sub quibus conditionibus celebratum pactū de transfusione gratiæ credant, qui Christi prædestinationem ante præuisum originale peccatum ab omnibus contractum constituunt.*
13. *Similem pacti constitutionem inuenere recentiores, non ratione ducti, sed difficultate oppressi.*
14. *Easdē circa transfusionem gratiæ, & delicti conditiones appositas probatur ex illo Genes. 2.* In quacumque die, &c.
15. *Suadetur alijs scripturæ testimonijs.*
16. *Conuincitur ratione.*
17. *De pacto transfusionis ita sentire oportet, ne causa Virginis anceps maneat.*
18. *Nostra de constitutione pacti sententia.*

ILLVD Etiam in superiori sententia difficultate non vacat, quod secundum ipsius doctrinam non satis apte pacti illius olim cum Adamo initi constitutio concepta declaratur. Ne- 12
que vero est animus probare ad transfundendam vel gratiam, vel culpam pacto opus fuisse, id enim mihi facile sumo ex communi Theologorum sententia. Adeundus idem P. Vazquez in 1. 2. disp. 132. & disp. 133. vbi candidissime hoc disceptat, & robustissime confirmat. Ad alia contendo. Authores superioris sententiæ, quæ asserit Christum Dominum peccato Adami in posteros pendente fuisse prædestinatum, & in eo signo ex meritis Christi præuisis Virginem ad gratiam originalem electam, fateri coguntur pactum illud transfusionis his conditionibus cum Adamo initum fuisse, quæ sequentibus verbis explicari possunt. *Gratia originalis, ò hominum Princeps, & caput, ea lege tibi donatur, vt si præceptum tibi insinuatum minime violaueris, eam vtique re ipsa in posteros tuos quasi* Vazq.

iure hæreditario transmittas, quod si aliter feceris, non modo tu culpa tua reus eris, sed omnes etiam minores tui eidem culpæ obnoxij subiacebunt. Et quidem priorem huius pacti conditionem sic esse conformandam, vt incluserit decretum Dei conditionale efficax gratiæ in posteros Adami transfundendæ, minime inficiari licet. Quia vt priuatio gratię, quæ transgressionem insecuta est, peccati nomen sortiatur, ex communi Theologorum sententia debet esse priuatio, aut nuditas gratiæ debitæ: quod si prædictũ Dei decretum efficax sub præscripta conditione gratiæ re ipsa nulla exceptione donandæ nõ præcessisset, nullo ex capite gratia illa originis Adami posteris esset debita, vt per se patet: atque adeo nec carentia illius gratiæ debitæ priuatio appellari posset, vt late probauimus, supra cap. 1. Posteriorem vero eius pacti conditionem eo etiã modo, iuxta præfatam sententiam constituendam esse, quo supra præscripta est, facile etiam probatur. Quia si pactum absolute sic ferretur, vt Adamo delinquente, peccatum etiam quemadmodum gratia nulla exceptione re ipsa propagaretur in posteros, & similem ad modum decretum efficax sub prædicta conditione includeret permittendi peccatum, non posset vtique, posita illa cõditione, peccatũ euitari, nec aliquis à peccato excipi, quãdoquidem decretum Dei efficax violari nefas est. Atque adeò fateri oportet pactum illud ea conditione sancitum, vt delinquente Adamo, posteritas eius morti, atque culpæ tantummodo maneret obnoxia, ita vt liberam facultatem, eum quẽ vellet, ab hac communi lege excipiendi, sibi seruaret Deus.

13 Hæc igitur pacti constitutio non parum mihi difficilis semper visa est, atq; adeò eam ratione, & scripturæ testimonijs subuertere aggrediar. Primò igitur, vt à ratione exordiar, ipsamet ratio postulare videbatur, vt in propositione illa cõditionum Adamo facta præmium, ac pœna sibi responderent, & eisdem legibus subiacerent, ita vt quemadmodum ex illo pacto voluntas illius obstricta erat ad gratiam Adæ minoribus conferendã ipso perseuerante, simili lege, eodem delinquente, ad eandem gratiam auferendam alligata esset. Dei voluntatem decreto suo libero hunc ad modum adalligari, & obstringi nullum est inconueniens. Præsertim quia ne id asserant contrariæ sententiæ authores, non alia ratione inducuntur, nisi vt Virginẽ depulso peccato, ab initio gratia donari potuisse affirment. Atq; adeò id ex quadã necessitate inuentũ, nedicam coactum videtur.

14 Ad hæc, posteriorem illam pacti partem absolutam fuisse de transfundendo, & propagando reipsa peccato ex Scriptura sacra probare aggrediar. Nam primum quidem pactũ Genes. 2. istud à Patribus, atque Theologis colligitur ex illis verbis Genes. 2. *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Quem locum lxx. sic extulerunt. *In quocumque enim die comederitis ex eo, morte moriemini.* Quam trãslationem amplexi sunt Ambros. August. Basilius, Chrisostomus, Athanasius: omnes autem inquirunt, quî factum fuerit, vt cum necdum Eua ex Adami costa producta fuerit, atque adeò solus Adamus tunc subsisteret, Deus nihilominus multitudinis numerum vsurpauerit. *In quacumque die comederitis, &c.* Occurrunt Ambrosius, & Augustinus, ea ratione præmonitum Adamum propter Euam, quæ paulò post in lucem educenda erat, vt eandem legem Euæ Adamus intimaret: sed vide, an dissonum rationi videatur ad Euam hæc verba pertinere. Ne si præmissa verba in illam etiam dictata esse affirmemus, fateri opus sit, pactum transfusionis non modo cum Adamo, sed etiam cum Eua celebratum: quod communi Theologorum doctrinæ aduersatur. Quapropter satius videtur dicere, non ad solum Adamum, sed ad omnes illius posteros hæc verba spectare, & ideo per numerum multitudinis expressa fuisse, ita vt sensus sit. *In quocunque die comederitis,* nimirum tu, & posteri tui in te, quibus hæc tua transgressio nocebit (nam sicut in Adamo peccasse, & emortua fuisse posteritas eius rectè dicitur: ita etiam in eodẽ fructum vetitum gustasse nec iniuria dici potest, eo sensu, quem supra tradidimus, cap. 1.) subdit *morte moriemini*, tu scilicet prius, & per te alij. August. Et quidem Augustinus de ciuitate lib. 13. c. 12. extrema isthæc verba sic explicat, vt de vtraque morte animi, & corporis accipi debeant, cuius expositionem reliqui interpretes huius loci ad vnum probant. Itaque sensus est. *In quacumque die comederitis, morte moriemini.* Idest, mortem corporeã, quæ ex separatione animę, & corporis accidit, & spiritualem, quæ ex amissione gratiæ contingit, non tibi solum, sed & posteris tuis accerses. Ex quo tale argumentum conficio. Hæc verba, quatenus ad corpoream mortem referuntur, pactum quoddam adsignificant, quod in se decretum efficax sub cõditione facile claudit, vt omnes, peccante Adamo, nulla exceptione mortem corporeã oppetant: ergo eadem verba, quatenus ad spiritualem mortem significandam accõmodantur, eundem sensum reddunt, vt nimirum etiam omnes Adæ posteri, nulla exceptione, peccatum incurrant: nam absurdum videtur illo verbo *moriemini* diuersam vtriusque pœnæ conditionem notari, vt nimirum mortem corpoream de facto incurrant, spirituale autem peccati lethum non ita, sed ei tantummodo ex debito subiaceant.

Possumus etiã ex alijs scripturę locis haud inefficax argumentum deducere. Paul. vtiq; 15 Ad Ro. 5. ad Rom. 5. *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundũ intrauit, & per peccatum mors:*

ita

ita & in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Obserua hæc verba, nam comparationem, & collationem duarum rerum imprimis continent: extrema autem huius collationis alia esse non possunt, nisi Adamus, ac posteri, atque adeò sensus est. Sicut per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, & eo peccato homo sibi mortē accersiuit, ita etiam eodem ordine ex illo ad posteros peccatum originale primùm deriuatum fuit, & huic peccato successit mors. Obserua autem illud verbum, *pertransijt*, quod significat Adami peccatum nullo tempore ante Christum quasi pendens, & imminens fuisse, sed ab initio ab ipso ad posteros pertransijsse, *in quo omnes peccauerunt*: nam subinde ait. *Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysem, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri: sed non sicut delictum, ita & donum: nam si vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit*. Hæc Paulus, qui planè omnes ante Christi donum, & gratiam non morti obnoxios, sed omninò demortuos præmittit. Et quidem non est animus ex hoc loco, vt alij assolent, depromere, omnem Adæ posteritatem per culpam interijsse, quia propositiones continet vniuersales; id enim leuissimum est, cū constet alias non paucas vniuersales propositiones in scriptura exceptionem admittere. Sed id volo primùm his verbis satis innui pactum ea conditione cum Adamo celebratum, vt mors, & culpa non tam pependerit, quàm pertransierit: deinde etiam ex iisdem verbis id confici contendo, quod ante donū, & gratiam Christi, homines non morti subiecti, aut debitores, sed enecti prorsus, ac mortui ab Apostolo supponantur. Atque id sibi voluit idem Paulus 2. ad Corinth. 5. cum addidit. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*. Quæ consecutio quædam est à posteriori, vt verba sonant. Quasi dicat, si vnus mortuus est pro omnibus, vt scilicet omnibus vitā impenderet, omnes ergo mortui supponuntur, nam vita non nisi mortuis inspirari potest. Eodem etiā sensu ad Rom. 5. Paulus ait. *Quia cum peccatores essemus, Christus pro omnibus mortuus est*. Hùc spectant etiam illa eiusdem verba ad Ephes. 2. *Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri*. D. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 20. & sermo. 14. de verbis Apostoli. *Natura* (inquit) *idest origine, subnectit Paulus id quod consequenter factum*. Quasi dicat, illud prius hoc posterius. *Deus autem, qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos* (hæc verba satis innuunt Paulum de prædestinatione agere) nimirum, *qua dilexit nos* ab æterno, *& cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati &c.* Vide quàm apertè gratiam Christi post mortem nostram induxerit Paulus: vbi illud minime prætereundum, quod ait, *cum essemus mortui peccatis*, vt nemo possset suspicari, vnum tantum, vniusque hominis peccatum ante gratiam Christi præmissum fuisse.

2. ad Cor. 5. — Ad Ro. 5. — Ad Ephes. 2. — D. Aug.

Ad extremum validissimam quandam rationem, qua sæpe alias oppositæ sententiæ authores vti solent, vt ordines decretorum Dei à se excogitatos constabiliant, ad præmissum ordinem comprobandum assumere libet. Nemo vtique inficiari poterit potuisse Deum ita res ordinare, vt non tantum post præuisum vnius Adami peccatum, vt posteris deriuandum, sed etiam post illud deriuatum prorsus, & ad posteros traductum, Christi aduentus definiretur. Ponamus ergo ita de facto decreuisse. Certe nihil vel in rebus ipsis vel in scriptura sācta occurrit, quod aliter factum suadeat: imo res ipsæ, & plura eiusdem scripturæ testimonia ita prorsus patratum fuisse ostendunt, vt ex dictis constat. Ergo vt aliter à Deo præfinitum, & decretum esse dicamus, oporteret sane res commutari, & euariari: impossibile enim est inuariatis rebus decreta Dei non esse immobilia, & constantia: nam cum hæc decreta supra nudam Dei essentiam, ordinem ad res ipsas externas addant, vel certe illas connotent, non possunt mutari, aut inuerti, nisi aliqua rerum ipsarum conuersio fiat. 16

Atqui dicunt res ipsas cum præscripto decretorum ordine de cætero satis apte concinere: quia tamen decretis Dei alia quapiam ratione dispositis, Virgo Deipara non poterit à peccato originali excipi, ea propter ordo ille excogitatus est. Et quidem negare nullo modo possunt præfatum ordinē decretorum ob eam tantummodo rationem inuentum: si enim aliter Virginis immunitas à culpa defendi posset, bene satis, imo longe melius, & cum modo loquendi sacræ scripturæ congruentius supradictus decretorum ordo, vel ipsis annuentibus constituendus foret. Id igitur egomet mihi sumo, atque illud in primis ex dictis colligo, quod cum per sanctissimum Concilij Tridentini oraculum integrū cuique sit de Virginis Conceptione aliter, atque aliter sentire, siquidem solus iste modus suppeteret eam à culpa originis vendicādi, fateri opus esset rem quodammodo ancipitem esse, & ex vtraque parte æquo marte pugnari, quādoquidem decretis hoc, vel illo modo dispositis, de Virginis conceptione hoc, vel illo modo statuere æquum esset. Imò potiùs hi, qui eam originali labe commaculatam aiunt, id iactare possent, se cum sacra scriptura, & cum Patrum doctrina cōcinnmora dicere, quandoquidem sublata necessitate Virginem excipiendi, is decretorum ordo, qui ab ipsis offertur, alteri facile præferretur. Quapropter, vt à nobis victoria sit, & aduersarios serio triumphare possimus, alius 17

certe

certe modus disquirendus est, quo decretis Dei, vtcunque subordinatis, & dispositis, pronum, ac facile sit, Virginis immunitatem & puritatem defendere, ita vt iam deinceps nullum, vel Patrum, vel sacræ scripturæ testimonium contra nos, & contra istam certissimam veritatem depromi possit: quinimo pluribus ipsam, tam Patrum, quam scripturæ testimonijs propugnare, & contrariam expugnare possimus.

18 Igitur, vt dicam etiam, quod sentio, dummodo ratum sit Christum Dominum post præuisum Adæ peccatum ad ipsum delendũ, & euertendum prædestinatum fuisse (id enim mihi certo certius est) de cætero nihil curo, an hoc, vel illo modo decretorum Dei signa, & pacti cum Adamo initi conditiones, ac leges componantur: id enim ad defensandam immaculatam Virginis conceptionem minime necessarium reor. Sed si licet cuique animi sui sensa expromere: meus, animusque meus, quod ad præfatum decretorum ordinem attinet, in doctrinam sancti Thomæ omnino pẽdet, atque adeò (absit verbo inuidia) libentius dico Christum post præuisum iam Adæ peccatum in posteros deriuatum, & traductum, totamque massam ex vno infectam prædestinatum fuisse, ob rationes supra confectas. Atque adeò consequenter assero in pacto cum Adamo inito æquales fuisse præmij, atque pœnæ conditiones: ita vt quemadmodum præcepto Dei ad nutum obsequente Adamo, gratia reipsa, & nulla exceptione ex constitutione, ac promissione Dei in posteros quasi iure hæreditario transfunderetur: ita etiam eo delinquente, culpa ex eadẽ cõstitutione, & promissione Dei prorsus trãsfusa fuerit: atque adeò fieri non potuisse, vt ex his, qui pactum illud commune ingressi sunt, aliquis ab ea, vt primò incurrenda vendicaretur.

EXTREMA SENTENTIA, PER quam Virgini Deiparæ in prædestinatione Dei post præuisionem peccati aptus locus decernitur, eiusque immunitas à peccato originali, & à debito illius solidius comprobatur.

 CAP. XVII. 



HACTENVS Plures sẽtentias enumeraui, ac recensui, quibus Theologi alij aliter iuxta sua principia Virginis Deiparæ immunitatem, vel à culpa originali tãtum, vel a culpa simul, & debito illius contrahendæ, pro suo quique studio acerrimè defendunt. Atq; singularum fundamenta ita subieci, ac roboraui, vt grauiores etiam difficultates, quę cõtra illas conformari possunt, ad cuiuscunque sententiæ calcem subscripserim. Et sane plane scio illas a me hactenus tantummodo impugnatas non expugnatas, ac dirutas fuisse. Atque adeò non est animus, Doctores præallegatos, atque eorum assectatores, à suis opinionibus dimouere: sed consilium meum est aliam reliquis attexere, quæ mihi ad vtramque immunitatem tuendam solidior, & Virgini etiam honestior, ac splendidior visa est. Quam quidem in hoc capite, & sequentibus, quod attinet ad principia, & rationes Theologicas, breuius perstringam. Eruditionem vero scripturæ, & Patrum, quam ad eam comprobandam colligere potui, vberius simul, ac fusius, rescribam, accuratam magis disputationem in cap. 24. de industria differens, in quo, ne scholasticis Theologis aliqua ex parte desim, singulas eius conclusionis rationes, & momenta scholastico more pertractabo.

NOTATIONES ALIquot pro sequenti sententia.

§. II.

2. *Quotquot originali peccato obnoxij sunt, pactũ cum Adamo initum necessario fuerunt ingressi.*
3. *Pactum istud neq; confusè pro omnibus, neq; pro possibilibus aliquo modo, sed pro solis futuris, distinctè pro singulis celebratum est.*
4. *Qui in eo signo, quando pactum iniebatur, futurus non esset, neque pactum ingredi, neq; peccato obnoxius esse posset.*
5. *Quomodo in pactum ingrediantur, & pactũ contrahant hi, quos Christi meritis donatos obtinent parentes.*
6. *Quidam prædictorum existentiam post Christi merita decretam docent, sed parum consectariè.*
7. *Confutantur ex Augustino.*
8. *Si tales darentur homines, quorum entitas Christi meritis parta esset, in pactum venire non possent.*
9. *Qualiter orationibus, & precibus obtenti dicantur aliqui filij.*
10. *Id probatur ex Anselmo, & Gregor.*
11. *Suadetur exemplo Virginis, quæ maternitatem Christi meruit, non tamen Christum absolutè fore.*



2 VT Ad ea, quæ statim dicturi sumus, aperiatur via, & sententia ista, quã iam iam subijcio, melius teneri possit, vltra ea, quæ in superiori capite diximus circa pactum transfusionis, quod à Deo primũ cũ Adamo initũ est, alia duo prænotare operæ pretium duco. Alterum est omnes illos, qui originalem culpam ex traduce accipiunt, in pactum illud ab initio inclusos: aliter enim non posset parentis peccatum ad ipsos pertransire. Id certe omnibus in confesso est, quia cum pactum sit tota occasio, aut certe conditio sine qua non transfusionis, sublato pacto aufertur etiam effectus illius. Ob hanc vnam causam decernunt Theologi Christum eo tantum nomine (etsi alia deessent) quia nimirum de Virgine procreatus est, à peccato originali liberum fuisse. Quia pactum pro his tantum celebratũm est, qui ex semine virili naturali generandi ratione sati forent.

3 Deinde obseruandum est id, quod supra, c.5. obiter delibaui, scilicet fœdus hoc non fuisse confusum, ita vt Deus illud statuerit in vniuersum pro omnibus, quotquot ex Adamo originem recensuerent, aut etiã pro possibilibus hominibus confuse, & obscure, non inspectis sigillatim his, qui pactum ingrediebãtur, sed expresse, & determinate pro his, quos Deus iam tunc ex Adamo nasci, & fore decreuerat. Hoc sane nullus inficiari possit. Ratio autem petenda est ex superiorbus, vbi latius diximus, Deum nihil circa res humanas in vniuersum decernere posse: quia cum nihil Deus ea ratione in vniuersum, & in communi cognoscat, nihil circa illud statuere valet. Itaque dicendũ est Deum omnibus illis Adæ filijs, quos iam tunc ex illo futuros esse prænouerat, inspectis, pro illis certe pactum instituisse, & non pro alijs. Et quidem illud comprimis exploratum est, in pactum illud homines possibiles non fuisse ingressos: quia superuacaneum omnino esset, imo stultum prorsus, pro his pacisci Deum, ad quos ex pacto nihil vnquam redundare opus erat. Nam ob similem rationem Theologi ad vnum docent Christum Dominum merita sua nequaquam pro hominibus possibilibus obtulisse, sed tantum pro futuris.

Quapropter siquis detur, aut assignetur, qui tunc, cum pactum initum est, minime futurus præuidebatur, necessum erit fateri, hũc in pactum nequaquam ingressum, atque eo solo nomine à culpa originali, & à debito illius satis exceptum. Ratio petitur ex dictis, quia hic, quisquis est, tunc cum pactum initũ est, non erat vtique futurus, sed tantum possibilis, atque adeò cum pactum illud ad possibiles homines nequaquã pertingeret, neq; ad eum etiam peruenire potuit. Quam doctrinam, & rationem delibauimus, cap.1. ex mente grauissimi viri F. Ægidij de Præsentatione, qui eam absolutissime tradit in disputatione de immaculata Virginis Conceptione, q.4. art.3.5.6. & alibi etiam non semel inculcat. Et ex illa vlterius ita colligimus eos, qui Christum post præuisum Adami peccatum prædestinatum esse docent, ea lege, vt Adamo non delinquente non foret, ex hoc solo capite, etiamsi alia deessent, nimirum, etiamsi purus homo esset, nec ex Virgine purissima satus, à peccato originali, & à debito illius immunem futurum fateri debent. Ratio est in promptu, quia pactum illud transfusionis, ratione cuius culpa, & debitum illius contrahitur, non fuit editum ad possibiles homines, sed ad futuros: at Christus Dominus, tunc cũ fœdus illud sancitum est, nõ erat futurus, sed possibilis tantũ: ergo præcise ex eo nomine ab illo liber, & immunis foret. 4

Contra istam doctrinã obijci potest, ex illa fortasse confici nõ paucos à pacto transfusionis, atque adeò ab originali culpa, & debito illius excludi debere. Constat enim aliquos filios parentũ precibus à Deo impetratos, scilicet Isaac, Sãsonem, Ioan. Baptistã, ex veteri, & alios non paucos ex nouo testamẽto, quos necesse est fateri post Christũ præuisum, atq; adeò post pactum id accepisse, vt forent. Nam cum ex meritis ipsius Christi, sine quibus oratio illa ad Deum fundi non potuit, obtenti sint, certe subinde post Christi præsciẽtiã eorũ futuritio decreta est: atq; adeò tũc, cũ fœdus transfusionis cõstitutum fuit, nõ erãt futuri, sed possibiles. Nobis ergo 5

in primis aduersarius est P. Franciscus Suarez 1.p.l.b.3.de prædestinationis effectibus, c.7.vbi non tantum eorum, quorum natiuitatem parētes orationibus deprecati sunt, sed in vniuersum censet donum creationis in omnibus prædestinationis effectum fuisse, non quidem secundum se, sed quatenus primum fundamentū prædestinationis, & electionis iacit. Et licet ab hoc Doctore, de more suo, dissentiat Vazq. atq; adeò tanquam certissimum statuat, donū creationis in vniuersum prædestinationis effectum non esse, tamen quod ad illos attinet, quorum conceptio precibus exorata est, facile manus dat 1.p. disp. 93.c.vlt. Aduocat sibi auxiliarem Suarez D. Thomam in eadem 1.p.q.23. art.8. in argumento, *sed contrà*, cui hoc tribuit, quod senserit, conceptionem Iacob fuisse effectum prædestinationis ipsius, ex eo quia illum ex Rebecca precibus ad Deū fusis suscepit Isaac. Sic enim habes Genes.25. *Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.* Cæterum (præterquam quod ex argumento *sed cōtra*, vix ratio aliqua fortis duci potest) certe sanctus Thomas in eo loco nihil statuit, imo ex his, quæ per totum articulū spargit, oppositum sensisse videtur.

P. Suarez. P. Vazq. S. Thom. Suarez. Gen. 25.

6 Et quidē non satis assequor quonammodo sibi aduersarius non sit P. Suarez qui (vt c.4. vberius probaui) cum Scoto, & vniuersa illius schola serio docet ante pactum cum Adamo initum, ante peccatum eiusdem, & ante passionem Christi præuisam, omnes prædestinatos electos efficaciter ad gloriā, Ergo iā tunc omnes futuri erant (prius est enim esse quam eligi) Ergo Christus nemini passione sua promereri potuit, vt foret. Ergo nullius prædestinati prima cōditio, & creatio potuit esse eff. ctus prædestinationis. Rursus etiam mihi nō paruā admirationē mouit P. Vazq. aliquādo adduci potuisse, vt crederet vel vnū tantum hominē donum creationis per Christum obtinuisse. Mirum enim est quantā hoc cum alijs eius principijs incohærentiam habeat.

P. Suarez. P. Vazq.

7 In primis autē contra vtrumq; producendus est D. Augustinus epist.105. contra Pelagiū, vbi absolute nulla exceptione facta sic addit. *Abijciatur à Christianorū cordibus ista fallacia, nā omnino non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus, vt homines essemus: sed qua iustificati sumus, vt homines nati essemus, ista est enim gratia per Iesum Christum Dominum nostrū. Etenim Christus non pro nullis, vt homines conderentur, sed pro impijs mortuus est, vt iustificarentur.* Ratio autem, qua inductus est Augustinus ad hoc asseuerandū, certe non alia est: nisi quia Christus Dominus ad reparandum, & reficiendū genus humanū venit, qui autē reparat, ac reficit, factū vtiq; supponit, quod reficit. Accedit etiam consensus Patrū Aphricanorū in Palelestino Concilio Epist.90. contra Pelagium, vbi sic decernunt. *Et si enim quadā non improbāda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, quia non præcedentiū aliquorū operū meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est: alia est tamē, qua prædestinati vocamur, iustificamur, & glorificamur.* Ex quibus verbis cōstat Patres illos donū creationis sub prædestinationē minime cadere voluisse. Sibi etiam similis est Augustinus de Natura, & gratia, c.11. vbi cū Pelagij verba protulisset, quib⁹ gratiā ad creationis donū referebat, sic addit. *Non tale aliquid posuit, quale de gratia intelligi volumus, vbi de sanandis, non de instituendis naturis agitur.* Accinit etiam Nazianzenus in orat. de Nati. *Non ea celebramus, quæ creationis, sed quæ recreationis.* Rursus idem Augustinus eandem doctrinā luculentiùs tradit in ser.11. de verbis Apostoli à c.4. Sed quantā vim habeat horū Patrū authoritas, & ratio, quæ abipsis petitur, absolutissime trademus infra, c.24. in compendio nostræ sententiæ, §.3.

D. Augu. Concil. Palest.

Deinde superiorem doctrinam satis labefactat robusta ratio ex pacto transfusionis ducta. Quia si absolute concedamus, paruulos illos, quos parentes precibus à Deo obtinuerunt, hoc accepisse ex meritis Christi, vt forent; fateri vtique cogimur, illos in pactum minime ingressos fuisse. Nam triplicē tantum modum excogitare possumus, quo pactum illud consomari potuerit, vt eiusmodi paruuli in illo includi possent. Primus est generalis, & confusus, ita vt Deus in vniuersum decreuerit omnes Adæ posteros, abstrahens à possibilibus, & futuris, vel gratiam ex illo habere, aut propter ipsum gratiam amittere: sic enim fieret, vt eos etiam, qui tunc tantum possibiles erant, pacti huius latitudo cohiberet. Id vero in doctrina ipsius Gabrielis Vazq. perabsurdum est, qui perquam frequenter docet modum istum decernendi res in vniuersum, & confuse à Deo plurimum abhorrere, ob rationes iam inde supra à me præscriptas, quas in eo cap. 24. §.3. absolutissime tradam. Secundus est generalis quidem, sed determinatus, & discretus: ita quidem vt pactum illud determinate, ac disserte pro omnibus tam possibilibus, quam futuris, quotquot suam originem ab ipso traherent, vel trahere possent, celebratum esset. Cæterum præterquamquod, vt supra dixi, superuacuum, imo stultum esset pro his pacisci, ad quos ex pacto nihil vnquam peruenturum esset, sequeretur inde contra Augustinum, Anselmum, & contra omnes Theologos, Christum Dominum, si purus homo esset, licet ex Virgine natus, pacto nihilominus includendum iri, atque adeò in eo casu peccati debito obnoxium futurum. Quia licet tunc originem suam ab Adamo per naturalem generationē de facto non traheret, eā tamē ab ipso recēsere possibile erat atq; adeò omnibus pacti cōditionibus subia- 8

ceret.

ceret. Tertius modus est partim determinatus, partim cõfusus, ita quidẽ vt Deus sic cum Adamo pacisceretur. In potestate tua erit gratiam seruare, aut perdere, non tibi solum, sed etiam omnibus ex te futuris, quos scilicet iam futuros præuideo. Addo etiã, & omnib⁹ illis, qui qualibet ex occasione, quæ subinde sese offerat, ex te futuri decernẽtur, ac præscientur. Sed tamen tertius iste modus non minus à Deo abhorret, quam superiores duo. Primo quia confusus est: cum enim Deus occasiones ipsas, & eos, qui ex talibus occasionibus futuri sunt, needum in eo signo præuideret, nõ potest aliquid circa ipsos statuere: voluntas enim diuina nihil agere potest circa incognitũ. Tum vel maxime quia illæ omnes occasiones, aut causæ, ex quibus paruuli illi subinde post præuisionem Christi futuri dicũtur, liberæ sunt, scilicet preces, & merita, atque adeò illas Deus non antecedenter, sed consequenter futuras præscit. Sequitur ergo paruulos illos pactum transfusionis nullo modo ingredi potuisse. Alias item difficultates, & absurda, quæ duæ istæ pacti conformandi rationes cohibent, dabo infra, cap. 24. in compendio nostræ sententiæ, §. 5.

9 Quapropter absolute pronunciandum est, primo nullum ex Adami posteris pactum ingressum fuisse, quem iam tunc Deus ex Adamo futurum non præsciret, atque adeò nullius creationem, aut generationem meritis Christi impetratam, sed hanc ex liberalitate & beneficentia Dei præsupponi. Quod si aliqui precibus impetrati dicuntur, non ita quidem cogitandũ est, per eas id à Deo obtentum, vt forent, sed id certe impetratum, vt qui iam ex liberalitate Dei futuri præuidebantur, abhis potius patribus, quam ab alijs procrearentur: exempli causa Iacob ex Dei decreto iam inde futurus præsciebatur, antequam precibus Isaac Rebeccæ sterilitas foecundaretur: per preces autem factum, vt sterilitas Rebeccæ ad fœcunditatem exacueretur, & Iacob, qui aliàs vtcumq; futurus preuidebatur, ex ipsa vtiq; & ex Isaac ex tempore susciperetur, atq; adeò ipsi Iacob ex talibus parentibus multa bona euenirẽt, scilicet recta educatio, primogenia, & his similia.

10 *Anselm.* Hoc sibi voluit Anselmus in libro illo de Cõceptione Virginis, & de peccato origi. c. 16. vbi de Ioãne Baptista, & alijs, quos Deus parentũ orationib⁹ cõdonauit, sic scribit. *Nil ergo in Ioanne, & similibus est aliquid nouum naturæ Adæ, sicut est in filio Virginis datum, sed quod suis causis infirmatum fuerat, cognoscitur esse precibus reparatum.* Et ad hunc etiam sensum alliciendus est Diuus Thomas supra citatus, si tamen aliquod ex verbis illius argumentum duci potest. Et Diuus Gregorius Magnus Dialogorum, lib. 1. c. 10. sub finem, vbi cum præmisisset verba illa. *Benedicam tibi & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, &c.* ita subinfert. *Ex qua re aperte constat, quia omnipotens Deus semen Abrahæ multiplicare per Isaac prædestinauerat, & tamen scriptum est. Deprecatus est Abraham Dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Si ergo multiplicatio generis Abrahæ per Isaac prædestinata fuit, cur coniugem sterilem accepit? Sed nimirum constat quia prædestinatio precibus impletur, quando is, in quo Deus multiplicare semen Abrahæ prædestinauerat, oratione obtinuit, vt filios habere potuisset.* Hæc Gregorius, cuius verba ad eum sensum allicienda sunt: quia nimirum ex his hominibus, quos Deus fore prefinierat, tam Abrahæ, quam Isaac precibus inductus statuit, vt perplures ab ipsis originem repeterent, quos, si preces illæ deficerent, ab alijs parentibus alijs rationibus inductus progigni aliàs decerneret.

S. Thom.

D. Greg.

11 At inquies ex dictis sequi, confusum etiam decernendi modum Deo à nobis tribui, quandoquidem ex nostra doctrina confici videtur, omnes homines ex Adamo nasci, ac fore à Deo in vniuersum decretum fuisse: tamen quo tempore, aut etiam qui, ex quibus parentibus procrearentur, non esse definitum: quod satis confusum & temerarium videtur, atque adeò creatori minime adscribendum. Respondeo me in hac positione id tantum velle, quod Theologi ad vnum ferme admittunt in Christo, & in matre. Nam vt defendant Virginem iuxta communem Ecclesiæ sensum dignitatem ipsam matris Dei ex Christi meritis habuisse, & hanc quoque dignitatem ipsam etiam sibi ipsi promeruisse: docent vtique, Christum ab initio absolute fore, imo etiam emori decretum, & præfinitum: qua vero ex matre nondum tunc definitum fuisse, sed iam inde post præuisam ipsius Christi passionem, & prçuia quædam ipsius Mariæ merita tandem sancitum, & constitutum fuisse, vt ex illa nasceretur potius, quam ex alia. Id ergo ipsum, & non aliud de paruulis illis, natisque decernimus, quos sibi parentes orationibus pepererant. Adeundus vtique lectori Pater Vazquez 3. par. disp. 23. Exactam magis tam superiorum obiectionum, quam aliarum etiam, quç contra hanc nostram positionem efformari possunt, solutionem, & explicationem habes infra in eo capit. 24. §. 3. & sequentibus. Nunc enim animus fuit ea tantum breuiter præmittere, quæ ad intelligendam sequentem sententiam omnino necessaria putaui: quam sententiam hic compendiosè subscribam. Elaboratam magis, ac perfectam illius explicationem daturus infra in eo capite. 24.

VIRGINIS DEIPARÆ immunitas à peccato originali, & à debito illius ex præmissis notationibus depromitur.

§. III.

12. *Nostram sententiã aliorum iudicio submittimus.*
13. *In tertio signo decretorum Dei Maria ex meritis Christi præuisis condi decreta est.*
14. *In quarto signo ex Christi, & Mariæ præuisis meritis, lapsis hominibus restauratio decreta est.*

12 TEMERITATI Quispiã tribuet in re grauissima viam aliquam nouam, & recentem aggredi, quam prius aut Patres, aut grauiores scholastici nõ aperuerint, imo extriuerint. Ita quidem ego reor, atque adeò ne temeritatis insimules, eam sententiam, quam iam iam subijcio, cum Patrum doctrina conformem esse, quoad fieri possit, robuste, ac valide probabo. Ac ne quispiam sit, qui meam operam iuste, & ex causa insectari possit, mentem, ac sententiam meam nulli non docto, atque perito homini ita subdendam puto, vt non prius illam serio me dixisse, aut ex animo docuisse affirmem, quã illi probari didicerim: itaq; meum consilium est, non tã aliquid marte proprio sentire, & iudicare, quã aliorum iudicijs, sensibusq; subscribere. Perlege igitur, amabo, lector candide nostra scripta, ac vide attẽtius, quid demũ decernas: nam quæ tu probaueris, hęc eadem ego calculo meo iam nunc comprobo: quæ vero refellenda duxeris, eadem ego quoque refello.

13 His ergo præsuppositis, ac præconceptis, quæ in superiori §. constituimus, & quæ lectori ad mentem nostram tenendam præbibere primùm opus est, signa decretorum Dei sic ordinanda esse puto, vt bonus Virgini locus obtingat. In primo signo præuidit Deus Adami lapsum, & (nisi à me dissenseris) præsciuit etiam omnes illius posteros ex parentis labe infectos: omnes inquam illos, quos Deus futuros decreuerat, ac prænouerat. In secundo signo Christus ex peccato per traducem iam transfuso, accepta occasione, ad illud delendum prędestinatus est, & passio, morsque illius decreta, quem certè ita ex occasione communis peccati præfinitum dicimus, vt sublato peccato minime, futurus esset, atque adeò eo solo nomine, etsi alia deessent, à peccato originis, & à debito illius immunitatem haberet. Quia cum pactionis tempore necdum futurus præuideretur, non potuit vtique pacti constitutio illum comprehendere, vt superiori capite non leuium rationum pondere constabiliuimus. In tertio instanti ex præuisione omnium meritorum Christi Maria non tantum prædestinata est, nimirum ad gratiam, & ad gloriam electa, sed etiam condi, & creari decreta, vt mater Dei esset, cũ aliàs minime futura esset. Hoc opus hic labor est: in hanc positionem probandã mihi nerui omnes contendendi sunt: nam si hæc pars firmata, & constabilita fuerit, ad Virginem à peccato originis, & a dębito illius vendicandam nihil vltra exoptari poterit. Quia si ad Christum, & propter Christum hæc sanctissima virgo procreari decreta est, ante Christũ præuisum non erat vtique futura. Ergo tunc cum Deus fœdus illud cũ Adamo pepigit, tantùmodo possibilis præsciebatur: atq; adeò pacti constitutio, & ordinatio illam cõprehendere non potuit: & ex consequenti nec peccatum, nec debitum illius. Igitur in hoc tertio signo primum quidem ex meritis Christi Mariæ creatio, & conditio decreta est, deinde ex eisdem meritis ad gratiam originalem electa. Quid autem de eiusdem electione ad dignitatem matris sentiendum, & cui loco adaptanda sit, infra dicemus cap. 24. vbi hæc instantia minutius concidemus, & singulorum comprobationes dabimus.

14 Vt autem reliquam seriem decretorum Dei compendiose absoluamus. In quarto vtique signo non modo meritis Christi Domini præuisis, sed Virginis Deiparæ electione, & magnis etiam promeritis ante pręscitis omnes Adami posteri, qui hactenus in peccati originalis fæcibus iacuerant, ad salutem vocari sunt. Dixi autem Mariæ Virginis prædestinationem, & merita ante aliorum prædestinationem à Deo definita, & præordinata fuisse: quia vt infra non leuibus rationum momentis conficiemus, omnium hominum salutem, etiam quatenus originalis peccati emundationem complectitur, quam Christus meritis suis condigne obtinuit, sanctissima Virgo ex cõgruitate suis etiam promeritis impetrauit, atque adeò hęc ante illam præuideri, ac præsciri debuerunt.



quam

QVAM APTE IVXTA SVPERIOREM sententiam locus aßignetur Virgini in prædestinatione Dei post præscientiam peccati, ostenditur, & dubiolum incidens replicatur.

CAP. XVIII.

1. *Virgo sanctißima prudentißimi floris in modum in decretis Dei quasi demorata est exitum, donec peccati glacies exciderat.*
2. *Inter præuisionem peccati Adami, ac filiorũ, & primam Virginis formationem, quàm aptè Christi merita inserantur.*
3. *Christus Dominus matrem sibi condidit: neq; enim de his, qui Adamo iã filij decreti erãt, matrem delegit.*
4. *Quare naturali propagatione satam matrem fore decreuit.*
5. *Præclarum Nazianzeni testimonium ad id adducitur.*
6. *Expenduntur verba Nazianzeni.*
7. *Virgo Deipara sine semine antiquo propagata ex Tertulliano.*
8. *Terra noua non maledicta, ex eodem.*
9. *In mundi reparatione ruinam ipsam æmulatus est Dominus.*
10. *Virginem communi genrationis modo progenatam nasci oportuit, vt de Christi humanitate constaret.*
11. *Eandem consueto modo propagari debere cõprobat Irenæus.*
12. *Talem Virginis natiuitatem exigebat victoria dæmonis, quæ per mulierem parari debebat.*



1 VT Constet quam aptus in prædestinatinatione Dei iuxta præfatam sententiã locus obtingat Virgini, signa decretorum Dei in superiori capite ordinata, & defixa denuo nobis percurrenda sunt. Ergo quod ad primum signum attinet de præuisione prioris culpæ per traducem iam propagatæ in omnibus Adami posteris, qui iam tunc absolute futuri præsciebantur, supra ea, quæ nuper, cap. 16. & 17. late præscripsimus, & infra, cap. 24. §. 3. latius persequemur, nihil hic vlterius addendum videtur. Tantũ id libet nunc attexere, ad maximam Virginis Deiparæ dignitatẽ spectare, quod tam longe abfuerit, vt eam communis aliorum ruina inuoluerit, vt tunc, cum alij prolapsi, & ruina cõmuni inuoluti præuidebantur, necdum tunc ipsa futura præsciretur. Itaque tam lato interstitio à ruina, & culpa remota fuit, quanto ea, quæ non sunt, ab his, quæ sunt, dirimi necesse est. Similis vtiq; fuit Virgo flori alicui ex his, quos Plinius, lib. 4. cap. 18. prudentes appellauit, quia vere iam iã progrediente, tunc è tellure sese produnt, cum glacies, & pruinæ, quæ alios præproperos, celeresque ad nascendum flores adurere solent, omnino desæuierunt. Eodem enim nomine Mariam florem, Virginemque prudentem licet appellare, quia in Dei præuisione, & præscientia tandiu illius editio dilata est, donec tota peccati originalis glacies, quæ alios Adæ filios, liceat sic dicere, ad nascendum maturantes, & properãtes adussit, & in tabẽ soluit, omnino abijt, & placidum ver sub Christi Domini gratia, atq; meritis successit.

De secundo etiam signo, quod subinde post peccatum cõmune iam præuisum Christi prædestinationem continet, nihil etiam vltra scribendum sese offert, cum etiam in præcitatis duobus capitibus sat multa de hac thesi præmiserimus, & in eo c. 24. plura perscribere in animo sit. Illud tantum in Virginis Deiparæ gratiam addendum putaui, scilicet apte admodum à nobis Christum, atq; eius merita inter culpam Adami, & Virginis non modo electionem, sed primam etiã formationem, & conditionem interponi, vt vel ex eo constet culpæ labem ad illam commaculandam pertingere nequaquam potuisse. Quomodo enim culpa tantum, tamque latum murum, qui interiectus erat, aut transilire, aut prærumpere valeret? 2

In tertio signo asserendo nobis omninò incumbendũ est, quatenus docuimus ita Virginem secundum Christum, & post Christũ condi, ac formari decretã fuisse, vt ante Chri 3

ctum præuisum de ipsa formanda nihil Deus cogitauerit: sic enim ipsam à peccato, & à debito illius, nullo ipsius discrimine, facilè admodùm eripimus, & seruamus. Sed ne dubiolum quoddam, quod in nostra sententia statim se se dat, ampliùs moremur (nullibi enim aptior fortasse illi locus eueniet) contra ea, quæ hactenùs diximus, ad hunc modũ obijcio. Quandoquidem Deus optimus maximus Deiparam Virginem nõ aliunde, quã ex Adam secundum omnes naturæ leges procreandam decreuit, in communi aliorum pactum, & legem generali iure venisse omninò videtur. Si enim Deus ex præscitis iam Adæ filijs matrem sibi deligere non voluit, sed eam sibi denuò condere decreuit, quid causæ fuit, vt non eam alia ratione formauerit, vel quod decenter admodùm fieret, ex matre virgine procrearit præter naturæ ipsius leges? Sic enim eius immunitas notior esset, atque compertior. Aliam huic persimilem obiectionem suprà cap. 15. dedimus ex Anselmo in lib. de Concept. Virginis, & peccato originali. Vide ibi, atque inde etiam huius solutionem petere licebit.

4 Tamen vt in præsentiarum illi occurram, diuini consilij dispositionem in generis humani redemptione imprimis pensandam esse puto. Tale enim fuit Dei consiliũ, vt inde medicamentum eueniret, vnde fluxerat venenum. Propterea enim hominem, quem arboris vetitę esus prostrauit, ex ligno crucis excitandum duxit, vt canit Ecclesia.

De parentis protoplasti
Fraude facta condolens,
Quando pomi noxialis
Morsu in mortem corruit,
Ipse lignum tunc notauit,
Damna ligni vt solueret.
Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris
Ars vt artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis vnde læserat.

Nobilissimum vtique, ac præsentissimum medicamentum est theriaca, hæc vero ex ipsomet veneno conficitur.

5 Nazian. Audiendus est Diuus Gregorius Nazianzenus in orat. 1. Apolog. vbi postquam discrimina quædam præmisit, quæ inter medicinam spiritualem, & corpoream versantur, denique in eam dilabitur thesim, vt exponat, quibus medicamẽtorũ auxilijs Christus Dominus contra communes generis humani morbos vsus fuerit. *Hinc* (ait) *exinanita deitas, hinc assumpta caro, hinc noua illa mixtio, Deus & homo: vnum ex vtroque, & vtrumq; per vnum, atque omnia propter omnia, & pro vno illo generis nostri Principe in vnum coierunt. Anima nimirum propter eam, quæ præcepto diuino minime paruit: caro propter eam, quæ animæ cupiditati obsecuuta est, simulq; cõdemnata. Christus denique propter Adamũ, hoc est, propter eum, qui sub peccato factus est, is, qui peccato sublimior, ac præstantior erat. Ob hanc enim causam veteri nouum substitutum est, vt per passionem is, qui passus fuerat, in pristinum statum reuocatus, ac pro vnaquaque rerum nostrarum vnaquæq; res eius, qui nobis sublimior est, repensa. Idcirco generatio, & virgo, præsepium, & Bethlehem: generatio propter effectionem* (id est qua oportebat hominem refingi, Christus se generari, & effingi annuit) *Virgo propter mulierem, Bethlehẽ propter Edẽ, præsepium propter paradisum, res paruæ, & conspicuæ propter magnas, & ab oculis remotas.* Hactenus Gregorius: qui illud subinde magnopere obseruandum dicit, labores, dolores, passiones, & spinas ex peccato promanasse, atque adeò inter venenata, & lethalia connumerari debere. Eapropter nostri medici peritia ex eo maxime admiratione digna est, quod labores, dolores, passiones, & spinas ad medicamentum assumpsit, vt scilicet medicamentum (liceat sic dicere) ex veneno ipso conflaret. Ergo ad eum modum existimare debemus à Deo ex magno consilio actum, vt matrem suam non aliunde, quam ex Adamo procrearet, vt inde sumeretur antidotum, vnde virus effluxerat.

Redeant in trutinam illa Nazianzeni verba. *Generatio propter effectionẽ, virgo propter mulierẽ.* Quæ quidem non tantum significãt, 6
vnum propter aliud inuentum fuisse, sed de industria factum, vt Virgo ex Adamo secundũ naturæ leges generaretur, vt his, qui per naturalem generationem ex Adamo deriuatam virus hauriebant, per eandem generationem succurreretur. Quapropter quemadmodum Deus passiones, & dolores, & mortem in nostri generis medelã assumens, ita quidem eas sibi consciuit, vt peccati, à quo ipsæ profectæ fuerant, nihil omnino ipsi adhæserit: nam (liceat sic dicere) ab omni eas peccati suspicione nudauit, vt sine iniuria in remedium assumeret. Ad eundem modum dicendum est, generationem Mariæ ex Adamo contra communes generationis labes, & dãna inuentam fuisse, ita tamen, vt eam omni etiam peccati macula carere oportuerit: aliter medicamenti nomen ferre non posset. At inquies, verba illa Nazianzeni *generatio propter effectionẽ* non de generatione Mariæ, sed de generatione Christi accipi debere. Nec inficior, tamẽ Elias in eum locũ meritò suspicatus est vtrãq; generationẽ matris, ac filij illis verbis cõprehendi: quia cum mens Gregorij esset vnam alteri obijcere, ita vt remedium ex generatione contra generationem perinde sumptum diceret, quemadmodum ex morte contra mortẽ: necessum vtiq; erat, vt sicut mors similis contra mortem, ita etiam generatio similis contra generationẽ assumeretur: similis (inquam) natura non culpa. Talis autem erat matris generatio, quæ Elias.

naturæ

naturæ leges exacte seruauit, non vero filij, qui supra omnia naturę iura ex Virgine procreatus fuit. Ex his ergo satis innotescit, quã aptum, & cũ reliqua Dei prouidentia, quã in reparatione generis humani adhibuit, côforme fuerit Virginem Deiparam non aliunde, quam ex Adamo secundum omnes naturæ leges progigni.

7 *Tertull.* Aduocãdus etiã ad hãc thesim probandam Tertull. de carne Christi, c. 17. vbi primũ sic præmittit. *Nouè nasci debebat nouæ natiuitatis dedicator. Hæc est natiuitas noua, dũ homo nascitur in Deo* (idest humanitas in hypothasi diuina) *in quo homine Deus natus est, carne antiqui seminis suscepta, sine semine antiquo, vt illã nouo semine, id est spiritualiter, reformaret exclusis antiquitatis sordibus expiatam.* At quid est illud, *Carne antiqui seminis suscepta sine semine antiquo?* Certe Tertullianus hoc dicit, Christum suscepisse carnem ex antiquo vtiq; semine satam, quod ad substantiam attinet, sed absque semine peccati, quod ex antiqua patris culpa in filios sparsum, proprium etiam peccatum in singulis progerminabat. Qui sẽsus nostræ doctrinę accommodatissimè aptatur, si quod de Christo asserit Carthaginensis Presbiter, ad matrem reuocetur, & eidem aptetur, quę eadem est caro cũ filio. Hæc enim carnem antiqui seminis vere habuit sine semine antiquo, quia naturali modo ex parentibus per seminis naturalis fluxum concepta est, & peccati semen antiquum ad ipsam minime manauit. Non peccatũ tantũ dico, sed nec peccati semen: quia nõ modo peccatum originale à Virgine longius arcendũ, sed etiã peccati illius debitum: id enim debitũ nihil aliud est, quam peccati semen, quod vbicumque sparsum fuit, in peccatum nulla exceptione adoleuit. Tertulliano elegãter

Damasc. accinit Damasce. orat. 1. de natiuitate B. Virg. *O beatos Ioachimi lumbos, ex quibus prorsus immaculatum semen fluxit.* Quid est prorsus immaculatum semen, nisi generationis humanę impollutum sperma, in quo neque vllius, vel leuis maculæ semen, aut culpæ principium quasi seges in semente latitabat? Semen erat humanũ, sed sine semine antiquo culpæ, atq; maculæ: vt pote in quo debitum etiã culpæ non erat, quod esset principium mortis in semine, sicut in semente solet esse vitæ principium. Etenim si à frumenti grano albulã illam particulam præcidas, in qua virtus tota vitalis sita est, etiamsi terræ mandaueris, neutiquã germinabit, culmumq; vel spicam effundet. Ita etiam in sacro illo Virginis semine omnino præcisum illud mortis principiũ, culpæq; originalis origo, hoc est, debitum illius. Erat enim Adæ semen, sed sine semine antiquo, sed immaculatum prorsus, sed sine debito, principioq; culpæ. Vnde in visceribus Annæ satũ germinauit humanitatẽ, & carnẽ Virginis, nõ tamen culpã, quia illius principiũ omnino præcisum: nõ tamẽ maculã, quia semen erat immaculatũ: non tamẽ mortẽ, quia mortis generãdæ virtus Christi passione, ac meritis prorsus erosa, & côfecta fuerat.

Subdecit ergo Tertulianus. *Sed tota nouitas ista sicut & in omnibus de veteri figurata est ratione, per Virginem dispositione homine domino nascente. Virgo erat adhuc terra, nondum opere compressa, nondum sementi subacta. Ex ea hominem factum accipimus à Deo in animã viuã, ergo si primus Adam de terra traditur, merito sequens, vel nouissimus Adam proinde de terra noua, id est, de carne nondum generatione resignata in spiritum viuificantem prolatus.* Pẽde igitur illa verba Tertulliani. *Merito sequens, vel nouissimus Adam de terra noua.* Sic enim lego ex codice Rhenani: aliqui enim particulam illam *noua* prorsus abijciũt, &c. Itaq; eam particulam mihi sumens, & ad sequentem sententiam transferens sic aio. Christus vtique ex virgine, & numquam maledicta, addo etiam, & noua terra prodijt: nam cum omnis peruetus terra maledictione Dei læsa, & violata esset, oportuit vtique, vt noua tellus, id est, noua mater conderetur, quam lata olim maledictio cõmunis nõ inuolueret. 8 *Tertull.*

Ingerit præterea Tertul. perpulchra verba, quibus ostendit modũ, quo Deus in genere humano asserendo ipsammet ruinã æmulatus est. *Imaginem, & similitudinẽ suã à diabolo captam æmula operatione recuperauit: In virginem enim adhuc Euã irrepserat verbum ædificatorium mortis, in Virginẽ æque introducendum erat verbum extructorium vitæ: vt quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur ad salutem: crediderat Eua serpenti, credidit Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit: sed Eua nihil concepit tunc in vtero ex diaboli verbo, imo concepit, nam exinde abiecta, vt pareret, & in doloribus pareret: verbũ diaboli semen illi fuit: enixa est deniq; diabolum fratricidã. Contrà Maria eũ edidit, qui carnalẽ fratrem Israel interemptorẽ suum saluum quandoq; præstaret. In vuluã ergo Deus verbũ suum detulit bonũ fratrem, vt memoriã mali fratris eraderet. Inde enim prodeundũ fuit Christo ad salutẽ hominũ, quo homo iã dãnatus intrauerat.* Hæc Tertulli. probans Deũ in reparatione generis humani eũ ordinẽ tenuisse, quẽ primi illi nostræ ruinæ authores in eiusdem subuersione sequuti sunt. Vbi illud demũ obserua, quo sententiã suã claudit Carthaginẽsis. *Inde enim prodeundũ fuit Christo ad salutem hominum, quo homo iã damnatus intrauerat.* Quorũ verborũ hic sensus est. Inde scilicet, hoc est ex vulua fœminea, in quam homo iam damnatus intrauerat: ita videlicet, vt ex ipso ingressu, & conceptu suo damnationem, & mortem sibi accerseret: Christus etiam insons æmula operatione ad salutem prodiret, à fœmina quoq; conceptus, & natus. Quid inde? Sane inde aliquid ad Mariæ munditiẽ probãdam sic excipi potest. Quia vt hæc duo 9

omninò paria essent, ita certe decuit, vt quemadmodum damnatus, ac reus homo Adæ filius viscera matris iã olim damnata, & impura ingrediebatur, & egrediebatur: ita etiã homo nouus, & insons viscera adiret omnis damnationis, ac reatus expertia, & ab his etiam ad salutem prodiret: aliter enim hæc duo inter se minime conuenirent. Itaque vterque homo vetus, ac nouus similem, ac dissimilem portam ad aditum, exitumque in hanc lucem nacti sunt, nimirum fœminã similem communitate sexus, non autem dãnationis communione. Ita enim vtriusque hominis similitudo, & dissimilitudo postulabat: nam similitudo in natura similem sexum, dissimilitudo verò in gratia, & iustitia, dissimilem damnationis, aut indemnitatis conditionem poscebat.

Hinc autem excitatur altera ratio, obquã decuit Virginem ex Adamo secundum natu-
10 ræ leges progigni, vt constaret tam matrem, quam filium humanæ conditionis esse, atque humana carne constare. Nam si Virgo aliunde, aut ex matre virgine formaretur, & Christus etiam ex illa, integra quoque virginitate prodiret, suspicio cuipiam posset incidere, non esse humanam carnem, quæ à communi modo generationis tam longo interuallo recederet. Ob eam igitur causam factum, vt quandoquidem Christum ob tantæ personæ decentiam ex Virgine nasci oportebat, mater vtique ex viro, ac fœmina communi lege ederetur in lucem, vt communis, solemnisque natiuitas eam veram fœminam esse comprobaret. Nam si matris insolens natiuitas de sua humanitate ambiguos redderet, non satis valide ex matre filij humanitas euinceretur.

Ad extremum subijcienda sunt Irenæi verba, l.3. aduersus hær. c.31. quæ valde simi-
11 lia sunt his, quæ nuper ex Tertuliano dedimus, & ad nuper factam rationem pertinent. *Quemadmodum* (inquit) *protoplastus ille Adã*
Irenæ. *de rudi terra, & de adhuc virgine, nondũ enim pluerat Deus, & homo non erat operatus terrã, habuit substantiam, & plasmatus est manu Dei, id est, verbo Dei. Ita recapitulans Adam ipse verbum existens ex Maria, quæ adhuc erat Virgo, rectè accipiebat generationem recapitulationis Adæ:* Recapitulatio vtiq; similitudinem, atque imitationem sonat: quæ verba eodem modo vrgenda sunt, quo nuper alia similia Nazianzeni discussimus. Attexit statim. *Si autem ille de terra quidem sumptus est, & verbo Dei plasmatus est, oportet quidem verbum recapitulationem Adæ in semetipso faciens, eiusdem generationis habere similitudinem. Quare igitur non iterum sumpsit limum Deus, sed ex Maria operatus est plasmationem fieri? Vt non alia plasmatio fieret, neque alia esset plasmatio, quæ saluaretur, sed eadem ipsa seruata similitudine.* Id est, propterea Deus veterem Adami formationem ex limo in Christo repetere noluit, ne nouum plasma nouum videretur inchoare genus, & vt ex veteri plasmate sumeretur id, quod ipsi salutem afferret. Quod similem ad modum ad Virginis generationẽ ex Anna accõmodari debet, iuxta rationem nuper formatam.

Denique idem Irenæ. lib.5.c.21. illud sa-
tis venuste dicit. *Misit Deus filium suum* 12
factum ex muliere, neque enim iustè victus fuisset inimicus, nisi ex muliere homo esset, qui vicit eũ, ac victoria per mulierem pararetur. Scilicet quemadmodum ipse per mulierem ruinam instruxerat: ita enim postulant duelli leges, vt eorum, qui contendunt, arma sint omnino similia. Itaque Irenæus sic ait. Si diabolus aliter, quàm per mulierem à Deo prostratus fuisset, meritò illud causari posset, nequaquam se iustè deuictum, quandoquidẽ tunc Deus dissimilia arma ad duellum attulisset: sed hic locus alibi à nobis cap.33. replicandus est. Illud interim hic adnecto, ad istã armorũ æqualitatem spectasse, vt Virgo ab omni peccato libera, & iustitia originali munita conderetur, ne ea ex parte dissimilis esset Euæ, quæ eodem modo in prima cõditione originalem iustitiam accepit.

Sed ad tertium illud signum prædestinatinationis Dei redeamus (quod totam rem, causamque continet) Mariæ formationem subinde post peccati, atque Christi præscientiam fuisse definitam, scripturæ sacræ, ac Patrum testimonijs, rationibusque fulcire persequentia capita aggrediamur.

VIRGINIS DEIPARAE EXISTENTIAM, & primam creationem post peccati, & Christi præscientiam definitam fuisse testimonijs scripturæ comprobatur.

CAP. XIX.

1. *Virginem post Christi merita præuisa decretam suadetur ex illo:* Dominus possedit me,&c. *Prouerb.8.*
2. *Persuadetur ex Euæ formatione, quæ Virginis in omnibus typum gessit.*
3. *Idem conuincitur, quia Eua, Mariæ vmbra, ædificari dicitur in sua prima conditione.*
4. *Idem euincitur ex illo Genes.1.* Non est bonum hominem esse solum.
5. *Christus in prædestinatione Dei solitarius esset, ni Maria illi adiungeretur.*
6. *Sola Deipara in prædestinatione Dei fuit coram Christo, & iuxta Christum.*
7. *Virginem sanctissimam ad regenerationis opus Christo adiutricem dari necessum duxit Deus.*
8. *Virgini existentiam post peccatum decretam rursus probatur ex illo:* Inimicitias ponam inter,&c.
9. *Soli Mariæ genuinum fuit inimicitias easq; perpetuas cum diabolo gerere.*
10. *Quod diaboli semen, inter quod & Christum perpetuæ indicuntur inimicitiæ?*
11. *Quare Virgini dæmon, Christo diaboli filij dentur inimici.*
12. *Ad immaculatã Virginis conceptionem comprobãdam illud adducitur:* Ipsa conteret caput tuum.
13. *Diaboli caput originale peccatum est.*
14. *Virgo sanctissima in vitando originali peccato serpentis astum superauit, & prudentiam æmulata est.*
15. *Dæmonis caput, vicẽ ipsi præripiens, planta pressit, & reliquum corporis truncũ mori coegit actutum.*
16. *Non nisi post peccatum ad existentiam electa B. Virgo serpentis caput innoxia valuit premere.*
17. *Pede dicitur Deipara serpentis caput contriuisse, quia illum in suæ primæ constitutionis exordio superauit.*
18. *Virginem post peccatum definitam efficitur ex illo:* Creauit Deus nouũ super terrã.
19. *Maternitatis Dei dignitas, & Mariæ potentia obiter commendantur.*
20. *Maria quasi Christum ambiens, illum præ alijs obtinuit, quia originali iustitia præfulgebat.*
21. *Adamum obliuisci iubetur Maria Psal.44. quia non tam illius, quam Christi filia dicenda est.*

1 NITIO Quidem huius capitis, vt ad ea, quæ per reliqua deinceps capita dicturus sum, gradum muniam, te quidem (bone lector) monitum velim animum esse meum huius disputationis ossa, neruosque sub carne tibi dare, sic videlicet testimonia, & rationes fortiores ad speciem conuestire, vt non tantum Scholasticis Theologis meam mentem suadeam, sed etiam Christianos oratores ad eandem deprædicandam instruam. Quapropter vide ne sola carnis specie captus ad ossa, neruosque non peruadas.

Ergo vt ab eo loco initium sumam, quem hic interpretandum, illustrandumque suscipimus: sanè Virgo in Sapientiæ persona apte admodum ad rem nostram sic fatur: *Dominus creauit me, initium viarum suarum ad opera sua:* sic fert translatio lxx. Et quidem sicut ex dictis ad cap.8.Prouerb.vers.15. in literali interpretatione huius loci satis constat, hæc verba vtriusq; Ecclesiæ Patres, tam Græcæ, quam Latinæ partim de sapientia, & verbo Dei increato, partim de eadem sapiẽtia, & verbo incarnato interpretãtur: vtrumque autem sensum literalem esse quibusdam rationibus inductus asserui. Quapropter cum hunc locum Virgini etiam accommodare integrum sit, certè iuxta priorem sensum, qui ad æternam, & increatam Dei sapientiã pertinet, omnibus illis superioribus sententijs, quæ Virginis prædestinationem ante omnem creaturam asseuerant, mirifice aptatur, vt supra ostẽdimus. Iuxta posteriorem verè, quæ apud Patres longe tritior est, in nostram opinionem mirifice quadrat: *Dominus* (inquit) *creauit me initium viarum suarum.* Per vias Dei intelligunt Cyrillus, Ambrosius, & alij plures redemptionis nostræ rationes, & consilia à Deo inita: atque adeò sensus est. Deus consilium de generis humani redemptione iniens me quidẽ primam, aut principem (vtramq; enim significationem capit nomen *initij*) creauit. Expende verba, non dixit elegit, vel assumpsit me, sed *creauit*, ac condidit. Quorsum? *ad opera sua*, id est, ad restauranda, & reficienda ea, quæ fecit. Si ergo Virgo Deipara ad opera Dei reparanda condita, & creata est, eius ergo creatio, & conditio post peccati, Christique præscientiam definita fuit. At enim apte admodum *creandi* verbum Virgini aptatur in hoc loco, quia creare est ex nihilo aliquid producere. Quamuis autem Virgo vere, ac secundum rem ex Adamo genita, & procreata sit per veram generationem: tamen quod attinet ad ea vitia, & damna, quæ alijs ex generatione euenire solent, perinde habuit, ac si creata per se esset ex nihilo, ac suam ex Adamo generationem minimè recenseret. Quippé quæ inter filios Adami, ita numerari debet, vt post pactũ conditum, & legem violatam fieri, & creari, decreta sit: atque adeò nõ potuerit illam legis transgressio violare, & inficere.

Prouer. 8
Cyrill. Ambr.

2 Potest etiam hæc nostra thesis roborari ex

illo Euæ prioris exemplo, & simulacro: nam ex his, quæ diximus in superiori cap. satis compertum est, Deum in duorum reparatorum formatione subuersorum primam conditionem æmulatum. Nam cum animus Dei esset opera sua instaurare, & ad eum statum mundum per reparatores adducere, à quo per subuersores exciderat, operę pretium fuit, priorem statum in reparatoribus exprimere, & adumbrare, vt nobis innotesceret quónam euocaremur. Illud igitur imprimis notandum, quod mulier ex viri costa, & robore formata est; non enim consilium Dei fuit, mulierem illam primam aliunde effectam Adamo sociare, sed illam ex ipso, & propter ipsum condere, & exædificare, alioqui minime futuram, si Adamus conditus non esset: ergo similem ad modum cogita, secundam Euam Mariam, non quidem ex alijs iam futuris hominibus assumptam, & Christo adiunctam, & accommodatam fuisse, sed ex ipso, ac propter ipsum, hoc est, meritis illius cōditam, & perfectam: ita vt æquali iure si Christus non esset conditus, ipsa minimę formanda esset.

3 Nec vacat emphasi ad hanc rem illud: *ædificauit illam in mulierem*: nam ad Mariam tra dictum significat illam ab ipsismet fundamẽtis ex secundo Adamo extructam, & molitam fuisse. Ita enim contemplari fas est fundamentum reliquarum rerum esse ipsius rei existentiam quoad substantiam: huic enim fundamento reliqua imponuntur, & supra illud assurgunt. Quid inde? Fateri certè opus est, Christum Mariæ Virginis, quam sibi ipse in domum, ac palatium substruere, ac moliri decreuerat, prima etiam fundamenta posuisse, id est, ipsius etiam substantiam, & primam existẽtiam naturalẽ suis meritis à Deo exorasse, ne videretur in alieno solo, vt aiût, exædificare. Ac nè etiam cuipiam talis suspicio incesseret, quod quemadmodum, qui in alieno solo domum extruit, non fit ædificij dominus, sed ille alius, cuius est solum, ædificium vendicat suum, aut certè domum extructam sibi vectigalem facit, iuxta legum præscripta: ita etiam Christo eueniret, vt siquidem in solo alieno, id est, in filijs Adæ, quos nimirum ab Adamo, & propter Adamum, etiam non existente Christo, existentiam suam accipere oportebat, domum suam extrueret, eam sibi Adamus ipse propriam vendicaret, & originalis culpæ vectigal pendere ex debito suę generationis, & cōceptionis cogeret. Decuit ergo vt ipse sibi Christus primum solum, & prima fundamenta, id est, substantiam ipsius Virginis, & conceptionem inchoaret, cuius ad veterem Adamũ nihil omnino pertineret. Audi Anselmum in ser. illo, qui legitur in Breuiario Bracharensi: *Sed cum ipsa conceptio fundamentum fuerit habitaculi summi boni: si peccati alicuius ex prima præuaricationis origine maculam contraxit, quid dicemus?* Sic Anselmus, cui ego sic occurro. Dicemus ne Christum suæ domus fundamenta in alieno solo, & ditione locasse: atque adeò à tributo, & debito communi originalis culpæ ipsam liberare non potuisse?

Anselm.

4 Ad hæc, in duos illos primos humani generis fontes scriptura ipsa talia conijcit: *Nō est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* Quæ verba Virgini, & Christo tradit Bonauentura, Rupertus, & alij. Et quidem obseruandum, Mariam Christo non tantum in matrem, sed in sponsam accommodatam: hoc enim nomine *sponsa Christi*, passim à Patribus censeri solet, de quo infra cap. 31. vbi dicemus Mariam ea dignitate non pari cum reliqua Ecclesia cōsortio gaudere, sed impari, quatenus ipsa prima, & princeps Christi sponsa est: aliæ verò animæ post ipsam, & per ipsam ad Christi nuptias vocantur. Ergo in eam quadrant illa verba, quæ de prima coniuge enunciata sunt: *Non est bonum hominem solitarium esse, faciamus ei adiutorium simile sibi*, quæ facilè demonstrant mulierem non fuisse primariæ intentionis Dei, sed secundariæ, accepta videlicet ex viro occasione, vt obseruauit in eum locum noster Pereyra. Cui accinit Aristoteles, qui ex doctrina Peripateticorum docet fœminam esse animal occasionatum, nō per se, nec ex primaria naturæ intentione generatum, sed ex occasione ad viri consortium. Sed & Pereyra existimat Paulum hunc ad locum allusisse, 1. ad Corinth. 11. cum ait: *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro: etenim non creatur vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* Quæ vtique verba in Christum, & Mariam perquam accommodate cadunt, & luculenter admodum declarant Mariam ex Christo factam, & propter Christum creatam fuisse ad eum modum, quo Eua ex Adamo, & propter Adamum: atque bonum quoddam esse occasionatum ex ipso Christo, ad consortium illius inuentum: id enim postulat figuræ, atque rei significatæ concordia.

Genes. 2. Bonauen. Rupert. Arist. Pereyra. 1. ad Corinth. 11.

5 Ergo in præscientia Dei post Christum ex occasione culpæ iam inde conditum, sic tota Trinitas apud se decernebat: *Non est bonum hominem esse solum.* An forte, quia Christus, etiamsi reliquæ illi se se adiungerent creaturæ, sine Mariæ societate, & commercio solitarius esset? Nec iniuria id certè dici posset: tum quia Maria dignitate sua reliquas simul superat creaturas: tum etiam quia si ad Dei præscientiam, & prædestinationem referamus oculos, nisi Maria ipsi proximè hæreret, solitarius vtique Christus esset. Nam cum eum diuina ordinatio in mundum introduxit, reliquos homines ab ipso, quamlongissime arcebat peccatum: atque adeò solus quodammodo in ipsa Dei præuisione Christus maneret, nisi è proximo adesset illi

Mariæ societas, quam ipsi prima electio ac gratiam, & iustitiam originalem proximè ad iungebat: ideò dictum: *Faciamus ei adiutoriū*
Genes. 2. *simile sibi.* Chaldæus, *quod sit iuxta ipsum*, id est, quod in diuina prædestinatione proximè illi adhæreat.

In orriginibus Hebraicis est: *Quod sit co-*
6 *ram illo.* Nam cum peccatum sit auersio quędam à Deo, hoc certè reliquos omnes homines à Christo auersos reddebat: atque adeò de industria addita est illi Maria, quæ nunquam non esset coram illo, per iustitiam scilicet, & gratiam ad ipsum semper conuersa. Septuag. legunt: *Quod sit secundum ipsum.* Et quidem præpositio illa *secundum* non similitudinem sonat, sed iuxta germanā eius vim ponitur pro *post*, hoc sensu, *secundum ipsum*, id est, *post ipsum.* Non solùm quia inter omnes alias creaturas Maria Christo secunda est dignitate, & gloria: sed etiam quia in Dei decretis proximè post ipsum suffecta, illi, inquam succedens, sub illum, post illum, & propter illum facta: non vt alij ante ipsum fieri decreta.

Sed quamuis hæc non insulsè dici possint:
7 tamen aliter exponi debet illud: *Non est bonum hominem esse solum:* quod quidem iuxta literalem sententiam propter generationis indigentiam additum est. Quasi dicat, non satis perfectum esset opus hoc (inquit Deus) si Adam solus maneret, cum ad alios sibi similes generādos adiutorio indigeat sibi etiam adsimili, id est, muliere, sine qua generatio naturaliter perfici non potest. Ergo sententia ad Christum, & Mariam sic est conuertēda, vt ex generatione ad regenerationem gradus fiat: *Non est bonum hominem esse solum*, id est, quandoquidem ita expediens fuit, vt regeneratio hominum, eorundem primam generationem adumbraret, haud congruum erat Christum solum huic operi vacare, atque adeò oportuit sociam, & adiutricem fœminam illi dari Mariam ipsi perquam adsimilem, vt cum illa, & per illam omnis regeneratio, & adoptio filiorum Dei fieret: atque eapropter ipsam denuo, ac de integro fieri, ac decerni necessum fuit, non factam assumi. Nam cum omnes, quotquot anteà factæ, aut fieri decretæ fuerant fœminæ, ex generatione corruptionem, & mortem traxissent, atque adeò ipsæ regeneratione opus haberent, non poterant vtique ad communem omnium regenerationem Christo adiutrices dari: ideò opus fuit nouam fœminam inchoari, & denuo procreari, quæ regeneratione non indigeret, & ad alios regenerandos auxilio esse posset. Propterea dictum est illud. *Faciamus ei adiutorium*, quod nouam effectionem sonat. Et quidem nullam ex his, quæ regeneratione indiguerant, posse ad communem regenerationem assumi, à simili comprobari potest. Quia sicut prima genitrix, & mater omnium non potuit generari, alioqui non esset prima, nec omnium genitrix, cum ab alia priori genita esset: ita etiam prima omnium regeneratrix non debuit etiam ipsa regenerari; alioqui nec prima, nec omnium regeneratorum regeneratrix esset. Quantum verò vim habeat ista ratio ad Virginis originalem iustitiam euincendam, infrà cap. 21. latius dicemus.

Succedat etiam superiori loco alius è vi- 8
cino capite ascitus, qui, quemadmodum duo superiores, Mariam post Christi præuisionem formatam fuisse nō insulsè probat; ita etiam illam subinde post peccati præsciētiam procreari decretam satis efficaciter ostendit. Nam Gen. 3. serpentem iam communis pia- Genes. 3.
culi reum sic alloquitur Deus: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, inter semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Primum enim hæc verba de Virgine capienda esse communis Patrum conspiratio docet. Inter quos Diuus Cyprianus id argumento non ineleganti Cyprian.
comprobat: his verbis: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, non dicit, pono, ne ad Euam pertinere videretur: sed ponam, id est, suscitabo mulierē, qua repudiata facilitate credendi non solùm te non audiat, sed ab ipso etiam Gabriele deferente verbum, rationem de promissorum exigat nouitate.* Diuus etiam Epiphanius lib. 3. Epiphan.
aduersus hæres. id ipsum ex eo probat, quia subijcitur: *Inter semen tuum, & semen illius. Nusquam autem* (inquit) *reperitur semen solius mulieris, nisi in Maria, proinde non potest totum in Eua impleri.* Subscribit Epiphanio Rupertus. Ad rem.: sanè verba isthæc consi- Rupert.
lium quoddam Dei significāt post peccatum, atque præscientiam illius initum. Quasi dicat, ex eo fortassè seriò triumphas, ò venenate serpens, quod mulierem facilem, & beneuolam nactus, eam nullo negotio impulisti in ruinam, & quod caput damni est, omnes per illam fœminas ad similem ruinam traxisti: sed ne putes fortassè mea consilia proptereà exhausta penitus fuisse: *Suscitabo mulierem* (verba sunt Cypriani) id est, nouam Cyprian.
aliam fœminam aduersum te erigā. *Inimicitias ponā inter te, & mulierē, inter semen tuum, & semen illius.* Duos simul aduersus serpentē implacabiles hostes vno tenore produxit, filium, & matrem. Inde ergo mihi argumentum suppetit. Filius, hoc est, Christus, ita contra serpentis virus inducitur, vt prorsus occasione peccati factus, & prædestinatus dicatur: ergo & matrem, id est, Mariam ex eadem occasione conditam fuisse cogimur fateri: præsertim quia similis vtriusque causa est. Ideò enim Christus post afflatum homini à serpente venenum, id est, post illius præuisionem, prædestinatus dicitur, quia contra illum processit, & præsentissimum contra illud attulit amuletum: sed Maria etiam contra diabolum inducitur, & ad restringuendum illius virus socia ipsi Christo adiūgitur:

ergo

ergo similem ad modum post peccatum, & ex occasione peccati formationem illius decretam fuisse cogimur fateri. Sed singula verba ad ostendendam Mariæ innocentiam lentius deriuemus.

9 Rupert. *Inimicitias ponam.* Rupertus in hæc verba simultatẽ illam ad solũ Christum perperam coarctat: tamen illud adnotat inimicitias hic absolutè, & indefinite positas, perpetuas, & nunquam intermissas discordias denotare. Inter homines autem nullus (inquit) est, qui perpetuas inimicitias cum diabolo egerit; omnes enim Dei hostes, ac diaboli familiares propter peccatum traducis nasci necesse est. Ergo cum audis: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*, mulierem quandam concipere opus est, quæ inimicitias istas ab initio susceptas nunquam intermiserit. Hæc autem non est alia, nisi Virgo sanctissima, quæ à suæ conceptionis articulo denunciatas olim à Deo inimicitias cum diabolo serió transegit, & nunquam non illius implacabilis aduersaria fuit. Quod autem ait: *Inimicitias ponam,* authorem harum discordiarum se Deus offert, ac profitetur. Rursus verbum *pono*, vt docet Baldus, hoc differt à verbis *impono, infero, immitto, induco*, & alijs huius generis, quod hæc vtique verba significant aliquid obsistente, & renitente passo in ipso agere: at verbum *pono* de his dicitur, quæ sponte, & sine aliqua resistentia excipiuntur, Ideò (inquit) in controuersijs ea *poni* dicuntur, quæ non possunt inficiari. Hæc cum ita se habeant, cum Deus ad diabolum hæc dicta: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*, ita capiendus est: suscitabo fœminam, in quam nõ inducam, immittam, aut injiciam discordias, sed *ponam*, quia nihil in ipsa præerit, cuius obsistentiam vincere opus sit: non erit scilicet aliqua antiquior concordia, & familiaritas, quam iniecto odio dirimere sit necessum, sicut in alijs fœminis accidit, quas peccati primi macula violauit. Vel *ponam* eiusmodi inimicitias, id est, illas tanquam principium quoddam primum aliquando statuam, cui contraire fas non sit.

Baldus.

10 *Inter semen tuum, & semen illius.* Illud sane gloriosum ducere posset serpens, quod vitiata per culpam fœmina, & viro per fœminam in ruinam acto, totum ipsius fœminæ semen, id est, cunctam illius progeniem simili vitio affecerat, & in suam amicitiam vendicauerat. Aliter ergo futurum minatur Deus, scilicet, has inimicitias non modo à muliere cum ipso, sed quod caput est, à semine mulieris cum ipsius semine actitandas esse. Et quidem per semen mulieris Christum esse intelligendum, nullus inficiatur. Quid verò per semen diaboli capiendum sit, non satis liquet: nam ex Patribus alij peccatum, cuius diabolus pater est, captandum existimant: vt sensus sit, inter Christum, atq; peccatum perpetuas discordias versari oportere. Alij peccatores ipsos intelligunt (his assentior) qui propterea semen, id est, filij diaboli appellantur: quia amissa gratia, & adoptione filiorum Dei, in diaboli filios quodammodo vertuntur. Atque adeò sententia illorum verborum talis est. Quia in gloria magna ponebas, ó serpens, ex fœmina vitiata (quam Deo filios parere oportebat) iam inde posthac te filios suscepturum tibi: hoc tibi denũcio, & indico, quod semen aliquod satum ex fœmina sancta tandem aliquando futurum sit, quod cum semine tuo, id est, cum peccatoribus, quos filiorum loco habes, inimicitias immortales transigat: non equidem eo consilio, vt in suos inimicos stragem aliquam edat, sed vti ipsas eorum inimicitias in se perimat, iuxta illud: *Interficiens inimicitias in temetipso.* 11

Itaque Deus matri, atque filio inimicos destinans, & assignans, Mariæ diabolũ, Christo autẽ peccatores pro aduersarijs adscripsit. An quia isti grauiores, atque infensiores hostes sunt, ideò eos Christus debellandos suscepit, Mariæ autem minor hostis relinquitur? An potius, quia Virgo peccatores minimè exosos habet, quia ipsi suis criminibus occasionem Deo obtulerunt, ipsam vt conderet, & ad matris dignitatem eueheret, iuxta illud Ecclesiæ carmen.

Peccatores non abhorres,
Sine quibus nunquam fores
Tanto digna filio!

An etiam Virgini diabolus sternendus datur, quia solenne est Deo firmiores, ac robustiores hostes per imbecilliora, atque infirmiora expugnare? An demum quia ita decebat, vt mulierem, quam diabolus olim familiarem, & beneuolam expertus fuerat, eandem aliquando infensam valde, & implacabilẽ hostem sentiret? Ita quidem opus erat. Ita ne ergo fieri potuit, vt Deus illam diabolo aduersariam de industria, & data opera assignaret, quę ipsi familiaris aliquando fuisset? Minimè verò. 12

Sed quantam isthæc virago, ac robusta fœmina in datum sibi hostem stragem ediderit, significant subiecta verba: *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* In Græcis codicibus est, *ipse conteret, &c.* Sed nostri textus etiã correctissimi habent *ipsa*. Quam lectionem sequuti sunt Bernardus homil. 2. super *Missus est*. Et in ser. de verbis Apocalypsis. Rupertus hic. Gregorius Magnus lib. 1. moral. cap. 19. Bonauentura in speculo, & alij quamplures Patres, quorum censum facit Pereyra, & Delrius in eum locum. Ergo aliquid aliud sibi gloriæ ducere posset serpens, quod mulieris anxilio caput humani generis Adamũ grauiter vulnerasset: vulneris autẽ iniuriã haud facile cõpensari posse, vel ex eo sibi persuadebat serpens ille antiquus, quia cum illa iniuria in sui compensationem hoc posceret, vt simile vulnus diabolo infligeretur

Bernar. Rupert. Gregor. Bonauen. Pereyra. Delrius.

geretur, tantum astutiæ suæ tribuebat veterator ille, vt putaret caput suum nullo vulnere lædi posse: nam serpentis præcipuus astus est caput seruare, & reliquum truncum vulneri offerre. Quodnam ergo istud tam fartum, tectumque serpentis caput? Bernardus quidem semel elationem, ac superbiam, iterum vniuersam hæreticam prauitatem intelligit. Plures alij peccatum in vniuersum accipiunt.

Bernar.

13 Sed tamen cum *caput* dicat, non videtur vtique quodlibet peccatum sine discrimine notari, sed illud, quod aliorum caput est, & quod origine trahitur, scilicet traducis peccatum. Quam sententiam Doctores infra citandi authoritate sua fulciunt. Et quidem huic peccato perquam apte caput serpentis accommodatur: quia quemadmodum serpēs (vt tradit Gregorius Nissenus alibi à me obseruatus) qua caput inseruit, totū facilè transmittit corpus: ita etiam peccatum originale eiusmodi est, vt animam subingressum reliquum actualium peccatorum truncum post se facilè trahat. Rursus talis etiam naturę est caput serpentis, vt quamuis aliquando illata vi exsecetur: tamen non statim truncus vulneri huic immoriatur, sed viuus, agilisque in circulos, & orbes se se torqueat. Nec dissidet ab eo hęc traducis culpa: nam cum semel animam occupauit, licet immissa deinde gratia, & iustitia conteratur, aut reuellatur; tamen non ideò concupiscentia, & aliorum peccatorum actualium reliqua seges statim demoritur, sed subinde viuit, atque hominem passim illaqueat. Denique serpens caput imprimis seruat, & reliqua facilè exponit: ita etiā diabolus hanc culpam, quæ reliquarum culparum caput erat, cautius defendebat: alias verò culpas, aut deleri, aut emaculari non magni faciebat.

Nissen.

14 Quorsum hęc? Accipe latam in serpentem sententiam. *Ipsa* (inquit) *conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Vide quam apte id dictum sit, id est, non tuam modo violauit prudentiam caput illud, hoc est, peccatum originale, quod tam caute seruas, pręoccupans, ac perimens: sed etiam ablatam à te prudentiam sibi arrogauit. Nam caput vtiq; longè cautius defendet quam tu, & extremam corporis partem, hoc est, calcaneum tuis insidijs, ac morsibus tantummodo apertum dimittet. Quod vtique significat in Virgine Deipara caput, id est, vitæ initium, eius nimirum conceptionem purissimam ab omni serpentis afflatu, & veneno tectam, ac tutam fuisse: eiusdem autem vitæ calcaneum, id est, finem, diaboli insidijs quodammodo patuisse, quia ex Dei consilio ita factum, vt mors tunc illam, annuente Deo, velut ex insidijs inuaderet. Neque enim voluit eam, quam à culpa seruauerat, mortem effugere non sibi indecoram, sed vtilem valde, ac proficuam. Sed vide quam bene, apteque caput

Genes. 3.

illud serpentis, scilicet peccatum originale comprimere Virgini datum est. Petrus Blessensis in serm. 1. de Aduentu sic habet. *Benedictionem attulit Mariæ Angelus dicens. Aue benedicta inter mulieres, id est, sola robusta inter molles (Mulier enim à mollicie sumitur, quasi mollier) Hæc est illa mulier fortis, de qua scriptum est: Mulierem fortem quis inueniet? in cuius fortitudine dictum est diabolo: Ipsa conteret caput tuum.* Loquitur autem ibi Blessensis de peccato originali, vt ex antecedentibus, & consequentibus videre est. Quomodo autem Virgini Deiparæ hanc fortitudinem, & constantiam gratia originalis dederit, habes infrà cap. 31. Pet. Bless.

15 Sed tamen de mulieris, atque serpentis inimicitia audiendus est Rupertus: *Ipsa conteret caput tuum. Serpenti vtique cum fœmina mirabilis discordia est: nam si nuda mulieris planta dentem serpentis praeuenerit, & viuacissimum caput eius, vel leuiter presserit, statim totum cum capite corpus repente interit, ita vt nullus omnino motus, nullus sensus in aliqua parte residuus sit: quod nec malleis, nec vectibus certè, nec q' adijs concidentibus cito, aut leuiter effici potest: si quidem excisum caput cum duobus, aut tribus trunci digitulis abire perhibetur. E contrà ille quamlibet exiguus sit, si vel extremæ plantæ dentulum infixerit, fœminam occidit: morsu namque infusa pestis, per venas vegetatione corporis aucta discurrit, animamque eximit.* Hæc Rupertus: ex quo constat inter fœminam, serpentemque quandam veluti causam præuentionis versari, atque in eo vtriusque fortunam sitam esse, vter vtrum præoccupauerit. Hoc igitur, Deo auspice, factum est, vt serpentis caput, quod alijs vicem nunquam non præripuit, atq; illos morsu suo inficit, sola Virgo Deipara præoccupauerit, & calce compresserit, contuderit, contriuerit. Vnde accidit, vt quemadmodum capite serpentis ad eum modum per mulieris calcem ocyùs compresso, reliquum corpus è vestigio interit: ita etiam peccato originali per Mariæ calcem obtrito, concupiscentiæ, atque aliorum actualium criminum truncus non amplius vixerit, aut viguerit, sed cum capite omnino enectus ceciderit. Vnde non leue argumentū depromitur contra illos, qui asserunt Virginem ab hoc maligni serpentis capite, id est, à peccato originali, prius quidem ictam, & punctam fuisse, sed caput hoc subinde per infusam gratiam enectum. Nam si res ita se habuit, vbinam fomes, & concupiscentia, & quæ his cohærent actualia peccata, quæ velut illius capitis truncus, post quam excisum est, viuere, & vigere oportere? Ergo cum hæc in Virgine ab initio demortua, & extincta penitus manserint, dicere oportet, viuacissimum illud serpentis caput, scilicet peccatum originale, cui ista annectuntur, per anticipationem oppressum. Rupert.

Sed

16 Sed qui factum inquies, vt Virgo hac anticipatione vti, ac caput serpentis ad eum modum præuenire potuerit, cuius morsus alij declinare non potuerunt? In promptu est ratio, quia res ipsa suadet eũ, qui colubri caput pede premere impune voluerit, à tergo aggressurum: liceat ergo sic fari, reliqua Adami soboles caput serpentis, hoc est, peccatú originale ideò euitare non potuit, quia anterior illi erat. Nam, vt supra dixi, pactũ transfusionis omnes Adami filios futuros, & anteriores iam iam præsupponebat, atque adeò nullus fuit, qui ictum, ac puncturam illius eludere posset: sola Virgo posterior fuit post ipsum, & propter ipsum peccatum definita, atque adeò illud quasi à tergo, & à dorso inuadens facilè incautum oppressit, & contriuit. Hinc natum illud. *Et tu insidiaberis calcaneo eius.* Nam vt vicem serpens Virgini referret, illam etiam per insidias à tergo adoriri voluit, sed incassum.

17 Denique illud etiam inquires, cur Virgo caput hoc maligni serpentis pede oppressisse dicitur? Bernard. hoc tribuit semel humilitati, & iterum eximię illius virtuti. Irenæus infra citandus innocentiæ columbinæ. Sed videndum omnino, cur hæc innocentia pedis nomine appelletur. Certè ea nunc ratio succurrit, quia rerum initia pedi tribuimus, propterea aliquem fausto, aut infausto pede ingredi dicimus, id est, rem fortunate, aut infeliciter auspicari. Ergo vt significetur, quam fausto, & fortunato pede Virgo Deipara vitam adierit, hæc serpentis victoria pedi ipsius tribuitur: ita vt sensus sit: *Ipsa conteret caput tuum*, id est, fœlicem admodum in vitam pedem inferet, quandoquidem illum in serpentis caput ad illud conterendum primum adijciet. Ad hanc sententiam aptare licet pulchra D. Dionysij Alexandrini verba in epistola contra Paulum Samosatenum, vbi de Virgine sic fatur: *Et matrem incorruptam à pedibus vsque ad caput benedictam seruauit.* Cur igitur pedibus, capitique eius benedictio accommodatur? Accipe nunc eam rationem. Quia & pedes suos in caput serpentis illisit, & caput ipsa suum cautius seruauit.

Bernar. Irenæus. Dionys.

Aliqui etiam Augustinum producunt. In his Ioann. Eckius in serm. de Conceptione. Cuius hæc adscribit verba: *Subiectum esse peccato originali, est caput diaboli, eo quod principium illud est, quo diabolus hominem in suam adducit potestatem.* Sed hæc verba in Augustino reperire non potui. Neque etiam illa, quę Bernard. de Bustos in Offic. de pura Conceptione, obseruauit ad hũc modum. *Cum subiectio peccati originalis caput sit diaboli, tale caput Maria contriuit, quia nulla peccati subiectio ingressum habuit in animam Virginis, & ideò ab omni macula immunis fuit.* Vterque autem citat Augustinum in Gene. Vtinam hæc tua essent, ò Augustine germana verba! Nihil enim vltra expeti posset: sed quãuis illius nó sint, illud mihi satis, quod illa aliquando in approbato à Pontificia sede Officio Ecclesia legerit, ac recitauerit.

Ioannes Eckius. Bernar. de Bustos.

Suppetit etiam locus alter ex Hierem. cap. 31. *Creauit Dominus nouum super terram: Fœmina circundabit virum. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel.* Locus iste de Virgine Deipara ex communi Patrum consensu ad literam exponi debet. Frustrà hìc plures aduocem, cum omnes adscribere possem. Igitur priora illa verba: *Creauit Deus nouum super terram*, ita accipi debere contendo, vt non tantum significent nouitatem in eo fuisse, quod Virgo fœmina Christum Deum simul, atque hominem vteri sui coerceret angustijs: sed personas etiam nouas, ac recentes esse, scilicet filium, atque matrem, nouas inquam, id est, non ex veteri Adami sobole, sed ad vetustatem illius abolendam denuo inuentas, & inchoatas. Ita enim res ipsa poscebat, vt nouæ omnino, atque recentes essent personæ, quæ omnia vetusta, & antiquata ad nouitatem traducerent. Nouas autem, & recentes appello, id est, non ante peccatum præuisas, sed post peccatum, & propter peccatum primum quidem ab æterno excogitatas, & in nouissimo tempore factas, & quasi nouatas fuisse. Et quidem nouitatem hanc non modo ad conceptum, & partum, sed etiam ad personas esse referendam, suadet imprimis verbum illud *creauit*, quod parum benè de sola generatione, & communi pariendi, & concipiendi modo intelligitur. Deinde auxilio est translatio Septuagin. qui verba ista sic extulerunt. *Quia creauit Dominus salutem in plantatione noua*: quæ verba arborem simul, ac fructum nouum esse significant, hoc est, matrem, ac filium, per quos salus mundo creata est. Nam *salutis* nomine Christum Saluatoré notari dixerim: in *plantatione* autem *noua*, Mariam, quæ non ex veteri propagine, & radice vitiata germinauit, sed velut denuò sata radicis vitium ignorauit. Accedit etiam August. qui in serm. 9. de tempore (si tamen nó est adscripititius sermo ille) nouitatem hanc ad personas etiam extendit. 18

Hier. 31. August.

19 Sed aliquid de verbo illo *circundabit* per decursum dicamus. Quidam non insulse obseruarunt, propterea verbum *circundabit* adsignificandam matris Dei dignitatem additum fuisse in hoc loco. Quia omnis circularis circumscriptio, quatenus caret initio, atque fine, infinitatem quandam pręsefert, atque adeò infinitam illius dignitatis nobilitatem apprime notat. Et quidem isthæc dignitas non modo Christum circumdare, ac circumscribere eatenus dicenda est, quatenus illum sacris Mariæ visceribus conclusit: sed etiam alio nomine, quatenus Christi efficiẽtiam ita per ambitum coercet, vt quemadmodum ex centro ad viteriores sphæras,

nihil

nihil peruenire potest, quod per intimum, & maximè cohærentem circulum non transeat: ita etiam nihil gratiæ, opis, aut auxilij à Christo in alios profectum sit, quod matri non probetur impensum. Tum etiam idcò maternitas Christum ambire dicitur, quia omnem illius potentiam, efficacitatem, & merita sic vndequaque continet, vt illorum omnem vim in se excipiat.

20 Cæterum aliam subijciam illius verbi interpretationem ad rem nostram, quam aliquando vsurpaui, & à Doctoribus probari cognoui: *Nouum creauit Dominus super terram, mulier circumdabit virum.* Verbum *circumdabit*, si ad origines referas, significat vtique ambire, id est, per ambitionem quandam petere. Noua igitur (inquit Propheta) & nusquam audita res: nam cum aliàs viri fœminas ambire, ac petere soleant, nouam quandam fœminam suscitauit Deus, quæ ipsum virum ambiat, atque petat. Quænam isthæc mulier? Non alia profectò nisi Virgo Deipara, quæ ab instanti suæ conceptionis Christum ambiuit, ac petiuit, nihil non faciens, ac tentans, vt eum sibi filium obtineret. Et quidem inter alia, quæ Virgo ad petitionem huius viri eximia attulit, illud profectò ad ipsum promerendum præstantissimum fuit, quod gratia, & iustitia originali inter alias fœminas præstitit: inde enim factum, vt cum maturius, & ocyùs ad amandum, petendumque virum istum venerit, illum sibi acquisierit, ac vendicauerit.

21 *Psal. 44.* Ad extremum subijciendus locus alter ex Psalm. 44. qui sic habet. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum: quia ipse est Dominus Deus tuus.* Hunc locum de immaculata Virginis conceptione satis acutè expendit Leo Imperator Basilij filius in homil. de Annunciatione, quam noster Grethserus ex Græco nuper nobis latinam dedit, sic enim ait: *Leo Imperator.* *Cum adhuc in lumbis paternis contineret is progenitor tuus clamabat: audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Audisti verè, ò filia, commendationem, & oblita es populi tui, & fortis, & domus paternæ: fortis videlicet illius, quam Eua progenitrix toti generi distribuit, infinito illo affectuum, passionum, & animi perturbationum cumulo quasi hæreditario relicto. At nihil horum tu in domum tuam intulisti.* Hactenus Imperator. Quasi dicat, propterea patrem, matrem, & populum tuum obliuioni tradere te iubeo, quia licet ab ipsis genus recensere videaris communi cum alijs lege, tamen inter eorum filios minimè censenda es: habes enim progenitorem alium, scilicet ipsum Christum, à quo veriùs originem trahis: *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus*: pro Domino subest nomen *Iehoua*, quod significat primum ens, quod reliquis rebus (liceat sic fari) essendi author, & causa existit. Sensus igitur verborum est, Mariam non tam esse Adami filiam, quam Christi. Nam quamuis ab Adamo fluxerit, tamen illius filia existimari non debet, quandoquidem non est illius hæres: habet enim alium progenitorem, scilicet ipsum Christum, cuius meritis id etiam debet, vt condita sit, alioqui minimè futura: atque adeò ad familiam eius ab initio pertinet. Nec videri debet absurdum ad hunc etiam sensum allicere illam Ecclesię Odam.

O gloriosa Domina,
Excelsa super sydera,
Qui te creauit prouidè,
Lactasti sacro vbere.

Necnon illud: *Genuisti, qui te fecit, &c.* & similia, quæ vulgo occurrunt apud Patres. Ita vt non modò ad diuinitatem, sed etiam ad humanitatem Christi referantur, vt sensus sit: genuisti, vel lactasti eum, qui meritis suis tibi impetrauit, vt esses, ac fieres. Sed his omissis ad rem nostram redeamus.

VIRGINIS DEIPARAE EXIstentiam, creationem, & electionem post peccati, & Christi præscientiam definitam fuisse testimonijs Patrum probatur.

CAP.

CAP. XX.

1. *Beatissimam Virginem specialiter à filio suo conditam constat ex Bernardo.*
2. *Confirmatur ex Anselmo, & ipso Bernardo.*
3. *Roboratur ex Damasceno.*
4. *Virginem propter Euã conditam, sicut Christum propter Adamum docet Irenæus.*
5. *Subscribunt Tertullianus, & alij quamplures,*
6. *Eua Mariam venustè opponunt August. & alij.*
7. *Protoplastorum ærumnas depulit Maria.*
8. *Noua Eua Maria dicitur, quia ex antiqua Eua vetustate nihil traxit.*
9. *Et quia post peccatum præuisum fore decreta est, vt prioris Euæ vetustatem nouaret.*
10. *Virginem post peccatum Adæ prædestinatam ad existentiam ex dictis apertè conuincitur.*

1 ACTENVS Thesim nostram scripturæ testimonijs partim probauimus, partim lusimus, nunc eandem apertioribus Patrũ sententijs roboremus. Agmen autem regat Diuus Bernardus, qui homil. 1. super *Missus est* hũc ad modum fatur. *Proinde,* (inquit) *factor hominum, vt homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imò condere matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram.* Hæc Bernardus. Quid luculentius? Sensus verborum est. Ad Maiestatem Dei pertinebat, vt habiturus matrem non tantum illam ex his deligerẽt fœminis, quæ iam olim erãt futuræ, sed etiam, vt eam sibi denuo conderet, ac formaret: ideò præmisit: *Proinde factor hominum, vt homo fieret, &c.* quasi dicat, cum esset ipse factor hominum, atque adeò quoscumque vellet condere, denuo posset, non ex necessitate elegit, sed iuxta potentiam condidit. Et quidem in hoc Bernardi principio innititur peruulgata illa ratio, quæ ad defendendam immaculatam Virginis conceptionem passim vsurpari solet: nimirum alios filios, cum matres sibi ipsis instituere non possint, eas ex Dei, atque naturæ beneficio accipere, quæ ipsis euenerunt. At de Deo aliter putandum: nam cum ipse sibi matrem condere posset, eam vtique formauit, qua nulla, vel melior, vel purior post ipsum Deum esset. — Bernar.

2 Anſel. Id verò sibi voluit Anselmus in lib. illo de Conceptione Virg. & de peccato originali, vbi tritissima illa verba confert. *Nempè decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus pater vnicum sibi filium, quem de corde suo æqualem sibi genitum tanquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque communis Dei patris, & Virginis filius: & quam ipse filius substantialiter facere sibi matrem eligebat.* Pende extrema verba: nam si aduerbium *substantialiter* referatur ad verbum *facere,* sensus euadit perspicuus: significat enim Virginem non modo à Deo electam, vt mater ipsius foret, sed eum in finem substantialiter factam. Quod si vocem illam *substantialiter* ad *matrem* adaptes, ita vt sensus sit, ideò electam, vt esset substantialis, & naturalis ipsius Dei mater: tunc quidem pensandum erit illud, quod ait, *Facere sibi matrem eligebat.* Quod significat Deum non tantum matrem sibi elegisse, sed illius etiam effectionem, & causationem: quia nimirum cum ex futuris non suppeteret talis aliqua, qualis eum decebat, elegit eam sibi facere, vt nihil illi deesset. Sed ad Bernardum iterum redeo: hic enim in serm. de S. Maria sic scribit: *Prius enim altissimus sibi eam, quasi mundum specialissimum creauit, quam in iustitia, & sanctitate fundaret.* Et infrà: *Arca quoque testamenti typum tenet sancta Dei genitricis. Illam fecit Bezeleel: illam condidit Emanuel; Bezeleel Olial in socium operis habuit, & ista Virgo condita prælecta, præseruata, præparata per Spiritum Sanctum, & eius omnipotentem filium fuit.* Vtriusque loci librationem exactam tibi permitto, est enim valde perspicua. — Bernar.

Succedat Damascenus in orat. 1. de Natiuitate Virginis: *Quid autem est* (inquit) *cur Virgo mater ex sterili orta est? Quoniam scilicet oportebat, quod ad id, quod solum sub sole nouum erat, ac miraculorum omnium caput, via per miracula sterneretur, & paulatim ab humilioribus ad sublimiora progressus fieret. Quamquam alia quoque altior, ac diuinior ratio à me afferri potest: etenim natura gratiæ cedit, ac tremula stat, progredi non sustinens. Quoniam itaque futurum erat, vt Dei genitrix, ac Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum anteuertere minimè ausa est, verum tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset.* Pulchra sanè, sed subobscura verba: nam illud imprimis exactiori eget libra, quænam gratia sit hæc, cui natura cedit, & quam tremula præstolatur. Aiunt aliqui eam esse gratiam miraculorum, quæ in censum illarum gratiarum, quas vocant gratis datas, computari solet: sed tamen eos planè falli prior ratio Damasceni satis euincit. Nam cum prior ad miracula spectetur, & posteriorem nõ modo ab ea diuersam, sed diuiniorem, & altiorem esse dicat sanctissimus Doctor, fateri oportet aliam aliquam digniorem gratiam notari. — 3 Damaſc.

Alij

Alij rursus vt hæc verba ad immaculatam Virginis conceptionem probandam accersant, asserunt per gratiam sanctitatem quidem, atque iustitiam hic esse capiendam: sed tamen hi (vt dicam etiam quod sentio) nihilo secius falluntur: quia Damascenus dicit tandiu naturam moratam, suam distulisse productionem, quoad gratia suum fœtum protulisset: itaque gratiæ efficientiam præuiam fuisse dicit, & naturam subinde secutam. Atqui certum est gratiam, & iustitiam non prius induci in animam, quam ipsa sit producta in corpore, atque adeò secundum eam considerationem gratia potius naturam, quam natura gratiam expectauit. Rursus mora vnius, & celeritas alterius respectu productionis sanctissimi fœtus à Damasceno fingitur: gratia autem, & sanctitas ad hoc minimè adniti potest.

Quapropter ego potius dicerem gratiam hic appellari Christi merita: id enim nominis apud Paulum passim sortiri alias diximus: atque adeò sensum esse, ideò Annæ sterilitatem à Deo immissam fuisse, vt constaret naturam ad Mariam producendam minimè sufficere, atque adeò gratiam, quæ per Christum est, præstolari debuisse, id est, ipsius merita, quibus impetratum est, vt Annæ sterilitas ad generandum exacueretur, & Maria, quæ alias minime foret, in lucem prodiret. Itaque mens Damasceni est Mariam donum creationis, non quidem per communem alijs gratiam, scilicet per liberalitatem Dei, quæ naturæ semper comes adest: sed per Christi merita, & gratiam singularem obtinuisse: idque significat illa naturæ mora, tremor, dilatio, & concessio, per quam se se gratiæ demisit, ac subdidit. Sed luculentissima sunt eiusdem Damasceni verba in eadem oratione circa medium: *Vitam* (inquit) *habebis natura præstantiorem, non tibi ipsi (neque enim tui ipsius causa progenita es) Quo circa Deo habebis, ob quem in vitam prodijsti, vt orbis vniuersi saluti administram te præberes, atque antiquum Dei consilium, hoc est, incarnationis verbi, ac nostræ deificationis per te impleretur.* Quid illustrius? Alia Patrum loca his adsimilia sequentibus capitibus dabo: sed tum maximè cap. 22. *Damasc.*

4 Cum præmissis Doctoribus facit etiam copiosior alia classis, qui Mariam propter Euam perinde factam esse docent, sicut Christum propter Adamum. Irenæus libro 3. cap. 33. *Sicut Eua inobediens facta & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est mortis: sic & Maria habens prædestinatum virum, tamen Virgo obaudiens & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est salutis. Et propter hoc eam, quæ desponsata erat viro, licet Virgo sit, adhuc vxorem eius, qui eam sibi desponsauerat, vocat. Quæ est à Maria in* *Irenæus.* *Euam recirculationem significans* (nimirum vt siquidem Eua nupta erat, Virgo non esset innuba, nequid illi deesset, quod figuræ suæ non responderet.) Subdit Irenæus. *Quia non aliter, quod colligatum est, solueretur, nisi ipsæ compagines alligationis reflectantur retrorsum, vt primæ coniugationes soluantur per secundas; & secundæ etiam liberent primas. Et ita euenit primam quidem compaginem à secunda coniugatione solui: secundam verò coniugationem primæ solutionis habere locum. Et propter hoc Dominus dicebat: Primos quidem nouissimos futuros, & nouissimos primos. Propheta autem hoc idem significat. Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij. Propterea etiam & D. Lucas initium generationis à Domino inchoans in Adam retulit, significans, quia non illi hunc, sed hic illos in Euangelium vitæ regenerauit: sic etiam, & Euæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ. Quod enim alligauit Virgo Eua per incredulitatem, hoc Virgo Maria soluit per fidem.* Hactenus Irenæus, cuius verba subobscura sunt: si tamen discutias singula, Doctoris huius mens statim se se prodit, quæ sic habet. Ex prouidentia Dei ita factum, vt quemadmodum vir, & fœmina mortis causam nobis attulerunt: ita etiam vir, fœminaque mortuis vitam inspirarent. Et quidem vti meliùs res inter se congruerent, ita deliberatum fuit à Deo, vt sicuti duo coniugati totum genus humanum culpa obligauerant: ita etiam alij duo non coniugio, sed arctiori fœdere adstricti id soluerent omnino, & expedirent, quod priores obstrinxerant. Itaque secunda, & posterior duorum colligatio propter priorem facta est, ad eam videlicet liberandam, & asserendam: atque ita demum effectum, vt impleretur, quod Dominus olim dixit: *Primos quidem nouissimos futuros, & nouissimos primos.* Nouissimos autem appellat Irenæus Christum, & Mariam, id est, postremos, atque vltimos homines: quod non aliter cum veritate constare potest, nisi fateamur illos in prædestinatione Dei extremos fuisse, nimirum aliorum redimendorum causa fieri prædestinatos. Subnectit etiam Irenæus verba illa Prophetæ: *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij*, quæ non ita ipse accipit, quasi filios in parentum locum subrogatos, & suffectos significent: sed ita quidem vt IESVS, & MARIA Adami filij subinde post parentes suos, & propter illos, Deo ita prouidente, procreati sint. Et quidem locus iste Irenæi magnam vim habere debet ad thesim nostram constabiliendam. Nam cum Christum, & Mariam copulet, & vtrumque propter Adamum, atque Euam, & propter cunctam eorum sobolem à Deo conditum asserat, parem vtriusque aleam, & fortunam fuisse annuit. Ita vt sicut Christus propter Adamum,

atque illius peccatum formatus est, ita vt eo sublato non foret: eodem modo Virgo Deipara propter Euam, atque eius inobedientiam ita formata sit, vt inde etiam suæ conditionis occasionem prorsus mutuauerit, alioqui nullo tempore futura.

Irenæus. Rursus idem Irenæus lib. 5. cap. 19. sic scribit. *Quemadmodum Eua per Angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum præuaricata verbum eius, ita & Maria per Angelicum sermonem euangelizata est, vt portaret Deum obediens eius verbo. Et sicut illa seducta est, vt effugeret Deum: sic hæc suasa est obedire Deo, vti virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata. Et quemadmodum morti adstrictum est genus humanum per virginem, soluatur per Virginem, æqua lance disposita virginali inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccatum per correptionem primogenitæ* (scilicet ipsius Mariæ) *emendationem accipiens, & serpentis prudentia deuicta est in columbæ simplicitate* (columbam appellat etiam Mariam.) Et quidem extrema isthæc verba infra c. 26. latius expendeda, & euoluenda suscipiam. Nunc satis sit illud ex hoc loco excipere, Mariam ad Euæ ruinas instaurandas à Deo inuentam, & excogitatã fuisse: nam ex hoc loco alia nobis posteà digniora argumenta suppetent.

5 Tertull. Redeant etiam iterum ad incudem verba Tertulliani supra adscripta cap. 18. quæ ex libro de carne Christi cap. 17. excerpta sunt, quæ Mariam etiam ex Dei deliberatione ad Euæ damna resarcienda factam apprime significant: *In Euam virginem irrepserat verbum ædificatorium mortis, in Virginem æque introducendum erat verbum Dei extructorium vitæ, vt quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur ad salutem.* Eiusdem argumenti est illud Epiphanij libro. 3. contra hæreses. Epiphan. *Sed & illud de his cogitare admirabile est, de Eua, inquam, ac Maria: Eua enim mortis causa facta est hominibus: per illam enim ingressa est mors in mundum: Maria verò causa vitæ, per quam genita est nobis vita, & per hanc filius Dei accessit in mundum: & vbi redundauit peccatum, ibi superabundauit, & gratia: & vnde facta est mors, inde processit vita, vt vita pro morte fieret, & qui per mulierem nobis vita factus est, mortem ex muliere inductam excluderet.* Lege ibi plura. Audi etiam Chrysost. Chrysostomum homilia in festo Annunciationis, vbi inter alia hæc miscet: *Aue* (inquit) *gratia plena, Dominus tecum, non est amplius diabolus contra te: vbi enim prius hostis ille vulnus inflixit, illic medicus adhibet medicamentum: vnde mors ingressus principium habuit, inde vita sibi aditum patefecit: per mulierem mala fluxerunt, per mulierem emanant bona.* Epiph. Audiendus iterum Epiphanius in sermone de Laudibus Virginis. *Angeli* (inquit) *accusabant Euam, nunc verò Mariam gloria prosequuntur, quæ mulierum infirmitatem vere gloriosam reddidit: quæ lapsam Euam erexit, & Adamum è paradyso deiectum ad cœlum misit.* Quid Damascenum memorem? Damasc. Hic enim in oratione 1. de Natiuitate Virginis sic scribit: *O Deo digna filia, primigenæ matris Euæ correctio! Quamuis enim prima Eua à Dei mandato recesserit, ac per illam aduersus primum parentem serpenti operam nauantem mors aditum inuenerit, Maria tamen diuinæ voluntati obsequuta deceptorem serpentem in fraudem induxit, ac mundo immortalitatem inuexit.* Ad hæc Hesychius Hierosolimitanus in sermone de Laudibus Mariæ, sic demum asserit: Hesych. Hierosol. *Ecce Virgo quædam mulierum egregia, præclarum naturæ nostræ ornamentum, gloria luti nostri, quæ Euam pudore, & Adamum comminatione liberauit, audaciam draconis abscidit.* Chrisippus etiam Presbyter Hierosolimitanus similia proclamauit in sermone de Laudibus Virginis: Chrisipp. Hierosol. *Quænam* (inquit) *verisimile est hostem generis humani secum loqui, dum videt nos per mulierem reuocatos ad filiorum adoptionem, quam initio habebamus? Nonne hæc dicit, & queritur? Qui fit vt instrumentum, quod in principio cooperabatur mihi, nunc mihi aduersetur? Mulier mecum efficit, vt in genus humanum tyrannidem occuparem, & mulier me à tyrannide deturbauit: antiqua Eua me erexit in altum, & noua deiecit.*

6 August. Accedat etiam Diuus Augustinus in homilia tertia de Assumptione: *Hæc* (inquit) *primæ matris damna resoluit, hæc homini perdito redemptionem adduxit: mater enim generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem edidit mundo: autrix peccati Eua, autrix meriti Maria: Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit: illa percussit, ista sanauit, &c.* Præterea etiam Diuus Hieronymus ad Eustochium Virginem sic fatur. Hieron. *Ac per hoc quidquid maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ.* Diuus etiam Ildephonsus in sermone 2. de Assumptione ad hunc modum scribit: Ildeph. *Hæc est illa, per quam omnis maledictio soluta est primorum parentum, & cœlestis benedictio in toto venit mundo.* Et sermone item 4. Mariam *Euæ reparationem* appellat. His etiam adiunge Andræam Cretensem homilia de Dormitione Mariæ, Andræas Creten. vbi sic addit: *Sola enim nobis, introducto gaudio, expulit dolorem primæ parentis.* Et infrà: *Impletum est quidquid est creatum tua gloria: sanctificatum est vniuersum vnguento tui odoris, per te deleta est peccati occasio, transmutata est in lætitiam primæ parentis execratio.*

7 Damasc. Redeat iterum Damascenus, qui homilia in Assumptione Virginis Adamum, atque Euam sic loquentes inducit. *Tunc sanè Adam, atque Eua nostri generis primi parentes exultantes clare suis labris exclamarunt.*

runt. Tu beata filia deleuisti pœnam nostræ transgressionis, tu cum à nobis originem duxisses, vt bene simus vicissim, reddidisti, dolores partus soluisti, mortis fascias perfregisti, nobis antiquum constituisti habitaculum. Nos clausimus paradysum, tu ligni vitæ viam aperuisti, per nos ex his, quæ bona erant, venere quæ erant molesta, per te ex his, quæ erant molesta, rediere quæ erant iucunda. Accinit etiam Diuus Bernardus, qui non semel eandem sententiam vsurpat. Primum ergo in sermone de Verbis Apocal. sic ait. *Iam itaque nec ipsa mulier benedicta inter mulieres videbitur otiosa, inuenietur equidem locus eius in hac reconciliatione, opus enim est mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis vtilior quam Maria. Crudelis nimirum Eua, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum, & viris, & mulieribus propinauit: illa enim ministra seductionis, hæc propitiationis: illa suggessit præuaricationem, hæc iniecit redemptionem.* Et in sermone de Aqueductu: *Redempturus humanum genus pretium vniuersum contulit in Mariam. Vt quid hoc? Forte vt excusaretur Eua per filiam, & querela viri aduersus fœminam deinceps sopiretur.* Et in sermone 1. super *Missus est. Propterea* (inquit) *curre Eua ad Mariam, curre mater ad filiam, filia pro matre respondeat, ipsa mortis opprobrium auferat, ipsa patri pro matre satisfaciat. Quia ecce si vir cecidit per fœminam, iam non erigitur nisi per fœminam. Quid dicebas ô Adam? Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi: verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas, quam deleas culpam: verumtamen sapientia vicit malitiam, cum occasionem veniæ, quam à te Deus interrogando elicere tentauit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis inuenit. Redditur enim fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, & pro venenoso illo cibo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni.* Quid plura? In sermone, qui inscribitur, *Virginis deprecatio*, sic scrit: *Vides hanc tunicam pelliceam, quæ nos circumdedit? Tunica Euæ parentis nostræ est, quam ad nos olim misera illa transmisit, & superuestiuit carnem filiorum suorum, sicut diploide confusione sua. Et quis liberabit nos à corruptela huius miserrimæ pelliculæ? Gratia saluatoris nostri filij tui, ô Maria: & quis tam idoneus, vt loquatur ad cor Domini nostri Iesu Christi, vt tu fœlix Maria?* Et infrà, *Exurge virus hoc exinanitura mortiferum, quod de pomi fut reliquijs Eua nobis propinauit, quando succi noxialis gustu ebriata est, & reliquias dimisit paruulis: vtinã poculũ suum ebria illa totum ebibisset, & non item in nos diffudisset.* Ac demũ in alio sermone de Beata Maria sic inquit: *Eua ergo spina fuit, Maria rosa extitit: Eua spina vulnerando, Maria rosa omnium affectus mulcendo: Eua spina infigens omnibus mortem, Maria rosa reddens salutiferam omnibus sortem.*

Bernar.

Addendus reliquis Petrus Damianus in sermone de Natiuitate Virginis, vbi sic ait: *Largissimum Mariæ benedictionis nouæ fluentum totum detersit maledictionis antiquæ contagium.* Denique Guerricus Abbas sermone 1. de Natiuitate Mariæ: *Nata est hodie mater noua, quæ primæ matris maledictionem dissoluit, vt per istam benedictionem hæreditatem possideant, qui per illam sub præiudicio maledicti æterni fuerant nati.*

Petr. Damianus. Guerric. Abbas.

8 Mitto alia plura Patrum testimonia magis obuia: hæc enim propterea hîc adscripsi, vt in suis iacent authoribus, quia cum infrà aliquid ex illis libare oporteat, ad sequentes theses confirmandas, placuit ea in hoc capite integra dare, vt eorum vis, & energia melius intelligatur. Sed tamen quid ex illis hactenus confectum velim, compendiose ostendam. Primò igitur obseruandum est, Mariam à plærisque Patribus appellari *nouam Euam*, & *nouam matrem*. Cogita ergo nouam non ideò dici, quia cum antiqua collata recentior sit: sed quia veteris hominis nihil in se portat. Quod vel ex eo suspicari licet, quia illos etiam, qui post ipsam nati sunt, non licet nouos appellare: omnes enim vetustatem habent illam, ad quam exuendam inuitat Apostolus ad Ephesios 4. *Deponite vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris.* Et ad Colloss. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis.* Ergo quia Virgini Mariæ ex vetere homine, idest, ex eius delicto, nihil adhæsit, ideò noua appellatur.

Ad Ephes. 4. Ad Col. 3

9 Aut etiam noua Eua dicitur, quia iuxta superiorem sensum ad vetustatem abolendam prorsus nouata, & de nouo facta. Id verò nominis præter supra citatos Patres habet Maria apud Athanasium in Euangelium de Sanctissima Deipara. *Ac proinde ista noua Eua mater vitæ appellatur, variegataque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium.* Et non semel etiam alias apud Bernardum. Sed notanda interim verba Athanasij, qui Mariam propterea *Euæ nouæ* vocabulum ferre dicit, *quia ad primitias vitæ variegata permanet.* Nam cum prior Eua sui nominis significationem prorsus eluserit, atque ex parente vitæ in parentem mortis, & interitus migrauerit: fœminam aliam nouam formari oportuit, quæ veteris nominis significatum expleret, & morte sublata auspicatissimum vitæ initium daret: ita ne ergo vt illa, quæ vitæ, & immortalitatis bonum, faustumque initium alijs datura erat, infaustissimum ipsa à morte initium caperet? Minimè verò. Initium vitæ debuit certè & ipsum à vita inchoari.

Athanas. Bernar.

10 Deinde ex superioribus Patrum testimonijs consequenter deducitur, à Deo quidem post præuisionem peccati institutum, vt Virgo Deipara denuo crearetur: nam ex his cōstat Virginem ad delendas Euæ prioris iniurias, vtque illius aduocata, reparatio, & correctio esset, deditam fuisse. Hinc ergo ratio optima suppetit ad hunc modum. Ex eo tantùm nomine, quia Christus propter Adamum ad eius peccatum delendum factus, & quia eiusdem mediator, & reparator extitit, ipsum post præuisum Adamum, & ipsius lapsum prædestinatum esse, verior, atque communior sententia docet: ergo cum Virgo sanctissima propter Euam à Patribus facta dicatur, vt ipsius aduocata, reparatio, & correctio esset, fateri etiam debemus, similem ad modum post Euæ, atque peccati eius præscientiam de Virginis conditione, & formatione à Deo deliberatum fuisse. Ego quidem huic rationi plurimum tribuo, ne si eam in Virgine parum robustam esse dicam, in Christo etiam infirmam, & inualidam affirmare cogar, ac rursus, quia valde gloriosum Virgini puto, eam id commune habere cum filio, vt in peccati remedium à Deo nó modo electa, sed etiam condita fuerit, vt infrà cap. 22. latius ostendam.

DEIPARAE VIRGINIS EXISTENTIAM, & primæ creationis beneficium post præuisionem peccati definitam, ex officio mediatricis, quo eadem Virgo apud Deum functa est, efficaciter probatur.

CAP. XXI.

1. *Virgo Deipara humani generis mediatrix, & redemptrix est.*
2. *Hæc præclarè docet Arnoldus Carnotensis.*
3. *Mediatrix dicitur, primò ratione propriæ mortis, quam pro salute hominum desiderauit, & obtulit, imò & perpessa est.*
4. *Secundò, ratione mortis filij sui, quem voluntariè pro humani generis redemptione litauit.*
5. *Tertiò, quia apud filium mediatricem agebat.*
6. *Humani generis reparatio Christo, & Mariæ donata est.*
7. *Etiam originalis peccati remissionem reliquis impetrauit Maria.*
8. *Quæ damna humano generi intulit Eua, reparauit Maria.*
9. *Originalis peccati tenebras Beatissima Virgo fugasse dicitur à Damiano.*
10. *Idem conuincitur ex Bernardo, & Cyrillo.*
11. *Et ratione comprobatur.*
12. *Ex officio mediatricis Virginem ab originali peccato immunem fuisse conficit Ildephonsus.*
13. *Quomodo ex festo Natiuitatis Mariæ, præseruationem ipsius ab originali colligat Ildephonsus.*
14. *Ildephonsi ratio, & sententia confirmatur præclaro Anselmi testimonio.*
15. *Ex mediatricis officio Virginis puritatem colligit Bernardus.*
16. *Rursus idem comprobant Ildephonsus, & Anselmus.*
17. *Quod parens Eua sauciauit, filia Maria sanauit, sicut macerata rosa spinarum dolorem tollit, ac lenit.*
18. *Ex officio mediatricis efficaciter probatur Beatissimam Virginem post præuisionem peccati ad existentiā prædestinatam fuisse.*
19. *Idem exemplo Christi mediatoris confirmatur.*



OST Adami, atque Euæ peccatum præuisum, à Deo decretum, vt Virgo foret ex eo in superiori cap. deduxi, quia Patres illam ad Euæ ruinas instaurandas procreatam fuisse docent. 1
Nunc quidem hanc rationem perurgens cōmunē titulū mediatricis, de quo in c. 8. Prouer. ad ver. 19. latissime disceptaui, rursus ad incudē vocare libet, vt positionē nostrā ex illo cōstabiliā. Ponēdum autē est id, quod inibi multis Patrum testimonijs solidum feci: scilicet

licet Virginem Deiparam totius mundi mediatricem esse, vel (liceat ita dicere) redemptricem. His autem, quos inibi adscripsi,
Basilius. addendus est Basilius Seleuciæ Episcopus in sermone de Incarnatione: *Aue* (inquit) *quæ inter Deum, & homines mediatrix intercedens, efficis vt interiectus inimicitiæ paries tandem aliquando euertatur, terrenaque cœlestibus coniungantur.* Item Diuus Ephren. de Laudibus
Ephren. Virginis: *Aue* (inquit) *progenitoris Adam resurrectio: Aue mundi mediatrix gloriosissima: aue mundi salus: aue vniuersi terrarum orbis conciliatrix.* Item Ansel. de excellent. Virg. c. 9.
Ansel. & cap. 11. vbi plura confert in hanc sententiam, cuius verba infrà dabo.

2 Deinde etiam transferenda sunt in hunc locum ea omnia, quæ dixi de modo, ac ratione, qua Virgo Deipara mundi totius salutem ex congruitate promeruit: scilicet nõ modo, quia Christum è suis visceribus effudit in hãc lucem, sed etiam quia illum, quem genuerat, & qui verè suus erat, nobis dedit, & pro nobis obtulit neci. Nam vtraque voluntas matris, ac filij per omnia concors, & conspirans vnum, atq; idem holocaustum pro mundi salute Deo immolauit, vt ex Arnol. Carnotensi in tract. de Laudib. Virginis, atque ex alijs Patribus inibi docuimus. Et quidem ad ea, quæ ibi præscripsimus, addere libet luculentum eiusdem Arnoldi testimonium in tract.
Arnoldus Carn. de illis verbis Christi in cruce. *Mulier hic est filius tuus.* Vbi elegantissime modum describit, quo Virgo pro mundi salute non Christum modo, sed etiam se ipsam immolauit: *Et quod difficillimum* (inquit) *erat, moriebatur Virgo, & mori non poterat, nec poterat ex facie colligi: crux illa animæ, & patibulum spiritus, in quo erat hostia viua, & beneplacens Deo, & medullatum holocaustum, quod cum ipsa incenderet, tantum conscientiæ ministerio vtebatur, ipsaque sine strepitu se ipsam mactans in altario interiori & ligna, & flammas, & latices conferebat. Nimirum in tabernaculo illo duo videres altaria, aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Christi. Christus carnẽ, Maria immolabat animam. Optabat verò ipsa ad sanguinem animæ, & carnis suæ addere sanguinem, & eleuatis in cruce manibus celebrare cum filio sacrificium vespertinum, & cum Domino Iesu corporali morte redemptionis nostræ consummare mysteriũ. Sed hoc solius summi Sacerdotis priuilegium erat, vt de sanguine munus intra sancta inferret, nec poterat ei consors hæc esse cum aliquo dignitas. Nã in reparatione hominis nulli Angelo, nulli homini cum eo fuit, aut esse potuit communis autoritas. Cooperabatur tamen plurimum secundum modum suum ad propitiandum Deum: cum tam propria, quam matris vota charitas Christi perferret ad patrem, cùm quod mater peteret, filius approbaret, Pater donaret. Diligebat pater filiũ, & filius patrem: mater verò post vtrumq; ardebat, vnumq; erat, quod diuersa exhibebant officia, quod pater bonus, quod filius pius, quod mater sancta intendebat, quod in commune elaborabat dilectio, simulque se complectebantur pietas, & charitas, & bonitas, matre supplicante, filio interpellante, patre propitiante. Filius ad pectus matris, & vbera, Pater ad filij crucẽ, & vulnera respiciebat: & quid inter hæc tanta pignora non mouerent?* Hactenus Carnotẽsis Abbas, qui iuxta tempora Bernardi viguit. Et quidem omnes rationes apprime obseruauit, quibus Virgo beata ad mundi salutem cum Christo cooperata est: quæ ad tres omnino referri possunt.

Prima est, quatenus semetipsam pro mundi salute ita Deo immolauit per mortis, ac crucis votum, & desiderium, vt si fieri posset, ipsa etiam ad vniuersitatem saluandam cum filio commori, & mortem illi similem oppetere vellet. Id sibi voluit idem Abbas in tractatu de Laudibus Sanctæ Virginis. *Stabat* (inquit) *iuxta crucem non minor, quam Matrem Dei decebat: fortasse autem quia in morte filij intelligebat redemptionem mundi, etiam sua ipsa morte se aliquid æstimabat publico muneri adiiciuram*, id est, votum illud, ac desiderium charitas erga humanum genus extorquebat, qua tantopere ardebat, vt pro ipso emori, atque impendi admodum impensè optaret. Nec defuit huic voto peracerba mors: illud enim constantissimum est parentes in filijs suis viuere quodammodo, & emori. Hinc Salomon ad patrem, qui filium superstitem reliquit. *Mortuus est, & quasi non est mortuus, reliquit enim similem sibi post se.* Ac de fortissima illa fœmina, quæ septem pignora sua crudelissime necari conspexit, sic Beatus Gregorius: *Numquid ergo hanc fœminam martyrem dixerim, sed plus quam martyrem, quæ septem pignoribus ad regnum præmissis, toties ante se mortua, ad pœnas prima venit, sed peruenit octaua.* Ergo cum Virgo sanctissima in suo Iesu viuere longè impensius optaret, quam in se ipsa: ita certè cogitandam, longè grauiorem, ac crudeliorem in eodem Iesu mortem sustinuisse, quam si in se ipsa atrocissimam necem experiretur. Addo etiam non vnam illius mortem, ac necem fuisse: nam cum tormenta, & cruciatus Christi, vt docet Augustinus, tãacerbi fuerint, vt plures ex his per se sufficerent ad eum necandum, nisi diuina virtus illum fulciret, hinc factum, vt Virgo sanctissima toties filij sui mortem deuorauerit, quoties cruciatuum magnitudo per se satis erat, vt eum emori cogeret, nisi illum diuina virtus morti eriperet: atque adeò toties etiam ipsa in illo animam egerit, quod certe non semel, aut iterum fuit, sed perbreui illo passionis interuallo sæpè, ac sepius in filio suo acerbissime interijt. Vide autem vtriusque Euæ, nouæ, atque veteris diuersa studia: nam vetus immortalitatis desiderio exarsit, noua verò mortis voto. Ex quo factum, vt quemadmodum prior illa Eua per

Marginalia (right column): 3 (beside "Prima est"); *Salomon.*; *Gregor.*

vitæ immortalis affectationem generi humano mortem inflixit, ita etiam posterior per mortis cupiditatem eidem vitam amissam inspirauerit,

4 Arnold. Secundam rationem, & potissimam, qua Virgo ad communem salutem operam Christo adiunxit suam, tradit etiam Arnoldus in præmisso loco: nimirum quatenus eadem Deipara suam voluntatem cum Christi voluntate prorsus conformem, & concordem exhibens, filium suum pro communi salute morti addixit. De hac voluntatum concordia, & oblatione Virginis multa diximus in eo cap. 8. Prouerbiorum, versu. 15. quę in hunc locum transferri possunt, vbi non solùm matris, ac filij concordiam voluntatum expendimus, sed etiam matris cum patre conspirans studium obseruauimus, de quo præclare admodum Diuus Bernard. tomo 1. serm. 51. cap. 4. (Bernar.) *O mira circa nos vtriusque parentis Iesu Christi pietatis dignatio! O inæstimabilis Dei, & Virginis dilectio charitatis! Qui vt seruum redimerent, communem filium tradiderunt propter nimiam charitatem, qua Deus, & Virgo nos miseros peccatores dilexerunt.* Hunc locum alijs inibi adscriptis adiungere licet. Illud etiam nunc addendum putaui, non solùm in eo spectari Mariæ studium erga genus humanum, quod suam voluntatem cum filij voluntate conspirare fecerit: sed in eo etiam quod ipsum ad subeundam mortem excitauerit, & impulerit. Ita enim putandum est, quod sicut prior Eua veterem Adamum ad peccandum sua cohortatione excitauit, immortalitatis illi desiderium inijciens, & ad fructum vetitum degustandum blanditijs suis alliciens: ita etiam posterior Eua nouum quoque Adamum ad remedium afferendum persuasione, & cohortatione impulerit, vt nimirum: *Gratia Dei pro omnibus mortem gustaret*, vt ait Paulus ad Hebræos 2. (Ad Heb. 2. Bernar.) Huc spectauit Bernardus in sermone de Verbis Apocalypsi. *Fidelis* (inquit) *Maria, quæ salutis antidotum, & viris, & mulieribus propinauit: illa enim* (scilicet Eua) *ministra seductionis, hæc propitiationis: illa suggessit præuaricationem, hæc iniecit redemptionem*, id est, filio suo redemptionis, atque adeò mortis desiderium iniecit. Nec immerito quis asserat, Christum ex cruce ad matrem suam verba facientem commune mulieris vocabulum eo argumento vsurpasse, cum dixit: *Mulier hic est filius tuus.* Virgo enim mulier à filio (vt aliàs ex Augustino docui) (August.) communi sexus voce, non mater ideò appellata est, vt constaret eam in primæ mulieris locum subrogari: atque adeò tunc maximè illud nomen ipsi dari æquum fuit, cum filium (pium creditu hoc est) iuxta crucem stans voce, ac gestibus ad mortem pro omnibus exanthlandam incitabat. Quasi dicat: vere tu mulier es, prioris mulieris vicaria: nam sicut illa primum Adamum ad arborem prohibitam deduxit, & illum ad esum lethiferi pomi adhortata est: ita etiam & tu ad vsque crucis arborem mecum pergis, & ad fructum eius, mortem videlicet deuorandam, omnibus incitamentis inanimas.

Denique tertiam rationem, qua Virgo ad salutem humani generis Christo adiutrix addita est, latius exequitur Carnotensis Abbas, scilicet quatenus ipsa mediatricem egit apud mediatorem: id sibi voluit ab illis verbis: *Cooperabatur autem multum secundum modum suum, &c.* Nec alia mens fuit Diuo Bernard. in sermone nuper citato, cum ait: (Bernar.) *Iam vtique neque ipsa mulier benedicta inter mulieres videbitur otiosa, inuenietur equidem locus eius in hac reconciliatione: opus enim est mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis vtilior, quam Maria.* Itaque sic res nostræ salutis gesta fuit, Virgo sua vota, & desideria, quæ de salute hominum conceperat, filio exponebat: filius verò matri suæ deferens hæc acceptabat, & rursus tam matris, quàm sua etiam de eadem salute desideria patri obijciebat: pater verò filio primum, deinde matri optata donabat. (Arnold.) Hunc ordinem præscripsit Arnoldus supra illis verbis: *Cum ad propitiandum Deum tam propria, quàm matris vota charitas Christi deferret ad patrem, cum quod mater peteret, filius approbaret, pater donaret.* Hinc ergo omne genus hominum facile edocetur modum, quo ad salutem contendere debeat. Ita scilicet, vt quemadmodum serpens ad voluntatem viri tentandam primam Euam adhibuit, ita & homines vicissim ad Christum lucrandum secundam Euam adeant, atque illam sibi precibus, & meritis obstringant. Nec erit abs re dicere ob eam etiam causam Virginem Deiparam communi sexus vocabulo fuisse à filio nuncupatam, tunc scilicet cum ab illo audiuit: (Ioann.) *Mulier hic est filius tuus*, vt scilicet suaderet nobis illam mulierem esse, atque adeò mollem, quæ facile adduci, ac leniri posit: vel potius Euam quandam esse pro veteri nobis datam, vt per illam à Christo longè meliùs salutem nos consequeremur, quàm per alteram diabolus ab Adamo præuaricationem obtinuit.

6 Sed vt ad rem nostram redeamus, ex dictis liquet, salutem mundi non solùm Christo, sed etiam Virgini ab Æterno Patre donatam: sic tamen vt filius tanquam prima, & principalis causa redemptionis nostræ condignum pretium obtulerit, Virgo autem eandem redemptionem ex congruitate quadam impetrauerit. Itaque Maria Christo Domino ad redemptionem adiutrix & auxiliatrix fuit: non quia Christus eo auxilio, vel adiutorio indiguerit, cum sanguinis sui ęstimatio nostrorum debitorum compensa-

pensa-

pensationem immenso interuallo vicerit: sed quia matris authoritas, & dignitas hoc postulabat, vt eius quoque merita, preces, & vota cum votis, ac meritis Christi coniungerentur, vt salus hominum vtrique donaretur. Vide plura de hac sententia loco citato.

7 Quod si inquiras quantum Virgo ad salutem communem auxilij, & adiumenti attulerit? Profectò in eo vers. 19. audacter dixi nihil Christum Dominum meritis suis ex condignitate, aut nobis, aut etiam ipsi Virgini adeptum, quod non etiam Virgo Deipara ex congruitate impetrauerit. (Si tamen excipias originalem, & primam gratiam, qua Virgo donata fuit: hanc enim sibi nulla ratione, aut congruentia consequi Virgo potuit) Videnda sunt, quæ ibi adscripsi. Quia igitur, vt vulgò fertur (qui totum dicit, nihil excludit) inde conficio Virginem Deiparam ex supra dicta congruentia ita communem humani generis salutem à Deo impetrasse, vt ipsius etiam peccati originalis extinctio ipsi etiam accepta referenda sit. Suadent hoc imprimis pleraque testimonia in superiori capite præscripta, quæ planè asserunt Mariam nihilosecius ad salutem nostram concurrisse, quam Euam ad subuersionem, & ruinam. Ergo sicut Eua peccati originalis causa fuit, ita etiam eiusdem peccati reparatio Mariæ debet attribui.

8 Aliqua igitur ex præallegatis Patrum testimonijs huc asciscam. Et quidem missa facio illa, quæ in vniuersum docent, omnia damna, quæ humano generi euenerunt per Euam, Deiparæ meritis compensata, & restituta. *Irenæus.* Cuiusmodi est illud Irenæi. *Euæ inobedientia nodus solutionem accipit per obedientiam Mariæ: quod enim alligauit virgo Eua per incredulitatem, hæc Virgo Maria soluit per fidem.* Et iterum: *Vt Virgo Maria Euæ fieret aduocata, & quemadmodum morti adstrictum est genus humanum per virginem, soluetur per Virginem.* *Tertull.* Simile est illud Tertulliani: *Vt quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem redigeretur ad salutem.* Nec dissimile illud Epiphanij: *Epiph.* *Eua enim mortis causa facta est hominibus, per illã enim ingressa est mors: Maria verò causa vitæ.* Et iterum: *Quæ lapsam Euam erexit.* *August.* Consonat etiam illud Augustini: *Hæc prima matris damna resoluit: mater enim generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem edidit mundo: autrix peccati Eua, autrix meriti Maria: Eua occidendo obfuit, hæc viuificando profuit: illa percussit, ista sanauit.* Prætereo alia multa his similia, quæ ex superiori capite in hũc locum transferri possunt, atque illa tantum subijciam, quæ expressius docent Virginem ad originale peccatum delẽdum suas etiam operas contulisse.

9 *Petr. Damianus.* Petrus Damianus in serm. de Assumptione sic scribit: *In meridiano lumine primus ille parens creatus est factus ad imaginem conditoris: faciamus, inquit, hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: sed ille tanti priuilegij dignitate reiecta apostatæ spiritui falsa promissione delinitus inhæsit, & secum posteritate sua æternæ morti destinauit, & tenebris; ab illa hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsq; ad Virginem: nec inuentus est aliquis, qui vel exiret de tenebris, vel tenebras dissiparet, sed mundo crescente, concreuit & tenebrosa vorago: donec in densissimam conglobata nigredinem humanum genus nocte terribili sepeliuit.* Deinde verò post pauca subnectit: *Sed nata Virgine surrexit aurora, quia Maria veri præuia luminis natiuitate sua mane clarissimum serenauit, &c.* Hæc Damian. ex quibus constat Virginem nõ modo è tenebris, ac nocte originalis peccati in lucem editam, sed hoc etiam illi tributum, vt communem caliginem auroræ in morẽ sua luce irradiauerit, ac dissipauerit. Ideò de industria subtexuit Petrus illa verba: *Ad Virginem vsque non est inuentus, qui vel exiret de tenebris, vel tenebras dissiparet:* quibus verbis non suas tantum vitasse, sed aliorũ etiam tenebras depulisse Virgo affirmatur. Idem etiam in serm. de Natiuitate Mariæ: *Benedictionis nouæ fluentum totum detersit maledictionis antiquæ contagium:* Cui affine est illud sancti Ildephonsi in serm. 2. de Assumptione. *Ildeph.* *Hæc est illa, per quam omnis maledictio soluta est primorum parentum, & cælestis benedictio in toto venit mundo.*

Sed luculentior est locus Bernardi supra adscriptus in serm. 1. super *Missus est.* 10 *Bernar.* *Propterea* (inquit) *curre Eua ad Mariam, mater ad filiam, filia pro matre respondeat, ipsa matris opprobrium auferat, ipsa patri pro matre satisfaciat, quia ecce si vir cecidit per fœminam, iam non erigitur nisi per fœminam.* Pendenda sunt verba illa: *Ipsa pro matre satisfaciat:* quæ modum, & rationem, qua Virgo Euæ damna, & iniurias generi nostro illatas resarsit, partim extollunt, partim explicant. Significant enim illam suis promeritis, non vtique condignam, & æqualem: sed tamen congruam, & aliqualem pro matris delicto satisfactionem obtulisse. Rursus illa verba libræ tradenda. *Quia ecce si vir cecidit per fœminam, iam non erigitur nisi per fœminam,* quæ significant Adami lapsum, qui cunctam illius sobolem similem in casum impulit, ita per Mariam restitutum, & correctum, vt per ipsam nihil non factum sit, quod ad hanc correctionem spectauerit. *Bernar.* Idem verò Bernardus in sermone illo, qui inscribitur Virginis Deprecatio, multo illustrius de hac thesi loquitur: *Vides hanc tunicam pelliceam, qua nos circumdedit? Tunica Euæ parentis nostræ est, quam ad nos olim misera illa transmisit, & superuestiuit carnem filiorum suorum, sicut diploide confusione sua. Et quis liberauit nos à corruptela huius miserrimæ*

 pellicu-

pelliculæ? Gratia ſaluatoris filij tui, ô Maria. Et quis idoneus, vt loquatur ad cor Domini noſtri pro nobis, vt tu fœlix Maria? &c. Et infrà *Exurge virus hoc exinanitura mortiferum, quod de pomi ſui reliquijs Eua nobis propinauit, quādo ſucci noxialis paſtu ebriata eſt, & reliquias dimiſit paruulis ſuis.* Reliqua etiam teſtimonia in ſuperiori capite adſcripta obſeruare lectorem iubeo: nullus enim eſt, qui non ſuadeat Virginem ad peccati originalis maculas detergendas ſuffragio ſuo plurimum cōtuliſſe. Quibus etiam adnectendus eſt D. Cy- D. Cyril. rillus in homil. Epheſi ad Neſtorium habita, vbi Virginem Deiparam ad hunc modum ſalutat. *Salue Virgo, per quam ſancta Trinitas in vniuerſo orbe glorificatur, & adoratur: per quā prolapſum plaſma in cœlum denuo ſubuehitur: per quam ſanctum baptiſma obtigit credentibus.* Si ergo baptiſma ſanctum, quod labes originales eluit, per Virginem habemus: ergo originalis culpæ remiſsionem eidem aliqua ratione nos debere fateri opus eſt.

11 Ad Patrum teſtimonia accedit etiam optima ratio: quia vt in cap. 8. Prouerb. ver. 19. multis confecimus, nullum donum, aut gratia à Deo in homines proficiſcitur, quod Mariæ beneficio, illius nempe meritis, ac precibus non obtineamus: ergo gratiam etiam illam, quę peccatum originale excludit, eidem Mariæ acceptam referre debemus. His argumentis, quæ in cōſtantiſſima Patrum doctrina innituntur, tantundem tribuo, vt vix putem ab improbabilitate aliqua liberos fore, qui contrarium ſentire, ne dicam affirmare, auſi fuerint.

12 His ergo ſic conſtitutis, rurſus addo ex hoc officio mediatricis aliquos etiam Patres Virginis immunitatem à culpa originali non obſcure deprompſiſſe. Imprimis Ildeph. Diuus Ildephonſus immaculatæ conceptionis facilè princeps aſſertor, in libro de Parturitione Virginis ſic ſcribit. *Beata Virgo Maria niſi in vtero matris ſanctificata fuiſſet, minime eius natiuitas colenda eſſet: nunc autem quia authoritate totius Eccleſiæ digne veneratur, conſtat eam ab omni peccato originali fuiſſe immunem* (pende iam nunc quam robuſta ſit ratio, quæ à feſto conceptionis depromitur ad Virginis conceptionem immaculatam aſſerendam, cum ex feſto natiuitatis eiuſdem id ſatis confici exiſtimauerit Toletanus Præſul) Subdit autem: *Conſtat ergo eam ab omni peccato originali fuiſſe immunem, per quam non ſolùm maledictio Euæ ſoluta eſt: verumetiam benedictio omnibus condonata: nullis ergo, quando nata eſt, delictis ſubiacuit, nec originale peccatum in vtero ſanctificata contraxit.* Hæc ille, quibus duplex inuoluit, ac miſcet argumentum.

13 Alterum quidem à Marianæ natiuitatis celebratione: ex eo autem à natiuitate ad conceptionem rationem deriuat: quia cum conſtet Virginem in ſua natiuitate, & partu ſanctam, & mundam fuiſſe, nec diem aliquem ante partum conſtituere liceat, in quo hæc ſanctificatio peracta fuerit, quandoquidem hoc ad dignitatem Virginis ſpectat, merito ſibi quis perſuadeat gratiam, & ſanctitatem illam à primo conceptionis inſtanti auſpicatam fuiſſe, & originale prorſus excluſiſſe peccatum. Nam quemadmodum, vt Ioannem Baptiſtam in vtero adhuc agentem ſexto poſt conceptum menſe, & non ante ſanctificatum crederemus, de induſtria factum eſt, vt illum Chriſtus inuiſeret, & nouam recreationem ſuis ipſe ſaltibus teſtaretur, fieretque ſic cunctis palam ab eo tempore, & non ante, eius ſanctitatem auſpicium ſumpſiſſe. Ita etiam data opera factū à Deo, vt de die, in quo Virgo in vtero matris agēs ſanctitatem inchoauit, non ſatis conſtaret, vt vel ex hoc ſuaderemur illam ab ipſo conceptionis articulo ſanctitate donatam. Nec enim pium ſatis exiſtimo, cum nulla tibi pręfigatur dies, aut hora, ex qua Virginis ſanctitatem metiare, vti tu tibi ipſi illam aſſignes, & ſtatuas: omnis quippe hora ſatis ſera erit, ſi alia prior ſubſit, in qua hæc ſanctitas inchoari potuerit. Atq; adeò, ne ſis Virgini inuidioſus, primum conceptionis inſtans, quo nullus prior eſſe poſſit, ſanctificationi ipſius conſecrare debebis.

Et quidem hanc Ildephonſi doctrinam roborat imprimis periluſtris quædam Anſelmi ſententia in homilia de Conceptione 14 Anſel. Virginis infrà citanda, quæ nos ad ſuſceptā theſim de officio, ac munere mediatricis traducit: vbi ad celebrandum conceptionis feſtum fideles exacuens ſic addit: *Sciendum* (inquit) *quod ſicut in Eccleſia natiuitas eius colitur, ſic etiam debet coli conceptio: ſicut enim ad ſaluandum genus humanum olim fuit neceſſaria natiuitas eius, ſic fuit neceſſaria conceptio eius.* Cuius rationis energia talis eſt. Ex eo certè credimus Virginem ab omni peccato originali mundam in natiuitate ſua fuiſſe: quia cum eius natiuitas ad ſaluandos, aſſerendoſque homines à peccatis deſtinata eſſet, debuit certè ab ipſa omnis peccati ſuſpicio quamlongiſſimè abeſſe: ſed conceptio eiuſdem Virginis ad ſaluationem generis humani non minus pertinet, quam natiuitas: debuit ergo ipſa etiam ab omni peccato immunis eſſe. Quæ ratio cum ſequenti oratione cohæret, & facilè demonſtrat non inepte ex natiuitatis ſanctitate, ad conceptionis mundiciem argumentum deriuari. Poſterius ergo argumentum, cui potiſsimum innititur Ildephonſi doctrina, exprimitur illis verbis: *Conſtat ergo illam ab omni peccato originali fuiſſe immunem, per quam non ſolùm maledictio Euæ ſoluta eſt, ſed etiam benedictio omnibus condonatur.* Quod perinde eſt, ac ſi dicat, cum omnis maledictio, quæ ab Eua in filios promanauit (ſcilicet originale peccatum)

per

per ipsam sublata sit: & omnis benedictio (scilicet gratia) ad præmissum peccatum excludendum eiusdem Virginis beneficio nobis indulta fuerit, fateri cogimur ipsam quidem ante alios omnes benedictam, & gratam fuisse, vt gratiam, & benedictionem alijs impetraret, atque adeò eam cum reliquis Adæ posteris permiscere nefas est. Deinde inficiari non possumus, eam ab omni originali maledictione, & macula permundam fuisse, cum omnium ipsa maculas deterserit. Quid enim magis rationi consentaneũ, quam eam originali culpa prorsus vacare, per quam omnium originales culpæ delendæ erant?

15 Confirmari potest hæc ratio, quæ mihi ante alias robusta videtur ad mundiciem côceptionis euincendam, à simili: nam Bernardus Bernard. epist. 174. prope medium, vt probet Virginẽ omni actuali peccato immunem fuisse, sic habet. *Ego puto, quod copiosior sanctificatio, & benedictio in Mariam descenderit, quæ ipsius non solum sanctificaret ortum, sed etiam vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur condonatum. Decuit nimirum Reginã Virginũ, singularis priuilegio sanctitatis, absq; omni peccato ducere vitã, quæ dum peccati, mortisq; pareret peremptorem, munus vitæ omnibus obtineret.* Cuius rationis energia in eo posita est. Oportuit, inquit Bernardus, ac decuit maxime, vt mediatrix nostra, quæ peccati, ac mortis peremptorem pariens iustificationẽ ab omnibus actualibus culpis alijs exorauit, ipsa etiam omni culpa vacaret. Neque vero putandum est, Bernardum officium mediatricis, quod hic in Virgine cognoscit, in eo tantum posuisse, quod Christum è suis visceribus ediderit, id enim perpicue confutauimus Prou. cap. 8. ad eum vers. 19. sed in ea gratia, ac meritis, quæ dignitati illi sese sociebant, quibus salutem omnibus impetrauit, vt ibidem docuimus. Eandem rationem Petrus Blessen. efformauit Petrus Blessensis in serm. de B. Maria Magdalena hisce verbis. *Indubitanter verum est, quia singulare est Beatæ Virginis auxilium, quia plus omnibus potest mater apud filium, sed quia non nouit peccatum, quasi è quodam sublimi fastigio pro nobis intercedit.* Et quidem huius argumenti tota vis in eo continetur. Quia sicut Apostolus ad Heb. 7. in- AdHeb. 7 decorũ plane duxit, mediatorem nostrũ Christum Iesum peccatis infectũ esse. *Talis enim,* (inquit) *decebat vt nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cœlis factus, &c.* ad eundem modum simili argumentandi ratione absurdum foret asserere Virginem per mediatricis officium omnibus alijs Adæ filijs peccati originalis remissionem suis meritis impetrasse, & obtinuisse, & tamen ipsam illius peccati maculam non vitasse.

16 Hæc ergo fuit & non alia Ildephõsi mens, quam in serm. 1. de Assumptione iterum inculcat, veteris arcæ similitudinẽ Mariæ accommodans. Ildephon. *Propter quod (inquit) vterus eiusdem Virginis per arcam figuratur, quæ cuncta sacramentorum arcana in se habuit. Habuit enim panem viuum, qui de cœlo descendit. supra quã sane propitiatorium, & cherubim hinc inde obumbratio figuratur, quia Mariæ nullum extrinsecùs obrepsit peccati contagium* (pendenda est vox illa *extrinsecus*, quæ de peccato originis exponi debet, quod solum extrinsecùs, & ex contagio homini accedit) *sed intus omnis custodia legis, & mãna fuit, quod est mirabile Sacramentum, & propitiatio nostræ salutis.* Quasi dicat, propterea nullum obrepsit peccatum, quia decebat maxime, vt omni culpa vacaret illa, in qua erat propitiatoriũ totius mundi. Ildephonso proxime adhæret Anselmus in ea homil. de Conceptione Mariæ, vbi ex eo officio mediatricis eiusdẽ immaculatã Conceptionem venatur. Anselm. Nam inter alia sic scrit. *Hæc igitur sanctissima parens, cum in aluo suæ parentis naturali lege conciperetur, quis non concedat Dei sapientiam nouo quodam, & ineffabili gaudio cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt, perfundisse, atque ineffabili iubilatione pro sua redintegratione, quam per illam sibi euenturam diuina inspiratione præuidebat, perlustrasse.* Sed quid inde? Paulò post sic attexit. *Si igitur Hieremias, qui in gentibus erat propheta futurus, in vulua est sanctificatus, & præcursor Domini Ioannes spiritu sancto ex vtero matris est repletus. Quis differere audeat totius sæculi propitiatoriũ mox in sua conceptionis exordio spiritus sãcti gratiæ illuminatione destitutum?* Hæc ille: qui ex eo colligit Virginem in primo conceptionis articulo sanctificatione donatam omni prorsus culpa vacasse, quia futura erat totius sæculi propitiatorium, vt reliquis hominibus Deum placaret. Quis autem ausit dicere illam aliqua ex parte displicuisse, quę cæteris placendi Deo dux, & causa fuit?

Subijciendus etiã Sedulius præsbiter, qui 17 Virginem à peccato originis immunem his verbis cecinit. Sedulius presbiter.

> *Et veluti spinis mollis rosa surgit acutis*
> *Nil quod lædat habens, matremq; obscurat honore:*
> *Sic Eua de stirpe sacra, veniente Maria,*
> *Virginis antiqua vt facinus noua virgo piaret.*

Itaque ideo rosam ex spinis, id est sãctam ex peccatoribus ortam canit Sedulius, quia ad hoc munus à Deo condita est, vt Euæ parentis suæ facinus expiaret. Eandem similitudinem rosæ ac spinarum adhibuit Chrysippus Chrysip. præsbiter Hierosolymitanus in serm. de laudibus Virginis. *Et cultura spinarum ferax rosam tuam producit.* His adde Bernardum Bernard. supra exhibitum: *Eua (inquit) spina fuit, Maria rosa extitit: Eua spina vulnerando, Maria rosa omnium affectus mulcendo: Eua spina in-*

figens omnibus mortem, Maria rosa reddens salutiferam omnibus sortem. Hæc Bernardus: cuius verba Sedulij sententiam coercent. Et quidem vterque mihi allusisse videtur ad naturalem rosæ facultatem, & vim: nam vt docet Plinius, lib. 21. cap. 6. dolor ille, & sensus, qui ex spinarum puncturis accidit, rosa macerata, & vulneri imposita quamprimum lenitur, ac tollitur. Itaque sententia est, ex diuina prouidentia id accidisse, vt ex spina, idest, ex peccatrice paréte velut rosa progerminaret Maria, vt quos Eua aculeis peccatorũ sauciauerat, innocentia sua Virgo deliniret ac sanaret: si ergo contraria contrarijs curantur, sola vtique innocentia culpis mederi potest.

18 Non solum autem ex præscripto principio, quo Virginem etiam pro peccato originali omnium filiorum Adam mediatricem egisse supra statuimus, fit ipsam ab eo etiam peccato immunem fuisse, sed etiam inde superiorem illam positionem depromere licet: quod nimirum subinde post pactum, & post culpam originalem præuisam ipsam condi, & formari in decretis Dei definitũ sit. Quia vt ad Christum redeamus, nulla est alia ratio, quæ efficacius nobis suadeat, ipsum occasione peccati conditum, & creatum, quam quod eius proprium, & germanum officium fuerit, mediatorem pro peccato apud Patrẽ agere: sed in huius officij societatem Virgo vocata est: ergo similem ad modum ipsam occasione peccati conditam fateri debemus. Ita vt quadret in illam apprime locus Salomonis sæpe inculcatus, iuxta interpretationẽ lxx. *Dominus creauit me initiũ viarum suarum ad opera sua.* Idest, in eum finem ad opera sua instauranda, & reficienda meme condidit, ita vt sublato eo fine nulla mei condendæ causa subesset, vt illa Damasceni verba superiori cap. ascita perspicue docent. *Neq; enim tui ipsius causa progenita es. Quo circa à Deo vitam habebis, ob quem in vitam prodijsti, vt orbis vniuersi saluti administram te præberes.* Quid illustrius.

Damasc.

19 Et quidẽ vrgenda mihi videntur illa verba Pauli supra adscripta ad Hebr. 7. *Talis enim decebat vt nobis esset pontifex, sanctus, innocẽs, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* Pendenda vero imprimis sunt illa extrema *segregatus à peccatoribus.* Et quidem priora illa faciles explicatus habẽt. *Sanctus*, idest, Deo in primis gratus, *innocens*, idest, ab omni grauiori culpa vacuus: *impollutus* idest ab omni etiã leuiori macula prorsus immunis. Addit *segregatus à peccatoribus*: Plures quidem ita exponũt: ab omni peccãtiũ cõuersatione separatus, & ad cœlos trãslatus. Sed nõ satis assequor, qua ratione id ad põtificalẽ Christi dignitatẽ pertineat, cũ potius illud certum, atque exploratum sit, illum tunc vel maxime, cum pontificem agebat, & pontificalia exercebat, cum peccatoribus conuersatum, & in terris apud homines commoratum fuisse. Quapropter audeo dicere Paulum in id potissimum eniti, vt probet Pontificem illum maximum Christum Iesum ab omni peccatorum sorde mundissimum fuisse: id enim non semel sibi constabiliendum proposuit. Nam supra cap. 4. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatũ autẽ per omnia pro similitudine, absque peccato.* Et infra c. 8. *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa vacasset, non vtique secundi locus inquireretur.* Et nescio an alibi. Ergo in hoc loco in id ipsum constantissimè incũbit, & postquam illum ab omni, aut grauiori, aut leuiori culpa vacuum esse decreuit, subnectit vlterius. *Segregatus à peccatoribus*, idest, ab ipsis quamlongissime remotus; quia licet carnem humanam induerit, atque adeò ea ex parte, qua homines sunt, arctissimam cognationem cum ipsis copulauerit: cæterum, qua peccatores omnes censentur, & culpam ex traduce fluentem excipiunt, immenso interuallo ab ipsis secedit. *Segregatus à peccatoribus.* Illi voci *segregatus* subest quidẽ in Græcis κεχωρισμένος, id est, disiunctus, alienus, & cognationem ignorans. Quasi dicat, ab ipsis eo ex latere, qua peccatores sunt, disiunctus, alienus, & cognationem prorsus nesciens. Nam quamuis eorum naturam assumpserit, tamen id, quod aliàs cum natura ipsa transfundi solet, scilicet peccatum, ita ab se remouere voluit, vt illum minime comprehenderet. Cum igitur Virgo sanctissima eodem officio, ac munere mediatricis post Christum gaudeat ad omnium peccata delenda, decuit etiam maxime, vt non solum *sancta, innocens, & impolluta* esset per omnis actualis labis munditiem, sed etiam *à peccatoribus* eodem sensu, *segregata* foret, ita vt quamuis carnis nostræ socia esset, tamen ea ex parte, qua peccatores sumus omnes, nullam cognationem haberet, & leges alijs communes ignoraret: *segregata* inquã, id est, a grege, & cætu aliorum sequestrata, & seposita. Iuxta illa Cypriani verba in ser. de natiuitate. *Quæ plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa.* Quam discretionem, seu differentiam, & separationem à cognatione Adami peccatoris efficiebat hæc, quam hactenus asseruimus, post peccati præuisionem definitio, per quam illi existentia prima decreta est, & quæ illam ab omni lege, & pacto, cui cæteri iam olim futuri subiacebant, liberam prorsus effecit.

Ad Heb. 7 — *Paulus.* — *Cyprian.*



VIRGO

VIRGO DEIPARA EXISTENtiam, & primæ creationis beneficium habuit per Christum.

 CAP. XXII. 



EX His, quæ supra cap. 17. fusè docuimus, & c. 24. vberius dicemus, cõstat omnes alios homines, quotquot transfusionis pactum ingressi sunt, ita quidẽ ex Dei beneficio suæ conditionis exordium habuisse, vt tamẽ nulli eorum Christus donum creationis promeruerit. Nunc ergo soli Virgini id gratiæ donatum contendo, vt vna inter omnes per Christi merita nõ modo ad gratiã, & gloriã, & ad dignitatem Matris Dei electa, & assumpta fuerit: sed quod summæ eiusdem gloriæ est, per eadem merita suæ creationis, & primæ conditionis beneficium adepta fuerit, ita vt hoc sit ipsi proprium, atq; germanum, & cum nullo alio homine commune. Quapropter verba illa Salomonis, quæ discutienda sumpsimus, ita vt sonant, Virgini accommodari debent. *Dominus creauit me initium viarum suarum ad opera sua.* Idest, hoc mihi proprium, ac singulare fuit, quod ad sua opera reparanda, & instauranda Dominus creauit me. Quapropter cum id omne, quod ad reparationem pertinet, meritis Christi acceptum referri debeat, creationem Virginis eidem adscribere opus est. 1

In primis ergo illud prænotare libet, Conceptionem Virginis creationem appellare, Patribus admodum solenne fuisse. Diuus Anselmus in ea Epistola, quam ad Angliæ Episcopos dedit, eisdem serio suadens, vt festum Conceptionis quotannis agitarent, narrat visionem Helsimo Abbati exhibitam, additque eiusmodi ad ipsum ab Episcopo quodam, qui se illi visendum dederat, verba fuisse facta. *Promitte Deo, & mihi, quod diem conceptio-* 2 *Ansel.*

ceptionis, & creationis Matris Domini nostri Iesu Christi solemniter celebrabis, & celebrandam prædicabis. Et idem Anselmus in homil. 1. de festo conceptionis, quam recitat etiam Ioannes Bacon. loco supra adscripto, sic habet. *O quanta est illa dies, in qua nostræ reparatricis anima digne creatur, & sacratur, & sanctissimo corpori vnitur. Non est verus amator Virginis, qui respuit colere diem conceptionis, & creationis eius.* Ad hæc Diuus Isidorus in Mixtarabico missali, in festo quidem Assumptionis sic recitat. *Talem, multoque vere creditur matrem creasse, qualem diuinitus per eam transiens decus virgineum non amisit.* Accedat etiam Diuus Proclus in homil. de Christi natiuitate Ephesi ad Concilium habita, vbi sic scribit. *Ita ex vtero Virgineo prodiisse purissimum illud numen, nihil quidquam polluit. Quam enim citra vllam sui labem creauerat, ex hac etiam nulla macula contracta processit.* Simile quid accinit Ecclesia, cum ait.

D.Isido. · Proclus.

Qui te creauit prouide
Lactasti sacro vbere.

Bern. Et Bern. in serm. de Beata Maria. *Eam tanquam specialissimum mundum sibi creauit.* Mitto alia plura. Illud ergo hic primum requirédum duxi, cur Virginis Conceptio creatio appellari debeat: cuius rei non vna nobis ratio sese offert.

3 Nomen igitur *creationis* Conceptioni Virginis accōmodatum quodammodo anceps est: potest enim spiritualem ipsius generationem notare, quæ per gratiam facta fuit: aut etiam corpoream, quæ per naturalem originem accidit. Si igitur de spirituali generatione exponatur, apte admodum Virgo creari dicitur: nam cæteri omnes Adæ filij non tam creari, quam recreari dicendi sunt, quia illos gratia, & iustitia in peccato primum creatos, veluti denuo recreat. Sola Virgo inter omnes ab initio per gratiam, & iustitiam originalem creata est.

4 Quod si ad corpoream, & naturalem productionem Mariæ referatur nomen illud *creatio*, alia erit ipsius censura: nam primo licebit dicere, ipsius conceptionem creationem propterea appellari, vt supra obseruauimus, quia licet ex Anna, & Ioachim, parentibus suis iuxta naturæ leges originem suam recensuerit, tamen, quod attinet ad transfusionem, aut propagationem culpæ, quæ ex generatione contingit, perinde libera, atque immunis fuit, quasi ex parentibus minime suscepta, & genita, sed à Deo primum creata, & condita fuisset. Quia sicut mulier aliqua noua, & recens ex nihilo denuo producta omnes originis maculas nesciret, & earum contrahendarum debitum ignoraret, ita etiam de Virgine censendum, quia licet à suis parentibus iuxta naturæ leges originem traxerit, pessimas autem originis leges non aliter ignorauit, ac si prorsus à Deo creata fuisset.

Rursus alio etiam nomine Virginis Conceptio creatio appellari debuit, quia in hominis cuiuslibet prima formatione duas productiones contemplari oportet: alia est animæ, quæ vera, & propria creatio est: alia totius, quæ generatio dicitur. At cur, inquies, homo ab ea origine, quæ dignior, ac principalior est, scilicet à creatione animæ, quæ à solo Deo fit, creatus non dicitur, sed ab ignobili, & degenere productione genitus appellatur? Occurret Philosophus quispiam peruulgatum illud axioma obijciens. *Bonũ ex integra causa, malum ex quocumque defectu.* Et ex eo demum conficiet, non posse hominis productionem digniori illa creationis appellatione censeri, quia vt ad eum modum creatus diceretur homo, oportebat quidem, secundum omnem sui partem creari, & ex nihilo produci. Quapropter cum pars aliqua licet ignobilior, ac deterior in homine generetur, inde fit vti ignobiliorem appellationé circumferat. Sic Philosophus. Cui Theologus etiam subscribet, illud insuper adijciens hominem à generatione merito genitum dici, non solum quia hæc secundum entitaté suam minus digna productio est, sed etiam, quia ipsam turpitudo peccati consequitur, quæ totum hominem dehonestat, & vitiat, ipsique animæ turpissimam notam adurit. Nam si in naturalibus id, quod minus perfectum est, nomen imponere solet, æquius multo est, vt in moralibus id, quod vitiosum, & turpe est, aut turpitudinis causa, nomen etiã suum rebus det. Iam intelligis quo tendam. Virginis Conceptio creatio à Patribus iure optimo appellatur, quia nimirum ita decuit, vt eius productio à nobiliori parte, idest, ab animæ creatione nomen afferret. Nam primum ratio illa Philosophica in Virgine locum non habet: nam cum ab sterili Anna, & Ioachimo iam effeto, & grãdæuo orta fuerit, tunc cum ad generandum minime idonei erãt, eius vtique productio vix generationis nomen meretur, imo creationem quodammodo sapit: atque adeò ad creationem per reductionem quendam referri debet. Rursus Theologica illa posterior ratio Virgini nequaquam aptatur: quia cum generationem eius nulla peccati turpitudo consequuta fuerit, nulla subest causa, cur à vitiosa, & degeneri parte censeatur. Quin potius Mariæ Conceptio, repudiato naturalis generationis vocabulo, nomine creationis notari vel ex eo maxime debuit, quia cum alijs generatio naturalis proximum culpæ fundamentum sit, merito quidem, cum de Maria loquimur, nos à generationis nomine abstinemus, ne si fundamentum culpæ vsurpemus, culpam etiam in ipsa suspicari liceat. 5

Sed ad trutinam vocanda sunt illa Isidori nostri verba, quæ nuper dedimus. *Talem*, inquit, *multoque vere creditur matrem creasse,* 6 D.Isido.

qualem diuinitus per eam transiens decus Virginitatum non amisit. Cuius sententiæ vim, & sensum infra cap. 27. cum ex perpetua Virginitate Mariæ ad Conceptionis munditiem asserendam argumentum duxero, enucleatius exponam. Illud mihi nunc penderdum venit, quod sanctissimus Præsul statim attexit. *Dum ab illo creari ita est ab ipso concipi.* Quomodo enim Virgo à Deo cõcipi potuit? Et rursus quonammodo à Deo concipi idem est, quod ab ipso creari? Illud sane cuipiam primum in mentem veniet, scilicet Diuum Isidorum in eo loco ad illa Salomonis verba, Prouerb. cap. 8. vers. 24. omnino respexisse. *Nec dum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* Et rursus vers. 25. *Ante omnes colles ego parturiebar.* vbi conceptio, & partus Virginis ipsi Deo adscribuntur. Quid causæ? Sane aliorum infantum conceptiones, & partus sibi tanquam authori assignari quodammodo renuere posset Deus, quia cum ex conceptione ipsa, partuque tanquam ex proximo fundamento culpa originis è vestigio redundet, etsi illam tanquam vniuersalem causam ipsis adesse necessum est, tamen sibi absolute, & sine addito adscribi merito recusare
Psal. 50. videtur. Exinde factum vt Dauid suam conceptionem matri dederit. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit*
Iob. *me mater mea.* Et Iob etiam authorem suppressit. *Pereat*, inquit, *dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo.* Et iterum, *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? &c.* At Virginis conceptio merito Deo tota assignatur, quia nihil in ipsa, aut ex ipsa subsistit, quod Deo pergratum non sit, cuius etiam se authorem esse gloriabundus prædicare non possit.

7 Sed tamen ad Isidori sententiam hæc minime faciunt, ipsa enim per se facilis est, & in promptu: nam cum præmisisset illud, *vere creditur matrem creasse*, nequis putaret ipsum de verissima, ac proprijssima creatione loqui, atque adeo Virginem ex Anna, & Ioachino nequaquam susceptam, subiecit. *Nã ab illo creari, ita est ab ipso concipi.* Id est, per creari ab illo nihil aliud intelligo, quam ipso authore concipi: innuens nimirum Deum id sibi gloriæ ducere, quod eius conceptionis causa, & author fuerit. Sed tamen adhuc libra dignum est, cur scilicet Virgo *à Deo concipi* dicatur. Hoc igitur, vt teneas, subijcienda est extrema, & precipua ratio, propter quã Virginis conceptio creatio merito dici debet. Sanè productio hominis, quatenus cõceptio dicitur, nõ potest apte, & proprie Deo tribui: nã quãuis eadem actio, quæ conceptio appellatur, à Deo, & à matre fluat, tamen vt eo nomine cõceptionis censetur, nõ potest Deo adiudicari: nã cõceptionis vocabulũ in actionẽ illã eatenus quadrat, quatenus à matre proficiscitur, non autem, quatenus à Deo desluit. Quemadmodum hoc nomen creatio ita Deo proprium est, vt nulli alteri possit adscribi. Quorsum hæc? Sane, vt constaret, Virginis primam conditionem Deo prorsus assignari debere, & ad matrem ex illa vix aliquid pertinere, à nomine conceptionis Patres abstinendum esse censuerunt: atque illam creationẽ appellantes eo nomine testati sunt, ipsam integre, & complete Deo adscribi debere tanquam authori. Et quidem mihi ita videtur, id nominis ipsi aptiùs dari, quam conceptionis, quia conceptio, matris actionem sonat, cuius ad Mariam formandam debilis valde influentia fuit; creatio vero actionem Dei adsignificat, quæ in eiusdem Mariæ conditione cum primis viguit, non solum quia parentum sterilitatẽ diuina virtus exacuit, ac roborauit, atque adeò ex eo capite excelluit: sed etiam quia ipsius Virginis prima cõditio Christi meritis ita adiudicari debet, vt certum omnino, ratumque sit creationis Marianæ donum Christi meritis quæsitum, & partum: ex quo fit Christum non modo physicam, qua Deus erat, sed etiam moralem, qua homo erat, huius productionis causam extitisse. Quapropter eo maxime nomine compellari debuit hæc actio, ac productio, quod soli Deo accommodar. solet: scilicet nomine creationis, vt totum effectum ipsi Deo tribui, inditum actioni vocabulum testaretur. 8

Hinc igitur ad verba Isidori redire licet, *dum ab illo creari, ita est ab ipso concipi.* Illud certe exploratum est, multa, quæ Deo tanquam causæ physicę adscribere non licet, eidem tanquam morali causæ bono sensu adiudicari. Paulus enim Spiritum Dei sanctum deprecari, imo & lacrymas fundere, & gemitus dare, asseruit ad Rom. 8. Quamuis enim eiusmodi res, ac vocabula à Deo aliena sint, vt causa physica, & naturalis est: tamẽ eidem, vt moralis causa existit, adscribi, & adiudicari nihil prohibet. Nam quia spiritus Dei ad lacrymas mouet, & gemitus suadet, lacrymari, & gemitus dare sine iniuria suæ infinitæ beatitudinis dicitur. Ergo ad eundem modum cogita de Deo, & Christo: nam etsi Deus aut Christus, vt naturales causæ Virginem concepisse, ac peperisse dici nequeat: tamen, vt morales causæ sunt, hæc eadem præstare decorè admodum dici possunt: ita vt quatenus Christus meritis suis Virginis primam conditionem, generationem, & conceptionem impetrauit, eã condidisse, generasse merito, atq; decenter affirmari queat. Addo etiam Virginem à Christo filio suo, in quantum homo erat, sine iniuria diuinitatis ob eãdem rationem creatam dici posse: quia licet Christus, vt homo naturalis causa creationis esse non quiuerit, tamẽ moralis causa, ad matrem creandam Dei voluntatem meritis suis adducens, & esse potuit, & reipsa fuit, vt ex dicendis constabit. 9

Ergo Deiparam non tantum communi

bene-

beneficio ex liberalitate Dei, sed speciali, ac proprio dono, per merita Christi suam creationem obtinuisse ex dictis supra facilè confici potest. Nam si verum sit id, quod hactenus decreuimus, ipsius Deiparæ primam cõditionem subinde post Christum, & post merita illius præuisa definitam fuisse à Deo, potuit certè eiusdẽ Christi meritis acquiri: cũ ergo ita potuerit meritis Christi parari, nemini dubium esse debet re ipsa partam, & acquisitam. Sed quia non solum hanc thesim ex supra dictis, ac positis roborare est animus, sed etiam ex illa ad superioris sententiæ confirmationem auxilia poscere, eius probatio ex alijs principijs petenda est. Id vero nõ ex peruulgata illa ratione nobis corroborandum est, quod nimirum Mariam sibi parentes eius precibus à Deo obtinuerint: huius enim inefficacem vim supra cap. 15. perspicue ostendimus, vbi nullum parentẽ liberis suis primæ creationis beneficiũ obtinuisse multis confecimus, de eadem thesi pluribus dicturi infra cap. 24.

10 Illud ergo cum primis robustum, ac validam argumentum est, quod ex verbis Anselmi nuper datis in superiori capite depromitur. Nam in ea homil. de Virginis Conceptione illam cum natiuitate eiusdem Virginis componens sic scribit. *Sicut enim ad saluandum genus humanum olim fuit necessaria natiuitas, sic fuit necessaria conceptio eius.* Ex quibus verbis constat conceptionem, ac primam conditionem Virginis Deiparæ ad salutem generis humani ordinatam fuisse: debuit ergo Christi meritis acquiri, & parari, nihil enim ad eam salutem ordinatum Christi promeritis auferre licet. Et sane Conceptionem Marianam ad salutem hominum destinatam à Deo, ex eo probatur facile: quia certum est Virginem ad hanc salutem nobis pariendam ex aliquo tẽpore ordinatam fuisse: id enim Patrum perpetua, constansque doctrina supra à nobis data perspicue ostendit. Inquiro igitur ex quonam tempore hæc ordinatio Dei initium sumpserit? Dices fortasse ex natiuitate auspicatam. Rursus ego sic instabo. Cur non etiam ex conceptione? Cum ergo nulla sit specialis ratio, ob quam præfata Dei ordinatio, & destinatio à natiuitate, potius quam à conceptione auspicium sumere debeat, asserendum omnino id, quod Virgini ipsi magis decorum, & gloriosum est, eam scilicet ab ipsamet conceptione inchoatam fuisse, atque adeò primam Virginis conditionem, aut creationem propter salutem humani generis à Deo intẽtam, atque meritis Christi partam, & quæsitam.

11 *August. Fulbert.* Adest etiã Fulbertus Carnotensis qui specialiter ex occasione peccati Virginis Conceptionem peractã perspicuis verbis tradit. Nam sicut Augustinus de Christo illud adiecit. *Fœlix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem*: similia de Virginis Conceptione Fulbertus, *Fœlix culpa, & sancta coniugalis societas, quæ tale, ac tantum, specialeque ac singulare decus profudit in orbem.*

Idiot. Ad vtrumque accedit etiam Idiota in contemplatione Deiparæ, cap. 4. vbi sic scribit. *Inter omnia opera æterni opificis post operationem illam, qua naturæ nostræ vnitus est filius tuus, speciale opus fuisti, o beatissima Virgo: qui ad hoc te fecit, vt quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur.* Quod autem post præuisionem ruinæ Virginem condere Deus decreuerit, statim perspicuis verbis tradit. *Hic enim summus opifex primo considerauit Angelicam naturam, quæ in parte ceciderat, & humanam, quæ corrupta erat, & corpoream inferiorem, quæ peccato hominis fuerat deterior facta. Sed & ad hæc omnia fecit te Virgo Maria sanctissimam, vt ex tuo super benedicto fructu.* Quid illustrius, aut dici, aut excogitari posset?

12 Rursus naturalem Virginis Conceptionem ad incarnationem Christi Domini per se ordinatam comprobant alia verba Idiotæ in eadem Contemplatione de Virgine Maria, cap. 2. vbi inter alia sic habet. *Tota pulchra es in tua conceptione, ad hoc solum effecta, vt templum esses Dei altissimi.* (id est) vt verbum Dei in vtero tuo ceu in sacratissimo sacello, ac templo susciperes. Pende illa verba *ad hoc solum effecta*, nam illud *ad hoc effecta* satis ostendit Dei ordinationem, particula autem *solum*, omnem alium finem excludit, ita vt eo fine sublato Virginem à Deo minime condendam iri perspicue admodum significet. Ergo dum ait eum ad finẽ Mariam effectam fuisse, vt Christum in vtero portaret, aperte insinuat eius effectionẽ, & primam productionem propter Christum operatam, atque adeò eius promeritis donatam fuisse: ita vt quemadmodum dignitatẽ matris, sic etiam primam conditionem genitrici suæ Mariæ Christus impetrauerit. Et quidem Idiota ex hac ratione: quod nimirũ ad hoc solum Virgo effecta fuerit, vt Christum visceribus suis gestaret, conceptionis illibatam munditiem apte admodum depromit, quam subinde in decursu capitis apertissimis verbis ex eo principio ductam nobis dedit. Nam statim attexit. *Tua gloriosa anima nihil vnquam affuit turpitudinis, vitij, aut peccati*: & perbreui interstitio verborum. *Tota* (inquit) *es pulchra amica mea, & macula peccati siue mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te, nec vnquam fuit, nec erit. Sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum, & cœlestium donorum.* Huius autem illationis vim, quatenus probat Virginem ab omni culpa originali vacuam fuisse, pauló post discutiemus.

Concil. Cantua. Vlterius Virginis Deiparæ ordinationẽ, & conceptionis ipsius destinationem ad temporalẽ Christi originem tradidit perspicue Concilium Cantuariense, quod celebratum

est Anno 1328. cuius verba producit Ioã. Ba- *Ioan. Bacon.*
con. in quodlib. lib. 3. q. 13. *Quia inter omnes Sanctos memoria Beatissimæ Virginis & matris Domini eo frequentius agitur, atque se fixius, quò maiorem gratiam apud Deum (qui eius conceptionem prædestinatam ad filij vnigeniti sui temporalem originem veraciter ordinauit) creditur inuenisse*. Quid illustrius? Accinit etiam Bassiliense Concilium Sess. 36. vbi ex eorum sententia, qui immaculatam Conceptionem tuebantur, quam statim Synodus probauit, sic scribitur. *Alijs autem à con-* *Conc. Basil.*
trario dicentibus à principio creationis suæ Deũ ipsam diligendo, gratiã eidẽ contulisse, per quã à macula originali illam beatissimam personam liberans, & præseruans, sublimiori sanctificationis genere redemit. Cũ fundaret eam Altissimus ipse, & ipsam fabricaret filius Dei Patris, vt esset Mater eius in terris. Adhæc infra in sæculorum censu quatuor habes Anselmi rationes, quas obseruauit, expenditque Ioan. Bacon. ad probandam Mariæ primam conditionem, & creationem ad temporalem Christi Domini originem ordinatam, prædestinatam fuisse. Vide ibi sæculo 12. in Anselmo.

13 Illud præterea obseruandum est, quod ex illo etiam principio aptissime deduxit Idiota, scilicet omnem naturalium bonorum gratiam in Virginem confluxisse: nam si Virgo propter Christum effecta fuit, vt Mater eius fieret, & prima eius conditio meritis Christi parta est, omnibus vtique naturalibus donis, ac dotibus, quæ tantam dignitatem decebãt, ab initio ornari debuit. Inde vero nos ad positionem nostram roborandam argumentum à posteriori eiusmodi ducimus. Virgo in prima sua conditione, & formatione omnium naturalium donorum cumulum accepit, quibus omnem aliam humanam creaturam immenso interuallo superauit: ergo ad liberalitatem Dei, quæ omnibus alijs eiusmodi dona parcius dispertit, aliquid aliud accessit. Ecquid hoc? Nihil profecto aliud nisi merita Christi, quibus insignis illa bonorum affluentia matri quæsita est.

Has vero naturales dotes, & gratias, quibus Virgo ab initio insignita fuit, omnium *Gerson.*
absolutissime conflauit Gerson in serm. de Conceptione Virginis Deiparæ. Nam cum elegantem quandam contentionem inter naturam, & gratiam excogitasset Doctor ille, naturam ad hunc modũ per Prosopeiam loquentem inducit. *Possum* (inquit) *per figuram, & imaginationem rationabiliter fundatã dicere, quod natura accessit mox cũ suis ancillis, quæ sunt influentiæ, & causæ naturales, se offerens ad formationem huius Dominæ, & pulchræ Dei amicæ. Hæc ergo corã diuina maiestate admodum humiliter, & reuerenter se inclinauit. Ac Deus meus, ait, non ignara sum pulchri incepti, quod facturus es, & excellentis Dominæ, quã proposuisti formare. Hoc tibi notum sit, nec me, nec ancillas meas vllã vsuras esse fictione, quominus omnia demus, & plantemus in hac Domina omnẽ corporalẽ pulchritudinẽ. Nã super animã eius nihil habemus potestatis, sed quod ad corpus attinet, conferemus ei omnẽ delectationẽ, omnẽ sanitatẽ, harmoniã, & tẽperantiã cõplexionis. Et breuiter bene dicere poterit, quod erit bonis meis, bonis naturæ (cũ sit pro te) super omnes alias, quæ vnquã fuerunt, erunt, & sunt, abundantissime adornata, & dotata. Extendã, & inspirabo per faciẽ eius lucidutatẽ quandã pulchritudinis plenã simplicitatis, honoris, & benignitatis, & taliter cõponã castũ eius aspectũ, dicta sua, facta, & mores, quod omnibus eã aspicientibus erit exẽplar, liber, & speculũ pulchritudinis, nobilitatis, boni amoris, & honestatis. Et sicut formaui, & figuraui corpus Regis magni Priami, taliter vt sola specie, & aspectu eius dicebatur esse dignus Imperio. (Species Priami digna est Imperio) excellentius profecto faciam de illa. Itaque omnes quantumuis etiã inuidi dicent: Ecce Dominã dignam, quæ sit Imperatrix totius mundi, coronata que Regina. Et sicut de Hectore scribit Aristoteles in Ethicis, quod non videbatur viri mortalis puer esse, sed Dei: Sic Domina hæc sanctissima non videbitur hominum filia, sed Dei, tanto excellentius, quanto ipsam Hectori præferri oportet.* Hactenus Gerson.

Apud quem natura venuste admodũ perorauit: ex cuius verbis æstimanda sunt in primis illa *(cum sit pro te)* quæ parẽthesi clauduntur, hæc enim manifeste innuunt omnem illam bonorum naturalium affluentiam ad ipsum Christum ordinari, vt scilicet mater ipsi decentissima effingeretur. Quapropter cũ propter Christum hæc naturalia dona ab initio formationis Virgini indulta sint, eiusdẽ meritis parari debuerunt. Rursus ad extremum subiungit Gerson, tantis, ac tam eximijs dotibus à natura perornatam fuisse Dominam Virginem in prima sua formatione, *vt non videretur ab hominibus procreata, sed à Deo genita*: vt vel sic innueret, gratias eas, atq; dotes naturales à naturalibus, & consuetis omnino causis manare non potuisse, atque adeò superiorem aliquam causam intercessisse tantæ venustatis effectricem, Dei scilicet potentiam Christi meritis excitatam, & exacutam ad robur suum exerendum. 14

Idem sibi voluit Henricus de Hassia nobilis sanctitate, & antiquitate Doctor, quem citat Dionysius Carth. in lib. 2. de laudibus Virginis. *Maria* (inquit) *plena gratia optimæ compaginis naturalis, singularissima pulchritudinis corporalis, decentissimæ habitudinis moralis. Quoniam omnium artifex Deus ad ipsius formationem in vtero supernaturaliter concurrens, filio suo dignum habitaculum fabricaturus eam intrinsecus omnium gratificantiũ charismatum, & dignificantium habituum plenitudine adornauit, vt etiam in exteriori eius effigie gratia diuina tam copiose, efficaciterque luceret, quod eius aspectus, affectionum carna-* 15 *Henricus de Hassia Dionys.*

lium

lium æstus extingueret, &c. Accedat etiam Albertus Mag. Magnus Albertus apud eundem Dionysium lib. 1. eiusdem tractatus, qui verbis suis optimam rationem inuoluit, obquam Virgo tot, tamque eximijs naturæ dotibus insigniri debuit, scilicet vt filio persimilis esset: nihil enim magis naturæ consentaneum, quàm filios parentum ingenia, mores, indolē, formamq; referre. *Quemadmodum* (inquit) *corpus Christi, quod Deus supernaturaliter per se ipsum formauit, est perfectissimum, atque pulcherrimum in natura, quod fieri potuit secundū statum viæ: sic corpus Virginis ad hoc immediate ordinatum* (ne fugiant te ista verba) *ad hoc, inquam, immediate ordinatum, fuit pulcherrimum secundum statum viæ, quod natura per se operans facere potest. Ideo dicimus, quod sicut Christus fuit speciosus forma præ filijs hominū: sic Virgo pulcherrima fuit inter filias hominū, & quod ipsa habuit summum, & perfectissimū in pulchritudine, quod potuit esse in mortali corpore fœmineo secundū statū viæ operāte natura.* Hæc Albertus, quibus perspicue declarat venustatem, & reliquas dotes corporis, quibus Virgo in prima formatione adornata fuit, propter Christum à Deo fuisse intentas, atque adeò meritis illius adscribi debere.

16 Dionys. Cart. Sed supponendus reliquis est Dionysius ipse Carthusianus, qui lib. 1. de laudibus Virginis, art. 34. sic marte suo Virginis naturalem elegantiam extollit. *A planta pedis vsque ad verticē capitis nihil penitus fuit in Virgine, neque in corpore, neque in anima indecens, reprehensibile, indecorum: imo totum fuit diuinæ sapientiæ circino efformatum, pulcherrime circiscisum ab omni superfluitate, plenissime, ac speciosissime operatum.* Rationem vero huius venustatis statim adsuit his verbis. *Nempe sicut Christi humanitatem propter eius personalem cum Deo vnionem decuit omni perfectione naturæ, & gratiæ in termino excellentia præfulgere: ita ipsius genitricis personam post vnigeniti sui humanitatem oportebat in omnibus sic ornari, quoniam post hypostaticam cum Deo coniunctionē non est alia tam vicina, vt vnio Matris Dei cum Deo filio suo.* Quibus verbis fatetur etiam Dionysius omnia illa naturalia dona Virgini ob decentiā dignitatis Matris Dei fuisse collata, atque ad eam dignitatem ordinata. Quapropter cū Christus Matris dignitatem Virgini meritis suis exorauerit, inficiari non possumus, omnia illa, quæ ad eam dignitatē perficiendā, & absoluēdā pertinēt, eiusdem meritis parta, & cōparata fuisse, atq; adeò primę formationis, & creationis Marianæ donū eisdē acceptū referri debere.

17 Sed tamen obijcies hæc omnia Sanctorum Patrum testimonia, & rationes, quę suadent Virgini ob maternitatis decentiam omnia naturalia dona perfectissima contigisse, accipienda esse de accidentibus, non autem de substantia: ita scilicet, vt venustas, forma, optima qualitatum temperies, bona indoles, & alia id genus, quæ naturæ substantialis accidentia sunt, ex meritis Christi Virgini contigerint: substantia vero ipsa, & existentia non item. Cæterum hoc effugium facile admodum præcludi potest: quia omnia accidentia ita ex substantia fluunt, & ipsam consequuntur, vt perfectiora accidentia perfectiori saltem indiuidualiter substantiæ respondeant. Quapropter Deus Matri perfectiora accidentia præparare volens, vt hæc connaturaliter se haberent, debuit etiā ipsi nobiliorem secundum indiuidualē perfectionem, substantiam, existentiamque tribuere, & aptare. Atque adeò fieri non potuit, vt accidentia in eo perfectionis gradu ob maternitatis decentiam ad Christum ordinaretur, quin ipsa etiam substantia, eiusque perfectio indiuidualis eandem ordinationem haberent.

Denique possumus etiā alia coniectura ad thesim hanc comprobandam vti: quia minirum, vt constaret primam Virginis formationem Christi meritis deberi, ex diuina prouidentia factum, vt parentes illius Anna, & Ioachimus ita ad Virginem procreandam conuenirent, vt in ipsis nulla vigeret iam libido, atque adeò nulla, vel leuissima culpa eorum concubitum sordidaret. Ita docet Bonauentura in 3. sent. dist. 3. quæst. 1. ad quartū. Et apud D. Brigittam reuel. lib. 1. cap. 9. ipsamet Virgo Deipara sic fatur. *Tamen pro certo dico tibi, quod ex charitate diuina, & ex verbo Angeli nunciantis conuenerunt carne parentes mei, non ex concupiscentia aliqua voluptatis: sed contra voluntatem suam ex diuina dilectione, & sic ex semine eorum per diuinam dilectionem caro mea compaginata est.* Huc spectant etiam verba Fulberti orat. 1. de Mariæ natiuitate. *Haud dubium quin vtrumque parentem viuificus, & ardens spiritus singulari munere repleuerit.* Hinc etiam factum, vt in Virginis Cōceptione immaculata locum habeant illa verba Damasceni orat. 1. de natiuitate Mariæ, quibus vtrumque parentem affatur. *O par Beatum Ioachim, & Anna, vobis omnis creatura adstricta est, per vos enim donum omnium donorum præstantissimum creatori obtulit, nempe castam matrem, quæ sola creatore digna erat. O beatos Ioachimi Lumbos, ex quibus prorsus immaculatum semen fluxit.* Et infra. *O beatum par Ioachim, & Anna, profecto ex ventris vestri fructu immaculati agnoscimini.* Et rursus. *Ioachim, & Anna tanquam spirituales montes dulcedinem stillarunt.* Quorsum ergo tanta Dei protectio in hac prima Virginis generatione, quæ quidem ita peracta est, vt omnis ab ipsa libido procul abesset, vt nullius vel leuissimæ culpæ labes illam inficeret, vt sanctus spiritus vtrumque parentem prius impleret, vt sola Dei charitas, amorque illos ad congressum accenderet? Sane hæc omnia eo spectarunt, vt fieret omnibus compertum, in ipsa Conceptione

Mariæ

Marginal notes, right column: 18 (beside "Denique possumus…"); Bonauen. (beside "eorum concubitum…"); Fulbert. (beside "ctant etiam verba Fulberti"); Damasc. (beside "habeant illa verba Damasceni").

Mariæ Christi merita intercessisse: nam vt commune habet profatum. *Propter quod vnū quodq; tale, & illud magis.* Si ergo propter naturalem Mariæ formationem tanta Christi gratia in parentes effusa est, quæ in illis libidinem restingueret, culpā omnē aboleret, & Spiritus Sancti æstum accenderet: ergo & ipsam multo certius per eiusdem Christi merita fieri, & patrari oportuit.

19 Ex dictis, mea quidem sententia, firmum satis manet, Virginem suæ creationis primū donum ex meritis Christi habuisse. Ex quo fit post pactum transfusionis, & Christum præuisum, in Dei præscientia definitum fuisse, vt ipsa secundum substantiam conderetur, atque adeò commune illud fœdus minime ingressam, quod longe ante pro solis futuris initum fuerat, vt iam supra docuimus, cap. 20. ex quo fit illam non modo ab omni culpa originali liberam fuisse, sed etiā debitum illius contrahendæ prorsus ignorasse.

Idiota.

Cæterum quia (vt paulò ante diximus) ex hoc principio Virginem à culpa originis vacuam fuisse conficit Idiota: perscrutari libet, an præter supradictam aliæ, atque aliæ rationes, ac viæ suppetant, quibus id ex eodem principio corroborare liceat. Ergo præfatus author sic habet. *Tota pulchra es in Conceptione, quia ad hoc solum effecta, vt templum esses Dei altissimi, tuæ gloriosa animæ nihil vnquam affuit turpitudinis, vitij, ac peccati.* Et infra. *Tota pulchra es amica mea, & macula peccati, siue mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te.* Itaque ex eo Virginem totam in sua Conceptione pulchram, & ab omni culpa permundam esse colligit Idiota, quia ad id solum effecta est, vt Christum in vtero gestaret: quod sane luculentam valde, ac minime infirmam rationem continet. Si enim prima effectio, & conditio Virginis ex ordinatione Dei tota ad Christum referebatur, non debuit sane peccato aliquo commaculari: nam si per culpam sorduisset, vel non posset ad ipsum ordinari, vel certe parum decēs esset eiusmodi ordinatio. Quinimo hoc solo nomine Virginis sanctissimæ prima conditio *omni gratia naturalium bonorum, & spiritualium charismatum, & calestium donorum* adornari debuit (verba sunt eiusdem Idiotæ) vt ex his ornamentis, quibus iā tunc dotabatur, compertū fieret, eam etiam iam tunc ad Christum totam referri, atq; ipsi consecrari.

20 Sed luculentior est, ac dignior altera ratio, quam verba Procli in homil. illa ad Concilium Ephesinum habita spirare videntur: nā ante clausulam illam supra in initio huius capitis præscriptam sic habet Proclus. *Natus salutis ostium id esse ostendit, quod peccati quondam introitus extiterat. Clemens Deus ex muliere nasci non erubuit, quod enim agebatur, vita erat. Nullam ille inde contrahit labem, quod intra viscera, quæ citra omnem dedecoris notam condiderat, inhabitat.* Et subinde attexit illud supra exhibitum. *Ex vtero illo exijsse purissimum illud numen nihil quidquam polluit? quam enim citra vllam sui labē creauerat, ex hac quoq; nulla macula contracta processit.* Nam intellectus horum verborum talis est. Minime quidem probrosum fuit Deo ex ea nasci, quam citra vllam dedecoris notam condiderat. At quid est Mariam absq; nota dedecoris à Deo condi, & formari? Sane ex Procli mente nihil aliud hoc est, nisi eam omni peccati labe mundam condere: nam peccatum nostrum est maxima, & præcipua Dei contumelia, & iniuria: quasi dicat. Illud sane Deo ipsi probro verti posset, si ex fœmina aliqua ortum duceret, quam non sine contumelia, & dedecore formaret, quam scilicet ita formaret, vt ex formatione ipsa peccatum, atque adeò grauis in ipsum contumelia redundaret. At vero ex fœmina quadam nasci, in cuius formatione nihil peccati, ac propterea nihil dedecoris, aut contumeliæ adesset, quod in ipsum refundi posset, non potuit illi ignominiam aliquam afferre. Itaq; sensus est, satis decenter, & gloriose Deum ab ea fœmina procreari, quam ille sibi ipsi sine peccato, atque adeò sine labe, aut nota dedecoris primū creauerat. Nititur autem hæc sententia in communi hominum æstimatione, & opinione, apud quos infame, & turpe vulgo habetur ab his nasci, qui etiam ipsi turpitudinem, & infamiam ex natiuitate, & origine sua trahunt: quia nimirum parentes, aut auos degeneres, & inglorios sibi numerant. Atque adeò tota sententiæ energia in eo posita est, vt Proclus asserat non fuisse ignominiosum Christo nasci ex illa, quæ in sui formatione nihil turpe, aut inglorium habuit, ex quo nota aliqua ad filium deriuari posset.

Proclus.

Vel certe ex alia etiam non minus certa, 21
& constanti hominum opinione peti potuit Procli sententia. Illud enim vulgo hominibus persuasum est, inter parentes, ac filios tam honoris, quam dedecoris maximam cōmunionem esse: nam sicut gloria, & honor, ita etiam dedecus, & turpitudo à filijs ad parentes redit, & à parentibus ad filios transit. Cogita ergo Virginem Deiparam cum Deo collatam, quem vtero gestauit suo, esse filiam simul, atque Matrem: aut (vt luculentius dicam) effectum, & causam. Id sibi vult Ecclesiæ versiculus. *Genuisti qui te fecit*: nec non illud:

Qui te creauit prouide
Lactasti sacro vbere.

Sententia ergo Sanctissimi illius Patris hæc est. Non fuit vtiq; inglorium Deo ex Virgine Maria procreari, quandoquidem illi turpe non fuit illā creare: nam si filiæ loco ipsam habere non fuit probrosum; non erit etiam indecorum Matrem eandem sortiri:

quia si ex filia ad suum parentem nulla redit ignominia, ex matre etiam ad filium nulla transibit infamia. Hanc igitur, vel illam iam præfatam sententiam claudunt (si Deo placet) Procli verba, ex quibus ratio quędam sese dat facilis, & aperta suadens Virginis formationem, aut conceptionem omni labe carere vel ex eo debuisse, quia Christi matris parta fuit. Quia vt ex dictis constat, prima hominis formatio, quia peccati macula non caret, suam causam, & authorem aliqua dedecoris nota afficit: si ergo Virginis Conceptio esset impura, & Christum nihilominus meritis suis illius authorem, & causam fuisse serio affirmaremus, plus fortassis ignominiæ, quã gloriæ inde reportaret: quia vt verba Procli contrario sensu resumam, *Nequaquam citra dedecoris notam illam conderet*, nec *sine sui labe illam crearet*: atque adeo *non sine macula ab illa procederet*. Quia quicquid dedecoris, ac turpitudinis, ex filia ad patrem in sui conditione redit, ex matre ad filium in generatione deriuaretur.

22 Tertio alia etiam ratio ex dictis suppetit: quia vt nuper decernebamus, ipsa naturalis conditio, & formatio Virginis ad sui decentiam omnia naturalia dona in gradu excellenti, & eximio postulabat: videlicet temperamentum optimum, præstantem indolem, venustatem admirabilem, & id genus alia. Nam cum hæc ad incomparabilẽ illam Matris Dei dignitatem referretur, merito debuit tantis dotibus perornari: sed gratia, & iustitia originalis multo melius primam illam Virginis formationem ad eam dignitatem comparabat, quam reliqua corporis bona (quod per se notum est) ergo Deus, qui circa minora, & deteriora iam tunc erga matrem prouidus erat, circa maiora, & digniora haud improuidus esse debuit. Ad hæc omnis gratia, & pulchritudo corporea, inanis, fallax, & vacua censetur, nisi adsit iustitia, quę est animi ornamentum. Vnde Salomon infra cap. 31. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur*. Decuit ergo, vt cum ipsis pariter externis, & corporeis donis in prima formatione iustitia, & gratia Virgini infunderetur, ne vnquã bona illa externa vacua, vana, & fallacia in ipsa dici possint. Et quidem ad hunc sensum transtulit Dionys. loco citato verba illa Canticorum. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Tota* (inquit) *pulchra dicitur, id est corpore, & anima, alioqui non esset tota: nam si pulchritudini animi corporis venustas deesset, illius splendor obtunderetur*. Hæc ille, cui ego sic è conuerso: si venustati corporis animi pulchritudo deesset, sane corporis venustas non obtunderetur solum, sed omnino in deformitatem, & turpitudinem decideret. Denique cum omnia hæc naturæ dona (vt ex supra adscriptis liquet) ex ordinatione Dei ad Christum referrentur, vt videlicet mater, quæ ipsum in lucẽ editura erat, omnia naturalia præstantissima, & dignissima haberet, sane his gratia originalis sociari debuit. Quia si Deus Adamum, atque Euã primos hominum parentes ad sobolem suscitandam, humanumque genus per naturalem generationem adaugendum destinans, non satis duxit omnia naturalia mera, ac puta, quæ per se ad generationem spectabant, excellentissima, & præstantissima condere, sed ad naturalia bona gratiã, & iustitiam accedere operæ pretium existimauit, vt parentes, filiosque ad eum modum nobilitaret: potiori ergo iure id ipsum in genitrice sua Maria præstare debuit, & vt scilicet excellentissimas illas, ac nobilissimas naturæ dotes cum originali gratia in ipsa copularet, cum matris gloria, filijque maiestas eum honorem arctiori debito sibi vendicarent.

Quarto aliter etiam ex præmissis illibata Virginis Conceptio formari potest. Quia sicut ibidem dicebamus, vt ad primam naturalem, & corpoream Mariæ formationem parentes ipsius Ioachim, & Anna decenter venirent, ex Dei prouidentia factum est, vt Spiritu Sancto replerẽtur, vtque omni extincto libidinis sensu, eos solos charitas Dei, & amor sobolis ad generandum excitaret, ac demum, vt omnis ab illa generatione peccati etiam leuissima suspicio quamlongissime abesset. Cum ergo propter illam naturalem formationem, quã parentes actione sua perfecerunt, tanta in ipsis, tamque affluens gratia abundauerit: quanta putamus gratia, & iustitia ipsammet primam illam Mariæ conditionem à Deo irrigatam, & infusam fuisse? Mihi quidem ita videtur, Christi gratiam tunc in parentibus abundasse, in Maria exundasse omnino, ita vt iam tunc omnes homines, Angelosque, eius gratia facile superaret. 23

Proue. 31

Dionys.

SVPE-

SVPERIOR SENTENTIA amplius roboratur argumento quodam petito ex dignitate Matris Dei,

CAP. XXIII.

1. *B. Virginē post præuisum peccatū prædestinatā probat ipsius ad maternitatem electio.*
2. *Deus ex affectu simplici Maternitatis Virgini merita præparauit.*
3. *Duplici modo id fieri potuit iuxta duas scholasticorum opiniones.*
4. *Quomodo nos hoc factum asseramus, & Virginem à reliquis in instanti conceptionis secernamus.*
5. *Præuiso peccato, Virginem tanquam sui asylum condidit Deus, & ideo ab originali immunem.*
6. *Sanctissima Virgo quia Christi mater fuit, regenerandorum fidelium parens extitit.*
7. *Eua vitæ nomen sortita est figurate ad Mariam, quæ viuentes fideles Christo peperit.*
8. *Vitam quoque Dei in iustis, quos ipsi Deo parturit, perennem facit.*
9. *Non viua, sed vita dicitur Maria, tum quia nō sibi modo, sed & omnibus vita fuit, tum quia mortis omnino incapax.*
10. *Futuram Christi generationem decebat, conceptionem Virginis nō minus quā reliqum vitæ tempus omni culpæ labe caruisse.*

1 VPRA Quidem, cap. 17. non paucis docui dignitatem Matris Dei occasione accepta ex peccato Virgini fuisse quæsitam: cui sententiæ robur faciebam ex illa Ecclesiæ Prosa.

Peccatores non abhorres,
Sine quibus nunquam fores
Tanto digna filio.

Anselm. Cui accinit etiam Anselmus de excellentia Virginis c. 1. *Si igitur* (inquit) *ipsa propter peccatores, scilicet, propter me, meiq; similes facta est Dei mater, quomodo immanitas peccatorum meorū cogere poterit desperare veniam eorū cum tam ineffabile bonū sit factū ex ea propter curationem eorū.* Et cap. 12. *Et quæ pro totius mūdi saluatione meruisti fieri mater altissimi.* His etiam annumerare licet Sanctissimum Christi Martyrem Rosensem in Psal. 37. vbi ita scribit.

Rosens. *Peccatores ergo diuinæ gratiæ munere iusti iam effecti Virginis Matris tutelæ cōmendantur, vt nimirū eos in suam fidē recipiat, & maternā eorū curā gerat. Est quidem notabilis, hæc affinitas (ait D. August.) quæ inter B. Virginem, & peccatores cōtracta est: illa enim quidquid boni accipit, peccatorū causa accipit (erat enim peccatū in causa, quod illa Dei mater sit effecta,) similiter & nos, si quid boni habemus, illi acceptū referre debemus.* Ita Rosensis ex Augustino. Ergo ex hoc principio nullo negotio conficitur ipsam Virginis formationē post peccatū, & post Christū iā præuisum à Deo decretam, & definitam fuisse. Nā cum ex dictis in superiori capite constet satis, primam hanc Mariæ formationem cum omnibus naturæ ornamentis, ac dotibus, quibus ab initio decorata fuit, ad Christum propter dignitatem Matris Dei fuisse ordinatam, vt scilicet in ipsa nihil decentiæ, aut decoris desiderari posset: quandoquidem isthæc dignitas occasionē ex peccato mutuauit, fateri debemus ipsam etiā Virginis creationē, & formationē, accepta ex eodē peccato occasione, à Deo patratā fuisse. Atq; adeo fœdus illud, quod pro futuris iam inde ante peccatum hominibus tantūmodo percussum est, Virginem, quæ subinde post peccatū præuisum fore decreta fuit, comprehendere non potuit. Et quidem à pacto ex hoc principio exēpta, & à culpa originali, & à debito illius contrahendæ libera omnino manet, vt ex dictis supra liquidum est.

Sed tamen, vt aliquid vlterius subjiciā ad propositā thesim faciens, primū quidem ostēdere oportet, quonāmodo ipsa Virginis formatio, & gratia etiam originalis ad Matris dignitatem ordinari, ac referri potuerit: Nā in hoc tractatu nonsemel diximus Virginē sibi ipsi maternitatē proprijs meritis impetrasse. Ergo non solum post formationem primam, sed dehinc longius post magnam vitæ partem præuisam, eā Virgini donare efficaciter Deus decreuit: ea enim, quæ propter merita donantur (vt alias etiā præmisimus) nō sine meritis præfiniuntur. Cū ergo formatio Virginis, & gratia originalis eiusdē priora sint, ad maternitatem multo posteriorem ordinari minime potuerunt. 2

Respondeo primam Virginis conditionē, & iustitiam originalem eodem modo ad maternitatem ordinari, & referri potuisse, quo vtraque ordinata sunt ad gloriam, & beatitudinem, quæ maternitate longe posterior

fuit, ita quod quemadmodū ex affectu beandi Sanctissimam Deiparam illam formare, & primam illi gratiam originalem donare definiuit Deus, etiamsi hanc beatitudinem non prius Virgini efficaciter decreuerit, quā eiusdem perseuerantiam, & merita omnia præuidisset. Ad eundem modum fieri potuit, vt Matrem Filio desiderans Deus, omnes fœminas, quæ ipsum gignere poterant, mente complexus, ex hoc affectu Mariam tum condere, tum etiam gratia originali donare decreuerit, etiamsi Virgini eandem maternitatem non prius donare absolute, & efficaciter definierit, quam magnam vitæ partem, & extremum illum consensum præscierit, quo Angelo suadenti respondit. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Hic enim assensus merita, quæ Virgo ad maternitatem attulit, omnino cumulauit. vt ad eum locum Patres contemplari consueuerunt.

3 Id vero duplici modo euenire potuit, si tamen modus iste diuidi, ac partiri potest. Aut enim dicendum erit, Deū simplici quodam desiderio Virgini in esse tantum possibili consideratæ maternitatem optasse, & ex hoc desiderio simplici, & inefficaci eandem formare, & gratiam originalem ipsi largiri apud se statuisse, quod grauissimis, ac doctissimis viris placet: vel (si id non probatur, quia voluntas illa simplex, & inefficax Dei erga Mariam cum reliquis omnibus fœminis possibilibus omnino cōmunis est: tū quia Maternitas Christi in qualibet ear considerata non potest non Deo placere, & arridere: tum etiam quia impossibile ducitur, vt efficax electio mediorum ab inefficaci intentione finis profluat) aliter dici potest secundum doctrinam aliorum Theologorum, Deum voluntate quidem efficaci Virgini Deiparæ dignitatem Matris Dei exoptasse, non tamen absoluta, sed conditionata ad hunc modum. Considerata Virgine in statu possibili, sic Deus apud se constituit: huic quidē fœminæ, si illam præ cæteris omnibus donis naturalibus instructam formauero, & hæc dona in bonum, atque honestū ipsa vsum converterit: si ab initio gratiam, & auxilia ipsi impendero, quibus voluntas eius excitata in primo suæ conceptionis instanti mei desiderio, atq; amore exardescet: si postmodum sanctissime vixerit, ac demum Angelo incarnationem nunciāti assensum præbuerit: ex nūc iam efficaciter decerno ipsam mihi in matrem seligere: tunc vero putandū est, ex hac voluntate efficaci, & antecedenti, sed tamen conditionata erga maternitatem, (vt hactenus exposui) Mariam eo ordine omnibus primum naturalibus donis instructam formare: dein vero gratia, & sanctitate originali donare, & auxilia ad sanctè, pièque viuendum eidem largiri, & alia concedere, quorum ope eam dignitatem sibi promereri oportebat, absolute decreuisse: ac demum præuisis iam illius meritis dignitatem illam absoluta, & efficaci voluntate eidem Virgini impendere apud se statuisse. Et quidem huic ordini decretorum Dei libenter acquiescerem, quia per illum Virgo Deipara à reliquis fœminis, quamprimum secernitur. Dicimus enim voluntatem quandam, & desiderium Dei efficax, licet conditionatum, erga illam ab initio versari cœpisse, per quod maternitatem ipsi exoptabat, quod erga alias fœminas nec esse, nec fingi potest. Ex quo demum facilius intelligimus, quanam ratione prima Virgini formatio, & gratiæ originalis donatio ad maternitatem ex ordinatione Dei referri potuerit: quo itē modo ipsa maternitas, quæ postmodum succedentibus annis Virginis donanda erat propter eiusdem merita, ipsam Virginem ab initio suæ conceptionis exornare cæperit, ita vt illius dignitatis iura in ipso etiā creationis articulo iam iam vigere intelligamus. Verum cum videam modum istum eligendi efficaciter sub conditione à sapientioribus denegari, & auerti à Deo, mihi quoque denegandus est. Atque adeò asserendum omnino iuxta dicta, Deum post præuisum Adæ peccatum, omnesque illius minores ex illo infectos, constituisse efficaciter incarnationem Christi. Subinde vero Christo, ac meritis eius passione consummatis antepræuisis, vt dignam filio suo matrem offerret, omnes fœminas iam tunc futuras ex Adamo infectas, & commaculatas præscientia sua intuitus est, atq; adeò displicuere omnes: noluit enim Deus ex Matre peccatrice, & turpi seruituti mancipata seruitutis vindicem procreare. Quapropter Deus ipse merita filij acceptās, & boni consulens, ita constituit, vt noua fœmina, aliàs nulla ratione futura, filio in matrem conderetur, cuius nouum corpus, & noua caro, nouum corpus, & nouam carnem nouo homini Dei filio disponeret, & Deiparens cæteris posthabitis fœminis vocaretur. Non quia ex tunc illi matris dignitatem efficaciter vellet: sed quia iam tunc maternitatem istam ipsi impensius exoptans, originalē gratiam, & vberiora auxilia ipsi donare decernebat, quibus illam dignitatem suis ipsa meritis implorarer: ita vt vnum, & alterum haberet per Christum, & primam conditionem, & Matris Dei supremam dignitatem. Sic vero factū, vt Virgo Maria statim ab ipso suæ prædestinationis initio ab omnibꝰ alijs fœminis dirimi, ac secerni cæperit: vt proinde ad maternitatē Dei ante alias eligi debuerit. Nam ab his, quæ ante illā futuræ erāt, per innocentiā: ab illis vero, quæ possibiles erant, tantū per futuritionē discernebatur. Quapropter iam tunc (liceat sic fari) ius aliquod ad dignitatem illā sola præter alias fœminas habebat, vel potius ipsam Maternitatem velut in radice, & semine iam tenebat. Ad quem sensum libitum est, allicere

Isai.11. illa Isaiæ verba, cap.11. *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Nam per Virgam Patres mirabili quadam conspiratione Dei genitricem Virginem capiendam putant: per florem Christum Dominum intelligunt. Cum igitur flores fere ex cacumine, & vertice Virgæ progerminare soleãt, quonam consilio dictum, florem illum ex ipsa radice Virgæ pullulasse? Sane eo spectat Vates, vt significet dignitatem, & gloriam Dei parentis in Virgine ab ipsamet radice, hoc est, ab ipsius Conceptione inchoari: atque adeò illius dignitatis leges, & iura iam tunc vigere. Huic valde adsimile est illud, quod narrat Arist. lib.1. de plantis, cap.3. de arbore quadam Margarita Arist. nomine. *Aliarum (inquit) arborum fructus stipite suo suspensus, aliarum è radice, velut arbores Ægypti, quas dicunt Margaritas.* Hæret ergo in Maria Virgine flos, fructusque radici, id est, iam inde à Conceptione ipsius quasi auspicatur dignitas Matris, & Filij etiam gratia, & redemptio iam tunc in illa operabatur. Quod perspicuis verbis dixit Chrysol. Petrus Chrisologus, serm.146. de Christi generatione: vbi expendens illa verba. *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* id quærit, quonam iure in desponsatione sua dicatur Mater Iesu: atque ita respondet. *Quomodo nõ ante conceptum mater, quæ post partum Virgo permanet? Aut genitrix quando non, quæ sæculorumque generauit authorem?* Et infra sic habet. *Maria mater Dei vocatur, & quando non Maria mater?* Itaque Chrisologus cum plæraque priuilegia, & gratias numerasset, quæ dignitatem Matris Dei comitantur, nequis putaret hæc aliquo tempore concludenda, asserit Mariam nunquam non fuisse matrem, non solum post partum, sed etiam ante partum, & conceptum. Rationem autem optimam accõmodat: *Quia sæculorum generauit authorem.* Qua nimirum cum filius eius Deus esset, antequam nasceretur ex illa, ab æterno existens, ipsa quidem ad illum tanquam mater ad filium referri potuit, & ipse vicissim illam eligere, & tanquam matrem suam respicere potuit.

5 Quamuis autem in superioribus non pauca ex dignitate Matris Dei argumenta deprompserim ad illibatam Virginis Conceptionem ostendendam, hic tamen accommodate ad thesim, quam in hoc capite disceptatandam sumpsi, aliquid subiungere libet. In primis enim id quod diximus, Virginem ad Matris Dei dignitatem occasionaliter propter culpam euectam fuisse, duplicem sensum habet. Alter petitur ex illa Ecclesiastica Prosa.

Peccatores non abhorres,
Sine quibus nunquam fores
Tanto digna filio.

Quæ verba ita Virginem propter peccatum in Matrem Dei assumptam sonant, vt peccatum ipsum præcise huic electioni occasionẽ dedisse adsignificent, quatenus Deus per ipsum offensus Mariam sibi matrem condere decreuit. Et quidem (mea sententia) hoc principiũ non insulsam rationem nobis offert ad Marianæ cõceptionis munditiẽ comprobandam. Nam quod Deus peccato offensus, quasi violatus ad Virginem condendam sese accinxit, certe non alia de causa id fecit, vt docet Andreas Hierosolymitanus in ser. de Annũciatione, nisi vt à peccatis veluti profugus ad illam cõfugeret: sic enim appellat Mariam *Dei tutissimum ad inhabitandum asylum.* Asylum autem ad profugos excipiendos inuentum est. A quibus ergo ad hoc Mariæ asylum profugit Deus? Sane non ab alijs nisi, à peccatis, quæ sibi infensissimos hostes habet, & quæ soli (liceat sic dicere) capiti eius insidias parant. Nam vt docet Angelicus Doctor Sanctus Thomas, peccati malitia eo tendit, vt si fieri posset, Deum ipsum diuinitate priuet, eamque ad creaturas transferat. Ideo ergo Mariæ asylum inuenit, vt ab his hostibus, id est, à peccatis profugus ad illam confugeret. Itane ergo vt Deus peccata fugiens eã cõderet, & ad illam occurreret, quæ ipsa etiam peccato non vacaret? Aut quonam modo tutissimum Dei asylum dici posset, in qua eius capitalis hostis, scilicet peccatum, aliquando latuisset? Quapropter dicendum omnino est, nunquam in illa peccato fuisse locum, quandoquidem Deus ad illam peccatis læsus confugit, vt à peccatis tutus omnino esset. Rursus, quod Deus peccatis violatus Virginem Deiparam sibi in matrem condiderit, propterea factum, vt arma ex illa sumeret ad hostes suos debellandos: arma enim, quibus instructus aduersus peccata processit Christus, non alia profecto fuerunt nisi caro humana, quam in vtero Virginis induit: per hanc enim, & per ea, quæ in ipsa patrata sunt, culpas omnium debellauit, ac deleuit. Sic enim Augustinus in Psalm.63. *Sed si ille non esset homo, non liberaretur homo.* Ita ne ergo, vt Deus peccatis violatus arma contra ipsa peccata ex illa sumeret, quæ sub peccato aliquando suis meruisset stipendijs? Itane inquam, vt peccatis læsus ad vltionem peccatorum eam faceret, quam factam in suum authorem quamprimum ipsamet peccati discordia conuerteret, quasi aut nesciret, aut non posset peccata sine peccatis delere? Minime vero.

Andreas Hieroso. D. Thom. August.

6 Posterior ratio petenda est ex verbis Anselmi supra adscriptis, quæ non tantum Virginem occasione arrepta ex peccato in Matrem Dei assumptam significant: sed aliquid amplius sonant, scilicet ipsammet dignitatem ad curationem peccatorum à Deo inuentam fuisse: sic enim ait. *Et quæ pro totius mundi salute meruisti fieri mater Altissimi.* Non solum quia per filium ex illa susceptum Anselm.

salus humano generi parta est: sed quia ipsa illius maternitas per se ad salutem eiusdem humani generis spectabat. Quod elegans quædam Augustini consequutio alias a me obseruata, & adscripta facile probat, qui in lib. de Virginitate ad hunc modum scribit. *Ac per hoc Maria non solum spiritu, verum etiã corpore, & Mater est, & Virgo. Mater quidem spiritu non capitis nostri, quod est ipse saluator, ex quo magis ipsa spiritualiter nata est: sed plane mater membrorum eius, quod nos sumus: quia cooperata est charitate sua, vt fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis mẽbra sunt: corpore vero mater ipsius capitis.* Hæc Augustinus, qui ex eo, quod Virgo fuerit genitrix Christi saluatoris nostri, satis apte deducit fidelium quoq; omnium parentem esse: nam ratio, & iura ipsius naturæ postulant, vt parens illa, quæ caput edidit, eadem quoque membra capiti cohærentia pariat. Atqui fideles omnes membra Christi sunt: eos ergo Virgo etiam enititur: hoc tamen discrimine, quod Christum corpore, & animo, fideles vero illius membra spiritu tantummodo parturit. Cum igitur Anselmus ait, Virginem pro mundi salute Matrem Christi fieri meruisse, ita quidem capiendus est, vt significet, illam ita Christi Matrem fuisse, vt eodem iure omnium fidelium Mater censenda sit, qui Christo non aliter copulantur, & cohærent, quam membra indiuulsa capiti suo.

7 Hinc Athanasius in serm. de annuntiatione sic de Maria scribit. *Ac proinde noua ista Eua Mater vitæ appellatur, variegataque permanet ad primitias vitæ immortalis cunctorum viuentium.* Rupertus ergo ad illa verba Genes. 3. *Vocauitque Adam vxorem suam Euam eo quod Mater esset cunctorum viuentium*, plurimum inuehitur in Adamum, quod cum latam in se mortis sententiam iam accepisset, & huius mortis principem causam fœminam fuisse certo sciret, ipsam subinde Euam, id est vitam, & matrem viuentium appellauit, cum morientium potius parentem compellari oportet. Tribuit hoc Rupertus incredulitati, & ad quamdam obdurati animi proteruiam refert. Alij vero mitius agentes cum Adamo dicunt illum, accepta mortis sententia, de recuperanda aliquo modo immortalitate cogitasse: nullum autem ipsi in mentem venisse, nisi illum, quo parentes vitam suam in sobole, & posteritate per multa sæcula perennant. Ideo ergo Adamus, inquiunt, coniugem suam Euam, idest vitam appellauit: quia vitam, quam in se ipso amiserat, per fœminam in filijs, id est, per Euam producendam sperabat. Non displicet.

Tamen longe melius occurrit Athanasius, qui putat nomen illud non in veterem Euam, sed in nouam, id est in Mariam quadrare, & ita quidem de prima enunciatum, vt vaticinium quoddam sit de secunda: hæc enim vera vitæ Mater variegata ad primitias vitæ immortalis cunctorum viuentium. Vocem illam *variegata* sumpsit Athanasius ex Psal. 44. *Astitit Regina à dextris in vestitu deaurato circumamicta, & variegata* (sic ipse legit) Matrem autem variegatam propterea, me iudice, appellauit, quia varios, valdeque dissimiles filios sibi numerat: quippe quę Mater est cunctorum viuentium. Nam & Christum Dominum eodem sensu Propheta in Psal. 138. variegatum fortasse appellauit. *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ.* In Primitiuis est. *Et variegatus sum in visceribus Matris meæ.* Quonam igitur modo Christus in Matris vtero variegari potuit? Non alio certe, nisi quia non vna tantum ratione in se ipso, sed valde etiam disparibus, ac dissimilibus in membris suis à Maria genitus est. Vel quia per ipsam ex varijs vnum Christi corpus conflatum, & coagmentatum est, capite ac membris suis constans. Vnde apte subiungitur. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.* Se ipsum vtique imperfectum Christus appellat, quatenus membris suis compleri potest. Quasi dicat: ideo me oportet in Matris visceribus variegari, hoc est, ex varijs coagmentari, quia tu nosti me aliqua ratione imperfectum, quatenus caput sum, atque adeò membris indigeo, quibus perficiar, & absoluar. Sed quinam illi, quotquot mihi ceu membra capiti per Mariam copulandi, & coagmentandi sunt? Statim subiungit: *in libro tuo omnes scribentur*: hi nimirum, qui in vitæ librum relati sunt, prædestinati, & approbati. Itaque ex dictis liquet sanctissimam Virginem eodem prorsus nomine, quo Christi Mater electa, & nuncupata est, omnium etiam viuentium Matrem constitutam fuisse, vt vitę immortalis primitias omnibus inspiraret.

Quorsum hæc? Certe vt constet Mariam, quæ omnibus vitæ initium exstitit, haud debuisse ipsam à morte initium sumere. Dedecet sane parentem illam sanctissimam, quę non Christum solum, sed etiam cæteros omnes fideles Christo genuit, ipsam primum à diabolo gigni: nam de his, qui in peccatis nati sunt, sic Augustinus in Epistola de peccato originali. *Omnes nos vnus homo diabolo gignendos commisit.* Denique aures ipsæ audire perhorrescunt eã, quæ reliqua fidelium membra ad vnitatẽ vnius corporis Christo coagmentauit, prius quidem ipsius diaboli membrum fuisse: sic enim etiam idem Augustinus Adæ filios, & peccati ipsius consortes semel quidem diaboli, iterum vero *serpentis membra* compellauit.

Illud

8 *August.* Illud præterea rationi valde consentaneū erat, vt noua Eua, quæ nouæ generationi initium dabat, veteris, ac senescentis generationis iniurias nesciret. Noua inquam Eua, quæ eo etiam nomine *Vita*, & vitæ parens dici potest, quatenus Dei vitam recenti quadam ratione in iustis perennat. Nam sicut per Euam id solatij Adamo datum est, vt quam in se ipso vitam perdiderat, in filij suis produceret, & velut æternitati traderet: ita etiam per Mariam factum, vt Deus ipse nouam quandam vitam in his ageret, quos illa ipsi filios regenerauit. Nam fas est, quodam modo dicere Deum in primo humani generis authore demortuum fuisse: nam cum in eo per suam gratiam vixisset, extincta gratia, eadem ratione in illo interijt, quo prius in eodem vixerat. Id ergo Mariæ debet Deus, quod filios ipsi quamplures suscitauit, vt quam in protoplastis amiserat vitam, eandem in renatis recuperaret, seruaret, & in æuum produceret. Itane igitur erga Mariam parcus esset Deus, vt in illa, à qua tam longam, diuturnamque accepturus erat in alijs vitam, pigeret diutius viuere? Facessant ergo hi, qui Virginem, vel per vnicum tantum instans temporis in peccato originali demortuam fuisse affirmant. Aut enim id Deo conniuente per dissimulationem factum aiunt, aut quia id cauere non potuit: vtrumque vero Deo iniurium satis est: nam dissimulatio amorem ipsius erga suam Matrem eleuat plurimum: non posse vero potentiam extenuat.

9 Ad extremum illud obseruatione dignum est, quod prima mulier in typum Mariæ *Eua*, id est, *Vita* dicta fuit: hæc enim est germana illius nominis significatio, quam expendens Dionysius Carth. lib. 2. de laudibus

Dionys. Cart. Mariæ. *Non viuam* (inquit) *sed vitam appellauit, vt constaret Mariam omnibus viuendi causam esse. Vita enim est formæ commune vocabulum, & quidquid viuit, per vitam viuit.* Hæc ille satis apte: nam si *viuam* tantummodo diceret, vita vtique significaretur tanquā peculiare, & proprium ipsius bonum: cum autem *vita* appellatur, nominis ipsius communitas beneficij cōmunionē sonat. Illud etiam ad Dionysij suspicionem accedat, quod *vita* dicitur Maria, non *viua*: nam *viuus* concretum nomen est ex subiecto, atque forma: subiectum autem contrariorum commune receptaculum existit, ad vtrumque paratum, & anceps. Itaque viuus subiectum significat vitam habens, non tamen ita sibi consertam & obstrictam, vt vel ante, vel postea expulsa vita morti locum dare non queat. De *vita* autem aliud iudicium est: nam simplicis formæ vocabulum cum sit, nihil mortis admisceri illi potest: vitam enim vnquam emori impossibile est. Propterea igitur Maria *Eua noua*, idest *Vita* nuncupatur, vt constet nunquā illi mortē, aut lethum adhærescere potuisse. Dicemus ergo iustos alios viuos quidem esse per gratiam: nam cum eo nomine nec præuia, nec consequens mors pugnat: & quilibet sibi ipsi vitam, tanquam bonum proprium sortitur. Mariam vero *Euam*, idest, *Vitam* nuncupauimus, tum quia alijs viuendi causa extitit, tum etiam quia ab omni vel antecedenti, vel consequenti peccati letho aliena, quemadmodum si ipsissima vita esset, numquam morti locum fecit.

Ad hæc, id, quod initio statuimus, ex doctrina Patrum in superiori capite prælibata, 10
scilicet primam Virginis formationem, & conditionem, & adiacentes ipsi alias dotes, & ornamenta naturæ ex Dei ordinatione ad dignitatem Matris Dei relata fuisse, alio etiam modo conceptionis illibatam sanctitatem ostendit. Quia nimirum reliquam Mariæ vitam à Conceptione, & deinceps ab omni culpæ etiam leuissimæ macula permundam fuisse, non alia de causa constituimus, nisi quia eò tota referebatur, vt digna Dei Mater existeret, illamque dignitatem decentissime capesseret: sed non minus ad eam dignitatem ordinabatur conceptio, & prima conditio Mariæ, quam reliqua ipsius vita: ergo similem ad modum ab omni peccati labe immunis esse debuit. Quinimo illud mihi omnino persuasum est, præfatam ordinationem magis quodammodo Conceptionis, quam reliquæ vitæ immunitatem euincere: non solum quia rerum initia facratiora sunt, & reliqui decursus omen retinent: sed etiam quia Matris genus ad filios in primis pertinet, quippe quod ad filios per generationem transmittitur, genus autem ex prima cuiuscumque origine, & conditione decidit: paternæ enim originis, seu conditionis labes, & maculas filij nec declinare, nec detergere facile possunt: vt aliàs non semel animaduerti. Ideo enim in testimonio illo Isaiæ, flos, id est, Christus, ex radice Virgæ, idest, Mariæ, nasci, & pullulare aptissime dicitur. *Egredietur virga de radice Iesse.* Vt constet illius decorem, pulchritudinem, & gloriam ex Virginis Conceptione præcipue dependere, & inde potissimum trahi: ita vt præ illo initio reliquæ, vitæ vix aliqua ratio, habenda sit.

COMPENDIVM SVPERIORIS ſententiæ, in quo Virginis exiſtentiam, & electionem poſt peccati, & Chriſti præſcientiam definitam fuiſſe ex Theologiæ ſcholaſticæ principijs exactius perſuadetur: & eiuſdem Virginis immunitas â peccato originali, & á debito illius, perfectaq; ab eiſdē per Chriſti merita redēptio adſtruitur: & qua demū ratione iuxta diuerſos modos ordinandi ſigna decretorū Dei, tam in via Scoti, quam in via D. Thomæ hactenus excogitatos vtraque immunitas ſolidé defendi poſſit, declaratur.

CAP. XXIIII.

1. *Virginis immunitatem ab originalis culpa debito defendendi ardor in recentioribus Theologis vnde manarit.*
2. *Hanc immunitatem cum prædeſtinatione Chriſti, ac Virginis Deiparæ poſt peccati præuiſionem componere enitendum eſt, vt ſolidè defendatur.*
3. *Peccati originalis definitio.*
4. *Duplex debitum peccandi originaliter: alterum quaſi actiuum in Adamo: alterum quaſi paſsiuum in eius ſobole.*
5. *Debitum paſsiuum quid ſit.*

ALIQVA PRÆNOTANTVR.



1 ROPTER Impenſum, ardenſq; in Virginem ſtudium eorum, qui pietatem cum ſolidiori doctrina copulare impenſè, & ardenter cupiunt, ad eiuſdē Virginis laudes aliquid quotidie accedit. Nuper quidem ſatis ducebat Theologorum ſchola, ſi Deiparam Mariam à culpa originali immunem ſolidè, ac robuſtè defenderet, licet eam communis peccati contrahendi debito obæratam fateretur. Sed iam nunc à tenaciſſimis illius ſententiæ ingenijs, aliquid maius, ac dignius pietas expreſsit. Nam cū pauci grauiores Theologi, Virginē, non ſolū à culpa originali, ſed etiā à debito, & obligatione illius contrahendæ liberam audacter affirmarent, eorumque auſus ſupremæ Inquiſitionis acerrimū iudicium, poſt exactam rei diſcuſsionem, non ſolū non improbauerit, aut refellerit, ſed quodāmodo, etiam conniuendo, & diſsimulando approbauerit, & commendauerit: inde factū, vt plures copiam, & liberatem digniora de Virgine ſentiendi, atq; docēdi nacti in hanc ſententiam ſponte diſceſſerint. Iſtorum vero communis ardor, ac ſtudium eò ſpectauit, vt hanc ſententiam cū prædeſtinatione Chriſti, & cum dignitate capitis, quam Adamus in poſteros ex prima ſua conditione ſortitus eſt, conciliarent, atque componerent.

Et quidem omnes (quod ſciā) qui hactenus hanc Deiparæ Virginis immunitatem à debito originalis culpæ aſſeruerunt (quia illam tuēdi nulla alia via ſeſe hactenus aperuerat) Chriſti Domini prædeſtinationē, & Virginis electionem ante peccati originalis præſcientiam, & præuiſionem præmittendam cenſuerunt cum Scoto, & vniuerſa illius ſchola. Nā his, qui cum Sancto. Thoma, & alijs Patribus magis probabilem, ac ſolidam doctrinā tradunt, videlicet Chriſti Domini incarnatio- 2

nem post originalis culpæ præuisionem in eiusdem culpæ remedium decretam, & definitam fuisse: his inquam omnis videbatur præclusa via, vt Deiparam ab eo debito, & obligatione exolutam dicerent. Quapropter vtraque doctrina mutuo sibi quodammodo derogabat: nam de Sancti Thomę sententia de prædestinatione Christi non parum authoritatis decedere videbatur, quod probabilem iam de Virginis immunitate à debito culpæ originalis doctrinam prorsus excluderet: & piam quoque de præfata Virginis immunitate opinionem non parum etiam id extenuabat, quod cum probabiliori S. Tho. de prædestinatione Christi sententia nequaquam cohęrere posse videbatur. Eapropter cum me pietas ex vna parte perurgeret, ac rursus solidioris doctrinæ amor accenderet, omnes mentis neruos contendere cępi, vt si fieri posset, piam sententiam, quæ Virginem ab originalis culpæ debito, & obligatione vendicat, cum veriori S. Thom. doctrina de prædestinatione Christi congruere, ac concinere demonstrarem. Et in id quidem per totum tractatum, quem de pura Virginis Conceptione conscripsi, mihi enitendum proposui. Sed quia ea, quæ hactenus longa oratione tradidi, & quodammodo sparsi, operosum esset lectori colligere, totius sententiæ compendium, & Epilogum, & (vt ita dicam) neruos sine carne in hoc capite dare apud me statui, vti doctus quisq; ea in promptu habeat, ac de ipsis censere, ac decernere possit.

Imprimis præmittenda est peccati origi-
3 nalis, ac debiti illius incurrendi natura. Peccatum originale sic finiri consueuit: ***Priuatio, seu nuditas gratiæ originalis debitæ inesse in Adami posteritatem ob ipsius Adami culpam effusa.*** Nam cum primus noster parens Adamus non sibi tantum, sed posteris etiam ex pacto Dei transfundendam gratiam accepisset: tunc cum legem Dei violauit, non sibi modo, sed posteris etiam iustitiam amisit, eiusq; iactura omnes homines peccati reos fecit. Itaque peccatum originale non de sola naturali generatione descendit, quasi ideò prorsus filij peccati rei sint, quia ex peccatore patre procreati, satique fuerint: sed pactio Dei necessaria fuit, quæ Adamo effundendæ in filios gratiæ originalis ius dedit. Vnde factum, vt posteri, Adamo peccante, ea iustitia priuati sint, quam ipso in gratia perseuerante, ex Dei constitutione obtinere debuerant, de quo supra cap. 1. §. 1. fuse diximus. Ex hac verò originalis peccati natura, quæ nulli nota non est, quid sit debitum illius contrahendi, aucupari licet.

Nam duplex omnino debitum comminis-
4 ci fas est: alterum in Adamo: alterum in eius sobole residens. Adamus enim, supposito pacto, & lege Dei, per quam illi gratiam in posteros transferendi potestas delata fuit, ob scelus admissum in violatione præcepti dignus certè factus est, vt omnes illi, quotquot ab ipso naturalem originem recenserent, & in quos ex pacto gratiam erat transfusurus, originali gratia carerent. Quam dignitatem patris relatam ad sobolem appellāt Theologi debitum filiorum in patre: quod nihil aliud est, quam obligatio quædam actiua, qua Adamus posteritatem suam obstrinxit peccato. Cui respondet certè in filijs aliud debitum, seu obligatio passiua, per quam ipsi obstricti, & quodammodo obærati manent, vt de peccato sui parentis inquinentur: vt exactissime docuimus supra cap. 1. §. 9. vbi aperte probauimus, actiuam illam obligationem, ne concipi quidem posse in patre, quin illi passiua in filijs respondeat. Quia si pater ob proprium delictum dignus factus est, vt filij originali gratia careant: filij identidem ob patris facinus digni, vel potius obnoxij effecti sunt, vt originali gratia priuentur.

Rursus addo debitum hoc quandam esse
obligationem moralem, quæ præsupposito 5
pacto, & lege Dei, ex libera Adami transgressione in posteros redundauit, per quam debitores effecti sunt carendi iustitia originali. Quod si obligationis huius naturam ad scholæ terminos reuocemus, dicendum erit hoc debitum esse relationem quandam vinculi, aut necessitatis ad carendum iustitia originali, quæ præsupposito pacto, & lege Dei, in peccato Adami, & in naturali filiorum generatione fundatur. Exactam de hac re disputationem habes suprà cap. 1. §. 8. & deinceps, & cap. 15. §. 2. vbi etiam de huius debiti deformitate, ac turpitudine multa cōtulimus, vt ex illis conficeremus, perquàm splendidum, ac gloriosum Virgini esse ab illo liberam prædicari. Sed demore nostro à prædestinatione ipsius Virginis exordiamur, & ordinem signorum, vel instantium, quo decreta in prædestinatione Dei iuxta præfatum dicendi modum digerenda, & contexenda sunt, iam iam aperiamus.

SIGNA DECRETORUM Dei ordinantur, & suus electioni, ac prædestinationi Virginis locus definitur.

§. II.

6. ***Signa, & instantia decretorum Dei in prædestinatione Virginis pro veriori sententia exactè diuiduntur.***

7. *Qualis in hoc ordine Virgini Deiparæ locus obtingat.*

6 RGO In fronte, ac vestibulo huius disputationis signa, atque instantia decretorum Dei digerere oportet, quibus hominum cōditio, & electio, ac Christi Domini prædestinatio ab æterno definita est: inde enim Virginis libertas à lege transfusionis, & immunitas à debito culpæ originalis deriuanda, atque petenda est. Quapropter hæc signa, atque instantia primum quidem breuiter, & compendiose percurram: deinde verò singulorum rationes accommodabo.

Igitur in primo signo, vt Deus eam, quam in semetipso stagnantem quodammodo bonitatem continebat, in creaturas effunderet: homines quidem formare, & mundum vniuersum propter homines condere decreuit. Itaque non vnum aliquem hominem, scilicet Adamum, nec plures confuse, & indiscrete, sed omnes futuros sigillatim, eorumq; numerum certum, ac definitum producere apud se constituit.

In secundo signo cum posset Deus eos homines, quos iam iam condere secum deliberauerat, hoc, vel illo modo producere extra causas, scilicet per semetipsum immediatè, aut etiam per generationem naturalē, vnū Adamū, & ex illo omnes per naturalē generationem condere apud se statuit.

In tertio signo cum omnibus hominibus, quos condere prius statuerat Deus, gratiam, & gloriam cuperet, eamque per diuersas, ac dissimiles vias ad ipsos regere, ac deriuare posset, ita quidem definiuit, vt is, quem naturæ caput esse iusserat, esset etiam fons, & caput gratiæ, & iustitiæ. Atque huiusmodi fœdus cum ipso percussit, vt si gratiam, & iustitiam à Deo acceptam seruaret, eam quoque ad filios, quasi iure hæreditario transmitteret: quod si illam per peccatum amitteret, non sibi solum, sed minoribus etiam suis infœlici iactura deperderet: atque adeò illi in se ipsis peccatum originale, & debitum illius contraherent. Itaque pacti huius iura æqualia fuerunt in gratia, & in peccato: nam sicut prima huius pacti pars ea lege constituta fuit, vt patre innocentiam seruante, filij iustitiam certissime haberent: ita etiam posterior ea conditione stabilita est, vt patre delinquente, filij re ipsa, & nulla exceptione iustitiam amitterent.

In quarto signo præuidens Deus omnes illos, quos condere prius decreuerat, ex vno Adamo peccato infectos: nimirum præsciēs Adami peccatum per totam generis humani massam effusum, in remedium communis peccati Christum secundum substātiam, eiusquemortem, meritaque decreuit.

7 In quinto signo cum Christum posset per varias causas producere, videlicet per semetipsum illum ex nihilo creando, aut ex limo, vel ex alia materia eum formando, aut per naturalem generationem maris, & fœminæ, aut etiam ex Virgine tantum sine patre ipsum condendo: præuidens omnes illas fœminas, quas prius condere decreuerat, & quas lex transfusionis comprehenderat, peccato infectas, desideransque simplici voluntate ex Virgine nasci: ex hac complacentia simplici suæ natiuitatis ex Virgine immaculata propter decentiam incarnationis, decreuit primum efficaciter propter ipsius Christi merita Mariæ substantiam, & existentiam producere, atque ea præuisa, affectu etiam simplici dignitatem matris Dei eidem cupiens, ex hoc affectu auxilia efficacia illi præparauit, quibus eandem maternitatem mereretur: ac demum propter sua, & Christi merita mater Christi efficaciter decreta est. Hic est ordo, ac series, qua Deus sua decreta consultissime disposuit. Nunc ergo singulas huius ordinis partes denuo percurrens, illas rationibus constabilire aggrediar.

PRIMVM SIGNVM decretorum Dei ratione confirmatur.

§. III.

SECTIO. I.

8. *In constitutione primi signi nec contendimus cum D. Thoma, nec cum Scoto, & eorum discipulis.*
9. *Omnium hominum futurorum creatio triplici modo à Deo decerni potuit.*
10. *Vnum tantùm Adamum, atque Euam cum potentia generandi plures alios, primaria intentione ante præuisionem peccati creari decretos aliqui senserunt.*
11. *Hæc sententia euertit omninò illud axioma:* Quod primum est in intentione, est posterius in executione.
12. *Mundi conditionem, & Christi incarnationem propter possibiles homines primaria intentione à Deo definitam vltrò concedit.*
13. *Confusum decernendi modum Deo tradit.*
14. *Contra Augustinum, & contra definitionem Concilij Palestini donum creationis per Christum hominibus obtentum asserit.*
15. *Error Pelagij, & mens Augustini, & Concilij contra ipsum*
16. *Si creatio, & prima hominum conditio post præuisionem Christi decreta fuit, nihil*

probi-

prohibere potest, quominus eandem meritis Christi partum esse dicamus.

17. A Pelagij errore non longè abire videntur, quotquot donum creationis propter merita Christi, siue in intentione, siue in executione cunctis hominibus collatum affirmant.

18. Omnium hominum futuritionē prater paucos illos, quos Deus parentum precibus donauit, ante Christi praeuisionem decretam fuisse alij senserunt.

19. Ex sententia istius principijs non paucos tātum, sed cunctam penè hominum multitudinem primæ creationis beneficium per Christi merita obtinuisse conficitur.

20. Vrgetur hoc inconueniens, ac non modò eos, qui ex sterilibus parentibus miraculosè procreati, sed alios etiam, qui naturali vi propagati fuerunt, creationis donum per Christi merita consecutos fuisse probatur.

21. Contra eandem sententiam militat authoritas Augustini, & Concilij Palestini.

22. Omnium, ac singulorum hominum futurorum existentiam secundum substantiam ante praeuisionem peccati, & Christi præscientiam decretam fuisse verisimilius est.

23. Diuersitas inter media physica, & moralia respectu diuinæ voluntatis.

24. Determinatio effectus singularis quoad indiuiduationem à prima causa fit.

25. In prosecutione finis, qui per media physica consequendus est, via intentionis prior est voluntas efficax finis, quàm mediorum.

26. Qui affirmant effectum non posse præfiniri à Deo, non præfinita singulari eius productione, & causæ ordinem intentionis cum ordine executionis confundunt.

27. Decretum Dei liberum circa substantiam rei productæ non connotat causalitatem, sed existentiam illius.

28. Parentes quotquot filios precibus impetrarunt, non obtinuerunt illis vt essent simpliciter, sed vt ab ipsis potius, quàm ab alijs generarentur.

29. Declaratur exemplis.

8 CIRCA Primum signum nequaquam cum Scoti discipulis confligimus, qui prædestinationem Christi ante peccati pręuisionē præmittentes asserunt, ante prioris culpæ præscientiā omnes homines non modo creari decretos: sed etiam electos, & prædestinatos efficaciter ad gloriam. Neq; pugno etiam cum his, qui Virginis Deiparæ immunitatem à peccato originali diffitentes seriò affirmant, ante Christi prædestinationem omnes Adami posteros originali peccato re ipsa infectos à Deo pręscitos fuisse: hi enim cōsectariè docent, omnium etiam filiorum Adę creationem ante Christi prædestinationem fuisse definitam: hæc enim est constans mens D. Thomæ, ac Thomistarum omnium, vt infrà patebit: atque adeò in constitutione huius signi cum vtraque Sancti Thomæ, ac Scoti schola conuenio: sed cum his Theologis contendo, qui vt Virginem Deiparam ab originali labe liberam defendant, in conformatione huius primi signi decretorum Dei non pauca peccant.

Ergo vt nostram positionem tueamur, quæ asserit à Deo Optimo Maximo in 9
primo signo suæ deliberationis, non vnum tantum Adamum, atque Euam protoparentes, sed omnes simul homines futuros discrete, sigillatim, & per singulos secundum substantiam diffinitos fuisse. Obseruandum est hominum creationem triplici modo à Deo decerni, definirique potuisse. Vel ita quidem vt in primo signo vnum duntaxat Adamum, atque Euam producere secum statueret, vt subinde prout se res darent, ac rerum euentus poscerent, ex illis totum humanum genus propagaretur: vel ita vt non tantum vnum Adamum, & Euam, sed cum ipsis omnes pene alios certo numero fore decerneret, prӕter paucos aliquos, quos subinde producere, cum res postularent, suæ voluntati dimittebat. Vel ita demum vt omnes simul discrete, & inconfuse, certo, statoque numero secundum substantiam ab initio decerneret: atque adeò omnes etiam Adamo non peccante, in statu innocentiæ non secus existerent, quam modò.

Ex his ergo modis, quibus Deus hominum creationem definire potuit, tertium 10
alijs præferendum esse seriò affirmo: nam primum decernendi modum propterea graues Theologi amplectuntur, quia putant, Deum non posse præfinire effectum aliquē, nisi causam ante præuideat, quæ per se ad talem effectum concurrit. Nam efficax (inquiunt) Dei decretum respicit rem, vt efficiēdam, & producendam extra causas: atq; adeò effectionem, & productionem ipsam, vel intuetur, vel includit, quæ cum essentialiter pēdeat à sua causa, non potest Deus effectum præfinire, nisi causam ante præsciuerit. Adde etiam quod in probabiliori sententia decretum liberum Dei supra illius essentiam, & substantiam nihil aliud addere videtur, nisi effectionem ipsam, aut rem effectam, prout effectam. Quapropter vt Deus præfiniret Adami filios, & cunctam eius posteritatem, debuit sanè actus præuidere, quibus tum ipse, tum etiam Eua libere in copulam consenserunt, & alias etiam causas præscire, quibus ad generandum dispositi, atque expediti sunt. Et idem iudicium ferri debet de alijs parentibus post Adamum. Ex his ergo sic conficiunt, Deum vnum tantum Adamum, & Euam ab initio formare apud se statuisse cum potentia generandi alios: de his verò, qui ab ipsis generandi erant, nihil tunc statuisse, sed eorum productionem posteriori

deliberationi ab ipso cōmissam. Tunc verò post illud instans, aut momentum mundum condere, & de lege transfusionis cum ipso Adamo pacisci, ac denique peccante Adamo Incarnationem Christi patrare à Deo decretum fuisse aiunt. Hęc enim omnia præmittere non dubitant, antequam posteri Adami sigillatim assignentur.

11 Cæterum hæc sententia non pauca difficilia continet. Primò hæc causarum subordinatio, quam Authores isti meditantur, planè euertit commune illud principium in vtraq; tam Scoti, quam Sancti Thomæ schola celebre. *Omnis ordinate agens prius vult finem, deinde ea quæ sunt ad finem.* Nec non illud. *Quod primum est in intentione, est posterius in executione.* Nam cum plęraque media se se inuicem, ac finem demum per se causent, oportebit sanè affirmare, Deum non posse finem velle, ac decernere, nisi prius media ipsa ad finem conducentia eo ordine velit, ac decernat, quo se se inuicem, atque finem efficiunt. Quod (mea quidem sententia) in omni intentione finis, qui per media physica adipiscitur, absurdissimum est, nisi forte finis ita alligatus sit vni medio, vt sine illo obtineri nō possit. De medijs enim moralibus longe aliter sentire oportet, vt infra dicemus.

Deinde authores huius sententiæ ante mundi conditionem, & Christi Incarnatio-
12 nem in decretis Dei Adamum tantum, atq; Euam præmittunt: reliquos verò homines pro eo momento possibiles dimittunt, quandoquidem circa illos nihil eatenus à Deo definitum volunt. Nobis verò durum dictu videtur, primaria Dei intentione propter solam Adamum, atque Euam, & propter alios homines possibiles mundum ab initio conditum fuisse. Quod si quispiam dicat, non propter solum Adamum, nec propter homines possibiles tantum, mundi conditionem, & primam molitionem à Deo intentam, sed propter eos, qui subinde ex ipso Adamo futuri tandem aliquando decernendi erant, rationis huius vim nequaquam declinat: quia circa horum futuritionem nihil tunc Deus decreuerat, atque adeo pro illo instanti, ac momento eorum status, & causa dissimilis non erat statui, & causæ eorum, qui nūquam producendi sunt: atque adeò nihil tunc suberat, quod hos ab illis discerneret, vt propter illos potius, quā propter hos mundi conditio à Deo intendi debuerit. Quod absurdum multo magis elucet in præfinitione mysterij Incarnationis: siquidem Doctores isti affirmare coguntur Incarnationis mysteriū primo decretum fuisse propter vnum Adamum, atque Euam, & filios eius, vt possibiles: ita vt incarnatio Christi primaria intentione non fuerit magis pro his definita, qui futuri erant, quam pro his, qui nunquam producendi forent: quod absurdissimum videtur.

Rursus hæc opinio tribuit Deo confusum satis decernendi, atque cognoscendi modum: quandoquidem asserit Deum statuisse mundum condere, & incarnationem patrare, non propter omnes homines possibiles sigillatim, sed propter aliquos confusè, & indiscrete: ita vt lateret tunc Deum ipsum, quinam ex illis essent futuri, quibus tam eximia dona præparabat. 13

Denique hæc doctrina (mea quidem sententia) pugnat cum doctrina August. & cum 14
definitione Concilij Palestini. Augustinus *August.*
enim in epist. 115. contra Pelagiū ita scribit. *Abijciatur à Christianorum cordibus ista fallacia: nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus, vt homines essemus, sed qua iustificati sumus, vt homines iusti essemus. Ista est enim gratia per Iesum Christum Dominum nostrum. Etenim Christus non pro nullis, vt homines conderentur: sed pro impijs mortuus est, vt iustificarentur.* Similis est sibi Augustinus in lib. de Natura, & gratia, cap. *August.*
11. *Non tale aliquid posuit* (nempè Pelagius) *quale de gratia intelligi volumus, sine qua homo non iustificatur, vbi de sanandis, non de instituendis naturis agitur.* Accedit etiam consensus Patrum Affricanorum in Concilio Pale- *Concil.*
stino epist. 90. vbi contra Pelagium sic de- *Palest.*
cernunt: *Et si enim quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, quia non praecedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est: alia est tamen, qua prædestinati vocamur, iustificamur, & glorificamur.* Sed de hac re absolutissime idem Augustinus in sermone 11. de Ver- *August.*
bis Apostoli à cap. 4. vsque ad cap. 12. vbi docet creationem hominum esse quidem gratiam per Christum secundum diuinitatem collatam, non verò secundum assumptam humanitatem nobis partam: gratiam (inquam) quæ omnia Christi merito antecedit. Ex quo loco Pater Petrus de Arubal 1. par. disp. 2. de *P. Arub.*
Prædestinatione nostram conclusionē elicit, affirmans seriò decretū Incarnationis Christi, præfinitionem creationis omnium hominum insecutum fuisse, nullamque exceptionem inducit.

Et quidem hæc contra Pelagiū ideò pronuntiata sunt ab illis Patribus, quia Pelagius 15
in omni honesta hominum actione Dei gratiam agnoscere coactus, gratiam quidem in eo ponebat, quod donum creationis, & ea, quæ donum hoc consequuntur, scilicet mentem, voluntatem, & liberum arbitriū, ex Dei beneficencia gratis, ac liberaliter habeamus. Contra quem Patres sic decernunt donum creationis, voluntatem, liberumque arbitrium, gratiam Dei non immerito appellari posse, quatenus liberaliter hominibus à Deo impenditur: sed tamen asseueranter affirmant contra dictum Pelagium Christum non meruisse hominibus hanc gratiam, scilicet creationis donum: sed illam solum, qua

prędе-

prædestinati vocamur, iustificamur, ac glorificamur. Ratio autem, qua Patres illi in hanc sententiam inducti sunt, certè non alia fuit, nisi quia Christus Dominus ad reparandum, & reficiendum genus humanum destinatus est: qui autem reparat, ac reficit, factum supponit id, quod reficit. Quod significauit Augustinus illis verbis: *Vbi de sanandis non de instituendis naturis agitur.*

16 Hinc ergo contra authores superioris sententiæ argumentari sic licet. Quia si Deus præuiso iam aduentu, passione, & Christi meritis, omnes alios homines præter Adamum, & Euam producere decreuit, nulla satè ratio sufficiens offerri potest, ob quam creationis beneficium Christi meritis denegemus, si quidem omnem excellentiam, & dignitatem compossibilem cum decretis Dei Christo tribuere fas est (fuisset autē maxima Christi excellentia, vt propter ipsum non modo iustitiam, & sanctitatem: sed etiam naturam, & creationem haberemus) Si enim necdum firmum aliquod, ac statum decretum circa futuritionem totius posteritatis Adami erat ante præmissum, quid vetat dicere, Adamum ipsum, atque Euam per peccatum id promeruisse, vt omni posteritate carerent: deinde verò Christi meritis factum, vt filios, sobolemque haberent? Nam si propter hoc beneficium Adamo, alijsque hominibus collatum gratias æterno Patri egisset Christus: id certè satis esset, vt illud omnibus his impetraret, qui ante ipsum conditi fuerant. Etsi etiam oraret pro his, qui subinde post ipsum efformati sunt, eisdem etiam illud exoraret, obtineretque. Ego quidem hanc excellentiam Christo negare minimè auderē, nisi pro certo haberem, omnem filiorū Adami posteritatem, & sobolem ante incarnationis præuisionem decretam, & prædefinitam fuisse.

17 Quanta verò ex hac positione sequantur absurda, & incommoda, nemo doctus non videat. Sed illud præcipuum est: quia si omnes Adæ filij creationis beneficium ea ratione per Christum obtinuissent, Palestini Concilij Patres facili negotio reuinceret Pelagius, affirmans, non solum omne opus nostrum bonum procedere ex gratia Dei, hoc est, ex dono creationis: sed etiam ex gratia Christi: quandoquidem iuxta præmissam sententiam, liberum etiam arbitrium esset gratia per Christum collata. Quæ ratio imprimis valida est contra illos Theologos, qui tradunt efficacem intentionem Dei hominis condendi fuisse quidem sine meritis Christi: executionem verò, hoc est, conditionem, & efformationem ipsam actualem factam per Christi merita: id enim rationem Pelagij contra illos Patres maximè roboraret, & effugium hæretici non præcluderet.

Alij ergo, ne compellantur ad hæc absurda, ita rem partiti sunt, vt Deus non vnum tantum Adamum, Euamque producere ab initio decreuerit, sed omnes penè homines 18
præter hunc, vel illum, qui orationibus, aut alia quapiam ratione per Christi merita donum creationis habuisse videntur: qualis fuit Isaac, Sanson, Ioannes Baptista, & alij similes. Id verò nec contra Augustini doctrinam, nec contra Patrum Concilij Palestini definitionem propterea existimant, quia putant definitionem illam, qua tradunt Christum nequaquam pro hominibus, vt conderentur, emortuum fuisse, non esse ita vniuersalem, vt paucos excipere non liceat. Sed contra hanc doctrinam illud imprimis robustum argumentum suppetit: quia huius sententiæ Doctores, cum illos homines, qui per orationes, & preces à parentibus impetrati sunt, donum creationis per Christi merita habuisse asseuerant, iuxta sua principia illi doctrinæ addicti, & obstricti videntur, quæ suadet causam futurā à Deo prēuideri oportere, antequā decernat futuros effectus, atq; adeò fieri non potuisse, vt filius futurus præsciretur à Deo, antequam illi mater assignaretur. Ex qua doctrina consequenter deducitur, nullam hominum multitudinem simul futuram à Deo decerni potuisse, propter quam mundum crearet, aut incarnationis mysterium subinde decerneret. Quia cum asserant nullum effectum ex vera causa physica procedentem definiri posse, cuius productio, ac physica causa, à qua productio essentialiter pendet, necdum præuisa fuerit: fateri debent, nullum hominem futurum à Deo decerni potuisse, quin prius iam esset decretus eius parens, à quo per veram, & physicam actionem gignendus erat. Quapropter cum generationes non simul: sed temporis successu, & causarum serie, aliæ post alias subinde fiant, Dei decreta non simul, & in eodem signo rationis, etiam circa hominum existentias assignare debent, sed in discretis signis, quorum alia priora, alia posteriora sint.

Quid inde? Profectò inde fit, vt authores isti iuxta sua principia, non hunc, vel illum, vel paucos aliquos, sed totam penè hominum multitudinem per Christi merita donum creationis habuisse (me iudice) fateri cogantur. Imprimis enim literæ sacræ his, qui Deum timent, & mandata eius seruant, præmij loco copiosam sobolem, & generationem pollicentur. Nam Psa. 102. omnibus, Psal. 102.
qui seruant Dei mandata, posteritas longa promittitur. *Et iustitia illius in filios filiorum ijs, qui seruant testamentum eius, & memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.* Et Psal. 122
Psal. 122. *Ecce hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris.* Vbi iustis omnibus merce- Psal. 127
dis loco filij promittuntur. Et Psa. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mēsæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Domi-*

num

num. Et subinde, *Vt videas filios filiorum tuorum pacem super Israel*. Erit ergo necessarium fateri omnes eorum parentum (quotquot Deum timuerunt, & mandata eius sedulo peregerunt) filios, nepotes, & cunctam generationem habuisse donum creationis per Christum. Quod iuxta probabilem sententiam horum Doctorum cum primis certum, ac ratum est: asserunt enim, quod si merita alicuius præcesserint ad aliquam rē, necessariò dicendū est, Deum eiusmodi rem meritis retribuere, ac donare ob communem illam rationem: quia scilicet decretum Dei liberum variari non potest, nisi aliqua varietas res ipsas permutet.

20 Quod si objcias, eos tantum donum creationis habuisse per merita Christi, qui ex sterilibus, & infœcundis parentibus procreati sunt: atque adeò eorum generatio miraculosa fuit. Respondeo primum, inde colligi non paruam hominum multitudinem per Christi merita donum creationis habuisse: nam tota Iudæorum gens, quæ ex vno Isaac propagata fuit, sui creationis donum Christo debebit: ita enim pollicitus est Deus Abrahæ Patri Genes. 21. *In Isaac vocabitur tibi semen*. Et cap. 22. de reliqua posteritate sic fatur: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris*. Et eadem ratio erit de alijs filijs, qui orationibus a Deo exorati sunt: non solum enim ipsi, sed reliqua eorum soboles, & posteritas primæ conditionis beneficium Deo assignare debebit. Rursus ad hoc, vt donum creationis Christo adscribatur, iuxta hanc sententiam necessarium non est, vt sit miraculosa procreatio, sed satis est, eam sic disponi, vt quandoquidem etiam in his parentibus, qui fœcundi sunt, generatio multis modis impediri poterat, ne filij procrearentur: propter merita ipsius Christi taliter Deus res, causasque ordinauerit, vt generatio, & procreatio effectum sortiretur, aliàs nequaquam futura: quod in parentibus omnibus iustis, ac Deum timentibus sine dubio reperitur; vt propterea possimus dicere, eis propter sua ipsorū, & Christi Domini merita filios, & sobolem donatam fuisse. Nam etiam in his, qui miraculose generati sunt, miraculum certe non in eo fuit, quod Deus ipse perse, sine cooperatione parentum sterilium filios in suarum matrum vulua produxerit: sed in eo, quod parentes ob frigiditatem, vel ob aliam rationem infœcundos, ad fœcunditatem incalescere fecerit, ita vt ipsi filios suos per potentiā naturalem progignerent, non secus, atq; alij parentes suos generant liberos. Quemadmodū ergo steriles parentes per suas preces, & per Christi merita impetrarunt, vt naturales causæ aliàs intrinsece impeditæ ad generandum expedirentur; ita etiam iusti, ac probi homines, etiam fœcundi ad generandum, per sua, & Christi merita, id obtinuisse dicendi erunt, vt generatio filiorum, quæ per extrinseca impedimenta multis modis inhiberi poterat, effectum sortiretur: nā ad impediendam generationem, non minus efficaces sunt obices extrinseci, quam intrinseci. Et hoc certe iuxta sua principia authores isti necessario fateri debent; atque adeo licebit etiam dicere Adamum, & Euam, qui post pænitentiam filios susceperunt, bonorum operum meritis per Christum filios impetrasse: vnde fiet consequenter non solum illos, quos ipsi genuerunt liberos, sed reliquam hominum propaginem, quæ ab eis effluxit, creationis beneficium per Christi merita obtinuisse. Adde etiam procreationem filiorum pendere ex coniugijs, quæ inter fideles cum sint sacramenta, gratiam continent, quæ ex meritis Christi perficitur: & apud infideles, cum iuste, honesteque celebrantur, non sine meritis Christi fiunt; exploratum autem est plurimos ex filijs, qui ex huiusmodi matrimonijs procreati sunt, nequaquam futuros, nisi illa copularentur. Denique conbinationes nubentium, ex quibus pendet hos, vel illos filios generari, meritis retribuit Deus, iuxta illud Eccle. 29. *Pars bona mulier bona dabitur viro pro benefactis*. Eccle. 29.

Omnia igitur argumenta contra superiorem dicendi modum efformata, hanc etiam sententiam labefactant; atque adeo corruit, euanescitque horum Doctorum effugium, qui celebratissimam illam Augustini sententiam, & Concilij Palestini definitionem (quam alias ipsi magni faciunt) ita in vniuersum pro omnibus hominibus capiendam esse asseuerant, vt paucos ab illa excipi non ægreferant, neque Patres illos id curasse dicant; cum constet eos, qui primā hominum conditionem meritis Christi assignant, fateri debere non quidem paucos, sed perplures; imo totam pene hominum multitudinem per Christi merita donum creationis accepisse. 21

Quapropter tertius ille decernendi modus reliquis facile præferendus est. Atque adeo dicimus Deum omnium hominum futurorum existentiam, & substantiam in primo suorum decretorū signo definijsse, antequam peccatum Adami, aut merita Christi præuideret: imo etiam antequam singulorum hominum parentes, & productiones, seu generationes, per quas in lucem edendi erant, præsciret. Reliquum est, vt videamus quo modo id constare possit cum modo decernendi Dei libero, quem nobis objiciunt authores prioris sententiæ. 22

Hæc difficultas postulat, vt memoria repetamus illud discrimen suprà adnotatum, quod inter media physica, & moralia intercedit, quorum diuersitatem latissime pro- 23

sequi-

Gen. 21.

Vazquez. sequitur Vazquez 1.par. disput.91. & 3. par. disput.23. Nam cum media, inquit, sunt moralia non potest quis velle efficaciter finem, quin eiusmodi media preuiderit: quandoquidem hæc non aliter operantur, nisi mouendo voluntatem ad finem prosequendum: atque adeò si finis iam supponatur volitus, & intentus, nullam causalitatem in finem habeant necesse est: quia non media ad finem amandum, sed contrà, finis ad media diligenda permouet. Attamen cũ media sunt physica, longè diuersa ratio est. Prius enim Deus definit efficaci voluntate finem, deinde circa media deliberat, nisi quando contingat, vt finis ita sit astrictus vni medio, vt sine illo obtineri non possit: nam tunc impossibile etiam est velle efficaciter talem finem, nisi præuiso medio, quod vnicum est.

24 Deinde etiam in ea quæstione (in qua disputatur, à quo eueniat determinatio effectus quoad indiuiduum) cum his sentio, qui docent hanc determinationem à Deo fieri. Ita vt quilibet singularis effectus ex his, qui à suis causis non pendent essentialiter, ita ab vna singulari causa fiat, vt possit etiam ab alia produci. Hęc enim est verior, ac solidior doctrina.

His præsuppositis, aio in petitione finis, 25 qui per physica media assequendus est, via intentionis primo decerni finem à Deo, deinde media. Sic tenet Scotus in 3. dist. 7. q. 3. §. *Sed hic sunt*, & dist. 19. q. vnic. & in Report. eadem dist. 7. quæst. 4. cuius doctrinam tota illius schola etiam non exceptis medijs moralibus amplectitur. Et Diu. Thom. 1. parte quæstione. 23. artic. 4. cui hærent etiam omnes eius discipuli: adeò vt vix pauci sint, qui ab hoc communi axiomate media moralia excipiant, nedum media physica. Ergo vt huius assertionis doctrina sarta, tectaque sit, fateri opus est, Deum prius velle existentiam finis, quam existentiam mediorum, quę finem ipsum per se causant: atque adeò prius velle, ac decernere existentiam finis, quam decernat singularem actionem, per quam finis producendus est. Nam cum hæc essentialiter dependeat à medio, quod finem vltimò per se causat, non potest concipi, nedum decerni, sine tali medio. Sed existentia rei est finis: actio verò, per quam producitur, est medium (Deus enim non existentiam rei propter actionem, sed contrà actionem vult propter existentiam) ergo prius hanc, quam illam decernere debet. Ita igitur apud temetipsum statue, tunc quando effectus à pluribus causis, atque adeò per plures actiones produci potest, quamlibet singularem causationem, ac productionem ab ipso effectu, & ab illius existentia realiter distingui: & consequenter substantiam, & existentiam à nulla singulari actione essentialiter dependere: ac tunc demum intelliges recte posse Deum existentiam rei velle, ac decernere, non decernendo singularem actionẽ, per quam producenda est: quia neque actio ista habet connexionem essentialem cum effectu, vt probatum est, neque est medium morale ad mouendam diuinam voluntatem.

At inquies effectum quidem, & eius existentiam à nulla singulari actione essentialiter dependere: illud tamen esse omni effectui essentiale, vt ab aliqua actione dependeat ex omnibus illis, à quibus effici, ac produci potest: atque adeò illius existentiam absque aliqua actione, & causalitate singulari intelligi non posse. Respondeo ex hoc argumento id tantummodo confici ad decernendam alicuius effectus existentiam omnes, ac singulas actiones, per quas produci potest talis effectus, à Deo prænosci, ac præsciri oportere: non tamen opus est, vt aliquam singularem actionem prius decreuerit: imò id (me iudice) manifestam repugnãtiam continet. Quia cum amor finis voluntatem moueat ad sui causationem (luculentius dicam) cum ipsa finis productio effectus sit non quidem primus, sed vltimus causæ finalis, necessarium certè est, vt causa, & causalitas illius suum effectum præcedat. Quapropter cum amor, & intentio efficax finis ipsiusmet finis causalitas sit, vt docet Arist. lib. 2. Physicorum cap. 1. physicam productionem finis præcedere debet. Quapropter, in eo peccant prorsus isti authores, quia ordinem intentionis cum ordine executionis omnino confundunt, ac permiscent: id enim quod in executione necessarium est, scilicet actionem, & causam cum effectu simul cognoscere, & præfinire, id ipsi perperam de ordine intentionis sibi asserendum putant. 26

Ad rationem autem, quæ desumitur ex partibus essentialibus, quæ decretum Dei perficiunt. Respondeo circa omnes effectus, qui à pluribus causis, per diuersas actiones fluere possunt, duo decreta Dei assignanda esse: alterum circa substantiam, & existentiam: alterum circa productionem singularem: nam cum ista duo, res, & actio, per quam producitur, distincta sint, distincta Dei decreta postulant: quod planè conuincitur in eo casu, cum res per diuersam causam conseruatur ab ea, per quam producta est: tunc enim manet idem decretum Dei circa existentiam effectus, quæ inuariata perseuerat, & mutatur, variaturque subinde circa actionem, per quam fit, & causatur: hæc enim actio, mutata causa, diuersa est. Quapropter dicendum est decretum Dei de rei substantia, & existentia non connotare rem effectam, prout effectam, ita scilicet, vt singularem effectionem contineat: quia hæc effectio cum substantia rei comparata accidentalis est, atque illa inuariata mutari potest: sed ipsam rem existentem vt sic, eo modo, quo infrà declarabimus. Quod si illud aduersariorum argumentum quoad speciẽ vim aliquam habere videtur, 27

ex eo certè nascitur, quia nos rerum existentias, & substantias, quæ secundum se absolutę sunt, non possumus non per relationem ad suas causas, & productiones cognoscere. Sed de compositione huius sententiæ cum decreto Dei libero infrà sect. 3. pluribus agemus.

28 Quapropter dicendum est, Deum quidem ita rem transegisse, vt in primo signo omniũ futurorum hominum existentias definiret: inter quos numerandi etiam sunt illi, qui precibus à Deo impetrati sunt. De his verò filijs, quotquot ea ratione, vel precibus, vel meritis à suis parentibus impetrati dicuntur, nequaquam putandum per merita parentum id à Deo obtentum, vt forent, cum aliàs minimè futuri essent: sed id tantummodo impetratum, vt qui iam iam futuri præscirêtur, ex his, aut ex illis parentibus procrearentur. Verbi causa, Isaac ex Dei decreto, iam inde futurus præuidebatur, antequam precibus Abrahæ Saræ sterilitas ad fœcunditatẽ exacueretur: per preces autem factum, vt Saræ infœcunditas sanaretur: atque adeo Isaac, qui vtcumque aliàs futurus erat, ex ipsa vtique, atque ex Abrahamo susciperetur, atque adeo ipsi Isaac ex talibus parentibus multa bona euenirent, scilicet recta educatio, primogenia, & his similia. Et idem est iudicium de alijs, qui qualibet ratione, vel precibus, vel meritis à Deo impetrari dicuntur. Non enim dicendum creationis donum ipsis per suorum parentum merita adeptum fuisse: sed id certè parentibus donatum, vt qui aliàs creandi fuerant, ex ipsis potius, quã ex alijs procrearentur. Hæc verò fuit mens Anselmi in libro illo de Conceptione Virginis, & de peccato originali, vbi de Ioanne Baptista, & de alijs, quos Deus parentum precibus donauit, ita scribit: *Nõ ergo in Ioanne, & similibus est aliquid nouũ creaturæ Adæ, sicut est filio Virginis datum. Sed quod in suis causis infirmatum fuerat, id cognoscitur esse precibus reparatum.* Anselm.

29 Neque verò modus iste dicendi nouus, aut insolens videri debet: quia in hac nostra doctrina id tantum dicimus, quod Theologi ferme ad vnum admittunt in Christo, & in Maria. Nam vt defendant Virginem iuxta communem Ecclesiæ sensum dignitatẽ Matris Dei, per sua, & per Christi merita obtinuisse, seriò affirmant in aliquo signo Christum Dominum secundum substantiam, & existentiam absolute fore, imò etiam pati, atque emori à Deo decretum, & præfinitum: quã verò ex matre pro eo instanti needum tunc definitum fuisse: sed iam inde post præuisam ipsius Christi passionem, & mortem: præscitis etiam maximis ipsius Mariæ promeritis, tandem sancitum, & decretum, vt ex illa nasceretur potius, quam ex alia. Videndus hac de re Vazquez 3. p. disp. 23. & Suarez disp. 10. sect. 7. Nam quod hi authores, & alij multi de Christo, & Virgine pronunciant, idem nos de alijs enunciamus: & dum ita sentimus de alijs, non paruam fidem conciliamus his, quæ de Christo ipsi dicunt; quandoquidem eum modum decernendi in Deo vniuersalẽ, & communẽ esse defendimus. Quomodo autem hæc nec contrà D. Thomam, neque contra Magnum Gregoriũ sint, diximus suprà, cap. 17. Vazquez. Suarez.

Rursus eodẽ argumentandi modo in alijs rebus vtuntur præfati Theologi: nam vt defendant antiquos Patres Incarnationis accelerationẽ, & alias ipsius circumstantias meruisse, affirmant seriò Christi Incarnationem secundum substantiam prius definitam fuisse: tempus verò subinde à Deo propter ipsius Christi, & Patrum merita determinatũ: & tamen certum est Incarnationis substantiam non potuisse in vniuersum decerni, nisi in aliquo tempore determinato. Paria igitur nos de hominum existentijs sentimus: eas nimirum à Deo primum secundum se fuisse decretas, non præfinitis singularibus earum causis, aut generationibus: quamuis etiam certum sit non posse existentiam alicuius hominis sine aliqua causa, & actione subsistere: quia sicut Christi substantia, & existentia cum nulla singulari circumstãtia temporis connexionem essentialem habet: ita etiam existentia hominis cum nulla singulari causa, aut actione essentialiter cõnexa est, vt ex dictis liquet.

DVÆ LEVIORES *quidem difficultates, quæ citra supradicta in hoc §. conformari possunt, breuius expediuntur.*

SECTIO. II.

30. *Contra constitutionem primi signi producuntur Chrysostomi, & Ecclesiastici testimonia.*
31. *Dicta testimonia bonum ad sensum vocantur.*
32. *Longiorem mundi permanentiam, aut celerem subuersionem, atque adeò plurium, aut paucorum hominum futuram existentiam ex iustorum meritis, aut impiorum demeritis pendere quidam obijciunt.*
33. *Hæc assertio est contra Augustini doctrinam, & Concilij Arauxicani definitionem.*
34. *Alia tum Patrum, tum Scholasticorum grauissima dogmata euertit.*
35. *Maiorem, aut minorem mundi durationem ex meritis, aut demeritis pendere, ac certum*

nihilomi-

nihilominus hominum futurorum numerũ ab initio definitum fuisse non pugnat.
36. Solutio superioris obiectionis.

30 Chrysost. PRIMO Contra ea, quæ hactenus diximus in assignatione prioris decreti, obijci posset Chrysostomus hom. 5. de Pœnit. vbi inquirẽs, quid causæ fuerit, ob quã Deus Esau, quem ab initio odio habuit (vt tradit Paulus ad Rom. 9.) ocyùs de medio nõ sustulerit: ita subrexit: *Si excisus fuisset, maximũ fortasse iustitiæ fructum mundus amisisset. Et qualem audi. Esau genuit Raguelem, Raguel Saram, Sara Iob. Cerne, qualis elanguisset patiẽtiæ flos, si præueniẽs Deus à radice pœnas exegisset.* Ex his autẽ verbis sic argumentari æquum est. Si Esau sublatus fuisset, pronepos eius Iob nequaquã existeret: ergo existentia Iob nõ est absolutè decreta à Deo: sed dependenter ab existẽtia proaui sui Esau. Idem argumentum depromi potest ex verbis Eccles. 7. *Honora patrem tuũ, & gemitus matris ne obliuiscaris: memẽto, quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis, quomodo & illi tibi.*

Eccles. 7.

31 Ad hæc testimonia respondeo duo esse decreta Dei ex nostro modo concipiendi circa existentiam cuiuslibet singularis hominis, vt in eo §. latè demonstrauimus: Prius quidem circa substantiam indiuiduã Petri (verbi causa) non determinatis parentibus, & singulari actione, per quam producẽdus est. Posterius circa actionem singularẽ, & singulares parentes illius: quod posterius decretũ virtute cõtinetur in priori (vt supra etiã perspicuè traditur) Aio igitur Chrysost. & Ecclesiasticum non loqui de priori illo decreto: sed de posteriori, quod versatur circa singularem indiuidui productionem, & assignationem eorum parentũ, à quibus Deus quemlibet procreari voluit. Nã in hoc sensu vera prorsus est enunciatio Chrysostomi. Si enim ita ponamus Deum consequẽter ad prius illud decretum, quo existentiam Iob secundum substantiam prius definierat, posterius aliud decretum habuisse, quo demùm apud se statuit, vt Iob ex Sara, & Raguele, & Esau: alij scilicet ex alijs determinatè nascerentur, consequenter efficitur, sublato Esau, nec Raguelem, nec Saram, nec Iobum producendos iri: Quia primum decretum, vbi posteriori iam ex Dei voluntate obstrictum est, sine illo effectum sortiri non potest. Nil certius.

32 Rursus contra assignationem huius prioris decreti aliqui sic obijciũt. Quia satis multi ex Patribus seriò pronunciant mundi finẽ, & extremam subuersionem propter hominũ peccata maturandam esse: ita vt mundus, qui sublatis peccatis, longiori forsan tempore permaneret, propter peccata ocyùs euertendus sit. Adde etiam eiusmodi durationẽ mũdi propter iustorũ merita diutius produci, qui aliàs ocyùs diruendus foret. Huc spectat nobilis illa reuelatio Diuo Francisco facta; qui aliquando vidit Christum ignea tela in mundum iaculantem; atq; illi tunc significatũ fuit S. Dominici, ipsius, ac B. Virginis precibus factũ, ne mundus iam tũc subuerteretur. Ex hoc autẽ conficitur numerũ definitum, & rarũ hominum futurorũ non fuisse ab initio decretũ. Nam cũ mundo diutius permanente, plures: eodem verò ocyùs euerso, pauciores homines esse necessum sit, consectariè sit, vt pluriũ, vel pauciorum hominũ futuritio ex eadẽ causa dependeat, ex qua mundi longior, aut breuior permanentia dependentiã habet. Quapropter cũ hanc mũdi permanentiã, ex hominũ meritis, aut demeritis Deus pendere voluerit; similem ad modum maiorẽ, aut minorem hominũ numerũ ex eadem causa deriuari necesse est. Ergo ante præuisionem horum meritorum, aut demeritorum non potuit determinatus ille nũmerus definiri.

Cæterum hæc ratio, quæ specie tenus aliquid roboris habere videtur, penitus inspecta friuola est. Nã primò ex his est, quæ plusquam satis est probant: ex illa enim manifestè sequitur omnes homines, qui post duos illos Sanctissimos Patriarchas Franciscum, ac Dominicũ succedẽtibus sæculis producti, ac geniti sunt, eorum meritis suæ creationis donum obtinuisse, & ex consequenti Christum, vt illi homines conderẽtur, mortuum fuisse, contra apertam Augustini doctrinam, & Cõcilij Arausicani definitionẽ supra adscriptã. 33

Deinde etiam præfata difficultas similem ad modum efformari potest cõtra plures Patres, qui docent tamdiu mundum permansurũ, donec sedes, quas Angeli Apostatæ vacuas dimiserunt, ab his, qui prædestinati sunt, cõpleantur. Quod quàm sit familiare Augustino, Gregorio, Hieronymo, Chrysostomo, & alijs, nemo nescit. Nã si res humanæ cõ deductæ erant tempore D. Francisci, ac Dominici; vt mundus planè subuertendus foret, nisi viri illi sanctissimi hoc malum suis precibus auerterent: illud inquiro; an tunc sedes illæ, quas Angeli è cœlo decidui inanes reliquerant, omnes occupatæ essent, an aliquæ vacuæ remanerent. Si dicas ea sedilia necdũ impleta: ergo iuxta doctrinam Patrum nondum sæculi finis instabat. Si verò affirmes ea iam tunc beatis assidentibus plena, ac referta esse: certè pro his, qui posteà salui facti sunt, nulla erunt sedilia in cœlo: atque adeò falsum erit illud Patrum assertum. Deniq; hęc difficultas generalis est etiam contra omnes subtilissimi Scoti Discipulos, qui omnium, ac singulorum prædestinatorum efficacem electionem ad gloriam ante præscientiam primi peccati, & ante decretum Christi passibilis factam fuisse seriò pronunciant. Nam cõsectariè ad hæc principia affirmare debẽt tamdiu mũdum permanere oportere, donec 34

electorũ numerus expletus sit: & id quidem independẽter à meritis, aut demeritis. Nam cum electio efficax ad gloriã in sententia horum Doctorum facta sit absq; meritis, numerus etiam electorum sic compleri debet independẽter à meritis. Iam igitur ab his percontari libet, an per illud tempus, quo sanctissimi viri Franciscus, & Dominicus vixerunt, electorum numerus expletus esset, an secùs? Si dicant numerum illum, ac censum nondum perfectum fuisse: ergo sæculi finis tunc nequaquam vrgebat. Si autem asserunt eum numerum prorsus impletum: ergo post illud tempus quotquot sunt, cuncti reprobi sunt: aut si electi, certè extranumerarij dici debent. Hæc, & alia sunt, quæ suadent contra præmissam obiectionem plura grauissima dogmata, & axiomata pugnare.

35 Quapropter ad illam germanè respondens aio mundi subuersionem propter hominum peccata, & propter eorundem merita partim maturari, & vrgeri, & partim diduci, ac differri: his nimirum ad præfatam subuersionem diuinam voluntatem stimulantibus: illis contrà eandem retardantibus. Non inficior. Tamen id prorsus sentiendum, ac tenendum puto, mundum non priùs re ipsa diruendum, donec numerus electorum perficiatur, & vacua in cœlis sedilia compleantur. Addo etiam, donec omnium hominum ratus, ac iustus numerus, quem Deus ab initio futurum statuit ad vnguem expleatur. Peccata igitur, aut merita id tantum efficere possunt, vt generationes hominum accelerentur, aut retardentur, incitentur, aut morẽtur: constat enim in potestate Dei esse, vt intra aliquod temporis spatium plures, aut pauciores generationes sint in hoc mundo, causas præparando, aut impediendo: ita vt citius numerus ille definitus futurorum hominum exhauriatur, aut eorũdem productio longiori, ac diuturniori tempori exæquetur. Id ergo præstare possunt hominũ merita, aut demerita: nam demerita quidem in causa esse possunt, vt generationum numero breuiùs exhausto, mundus ocyùs consummetur: merita verò efficere queunt, vt cunctatis, moratisq; generationibus, mundi duratio sit diuturnior: at verò vt pauciores, aut plures sint homines futuri, efficere nequaquam possunt.

August. Ad hunc modum non dissimilem obiectionem dissoluit Diuus Augustinus in libro de Nuptijs, & Concupiscentia: ita enim scribit. *Sed noui quosdam, qui murmurent. Quod si (inquiunt) omnes velint ab omni concubitu continere, vnde subsistet genus humanum? Vtinam omnes hoc vellent ex charitate, de corde puro, & de conscientia bona, & de fide non ficta, multò citiùs Dei ciuitas compleretur, & accelararetur terminus sæculi.* Et sanè Augustinus cum ordine ad Dei decreta locutus est: & perinde est, ac si diceret. Si ita Deo placeret, vt omnes homines virginitatem ex animo colerent, haud dubitandum, quin ea ratione definitus ab eodem Deo electorum numerus ocyùs complendus foret: atque mundus, quem tamdiu durare oportet, quoad iste numerus perfectus sit, citiùs euertendus esset. Quod igitur D. Augustinus de certo, ac definito electorum numero statuit, id nos de certo, ac definito futurorum hominum censu decernimus: nimirum posse illum, aut longiori, aut breuiori tempori exæquari pro diuini consilij libera determinatione.

Quod si rem istam ad sua principia reuocare velimus, ita certè statuendũ, Deum sciẽtia sua conditionali omnium hominum merita, & demerita, & quantum hæc vel ad accelerandum, vel ad retardandum mundi finem, ipsum mouere poterant, præuidisse, & secundum hanc præscientiam, eum numerum hominum futurorũ definijsse, qui incitatis, aut moratis generationibus modo supra dicto intra spatium illud, quo mundum permansurũ eo modo nouerat, posset expleri. Id enim eodem modo dicere, ac pronunciare debent omnes illi Doctores, quotquot affirmant certum, ac ratum prædestinatorum, aut etiã reproborum numerum ante præuisionem meritorum, aut demeritorum à Deo efficaciter decretum, ac definitum fuisse, vt superioris difficultatis nodum expediant. 35

37 Ad id verò, quod de Diu. Francisco, aut Dominico adijcitur, omninò negandum eos precibus suis impetrasse, ne mundus tunc periret, quasi aliter sublatis eorundem precibus, ac meritis, certè eo tempore subuertendus, & generationes prohibendæ forent: hanc enim vim eorum meritis dare nefas puto: sed visionem illam sic accipiendam censeo, sicut alia multa in Scriptura sacra, per quandam comminationem. Eiusmodi est illa. *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Et alia passim.

TERTIA DIFFICVLtas grauior diluitur.

SECTIO. III.

37. *Contra constitutionem primi signi pugnare videtur natura voluntatis Dei liberæ.*
38. *Voluntatem liberam Dei ex connotatione actionis producentis, non verò rei productæ constitui aliqui affirmant.*
39 *Hanc positionẽ duplici ratione corroborant.*
40. *Præfata sententia falsa est, & non declinat vitiosum circulum inter voluntatem liberam Dei, & actionem productiuam rei futuræ.*
31. *Impugnatur duplici validissimo argumẽto.*
42. *Euertit commune illud axioma:* Omnis ordinatè

dinatè volens priùs vult efficaciter finem, &c.
43. *Illius authores inconsequētiæ insimulātur.*
44. *Variæ opiniones de essētia liberi decreti Dei referuntur.*
45. *Circulus in definitione liberæ voluntatis Dei contradictionem implicat.*
46. *Ex actu necessario voluntatis Dei, & ex extrinseca connotatione actionis, aut rei productæ valescere non potest.*
47. *Voluntas essentialiter sumpta non est in Deo secundum rationem realis potentiæ, sed secundum rationem actus.*
48. *Deus circa omnes creaturas possibiles habet actum necessariū complacentiæ, & amoris.*
49. *Libertas est formaliter in potentia ipsa voluntatis, in actu verò illius extrinsecè, & prout à voluntate fluit.*
50. *Actus voluntatis nostræ quamuis non esset immanens, sed transiens, ex eo solum quod à volūtate cū indifferentia flueret, liber esset.*
51. *Actio libera voluntatis diuinæ non habet libertatem effectus producti, sed libertatem causæ producentis.*
52. *Non habet libertatem similem ei, quæ est in actu volitionis creatæ, sed ei, quæ est in potentia.*
53. *Velle liberum Dei propriè, & formaliter est actus necessarius volitionis diuinæ cum determinatione libera ad agendum.*
54. *Ita docent expressè D. Thomas, & Scotus.*
55. *Iuxta hanc sententiam illa duo enuntiare licet: Deus creaturas liberè producit: & creaturarum productionem liberè vult.*
56. *Libertatis diuinæ supra omnem creatam libertatem præstantia optimè ex eadem sententia ostenditur.*
57. *Immutabilitas Dei iuxta illam præclarè demonstratur.*
58. *Quæritur quid sit determinatio libera ad agendum, quam velle liberum supra necessariam Dei volitionem addit.*
59. *Hæc determinatio non est aliquid reale, sed aliquid morale.*
60. *Eodem modo volitio Dei sese determinauit liberè ad alia producenda, quo nostra voluntas ad suum ipsius actum indifferentiam suam liberè applicat.*
61. *Nullus in hac sententia vitiosæ circulationi locus sit.*
62. *Æternitas liberi decreti Dei iuxta illam perspicuè demonstratur.*



TERTIA, Ac longè grauior difficultas contra illa, quæ diximus in cōformatione prioris signi, sic habet: quia id hactenus seriò à nobis affirmatum est, Deum Opt. Max. cunctos homines futuros priùs secundū substantiam definijsse, quàm eorū singulares causas, & actiones, per quas demū producendi erant, decreto suo constituerit. Cōtra hanc verò positionem pugnare videtur modus decernēdi liber Dei, & ipsa liberi decreti constitutio. Nam decretum Dei liberū supra nudam Dei substantiam addit terminationem extrinsecam ad rem effectam: hæc autem terminatio proximè, ac primariò est ad ipsam causalitatem, & productionem rei, non ad rem productam (luculentiùs dicam) decretum Dei liberum cōplectur per ipsam causalitatē, & actionē, qua res producitur: ergo non potest Deus decernere substātiā effectus, quin vnà simulq; decernat actionem, & productionem illius.

Quod autē terminatio illa extrinseca diuinæ voluntatis primariò, ac per se sit ad ipsam actionē, non ad effectū, ita vt decretum Dei liberū per actionē compleatur modo dicto, suadetur multis rationibus. Prior est à posteriori: quia si dicamus decretūDei cōpleri per rem ipsam productā, aut per connotationē illius, cōmittitur planè vitiosus circulus. Nam cū verū sit hoc pronunciatū. Ideò Petrus futurus est, quia Deus liberè decernit: ita quoq; verū est è conuerso. Ideò Deus decreuit liberè Petrū fore, quia Petrus futurus est. Hic autem circulus omninò vitatur; si dicamus per voluntatēDei liberā non effectū productum, sed actionē connotari, & per illam compleri. Nam secundū hanc opinionē licet verum sit dicere, eapropter Petrū futurum, quia Deus eū fore decreuit: non tamen è conuerso verū est: ideò Deus decreuit Petrum fore, quia Petrus est futurus. Sicut in quolibet agēti naturali contingit: causa enim constituitur agens in actu per actionē realem in aliū deriuatā: & tamen nullus propterea ex eo, quod actu dependens sit ab effectu tanquam à termino, circulū agnouit. Nam licet verum sit dicere, agens in quantū agens dependet ab effectu, quia actio depēdet à termino, & vicissim terminus dependet ab agente, & actione: tamen hic nulla subest vitiosa circulatio, quia depēdētia actionis à termino non est dependētia ab aliquo priori, sed ab aliquo posteriori, & consequenti. Ergo ad eundē modū licet decretum Dei liberū in ratione talis compleatur per actionem productiuam effectus: tamen inter effectum, & ipsam non erit vitiosus circuitus: quia siqua est dependentia decreti vt sic à suo effectu, est dependentia à posteriori, & consequenti. 38

Confirmatur prætereà ista sentētia duplici ratione. Quia actus volūtatis Dei liberè, quatenus causa est rei futuræ, per aliquā efficientiam ferri debet ad dandā existentiā suo obiecto: atq; adeò primū, ac proximum cōnotatum volūtatis illius id ipsum esse debet, per quod voluntas ad ipsam existentiam dādam fertur: hoc autē propriè, & formaliter est causalitas, seu actio, per quā res producitur. Rationē verò istam sic vrgeo: quia causalitas, vel actio est prior effectu producto: rursus posita causalitate non potest non consequenter existere effectus: ergo effectus in priori naturæ, antequam sit in ipsamet actione, præfinitus, 39

ac decretus intelligitur: igitur Dei præfinitio, & decretum non connotat rem productã, sed effectionem illius. Denique alia ratione fulcitur hæc ratio: quia actus liber diuinæ voluntatis essentialiter, ac formaliter id esse debet, quod ipsius diuinæ voluntatis indifferentiam proximè determinat ad vnam partem: sed id, quod ad eum modum determinat indifferentiã diuinæ voluntatis ad effectum aliquem producendum, est actio, seu productio illius: ergo proximum connotatum decreti est actio, & non effectus.

40 Hæc sunt huius opinionis fundamēta, quę licet ad speciem robusta satis videantur: me tamen iudice, valdè infirma sunt. Nam primò vitiosum illum circulum, quem inter effectum, & decretum liberum Dei vitare, ac declinare contendit inter actionem ipsam, atq; idem decretum, nequaquam effugit. Nam actio ipsa, vel causalitas propriè, ac verè est effectus decreti diuini ab ipso, & ex ipso fluens: ergo si decretum Dei liberum per illam completur, verum vtiq; erit dicere: Propterea Dei decretum est, quia futura est actio productiua effectus. Et rursus è conuerso erit quoque verum sic pronunciare: Ideò actio futura est, quia decretum Dei liberum circa illam versatur, atq; idem dependebit à se ipso. Confirmatur, quia decretum Dei non est causalitas, sed causa effectus (Ita docet S. Tho. & est communis sententia omnium Scholasticorum) sed causa est prior sua causalitate, & est principium illius: ergo Dei decretu est causa, & principium actionis, qua producitur effectus, & prior illo: ex alio verò capite, quatenus per illam completur, est posterior: ergo simul, vnàque prior est, atque posterior.

41 Deinde decretũ Dei liberũ non posse consistere in connotatione actionis probatur: quia Deus non solũ liberè voluit eas res producere, quæ de facto, & re ipsa producendæ sunt, quia nimirum posset illas non efficere: sed etiam liberè vult non producere eas res, quæ nunquã producendæ sunt, quia posset similiter eas efficere, si vellet: ergo velle liberũ Dei aliquid superius est ad agendum, & non agendum: ergo non potest in actione, aut in connotatione illius consistere. Ad hæc actio productiua rei quoties distinguitur à re producta per mutationem āgētium, & causarum conseruantiũ, perseuerante termino, variari, ac permutari solet: ergo cũ illa variatur etiã decretũ Dei. Consecutio patet, quia diuersa actio diuersam connotationē efficit: ergo decretum Dei, quod præfatam connotationem includit, variari, ac mutari necesse est. Absurdum autē videtur circa eandem existentiam rei diuersa Dei decreta inducere.

42 Deniq; cõtra præfatam sententiã grauissima quædam ratio conformari potest: quia nimirũ axioma illud peruulgatũ ab vtraq; schola, tam Scoti, quàm D. Tho. receptum, & probatũ: *Omnis ordinatè volens priùs vult efficaciter finē, deinde ea, quæ sunt ad finē:* in Deo locũ habere abneget prorsus necesse est; nõ solùm cũ media sunt moralia: sed etiam, imò longè meliùs, cũ media sunt physica physicè in finē influētia. Nam secundũ hanc sententiã Deus non potest velle, ac decernere efficaciter finē, nisi velit, ac decernat causationē, & actionem, qua finis producitur: quia cum decretũ connotet actionem ipsam productiuam, sine illa ne cõcipi quidem potest. Ad hęc cũ actio ipsa essentialiter pēdeat à sua causa, inde fit, vt Deus non possit illã velle, non volita priùs eius causa: ergo Deus non potest velle efficaciter finē, quin priùs velit efficaciter ipsa media physica. Cõsecutio est perspicua: quia cũ media physica sint causæ reales, quæ aliæ alias, ac demũ finem per se causant, ac producunt, non potest Deus efficaciter velle posterius medium, quin velit illud, quod prius est, nec finem efficaciter decernere potest, quin omnium mediorũ seriem eo ordine, quo se, ac finem causant, priùs efficaciter definierit.

43 Vnde admirationē non paruã mihi mouet, primum superioris sententię authorē grauissimũ P. Petr. de Arrubal (cuius eruditissimas lucubrationes typi iam iam cudunt) cum hac sentētia alteram satis reluctantē composuisse: nimirum electionē efficacē prædestinatorum ad gloriam, ante præuisionem meritorũ factam fuisse. Nam (vt alias dimittam rationes, quę ex sapientissimi nostri Gabr. Vazq. pharetra deprompte contra ipsum retorqueri possunt) me iudice, hoc suo iaculo semetipsum confodit. Quia si consectariè ad eius fundamenta fateri oportet in causis physicis nõ posse Deum velle, ac decernere efficaciter finem, quin priùs velit efficaciter media physica finē per se causantia, vt quid doctor iste tam seriò de fine, ac medijs moralibus aliter decernit? Adde etiam præfatam rationē non solùm in physicis: sed etiam in medijs moralibus vim, ac robur habere. Nam cum media moralia efficientiam habeāt moralem in finem, per quam moraliter ipsum efficiunt, ac causant, eamq; moralitatem similem ad modum liberè velit Deus: inde fit, vt sicut effectum physicum per causalitatē physicam: ita etiam effectum moralem per causalitatē moralem velle ipsum oporteat. Atq; adeò ea ex parte in eadem prorsus incõmoda recidant isti authores necesse est.

44 Profectò vt nostra esset sarta, tectaque doctrina, satis erat superioris sententiæ infirmitatem aperire: sed quia ad magis claram eius intelligentiam facturum puto, vt quid sit decretum Dei liberum, obiter hîc aperiã: eapropter nostram de hac re sentētiam compendiosè perstringam. Missam facio sententiam Caietani, qui actum Dei liberũ intrinsecam, & realem Dei perfectionē ab essentia ratione distinctam, voluntariam tamen, & sine qua Deus ab initio esse potuerit, includere affirmauit. 1. parte, quæst. 19. art. 2. §. *Ad hæc* Caiet.

potest:

potest: illā enim passim alij grauissimi Theologi rationibus labefactant. Prætereo etiam aliorum alias, atque alias sententias, in quibus nonnulli nescio quam eminentiam virtualem in diuina voluntate ex illius infinitate profectam contemplātur, propter quam sicut intellectus eiusdem Dei omne intelligibile: ita etiam voluntas omne volibile complectatur. Alij verò passiuas quasdam terminationes, quibus diuina voluntas, hæc, vel illa velle dicitur sine sui mutatione, cōfingunt. Hæc inquam missa facio, quia parum intelligibilia sunt, & ad alia contendo.

45 Primò igitur illud mihi exploratum est, de libero Dei decreto illos non bene sentire, qui in eius definitione vitiosam circulationē etiam secundum nostrum imperfectum concipiendi modum planè admittendam asseuerant. Ego enim in ea sum sententia, vt existimem circulum inter causas, & effectus reales ex terminis suis contradictionem implicare. Nam eiusmodi circulus in causis, & effectibus semper nos compellit, vt fateamur rem dependere à se ipsa: cum autem dependentia realis non possit esse nisi inter ea, quæ sunt realiter diuersa, consequenter ex datis fit, vnam eandem, atque ipsissimam rem à semetipsa diuersam esse, & non esse; quod manifestam contradictionem continet. Adde etiam alias, & alias implicationes, quas alij excogitarunt: nimirum idem esse prius, & posterius se ipso, & idem quoque pendere, & non dependere ab altero, & similia.

46 Secundò aio decretum non posse conflari ex intrinseco, & extrinseco, id est, fieri non posse, vt ex Dei substantia per modum actus vitalis, & ex connotatione actionis, aut effectus producti coalescat, ita vt actio, aut effectus productus ad compositionem illius quoquomodo accedat. Hæc positio suadetur optima ratione: quia omnis causa, vt talis est, secundum ea omnia, quæ illam constituunt in esse causæ, præcedit non solùm suum effectum, sed etiam suam causalitatem: sed decretum, & voluntas libera Dei est causa efficiens rei futuræ: ergo vt tale est, & secundum ea omnia, quæ ad illud constituendum accedunt, debet esse prius effectu, atque futuræ rei effectione. Igitur neque effectus, neque ipsius effectio ad decreti liberi constitutionem conuenire possunt. Deinde per actionem productiuam rei constituitur Deus agens in actu actione transeunti: ergo non potest constitui formaliter volens actione immanenti. Mitto alias rationes, quas contra authores oppositum asserentes, alij, atque alij conformant.

47 Vt ergo nostram de actu libero Dei mentem prodamus, aliqua prænotare, ac prælibare oportet. Primò obseruandum est voluntatem essentialiter, & non notionaliter sumptam, non esse in Deo secundum rationem potentiæ realis: sed secundum rationem actus volendi. Ita docet expressè Sanctus Thomas 1. parte, quæst. 41. artic. 4. vbi sic habet: *Respectu actuum intelligendi, & volendi non est in Deo ratio potentiæ secundum rem, nisi secundum modum nostrum concipiendi.* Et secundo contra gentes cap. 10. *Intellectus* (inquit) *& voluntas in Deo non sunt sicut potentiæ: sed solùm sicut actus.* Eandem doctrinam tradunt Pater Franciscus Suarez tom. 2. Metaph. disput. 30. sect. 16. num. 9. & Pater Petrus de Arrubal in 1. par. quæst. 15. disput. 2. & alij quamplures. Suadeturque optima ratione. Quia potentia realis, vt sic necessariò includit rationem principij: ratio autem principij non potest esse à parte rei sine distinctione reali ab eo, quod ab ipso fluit (hoc enim est, & non aliud eius, quæ inter diuinas personas versatur, distinctionis realis vnicum fundamentum.) Sed in Deo actus volendi non distinguitur secundum rē à voluntate illius: ergo non est in illo voluntas per modum potentiæ realis, sed per modum actus secundi. Ex quo fit Deum ea, quæ vult, semper velle in actu: atque adeò actum voluntatis diuinæ secundum suam entitatem esse necessarium: quidquid enim actu est, necessitatem habet, vt sit: iuxta commune illud Aristotelis proloquium: *Omne, quod est, quandiu est, necesse est esse.* S. Thom. Suarez. P. Arrub. Arist.

48 Secundò notādum, Deū circa omnes creaturas possibiles actum habere complacētiæ, seu amoris necessarium, per quem illas semper vult, non contingenter, sed in actu. Hanc doctrinam tradunt expressè Caietan. 1. par. q. 34. ar. 3. P. Vazq. 1. p. disp. 79. c. 2. P. Petr. de Arrubal. 1. p. q. 19. disp. 5. & ratione efficacissima demonstratur: quia creaturæ possibiles secundum se, prout habent essentiā non implicantem contradictionem, bonitatē habētes possibilem, ratione cuius possint terminare diuinam voluntatem: ergo Deus potest illas amare: Si autem potest illas amare, planè sequitur eas actu, & necessariò ab illo amari: nā cum in ipsis prout sic non possit esse vlla cōtingentia, ratione cuius possint referri diuerso modo ad diuinā voluntatē, neq; diuina voluntas potest diuerso modo ad ipsas referri. Caietan. Vazquez. P. Arrub.

49 Tertiò etiam animaduertendū est in humanis libertatē propriè, & formaliter esse in volūtate: in actu verò illius extrinsecè, & prout à voluntate fluit (mentē aduoca, & liberū nostrum volendi modū attende, vt inde ad Deū similitudinem deriuare possis) libertas enim indifferentia est ad agendum, & non agendum: hæc autem est formaliter in voluntate, quæ secundum se indifferens est ad producendum, & non producendum actū suæ volitionis, & ad conseruandum illum, vel abijciendum, non autem in actu volūtatis. Nam actus statim atque existit, omnimodam necessitatem habet, vt sit: quandiu enim est, non potest non esse, nisi voluntas illum abij-

ciat: atque adeò illa, quę in ipso existit libertas, à voluntate promanat. Clariùs dicam, voluntas nostra est libera tanquam causa: actus est liber tanquam effectus.

50 Vlterius hanc libertatem, quam actus habet prout effectus, non ideò habet, quia immanens est: nam si per impossibile voluntas actum volendi non produceret in se ipsa: sed in aliud deriuaret, aut alteri imprimeret, dummodo cum eadem indifferentia flueret, esset vtique eadem prorsus ratione liber, sicut nũc est. Apertiùs dicam. Si motus localis, qui recipitur in corpore, & procedit mediatè à voluntate, hoc est, medio actu libero eiusdem voluntatis ex suppositione, commutata rerũ natura procederet immediatè ab ipsa voluntate cum indifferentia, nõ esset minus liber, quàm modò est actus ipse volitionis formalis: haberet enim eandem contingentiam ad esse, & non esse, &c. & ratione huius diceretur homo liberè moueri. Addo etiã propter hunc motum, vt sic liberè, & cum indifferẽtia procedentem à voluntate, non solùm diceretur homo liberè moueri: sed etiam verum esset dicere hominem liberè velle motum suum. Hoc assertum non minùs certum est, quàm præcedens. Probatur autem similitudine ex actu volitionis deriuata. Nam de voluntate nostra verè, ac propriè enunciatur, ideò illã producere actum volitionis liberè, quia vult; non quia actum illum medio actu alio libero prosequatur, sed quia liberè se applicat ad illum producendum: quæ applicatio non est aliquid realiter distinctum ab ipsa potentia voluntatis (vt statim dicemus.) Ad hunc modum D. Ansel. de casu diaboli cap. 27. rogans vnde voluntas creata habeat, vt velit actu, ita respondet eam ideò velle, quia vult, ac demũ sic inquit. Discip. *Cur ergo voluit?* Mag. *Non nisi quia voluit. Nam hæc voluntas nullã aliam habuit causam, qua impelleretur aliquatenus, aut attraheretur: sed ipsa sibi causa efficiens fuit (si dici potest) effectus.* Quid illustrius? Ergo pari ratione si (verbi causa) motus localis immediatè procederet à voluntate cum prædicta indifferentia, vtrumq; verificaretur, & hominem liberè moueri, & liberè velle motum suum (Pende energiam sequentis rationis.) Quia in eo casu licet voluntas, à qua produceretur talis motus localis, secundum entitatem suam esset necessaria: quippè quæ est potentia ab anima, cuius est passio, necessariò procedens, tamen applicatio ad illum producendum esset libera, & cum indifferentia.

Anselm.

51 His constitutis, de actu Dei libero, & de illius essẽtia decernere valde procliue est. Igitur dico primò: actus liber voluntatis diuinæ non est liber libertate effectus, sed libertate causæ. Hæc conclusio vsque adeò certa mihi videtur, vt illam sine temeritate abnegari nõ posse credam. Ratio est in promptu, quia in Deo velle non est effectus ipsius substantiæ Dei ab illa immediatè fluens, neq; volũtatis Dei ab ipsa proximè manãs: ratio enim effectus postulat distinctionem à sua causa (vt nuper in prima notatione dicebamus) ergo nõ potest esse liber tanquam effectus. Deinde velle Dei liberum est causa omnium creaturarum cum indifferentia: ergo est liberum tanquam causa.

Ex hac verò positione sequitur secundum pronũciatum, quod sic habet. Velle liberum 52
Dei non habet libertatem similem ei, quę est in actu libero volitionis creatæ, sed ei similem, quæ est in potentia voluntatis: ita nimirum vt libertas actualis volitionis diuinæ non imitetur libertatem actus nostri: sed libertatem potentiæ. Consecutio est legitima ex dictis: nam actus volitionis creatæ (vt nuper adstruebamus) non habet aliam libertatem, nisi libertatem effectus producti, secundum quod à causa libera fluit: reliqua autem, quæ ab ipso efficienter promanant, necessariam emanationem habent: ergo velle liberum Dei non est cum actu volitionis creatæ conferendum. Atqui voluntas ipsa, vt potentia est, habet propriè, ac formaliter libertatem causæ cum indifferentia operantis (vt nuper dicebamus in tertia notatione) ergo velle liberum Dei cum ipsa comparandum est. Confirmatur hoc assertum, quia in Deo verè, & propriè est libertas causæ cum indifferentia operantis: sed isthæc libertas non potest esse in illius voluntate tanquam in potentia: nulla enim est potentia in Deo secundũ rem (vt in prima notatione decreuimus) ergo est in illo tanquam in actu, & actuali volitione: ita nimirum, vt quod in nobis prębstat potentia, id ipsum in illo præstet actus.

Vlterius dico tertiò velle liberum Dei 53
formaliter esse actum necessariæ volitionis, quo Deus necessariò prosequitur omnes creaturas possibiles cum determinatione libera, & indifferenti ad eas producendas, vel non producendas. Hæc assertio manifestè deducitur ex dictis. Quia velle liberum Dei non est tale per libertatem, quæ sit in illo, tanquam in effectu, sed tanquam in causa. Atqui eiusmodi libertas reperitur in præfato actu volitionis necessariæ: ergo illa est velle liberum Dei. Consequentia probatur ex similitudine voluntatis creatæ: hæc enim non ideò libera est vera, & formali libertate causæ, quia entitas illius sit contingens: constat enim entitatem eius necessariam esse ex causa necessaria fluentem: sed quia liberè se applicat, & determinat ad operandum. Sed similem ad modũ volitio actualis, qua Deus prosequitur omnes creaturas, quamuis secũdum se necessaria sit: tamen liberè se applicat ad eas producendas, vel non producendas: ergo ipsa est velle liberum Dei.

Hæc sententia (nisi fallor) est expressa 54
mens D. Tho. 1. p. q. 9. ar. 3. vbi ad sextum argumentum diuersitatem inter Dei scientiã, & voluntatem assignans sic ait. *Ad sextum di-*

cendum,

tendum, quod sicut diuinum esse in se est necessarium: ita & diuinum velle, & diuinum scire: sed diuinum scire habet necessariam habitudinem ad scita: non autem diuinum velle ad volita. Sed in responsione ad quintũ luculentius loquitur: ait enim: *Diuina voluntas, quæ in se necessitatem habet, determinat se ipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam.* Itaq; S. Tho. velle liberum Dei nihil aliud esse dicit nisi actum illius secũdum se necessarium cũ determinatione libera. Vbi obserua energiam verborum: non enim dixit: *Determinat se ipsam ad volendum*: sed *determinat se ipsam ad volitum*: vt significaret libertatem Dei nõ esse in eo positam, vt volitionem aliquam liberam, quæ posset ipsi deesse, producat: sed in eo quod volitionem suam alioqui secundum se necessariam ad res volitas producendas, aut non producendas cum indifferentia applicet, aut determinet. Adde etiã hãc esse expressam Scoti mentem in 1. dist. 29. q. 1. §. *Iuxta prædicta*, vbi seriò affirmat, ac multis conficit diuinæ voluntatis libertatem non constitui formaliter per indifferentiam circa actus suos, sed per indifferentiam circa effectus productos: asseritque consequenter non esse in Deo libertatem *receptiuam*, sed *productiuam*. Et infra §. *Viso de contingentia*, id quidquid est, per quod volũtas diuina vnum potius decernit, quam aliud, appellat *determinationem ipsius voluntatis.*

55 Ex hac positione aliqua deducere licet, quæ ipsam mirum in modum illustrant, ac roborant. Primò enim iuxta hanc doctrinam duo enunciari possunt, quæ totam diuinæ libertatis formam continent. Alterũ est. *Deus creaturas liberè producit*: alterum verò: *Deus creaturarũ productionem liberè vult*: his enim positis non est quærenda maior libertas in Deo. Vtrumq; autem demonstratur ex similitudine voluntatis creatæ iuxta ea, quæ in tertia notatione præmisimus. Nam quemadmodum si voluntas creata motum localem, aut alia, quæ ipsi naturaliter subduntur, non media volitione, sed immediatè per se, cum indifferentia tamen produceret, vtrumq; verum esset: scilicet per talem productionẽ motus hominem liberè moueri, & liberè etiam velle motũ suum: quamuis id, quo produceretur talis motus, non esset actus volẽdi, sed potẽtia, vt ex productione volitionis creatę ibi confecimus. Ergo idem potiori iure de Deo iudicãdum est: quia id, quo creaturas liberè producit, nõ est potentia volendi (hæc enim in Deo nõ reperitur) sed actus volitionis, necessarius quidem in se, liberè tamen ad agendum se se applicans: eo modo quo voluntas, quæ entitatem habet necessariam, liberè ad agendum se se inclinat. Quapropter longè meliùs dicere licebit per eiusmodi actum Deum liberè producere creaturas, & earum productionem liberè quoque velle.

56 Secundò ex hac doctrina infertur libertatem in Deo longè excellẽtius reperiri, quàm in voluntate creata: nã volũtas creata, quamuis liberè producat suam volitionẽ efficacẽ: tamen volitio producta reliqua, quæ illi subduntur, non exequitur liberè, sed necessariò. Verbi gratia, si quis habeat efficacẽ volitionem mouendi se localiter, certè hæc volitio à voluntate liberè fluit: ad ipsam tamen motus sequitur naturaliter, non liberè, nisi remotè, in quantum volitio illa, quæ est causa talis motus, liberè fluxit à voluntate. Itaque voluntas creata immediatè suam tantùm volitionem liberè, & cum indifferentia attingit, reliqua verò mediatè, & consequenter in quantum volitio à libera causa processit. At voluntas increata Dei, siue actus eius liber libertate sua omnes effectus immediatè attingit (luculentiùs dicam) omnes effectus libertatem, & contingentiã ab ipsa immediatè accipiunt. Quod diuinæ libertatis nobilitatem mirificè extollit, & maximè obseruandum est pro his, quæ paulò pòst subijciam.

Tertiò iuxta modum istum sentiendi optimè defenditur, & explicatur immutabilitas Dei. Nam cum in voluntate eius non sit libertas effectus intra ipsam producti: sed libertas causę alia extra se producentis, sine aliqua sui mutatione libertatẽ exercet suam. Sicut enim quælibet alia causa efficiẽs actione transeunti absque vlla reali, & physica sui mutatione, actionẽ in aliã deriuat suam: ita etiã Deus creaturas liberè producẽs, immutabilis in se ipso permanet. Optima est etiã ad hanc rem illa comparatio voluntatis iuxta factam suppositionem motum localem immediatè, sed tamen liberè producentis. Sicut enim in eo casu voluntas absque vlla sui mutatione præfatum motum in membra externa deriuaret: sic etiam voluntas diuina sine intrinseca sui variatione res omnes liberè perficit. 57

Sed obijcies volitionem Dei liberam suprà actum volendi, qui secundum entitatem suam necessarius est, includere determinationem, aut applicationẽ liberam ipsius ad operandum circa creaturas: sed hæc determinatio potest ipsi adesse, & abesse: ergo Deus ea ex parte mutationi obnoxius est. Confirmatur, quia hęc determinatio vel est aliquid reale, vel aliquid rationis: non potest esse aliquid rationis: absurdum enim esset dicere voluntatem diuinam per aliquid rationis determinari, & applicari ad agendum: ergo est aliquid reale. Rursus hoc reale vel est intrinsecum, vel extrinsecum: si dicamus illud esse intrinsecum, mutabilem Deum facimus: si dicamus esse extrinsecum, incidimus planè in eorum opinionem, qui decretum Dei liberum ex actu Dei secundum se necessario, & ex actione, aut obiecto coalescere dicunt: hæc enim sunt extrinseca realia, quæ ad decreti compositionem accedere possunt, & non alia. 58

59 Ad obiectionem istam non facilè responderi posset in eorum sententia, qui ad indifferentiam voluntatis determinandam physicam prædeterminationem inducunt: quia nimirum non satis intelligunt causam ex se indifferentem, ad vnum quid sine aliqua ipsi impressa qualitate applicari, & aptari. Tamē in ea opinione, quam Societas nostra studiosissimè amplectitur, ac firmissimè tuetur: scilicet voluntatem præuentam auxilio Dei à se ipsa determinari ad operandum, nihil difficultatis continetur. Sicut enim voluntas ad actum volitionis potius, quàm nolitionis liberè producendum, nō per alium actum, nec per aliquam physicam qualitatem ipsi impressam, sed per semetipsam, & per suam entitatem determinatur, & applicatur: sic etiam actus voluntatis ad effectus alios producendos, quos immediatè libertate sua attingit (vt supra d. xi) per semetipsum se se applicat, ac determinat. Quapropter ad præmissum argumentum sic respondeo, determinationem illam, per quam actus diuinæ volitionis, secundum se necessarius, liberè applicatur ad rem producendam, non esse aliquid reale physicum distinctum ab entitate ipsius actus necessarij. Nam si rem physicè consideremus, determinatio voluntatis Dei nihil est aliud, nisi efficacitas ipsius in actu primo, & proximo ad operandum. Sicut enim efficacitas cuiuslibet alterius causæ efficientis duplicem statum habet: aut enim est in actu primo, & proximo ad operandum: aut in actu primo remoto: ab vno autem statu ad alium transit sine aliqua reali, & intrinseca sui mutatione: & tamen de illa, quando est proxima ad agendum, rectè dicitur, quod sit determinata ad operandum: cum verò non est proxima, non ita. Ad eundem modum de actu volitionis diuinæ dicendum est, illam determinationem ad agendum, vel non agendum ex semetipsa sine reali sui mutatione habuisse ab æterno, quatenus ad ea, quæ re ipsa producenda erant, habuit efficientiam in actu primo, & proximo: ad illa verò, quæ nunquam producenda erant, habuit efficientiam in actu remoto. Id autem, quo diuina voluntas ad eum statum redacta est, vt respectu futurorum effectuum esset in actu primo, & proximo ad efficiendum, non est realitas aliqua distincta. Sicut in voluntate creata propensio, quam habet in actu primo, & quam Deus præuidit, vt decernat concurrere cum illa ad volitionem actualem liberam, non est realitas aliqua ab ipsa volūtate distincta: sed moralitas fortasse, quæ potest adesse, & abesse absque intrinseca voluntatis mutatione.

60 Et quidem omnem liberam voluntatem à semetipsa determinari per suam entitatem, & non per qualitatem aliquam realem distinctam, probatur efficaci ratione à priori ad hunc modum. Quia vel hæc qualitas est ab extrinseco voluntati impressa, vel ab ipsamet voluntate libere producta: si dicamus illam ab extrinseco immissam esse, cum hæc determinatio præcedat actum ipsius voluntatis, libertatem per ipsam violari necesse est, vt de physica prædeterminatione nostræ Societatis Theologi passim decernunt. Si verò dicamus hanc qualitatem determinantem libere produci à voluntate, paritas rationis ad processum in infinitum necessariò compellet nos. Nam ideò tantùm præmissa qualitas asserenda est, vt indifferentia voluntatis ad producendum actum suum determinetur, & applicetur: sed similem ad modum ad producendam eam qualitatem determinantem voluntas nostra indifferens est: alia ergo qualitate determinante indigebit, vt ad eam efficiendam se se accommodet: & hoc modo alias, & alias qualitates determinātes inducere oportebit sine termino. Quapropter dicendum voluntatem liberam à se ipsa determinari modo dicto. Sicut ergo quælibet voluntas creata ad suum actum per semetipsam sine aliqua sui mutatione antecedenti ad suum ipsius actum, quem liberè tantùm attingit, vt paulò antè dicebamus, semetipsam determinat: idem iudicium ferendum est de actu voluntatis diuinæ, in quo sita est libertas causæ ad agendum, vel non agendum, qua immediatè attingit omnes effectus: scilicet à semetipso determinari sine aliqua sui variatione, aut mutatione reali.

Deniq; iuxta hanc sententiam circulatio illa vitiosa, quam alij inter velle liberū Dei, & effectum productum concedere non dubitant, prorsus euitatur, ac declinatur. Sicut enim inter voluntatē creatam, & actū volitionis ab ipsa liberè productum nullus est circulus: ita etiam inter decretū liberū Dei, & effectum ab ipso causatū nullus circuitus admittendus est. Consequētia probatur similitudine voluntatis creatæ, quæ hactenus tot argumentis à nobis confirmata, & roborata est. Quapropter si res ad proprios terminos redigatur, secundū hæc principia vera propositio est ista, & à priori: *Ideò res futura est, quia Deus eam fore decreuit, voluntatē suā liberè determinans, & applicans ad illam producendam.* Altera verò propositio: *Ideò Deus liberè decreuit illam forè, quia res futura est*: illatione causali, & à priori falsa prorsus, & cōmētitia est. Vera enim, atq; legitima causalis in subiecta materia tantùm est illa: *Ideò Deus liberè decreuit rem fore, quia voluntatem suam cum indifferentia determinauit, vt esset potiùs, quàm non esset.* Dixi autem hanc veram esse causalem, non quia ab actu volitionis Dei secundum se necessariò fluat aliqua qualitas determinans (quam impossibilem esse nuper diximus) sed quia quod isthæc Dei volitio sit in actu primo proximo ad operandum, vel in actu primo remoto, ex libertate Dei pendet. 61

62 Hinc autem intelligere licet, quomodo decretum Dei liberum sit ab æterno, antequam res producatur: quod in alijs opinionibus, quæ decretum istud vel ab ipsismet rebus productis, vel ab earum productionibus ita pendere affirmant, vt vel eas includat, vel ipsas connotet, vix intelligi potest. Non enim facile mens capit iuxta eas sententias quomodo in Deo sit decretum liberum in actu, antequam actu sint res illæ, quas vel includit, vel connotat. Itaque assero decretum Dei liberum, quod ab æterno existit in Deo, nihil aliud esse, quam actum volitionis secundum se necessarium cum determinatione ad eam rem producendam, quæ tandem aliquando in tempore futura est. Luculentiùs dicam. Quemadmodum se habet voluntas nostra præuenta cogitatione efficaci, quando Deus præuidens illam propensam, & pronam, & determinatam moraliter in actu primo, decernit concurrere cum illa sine violatione libertatis: ad eundem modum se habet actus voluntatis diuinæ ab æterno, respectu productionis futurorum: & ratione huius determinationis moralis, quā ab æterno habet, decretum efficax habere dicitur.

COROLARIA EX SVperiori doctrina.

SECTIO. IIII.

63. *Existentiam futuri effectus, qui à pluribus causis pendere potest, non definita singulari causa, & actione à Deo decerni posse ex superioribus conficitur.*
64. *Diuersos ordines intentionis, atque executionis admittimus: & decreta Dei per connotationes futurorum distinguimus.*
65. *Propria vtriusque ordinis obiecta, & effectus assignare in aliorum sententijs difficile est.*
66. *In nostra sententia facile, ac pronum.*
67. *Vtriusque ordinis eadem omninò obiecta, & eosdem effectus esse, quidam perperam sentiunt.*
68. *Deus ordinans voluntate sua rem vnam ad aliam, nec substantiam rei, nec actionem euariat.*
69. *Inter ordinem intentionis, & executionis differentia scitu digna.*
70. *Voluntas efficax in Deo habet efficaciam suā immediatè respectu electionis mediorum, & mediatè respectu finis.*
71. *Voluntas efficax & simplex Dei circa finem longè diuerso modo ad electionem mediorum causandam concurrunt.*
72. *Ordinationi diuinæ voluntatis, per quam vnam rem ad aliam liberè refert, proprium obiectum, & proprius effectus respondet in rebus ordinatis.*
73. *Ex dictis declaratur præcipua huius controuersiæ thesis.*
74. *Ordo decretorum Dei ex connexione rerum futurarum petendus est, non à priori, sed à posteriori.*
75. *Decreta Dei, & eorum ordo non est omnino alligandus rebus futuris.*



HÆC Longiùs fortasse, quam par erat, ideò transegi, quia ex illis nostræ sententiæ lux maxima paratur. 63 Iuxta quam dicimus Deū omnium hominum futuritionē quoad substantiam priùs definijsse, quàm singulares parentes, & singulares actiones, per quas producendi erant. Nam cum diuinę volitionis libertas immediatè, & proximè omnes, ac singulos effectus attingat (vt hactenus confecimus) optimè potest sese determinare circa vnum, quin se determinet circa alium: atq; adeò nihil prohibet, quominus Deus circa substantiam futuri effectus, qui à pluribus causis, & actionibus pendere potest, se determinauerit, antequam circa singularem causam, & actionem determinationem acceperit.

Nostram vero doctrinā melius vt teneas, cogitare oportet, nos in prosecutione finis, 64 atq; mediorum cum communi sententia duplicem omnino ordinem agnoscere: vnum in intentione, & alterum in executione. Qui ordines ita inter se conseruntur, & contexuntur, vt quæ priora sunt in intentione, hæc vice versa posteriora sint in executione. Deinde notandum decretum Dei liberum, quod in nostra sententia tanquam causa rei futuræ illius existentiam præcedit, ita quidem ipsam præcedere, vt tamen eandem semper connotet, non tanquam aliquid, quod ad integritatem ipsius decreti pertineat, vel tanquam quid prius, à quo decretum pēdeat: sed tanquam aliquid posterius, atque ipsam decreti liberam determinationem insequens. Nam cum eiusmodi decretum supra actum liberæ volitionis diuinæ addat eam, quam hactenus docuimus, liberam determinationē erga existentiam rei, non potest certe hęc determinatio concipi, nisi per ordinem ad rei futuræ existentiam, atque illam extrinsecè connotans.

Hinc autem excitatur difficultas nō leuis: 65 quia vt defendamus ordines istos diuinorum decretorum, tam intentionis, quam executionis in prosecutione finis, omnibus illis, ac singulis, quas in Deo distinguimus, liberis voluntatibus proprium obiectum, & effectum assignare oportet, quem connotent, respiciant, & causent: id autem non parum difficile videtur. Quia vt distinguatur ordo intentionis ab ordine executionis, oportet

aliam ex alia fluere, & vnam ab altera causari apprehendimus.

71 At inquies ex hac doctrina sequi, voluntatem Dei simplicem, & inefficacem circa finē non distingui ab intentione efficaci eiusdem: nam voluntas (exempli gratia) qua Deus cunctis hominibus in vniuersum cupit gloriam, causa est prædicto modo electionis mediorum: propter ipsam enim fit, vt Deus alijs efficacia, alijs sufficientia auxilia præparet: ergo similem ad modum respectu electionis efficax dici debet. Respondeo inter voluntatem simplicem finis, & intentionem efficacem eiusdem latissimum versari discrimen: nam intentio Dei efficax respicit existentiam futuram finis, & circa illam sese determinat: atque adeò necessariò infert electionem mediorum. At verò voluntas simplex, & inefficax respicit substantiam, & bonitatem finis secundum se abstractam ab existētia: eodem enim modo placet Deo gloria, & beatitudo hominum possibilium, sicut eorum, qui futuri sunt. Quapropter si quando Dei voluntas ex simplici desiderio finis ad electionem mediorum sese transfert, eiusmodi electio non fluit per se, & necessariò à tali voluntate, sed liberè, & contingenter, ita vt potuerit non effluere.

72 Quintò dicendum est ordinationi efficaci diuinæ voluntatis, qua res alias ad alias refert, & alias propter alias desiderat, respondere etiam in rebus ipsis peculiare, ac proprium obiectum, seu effectum: hic autem nō est actio distincta, nec diuersitas ipsarum rerū substantialis, sed depēdentia libera aliarū ab alijs: nam vnam rem ex Dei voluntate ordinatam esse ad aliam nihil aliud est, quam sic esse, & subsistere, vt sublata de medio illa ad quam ordinatur, è vestigio esse, & subsistere desinat. Sicut enim, verbi causa, potentiam aliquam naturalem ex natura sua necessariò, & essentialiter relatā esse ad suum obiectum colligimus omninò ex subsistendi consequentia, quia nimirum sublato obiecto aufertur necessariò potentia: ita etiam aliquam rem liberè, & voluntariè ad aliam ordinatam esse à Deo ex eadē subsistendi consequentia colligendum est: quia scilicet ita voluntas illa, quæ vnam rem ad aliam refert, pendet ex voluntate eius rei, quæ talem relationem terminat, vt hac sublata, alia quāprimum esse desinat: quæ voluntatum dependentia in ipsas res volitas redundat, non quidem intrinsecè, ita vt efficiant res, vel actiones ipsas alias ab alijs substantialiter dependere (id enim sine mutatione substantiali earum fieri non posse nuper diximus) sed extrinsecè, quatenus res diuersæ, ita ex diuersis Dei voluntatibus, tanquam ex causis dependent, vt eo ordine sint, & subsistant, vel esse & subsistere desinant, quo voluntates ipsæ diuinæ, aut perseuerāt, aut cessant. Quapropter effectus proprius illius ordinationis diuinæ (vt compendio dicam) nullus alius est, nisi productio, & conseruatio vnius rei cum libera dependentia à productione, & conseruatione alterius.

73 Ex his liquet primò, quàm sine iniuria eiusmodi, quo Deus liberè res decernit, hactenus docuerimus substantiā, & existentiā rei futuræ ordine intētionis optime decerni posse à Deo, non definita causa, aut actione singulari, per quam talis res in executione denique producenda est. Constat enim ex dictis talem intentionem non ideò efficacem appellari, quia executionem rei immediatè attingat: sed quia eius existentiam vt sic desiderans causat immediatè electionem mediorum, mediatè verò ipsum finem: hæc autem volūtas neque tanquam obiectum, neque tanquam effectum respicit particularem causam, aut singularem actionem.

74 Deinde ex his, quæ diximus, obiter deducere, & conficere licet, nos omninò sentire cum his Theologis, qui ordinem decretorū Dei ex connexione rerum futurarum petendum esse docent: tamen nec rationi, quam ipsi offerunt, acquiescere, neque etiam his, quas inde deducunt, conclusionibus assentiri. Non enim dicimus decreta Dei rerum futurarum ordinem sequi, quia res futuras, vel earum causationes includant: id enim à nostra mente alienū est: sed alio ex capite, quia nimirum cum in Deo secundum rem vna & simplicissima rerum omnium voluntas sit, eius distinctionis, quam nos iuxta imperfectum nostrum cognoscendi modum in decretis Dei comminiscimur, nullum in ipso Deo fundamentum est. Quapropter cunctam distinctionem ex rebus ipsis aucupari, & per respectum ad illas apprehendere necessum est: ita tamen vt diuersitas, & ordo decretorum Dei non colligatur à rebus ipsis à priori tanquam à causis, sed à posteriori tanquam ab effectis.

75 Rursus id, quod quidam sentiunt decreta Dei ita rebus ipsis futuris adstricta, & alligata esse, vt ipsarum ordinem nunquam non sequi debeant: adeò vt, verbi causa, si duorum hominum, puta Petri, atque Ioannis, postulantium pluuiam, aut serenitatem preces antecesserint, non possit non Deus tam pluuiam, quàm serenitatem propter vtriusq; merita decernere, & sic de alijs: id inquam non credo. Quid enim vetat Deum eiusmodi pluuiam, aut serenitatem, repudiata Ioannis prece, vnius Petri precibus inductum definire? Dices non esse varietatem aliquam inter has preces, & merita, vnde eiusmodi euariatio decretorum peti debeat. Respondeo magnā certè differentiam inter vtrasq; versari: nam in casu prædicto, in quo Deus solius Petri precibus acquiescens pluuiā indulsit, eiusmodi Petri preces ita cum pluuia conferuntur, vt his sublatis, pluuia non sit futura. Ioannis autem preces non ita: nam

esset meritoria: sed aliquid morale esse, quod in entitate volitionis, & in libertate, atque alijs circumstantijs requisitis fundatur. Nil certius. Addo etiam auxilium gratiæ Dei, sanctam videlicet cogitationem, ad perficiendam libertatem voluntatis accedere. Nam quia intellectus bonum, & malum voluntati proponit cum indifferentia, ideo voluntas hoc, vel illud liberè prosequi potest. Quapropter necesse est, vt diuersæ cogitationes secundum numerum diuersam quoque indifferentiam, seu libertatem secundum numerum efficiant in voluntate. An verò diuersa libertas secundum numerum satis sit ad inducendam diuersitatem numeralem volitionũ, non curo. Scio tamen aliquos ita sensisse: quia nimirum cum voluntas feratur in rem cognitam, hoc est, in rem non secundum eam existentiã, quam in se habet, sed secundũ eam, quam habet repræsentatam in cognitione, non dubitant hoc enunciare, ad diuersam cognitionem secundum numerum necessariò consequi diuersitatem numeralem actionis. Ego verò huic doctrinæ non admodum assentior. Illud verò certo certius puto, euariata cognitione, & ex consequenti libertate numerica mutata, meritum non posse non variari: quia cum moralitas meriti fundetur in illa moralitate actus, quæ resultat ex moralitate libertatis, seu indifferentiæ, necesse est, vt hæc omnia, cognitione secundum numerum euariata, cum ipsa pariter numericè euarientur. Dicam aliquid apertius. Quamuis entitas physica actus voluntatis, vt talis non sumat speciem, aut indiuiduationem ab obiecto vt cognito, vel sub ratione cogniti: tamen idem actus in ratione moris, & in ratione meritorij, atque digni, absque dubio specificatur ab obiecto vt cognito, & sub ratione cogniti: atque adeò quæcumque mutatio in cognitione facta, aut secundum speciem, aut secundum numerum, redundat in mutationem specificam, aut numericam moris, ac dignitatis, seu meriti in actu. Quapropter impossibile est, vt Deus hoc meritũ secundum numerum decernat, quin priùs hanc cognitionem singularem definiat: & ex consequenti non potest habere rationem meriti, aut dignitatis diuinam voluntatem mouentis respectu talis cognitionis, vel auxilij.

80 De actione verò productiua vnionis, atq; de ipsa vnione alia longè diuersa ratio est. Et primùm de actione illud pronuncio, illam, secundum magis probabilem opinionem, nõ esse realiter distinctam ab ipsa vnione, vt eruditè probat Pater Vazquez 3. par. ad quæst. 2. quia cum diuersitas actionis à termino, non aliunde colligatur, nisi ex separatione, quæ ex diuersitate efficientium accidere solet, cum prædicta vnio postulet per se à Deo fieri, vt à nulla causa creata produci possit, non est caput aliquod, ex quo separatio colligi, aut distinctio aucupari queat. Hæc enim est ratio potissima, ob quam creatio non distinguitur à re creata (vt communior Theologorum sententia fert) Hinc autem obiectæ difficultatis solutio petitur ad hunc modum. Dicimus enim vnionem vnam duarũ naturarum in persona Verbi non posse fieri per actiones secundum numerum diuersas: quia cum actio, qua producitur vnio, non distinguatur ab illa, vnius vnionis non potest esse nisi vna tantum actio: atque adeò vnio non potest præfiniri sine actione.

P. Vazq.

Ad secundam verò huius obiectionis partem aio non repugnare eandem humanitatẽ per aliam, & aliam secundum numerum diuersam vnionem cum Verbo copulari. Addo etiam vnione ad eum modum euariata, eundem numero Christum mansurum. Tamen cum hæc vnio sit substantialis, & ad substantialem compositionem Christi pertineat, nõ potest Christus vt sic concipi sine vna, vel altera vnione: vnam enim, aut alteram essentialiter includit. Quapropter non potuit Deus voluntate sua libera circa Christi substantiam sese determinare, quin etiam circa singularem vnionem sese determinauerit. Nã cum Deus (vt alias sæpè docuimus) non possit res vagè, confusè, & in vniuersum decernere, non potest certè intelligi voluntas eius vnionem vt sic decernens, aut definiens nisi singularem, & determinatam. Atq; adeò eiusdem Christi merita decretum Dei circa talem vnionem singularem essentialiter præsupponebant: & ex consequenti, ad illam decernendam diuinam voluntatem impellere non potuerunt. De alijs autem rebus, quæ plures habent causas efficientes specie, aut numero diuersas, longè diuersa ratio est: nã cum productio distinguatur à re producta, & res iam producta non includat in se formaliter, aut essentialiter tanquam partem, aut substantialem modum, ipsam productionem, nihil prohibet, quominùs diuina voluntas versetur circa substantiam rei productæ, illã decernens, antequam singularem actionem, & causam singularem definiat. Quod iuxta modum, quo diuini decreti liberi constitutio, & confirmatio à nobis nuper tradita est, facilè admodũ intelligitur. Alias verò rationes minoris momenti, quæ contra istam sententiam efformari possunt, sciens, ac volens prætereo: quia vel non habent specialem difficultatem in hac sententia, quæ non sit communis cum alijs: vel eorum solutionem ex præscriptis principijs facile admodum depromere cuiuis procliue est. 81

CON-

CONFIRMATIO SEcundi signi decretorum Dei.

§. IIII.

82. Deus in hoc signo Adamum, & Euam per se ipsum, & ex illis reliquos futuros homines per naturalem generationem producere decreuit.

83. In eo signo, quo decreuit hominum futurorum existentias singulares, eorum generationes à Deo definitas non fuisse suadetur ratione.

84. Neque in vniuersum, neque vagè, neque confusè futurorũ generationes decreuit in hoc signo.

85. Omnes homines ex Adamo nasci vt sic definire potuit Deus, eorum parentibus, ac generationibus in particulari nondum præfinitis.

72 *86. Quid sit esse filium Adami, & qualiter a Deo decernatur.*

87. Filiatio Adami, aliorum parentum serie variata, non variatur.

88. Peccatum originale vniuscuiusque, etiamsi generatio secũdum numerum euariaretur, idem numero maneret.

89. Fundamentum peccati originalis non est singularis generatio, qua quis productus est, sed filiatio illa Adami omnibus communis.

90. Quod sit obiectum, & effectus huius voluntatis, ac decreti, ex quo constituitur hoc signum.

82 VOTIES Vna re posita, ac definita iam à Deo, reliquitur locus deliberationi, & liberæ electioni circa aliam, in eius decretis signum diuersum adnotare opus est. Ergo Deus Optimus Maximus in primò signo omnium hominum existentias definiuit: sed enim quia istiusmodi existentiæ per varias causas produci valebant: aut enim per semetipsum Deus immediate homines creare, aut etiam per generationem naturalem illos procreare poterat, factus deliberationi, & electioni locus, & secundum signum extitit, in quo Deus vnum Adamum, atque Euam per se ipsum, illum ex limo terræ, hanc ex illius costa fabricare decreuit: atque ex illis reliquos homines futuros per generationem naturalem condere apud se statuit.

83 At inquies, vnde colligis Deum in primo signo, in quo omnium hominum existentiam iam decreuerat, singulares etiam ac proprias generationes non definiuisse, ac suos etiam singulis parentes non assignasse? Respondeo id manifeste colligi ex his, quæ supra diximus. Nam cum ex scriptura sacra constet iustos obsequio suo erga Deum, & mandatorum obseruatione id promereri, vt copiosam sibi sobolem numerent: cum constet etiam aliquos patres olim steriles liberos sibi à Deo precibus exorasse, & obtinuisse: cum demum in celebrandis coniugijs cõbinationes nubentium tanquam præmium bonis operibus retribuantur: hæc autem hominum merita ipsius Christi promerita necessario supponant, fateri debemus præfatas parentum cõbinationes, & filiorum singularium assignationes, & accõmodationes post Christum, & post merita ipsius præfinita, & præuisa decretas, & constitutas fuisse. Id vero propterea factum, quia filios generare bonum quoddã est eximium, quod parentes maximi faciunt: sæpè etiam ab his potius, quam ab illis patribus procreari eximium est beneficium filijs à Deo collatum: atque adeò æquum fuit, vt Deus hoc quemadmodum alia bona meritis retribueret, atque adeò non sine meritis Christi decerneret, ac definiret.

Contra huius signi constitutionem occurrit grauis difficultas: quia si dicimus Deum in hoc signo suorum decretorum ita statuisse, vt omnes homines, quos futuros præuiderat, ex vno Adamo per naturalem generationem conderet, aut procrearet, cogimur asserere simul etiam illorum generationẽ à Deo decretam fuisse: ergo aut generationem cuiuscumque propriam, & singularem, per quã actu productus est, aut generationem in communi, aut generationem vage, hanc, vel illam. At enim dicere non possumus Deum decreuisse in hoc signo generationem cuicumque propriam in singulari: quia vt supra probatum est, plurimorum hominum generationes singulares Christus promeruit: omnia vero huius signi decreta Christum, atq; eius merita præcedunt. Deinde etiam generationem in communi vniuersaliter Deus præfinire non potest, quia vniuersale nõ cognoscit Deus, nedum definit. Deinde etiam quia vniuersale vt sic, non existit, neque potest existere; ergo non potest esse terminus alicuius decreti diuini. Quapropter dicendum erit generationem vage à Deo definitã fuisse, atque adeò incidimus in illam confusionem, quam hactenus euitare voluimus: tribuimus enim Deo obiectum indeterminatum efficacis sui decreti. Fateor quidem libenter id, quod euidenter probat argumentum, Deum in hoc signo nullam generationem definijsse, neque singularem, neque communem, neque vagam: sed tantum dico effectum per generationem producendum à Deo definitum fuisse. 84

Qua vero ratione potuerit Deus eo modo definire, vt omnes homines futuri ex Ada 85

mo

mo, atque Eua genus traherent, non præfiniendo ipsam generationem in singulari, petendum certe est ex superiori doctrina. Propterea enim diximus rerum exiſtētias à Deo prius definiri, quam earum productiones, quia cum iſtæ exiſtentiæ per diuerſas longe actiones, & productiones, & per diuerſas cauſas effici, & cauſari poſſint, recte poteſt Deus eas ſine illis actionibus, & ſine illis cauſis definire, per quas tandem productę fuerant: quamuis fateri oporteat decretum, quod circa exiſtentiam rei verſatur, virtute continere aliam voluntatem producendi rem per aliquam ſingularem actionem: omnis enim intentio efficax finis (vt ait S. Thomas 1. par. & cum ipſo reliqui, tum Philoſophi, tum Theologi) virtute continet voluntatem mediorum, ita vt ſemel poſita in Deo efficaci voluntate finis, non ſit in poteſtate ipſius non eligere media. Cum igitur eſſe filium Adami non habeat connexionem neceſſariam cū aliqua ſingulari generatione (ſiue enim per hanc, ſiue per illam generationem, ſiue ab his, ſiue ab illis parentibus Petrus V.G. procrearetur, eſſet idem numero filius Adami) bene potuit Deus in hoc ſigno homines Adami filios præfinire, quin aut ſingulares generationes, aut ſingulares eorum parentes determinaret.

S. Thom.

86 Vt vero facilius hoc percipiatur, ponendum eſt id, quod nullus inficiari poteſt, eam filiationem, quæ nos Adami filios conſtituit, non eſſe relationem realem de prædicamento relationis, quæ terminum poſtulat exiſtentem: nam demortuo iam Adamo, omnes, quotquot naſcimur, eius filij cenſemur, ac vocamur. Quapropter recte poteſt Deus præfinire eiuſmodi filiationem, qualiſcumq; illa ſit, ſiue phyſica, ſiue moralis, quin ſingularem aliquam generationem decernat, ſiquidem cum nulla exiſtenti generatione cōnexionem eſſentialem habet. Quod certe mirum videri non debet, quandoquidem nec ipſa etiam phyſica, & realis filiatio de prædicamento relationis, quæ terminū poſcit exiſtentem, prædictam connexionem habet cum aliqua ſingulari generatione. Nam ex innumeris generationibus, per quas Petrus v. g. procreari poteſt à Ioanne, qualibet per vices ſublata, idem numero filius maneret: atque adeò recte poterat Deus præfatum Petrum Ioannis filium definire, quin ſingularem aliquam generationem decerneret, aut præfiniret ex his, per quas ab ipſo produci valebat.

87 Quod ſi aliquis vrgeat eſſe filium Adami nihil aliud videri, quam reſpicere non ſolum ipſum Adamum tanquam generationis fontem, ſed omnem parentum ſeriem, & ordinē, per quos ex Adamo originem ducimus: atq; adeò ſicut iſta relatio ſupponit ipſum Adamum definitum, & decretum, ita etiam debet ſupponere definitos, ac decretos reliquos parentes ſuo ordine. Reſpōdemus hāc relationem filiationis ad Adamum ita cum alijs intermedijs parentibus, & generationibus comparari, vt etiamſi præfata illa ſingularis ſeries, & ordo prorſus commutaretur (vt re vera commutari potuit, ſicut ex iactis fundamentis in ſuperiori, §. conſtat) eadem nihilominus filiatio ſecundum numerum maneret, quæ nunc eſt, ſiquidem perſeueraret eadem numero ſubſtantia, & idem terminus, atque ideô recte potuit definiri ſine tali ſerie.

Denique illud etiam obijcies, quia ex his, quæ diximus, conſtat ſingularem, ac propriā cuiuſcumque hominis generationem poſt peccatum originale, & poſt Chriſtum etiam præuiſum, à Deo fuiſſe definitam. Id vero pugnare videtur cum eſſentia ipſius peccati originalis: quia cum hoc, non in ſola hominis exiſtentia, ſed in generatione naturali cuiuſque fundetur, non potuit certe Deus peccatum originale in ſingulis propagatum videre, quin ſingulares omnium generationes præſciret, per quas demum producendi erant, & in quibus tale peccatum fundatur. Solutio etiam huius difficultatis ex dictis petenda eſt: quia ſicut de exiſtentia hominis, & de filiatione Adæ nuper affirmauimus, eam nimirum non habere aliquam eſſentialem connexionem cum ſingularibus generationibus, atque adeò vtramque definiri potuiſſe non definitis ſingularibus generationibus: ita etiam de peccato originali cenſemus. Nam peccatum hoc indiuidualiter non dependet ex hac indiuiduali generatione: Quia licet Petrus, verbi cauſa, per diuerſam numero generationem procrearetur ab ea, qua demum genitus eſt, idem nihilominus peccatum originale ſecundum numerum haberet, quod modo habuit: naturalis enim generatio ſolum eſt conditio quædam ad fundandum peccatum. Quapropter fieri recte potuit, vt Deus hoc peccatum ſingulare Petri viderit, antequam ſingularem generationem præſciret, per quam ab his parentibus procreandus erat, à quibus demum genitus eſt. 88

Aio ergo fundamentum proximum ſingularis peccati originalis, quo quilibet inquinatur ab origine, non eſſe eam generationē ſingularem, qua quis à ſuis parentibus genitus eſt, ſed filiationem illam ex Adamo, quā non cognitis neque præfinitis in ſingulari generationibus, quibus filij demum procreati ſunt, cognoſcere ac præfinire licet. Atque adeò tale peccatum nō viſis talibus generationibus, Deus videre, ac contemplari potuit ante Chriſtum. Illud certe neceſſario fatendum, quod poſtquam Deus ad eum modum omnium hominum futurorum generationē ex Adamo, & Eua propagari decreuit, voluntas eius ex ſuppoſitione talis decreti neceſſitatem contraxit, vt per aliquam particula- 89

rem

rem generationem singulos produci decerneret, quia prior voluntas virtute continet posteriorem voluntatem, vt de intentione finis respectu electionis mediorum supra affirmauimus: sed tamen vnum decretum ratione diuersum est ab alio, imo vnum supponit aliud: atque adeò vnum præmitti, atque alterum subsequi necesse est, & per consequens inter vtrumque integrum fuit Deo alia, atq; alia libere statuere.

90 Inde autem intelligere licet, quis sit præfatæ voluntatis effectus, & obiectum: nam cũ hæc voluntas sit electio medij ad finẽ, aliquod mediũ determinatum illi assignari oportet, cuius electio sit. Aio igitur illius obiectum, atque effectum fuisse productionem vnius Adami ex limo terræ, atq; Euę formationem ex costa ipsius cum potentia expedita ad generandum reliquos homines, & cum determinatione, vt omnes quotquot futuri iam præuidebantur, ex vtroque per naturalẽ propagationẽ generarentur: quæ omnia singularibus generationibus necdum præuisis, ac definitis, à Deo decerni potuerunt. Nec sequitur inde voluntatem Dei habuisse aliquod obiectum vniuersale indeterminatum, aut vagum. Exemplum nobis suppetit in intentione efficaci finis, quæ ex natura sua est volitio finis assequendi per media, atq; adeò respicit finem, & media: illũ quidẽ in recto, hæc in obliquo, & tamen non dicitur ferri in media indeterminate, & vage, quamuis in illo priori ex vi intentionis efficacis voluntas determinata omnino sit ad eligenda aliqua media, & nullum medium in singulari eatenus decretum fuerit. Ita etiam de electione prioris medij cogitandum est, quando ita ipsum ordinationem habet ad finem, vt alia etiã media posteriora ordinentur ad ipsum; tunc enim dicendum istiusmodi electionem non solum respicere proprium obiectum, quod directe amat, sed etiam alia media posteriora, ad quorum electionem voluntatem determinat, quamuis ipsa in particulari, & sigillatim nec dum selegerit, aut definierit, hoc enim sequentium electionum proprium est. Iam intelligis quo tendam. Dico ergo in hoc secundo signo ad existentiã omnium futurorum hominum, quæ in primo signo decreta fuerat, producendam, Deum optimum maximum tanquam primum medium elegisse Adami conditionem ex limo terræ, & Euæ formationẽ ex costa ipsius cum potentia generandi reliquos homines, & cũ determinatione, vt reipsa ab ipsis originem traherent, quotquot futuri præsciebantur: ita vt hæc prior voluntas virtute contineat aliã posteriorem eligendi singularem, & propriã cuiuscumque generationem, parentes, &c. Posita autem eiusmodi voluntate priori, quæ virtute posteriorem contineat, iam tunc intelliguntur omnes futuri homines filij Adami, atque Adamus eorum fons, & caput cum sufficienti fundamento ad transfusionem gratiæ, aut peccati accedente, pacto, & alijs conditionibus, ex quibus hæc transfusio pendet.

CONFIRMATIO TERtij signi decretorum Dei.

§. V.

91. *Pactũ transfusionis expresse, & signatè pro his, qui futuri præuidebantur, initum fuit.*
92. *Ex triplici modo, quo pactum cum Adamo à Deo iniri potuit, primus reijciendus est, quia confusus.*
93. *Secundus etiam remouendus, quia confusionem non excludit.*
94. *Tertius præferendus est, quia omnem confusionem arcet.*
95. *Pactum transfusionis præscientiam eorum, qui in illud ingrediuntur, necessariò supponit.*
96. *Æquale fuit circa transfusionem gratia, & eiusdem amissionem*



HOC Signum tertiũ continet pactum Dei cum Adamo de transfundenda gratia in omnem suã posteritatem. Et sane in descriptione huius signi nostra doctrina duabus potissimum positionibus innititur, quæ modo a nobis exponendæ sunt. Prior est, pactum hoc non fuisse cõfusum, & indeterminatum, ita vt Deus illud statuerit in vniuersum pro omnibus, quotquot ex Adamo originem recenserent: aut etiam pro possibilibus confuse, & indiscrete, non inspectis sigillatim illis, qui pactum ingrediebantur: sed expresse, & signate pro solis illis celebratũ fuisse, quos Deus iam iam prius ex Adamo fore decreuerat. 91

Nam (si ita libet) considera attentius triplici modo pactum hoc effici potuisse, iuxta triplicem illam rationem decernendi hominum existentias, quam in priori signo præmisimus. Primus est generalis, & confusus, ita vt Deus in vniuersum decreuerit, omnes Adami posteros gratiam ex illo habere, aut propter ipsum gratiam amittere: omnes, inquam, Adami posteros, quos ipse postea, prout causæ postulassent, ex illo procreare decerneret. Cæterum contra hunc modum paciscendi pugnant quidem omnia argumẽta, quæ contra primam illam rationem decernendi hominum existentias supra produximus, §. tertio, quæ hunc in locum transferenda 92

renda ſunt. In primis enim confuſus planè, ac perplexus eſt: quandoquidem ait, Deum optimum maximum ita conſtituiſſe, vt ſi Adamus perſeueraret, gratia ex illo efflueret, atque effunderetur in poſteros, ipſis poſteris nondum inſpectis: latebat enim tunc Deum, quinam eſſent futuri illi poſteri, atq; adeò cognitio, & voluntas Dei pro tunc ferebantur in rem indeterminatam. Quod quã ſit alienum à perfectione Dei, docet S. Tho. 1. par. q. 7. art. 4. vbi docet, omnem Dei voluntatem, & intentionem eſſe certam, & certum, determinatumque obiectum habere, aliter enim Deus *quodammodo in vanum agere diceretur*. Quam doctrinam Angelici Doctoris amplectitur Pater Vazquez 1. par. diſp. 90 & 3. par. diſp. 23. vbi eadem ratione inductus docet Deum propter merita confuſe, & in vniuerſum conſiderata nihil donare. Cui hæret etiam Pater Franciſcus Suarez 3. par. diſ. 7. Rurſus ſi pactum ea ratione conſtitutum dicamus pro Adami poſteris, qui necdum futuri certò præuidebantur, oportebit quidẽ fateri factum pro his, qui ad illud inſtans poſſibiles tantum erant, atque adeò pro illo momento æqua erat alea, ſeu cauſa eorum, qui futuri aliquando erant, & eorum, qui numquam futuri: atque adeò pactum non magis pro his, quam pro illis initum eſſet, quod certe videtur abſurdiſſimum. Quis enim dicat, Deum pro his pactum inijſſe, ad quos ex pacto nihil vnquam commodi, aut detrimenti peruenturum ſciebat? Nam ob ſimilem rationem, Theologi ad vnum docent Chriſtum Dominum pro futuris tantũmodo hominibus, & non pro poſſibilibus paſſum, atq; mortuum fuiſſe.

S. Thom.

P. Vazq.

P. Suar.

93 Secundus paciſcendi modus eſt partim determinatus, partim confuſus, ita vt Deus ſic conſtituerit, omnes Adami poſteros, eos nimirum, quos magno quidem numero ipſe futuros iam ex Adamo prænouerat, & nonnullos præterea, quos ipſe, cum res poſtulaſſent, producere denuo decerneret, iuſtitiam ab Adamo accipere, aut propter ipſum iuſtitiam deperdere. Cæterum contra hunc paciſcendi modum faciunt rationes omnes, quas ſupra §. 3. protulimus aduerſus ſecundã illam rationẽ decernendi hominum exiſtentias. Nam cum authores huiuſmodi propterea illud excogitauerint, vt illos, qui donum creationis per ſuorum parentum preces, atque adeò per Chriſti merita adeptos putabant, lex transfuſionis includeret: certe contra illos faciunt omnia illa argumẽta, quæ ſuadent non ſolum paucos illos, quos ipſi fingunt, ſed cunctam pene hominum multitudinem, & vniuerſitatem eodem iure parentum, ex Chriſti meritis beneficiũ primę conditionis obtinuiſſe. Rurſus hic paciſcendi modus, quatenus legem transfuſionis extendit ad illos, quorum futuritio nondum decreta erat, eodem modo impugnandus eſt, quo ſuperior: quia nimirum ea ex parte confuſus, & indeterminatus eſt, & ad homines poſſibiles extendi debet: nam cum nihil ſit, quod pro eo ſigno paucos illos homines, quos tandem aliquando futuros cauſis ita poſtulantibus fingunt, ab his diſcernat, qui numquam producendi ſunt, fateri neceſſe eſt, pactum illud ad totam poſſibilium hominum confuſionem indiſcrete relatum fuiſſe.

Tertius paciſcendi modus eſt determinatus, ac diſcretus, ita vt Deus ſic ſtatuerit omnes ac ſingulos Adami poſteros, eos præciſe, quorum exiſtentias prius ſigillatim definierat, gratiam ex ipſomet Adamo habere, aut deperdere. Hunc autem modum cæteris pręferendum eſſe ex eo facile ſuadetur, quia diſcretus eſt, determinatus, & minime confuſus. Tum etiam quia eo polito lex transfuſionis omnes homines includit, etiã eos, quos parentes precibus à Deo impetrarunt: quandoquidem eorum exiſtentias ante pactum præfinitas ſupra monſtrauimus. 94

Ratio vero à priori, & quæ, niſi fallor, rem euincit, ſumitur ex doctrina D. Thomæ 3. p. q. 1. art. 3 ad 4. vbi hæc ſerit verba. *Prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum*, quę identidem repetit Alexander Alenſis 1. par. quæſt. 28. memb. 2. art. 1. & vera omnino ſunt: ſiue nomine prædeſtinationis intelligamus electionem efficacem ad gloriam, ſiue præparationem mediorum gratiæ: hæc enim duo neceſſario præſupponunt exiſtentiam perſonæ, aut ſubiecti, cui Deus ſiue gratiam, ſiue gloriam praparat. Cuius rei vnam, & alteram rationem obtulit P. Gabriel Vazquez 1. par. diſp. 82. cap. 5. Prior eſt: quia non poteſt voluntas aliquod bonum appetere, niſi illud alicui appetat, & concupiſcat: nam cum bonum, quod eſt obiectum voluntatis, idem ſit, quod conueniens, fieri non poteſt, vt hoc adametur, niſi cum relatione ad perſonam, cui eſt conueniens: atque adeò omnis amor, aut concupiſcentia boni cuiuſpiã vel includit voluntatem exiſtentiæ illius rei, cui bonum eſt, aut illam præſupponit. Poſterior ratio eſt, quia tam gloria, quam gratia comparantur cum perſona, cui appetuntur, tanquã accidentia cum ſubiecto: omne vero accidens, vt connaturaliter ſit, præſupponit exiſtentiam ſui ſubiecti: quapropter fieri non poteſt, vt Deus efficaciter velit, aut decernat Petrum, verbi cauſa, gratia donare, aut gloria beare, niſi iam inde prius, aut ſimul Petrus futurus intelligatur: nam cum gratia Petrum ſupponat, non poteſt non in decreto gratiæ Petri exiſtentia, aut præire, aut includi. Hinc autem deriuatur ratio ad theſim noſtram probandam: quia per pactum transfuſionis cum Adamo initum præparauit Deus gratiam, & gloriam omnibus illius poſteris & minoribus: 95

D. Thom.

Alenſ.

P. Vazq.

ita enim ex pacto sancitum est, vt Adamo iustitiam seruante, omnes illius filij gratiam à parente fluentem obtinerent, & per gratiã iure suo gloriam capesserent: ergo pactum istud necessario præsupponit existentiam eorum omnium, quibus gratia, & gloria ad eum modum præparata, & decreta est. Hæc ratio vsq; adeò mihi rem demonstrat, vt non possim non mirari nostrum Gabrielem, & alios eius assectatores adduci potuisse, vt crederent Christum Dominum, vel paucis hominibus existentiam, & primæ creationis beneficium promeruisse: nam suorũ principiorum tenaces si esse velint, cõsectarie affirmare debent, paucos illos homines in transfusionis pactum, & legem minime ingressos fuisse, quandoquidẽ eorum existentia necdum præuidebatur.

95 Posterior positio, quæ ad huius signi exactã intelligentiam pertinet, docet vtramq; legis, & pacti conditionem, siue ea, quæ constituit, Adamo iustitiã seruante, gratiam in posteros effundendam: siue ea, quæ statuit eodem delinquente, posteros iustitiam, & gratiam amissuros, per omnia æquales fuisse: ita vt quemadmodum decretum transfundendi gratiam, Adamo perseuerante, in omnes eius filios fuit efficax sub conditione gratiæ, nimirum re ipsa, & nulla exceptione conferendæ (quia secus carentia iustitiæ in posteris non sortiretur veram, & propriam rationem peccati, quippe quæ non esset carentia iustitiæ debitæ inesse) Ad eundem modum decretum illud, quod scilicet ijdem filij, Adamo delinquente, gratiam amitterent, sub cõditione quoq; efficax fuit, vt nimirum omnes re ipsa, & nulla exceptione amitterent. Hãc cõclusionem tenet S. Thom. & omnes illius discipuli, & vsq; adeò veram existimant, vt propter illam ne Virginem quidem à peccato originali vendicandam putent. Et sane quotquot aliter sentiunt, & pactum transfusionis ita confirmant, vt lex de transfundenda gratia fuerit efficax de gratia re ipsa conferenda sub dicta cõditione: at vero lex amissionis gratiæ ita fuerit instituta, vt Adamo peccante posteri eius, non quidẽ re ipsa gratiam deperderent, sed amissioni ipsius tantummodo obnoxij essent: hi certe eo studio faciunt, vt Virginem Deiparam à communi delicto ereptam prædicent. Nam (me iudice) bene vident longe melius pactum conformari de cætero, si conditio vtraq; tam circa gratiæ transfusionem, quam circa eiusdem amissionem æqualis ponatur: ita vt vtraq; effectiua sit, & nullam exceptionem patiatur: quapropter coacti certe talia sentiunt. Sed quia præcipua huius asserti ratio petenda est ex constitutione quarti signi decretorum Dei, de illo iam iam dicamus.

CONSTITVTIO QVARti signi decretorum Dei probatur.

§. VI.

97. Christus Dominus non tantum peccato Adami præuiso, sed etiam originalibus omniũ iam tunc futurorum hominum culpis præscitis, prædestinatus fuit.

98. Hæc fuit expressa mens D. Thomæ, & aliorum Patrum.

99. Qui peccato Adami in posteros pendente, Christum prædestinatũ dicunt, illum propter vnius Adami culpam, omnibus alijs sublatis, venturum perperam fatentur.

100. Christum ita propter omnium peccata originalia prædestinatum, vt quolibet sublato, ex vi præsentis decreti non foret, redemptionis gloriam extollit.

101. Qui peccato Adami posteris tantùm imminente, Christi prædestinationẽ adstruunt, aliam Dei voluntatem permittendi singulorum lapsum post Christum, atque eius merita præuisa perperam admittunt.

102. Omnes homines in Adamo peccasse vix ac ne vix quidem defendere possunt.



QVARTVM Signum, quod in decretis Dei ponimus, cõtinet Christi Domini prædestinationẽ, quã subinde post præuisionem culpæ ponimus cum S. Thom. 3. par. q. 1. art. 3. & 4. quem sequuntur omnes illius discipuli. Quã doctrinam vsque adeò sanctorum Patrum, & totius ferme Ecclesiæ consensus fulcit, vt nisi cum ea immunitas Virginis à peccato originali, & à debito illius componeretur, huic certe sententiæ paulũ deferrem. In huius ergo quarti signi conformatione iuxta nostram sententiam illud serio affirmamus, Christum Dominum non tantum peccato Adami præuiso, quatenus posteris impendebat, sed illo etiã in posteros transfuso, ac propagato prædestinatum fuisse. 96

S. Thom. Hanc sententiam perspicue tradit S. Tho. loco citato, art. 4. vbi docet Christum venisse principali, ac primaria intentione propter peccatum originale: *quod traductum est originaliter in posteros:* vbi traductum dixit, non traducendum: & in responsione ad tertium dicit, Christum venisse *principalius propter peccatum originale in vnoquoque curandum.* Idẽ sentit Caietanus ibi: & est cõmunis sententia Thomistarũ omnium, quotquot Virgini originali culpa minime vacasse affirmant.

Neque

Neq; vero facile quispiam mihi suadeat sanctissimum præceptorem alia ratione in eam sententiam impulsum, nisi illa, quæ ex dictis facili cõsequutione infertur, ad hanc modũ. Christus Dominus post præuisum peccatum originale, non quidem pendens aut deriuandum in posteros Adæ, sed deriuatum prorsus, atque traductum decretus, atq; prædestinatus est: Si ergo Mariam à peccato originali seruatam dicamus, fateri oportebit ipsam à Christo, neq; redemptam, neq; assertam fuisse ab eo peccato. Et quidem hoc sibi voluit
S. Thom. S. Thomas 3. par. quæst. 27. art. 2. cum ait. *Si Virgo numquam incurrisset maculam peccati originalis, non indiguisset redemptore.* Cuius rationis tota vis in illa superiori illatione sita videtur, quæ ex prædestinatione post præuisionem peccati originalis nuper à nobis conformata est. Quasi dicat, non indiguisset redemptore, quia ante redemptionis præscientiam, per gratiam præuenta, vt à peccato originali seruaretur, non indiguisset Christo assertore, qui subinde post peccatum originale in omnibus Adami posteris propagatum prædestinatus est. Quis enim hoc sapientissimo illi Doctori affigat, vel adscribat, vt tam futili ratione inductus adeò seueram censuram in Virginem protulerit, nisi putaret illam in validissimo illo principio offirmari, quod ex prædestinatione Christi post peccati præscientiã desumitur? Non me latet aliquos Theologos de sententia Angelici Doctoris aliter sentire: sed (me iudice) non parum illi iniurij sunt. Cęterum de hac re copiosius diximus supra cap. 15. vbi hanc thesim Sacræ Scripturæ, ac Patrum pluribus testimonijs corroboratam dedimus, quæ ne actum agam, hic libens prætereo, & vnam, vel alteram rationem subijcio.

99 Prima est, quia authores illi, qui Christum Dominum peccato Adami in posteros ipsius pendente fuisse prædestinatum dicunt, fateri coguntur propter solum Adami peccatum ex primaria intentione Christum fuisse incarnatum, adeò vt hæc primaria intentio nullum peccatum originale respexerit: ita quod etiamsi nullum originale peccatum in Adæ posteros ex peccato parentis re ipsa effunderetur, nihilo secius ex vi præsentis decreti verbum Dei carnem susciperet, atq; in mundum descenderet, quod videtur plane aduersari doctrinæ Patrum, qui passim illud vsurpant, propter originale peccatum primo, ac principalius Christum venisse in mundum.

100 Obijciunt tamen sic, quia si dicamus pro pter omnia, & singula peccata originalia filiorum Adæ filium Dei ex primaria intentione incarnatum, oportebit consequenter fateri, quod si vel vnum aliquod hominis cuiuspiam futuri peccatum originale desideraretur, ex vi præsentis decreti nequaquam incarnaretur Christus. Ita quidem ego reor: id vero in nullius incõmodi, aut disconueniētiæ loco pono. Si enim ipsi affirmare non dubitant incarnationem propter vnum Adamum fuisse decretam, quid nobis hoc exprobrant, quod dicamus propter omnes homines decretam, ita vt quolibet desiderato ex vi præsentis decreti non foret? Quin ex hoc principio potius lucem accipit quędã apud Sanctos Patres solēnis admodum doctrina, quam obseruauit S. Thomas 3. par. quæst. 1. art. 4. ex Chrys. in lib. 2. de cõpunctione cordis: scilicet beneficiũ incarnationis Christi ita omnibus hominibus fuisse impensum, vt singuli illud perinde sibi arrogare debeant, ac si illis tãtum integre, ac solide præstitum fuisset. Primò, quia omnes incarnationis fructus ita quisque perfecte accipit, ac si pro illo tantum decreta fuisset: deinde, quia cum ex vi præsentis decreti, propter omnes homines, & propter omnium peccata originalia, incarnatio Verbi adæquate facta fuerit à Deo, ita vt quolibet desiderato ex vi illius decreti nõ fieret, quilibet singularis homo illam propter se factam iactare, ac venditare potest, quandoquidem quolibet inuicem deficiente non esset. Huius vero rationis efficaciam, & vim habes loco citato.

Posterior ratio sic habet: quia illi, qui prædestinationē Christi peccato Adami posteris tantummodo imminente ponunt, fateri coguntur pactum, atque legem transfusionis sic ab initio institutam fuisse, vt Adamo delinquente, eius posteri non quidem gratiam reipsa amitterēt, sed amissioni subiacerent, atque adeò non peccatores, sed peccati debitores essent. Quapropter authores isti sub illo instanti, ac signo, in quo Christus prædestinatus est, aliud instans, seu momentum in decretis Dei constituere debent, in quo Deus eam iacturam gratiæ, cui ex vi prioris legis tantum obnoxij Adæ posteri erant, re ipsa in posteros Adæ effundi, & propagari, aut decreuerit, aut permiserit. Nam cum ex vi prioris illius legis, aut decreti præfata gratiæ, & iustitiæ iactura nondum in sobolem descendisset, vti re ipsa descenderet, ac pertransiret, opus fuit noua alia volitione ac decreto, quo Deus prædictam sobolē gratia, & iustitia reipsa fraudari, ac carere faceret. Quam voluntatem in Deo ponere difficile est, quia alienum à Dei prouidentia videtur affimare illum præuiso iam Christo, atque eius meritis, illico, ac statim post ipsam præuisionem nullo interstitio istiusmodi voluntatem habuisse, vt homines re ipsa gratia originali fraudarentur, atq; adeò peccatum incurrerent, & cum presto esset medela, tam exitiale vulnus permittere. 101

Adde etiam robustiorem aliam rationem: quia si dicamus pactum ad eum modum institutum fuisse, vt peccante Adamo, posteri eius nõ re ipsa gratiã amitterent, sed amissioni subiacerēt, sequitur inde ipsius Adæ filios 102

in suo parente neque peccasse, nec demortuos fuisse. Cōsecutio probatur, quia filij eatenus tantum in parente peccare, atq; emori dicuntur, quatenus pater illis causa peccandi, ac moriendi fuit, vt supra docuimus c. 1. §. 3. & seq. Adamus autem iuxta præfatam opinionem neq; peccati, neq; mortis re ipsa cōtrahendæ filijs causa extitit: quia id tantùm ex Adamo tanquam ex capite ad filios deriuari potuit, quod Dei voluntas lege, & pacto suo in illius voluntatem detulit: sed Deus pacto suo non constituit, vt filij Adæ, ipso peccāte, iustitiā re ipsa amitterent, sed vt amissioni illius subiacerent: ergo non est integrum affirmare illos in parente iustitiam omnem amisisse, & idcirco peccasse. Cōfirmatur hæc ratio, quia vt dicemus infra §. 14. & seq. iuxta præfatam opinionem, vt filij Adæ ex origine sua peccatores intelligantur, non satis est iactura gratiæ, & iustitiæ, quā ipsos ex Adamo, & per Adamū certa mensura obtinere oportebat: sed vlterius necessaria est denegatio cuiuscunq; gratiæ, quæ illis aliunde præparari poterat: nam cum peccatū originale sit priuatio totius ex integro iustitiæ, ad illud constituendū haud satis est amissio alicuius partis, aut mensuræ iustitiæ, nisi intelligatur tota ex integro gratia deperdita.

Iam ergo sic inquiro, an denegationem istā alterius gratiæ, quam Deus alio quopiam titulo Adæ filijs præparare poterat, peccato suo meruerit Adamus, an non meruerit? Certè vt eam meruisse dicamus, affirmare necesse est præfatam denegationem ex parte Dei liberę voluntati Adami cōmissam fuisse (constat enim illū nihil ad filios deriuare potuisse, nisi id tantū, quod Dei lex ab illius volūtate pendere iussit) atqui hæc denegatio alterius gratiæ nō aliter primi parētis volūtati cōmitti potuit, nisi per decretū efficax Dei eā denegandi ex suppositione: si nimirum Protoplastus indictum sibi præceptum violaret. Positò autem hoc decreto, ne Virginem quidem ipsam à peccato originali liberā asserere integrum esset, quandoquidem ipsi non aliter posset gratia, & iustitia per Christi merita præparari, nisi violato efficaci Dei decreto, quod est absurdum. Ergo vt consectariè loquantur præfati Doctores, asserere debent Adamum prædictam alterius gratiæ negationem nec Virgini, nec alijs posteris peccato suo meruisse: & idcirco fateri etiam cogūtur neque ipsam Virginem, neque aliquem alium in Adamo peccasse. Nam cum peccatum sine illa denegatione subsistere non possit, non potuit certè peccati causa filijs existere, si denegationis illius eisdem causa non fuit. Quapropter nos principiorum nostrorum tenaces ita pronunciamus, per pactum, & legem Dei non solum id voluntati liberæ Adami delatum, vt ipso delinquente, eā gratiæ mensuram posteri amitterent, quæ per illum ipsis præparata erat: sed etiā denegationem alterius gratiæ pro primo instanti conceptionis, quæ aliunde illis quomodolibet præparari poterat: atque adeò fieri non potuisse, inuiolatis Dei decretis, vt omnes, quotquot iam tunc futuri ex Adamo præuidebantur, peccatum primò primò non contraherent: Subinde verò omnibus illis peccato iā infectis præuisis, ad cōmunem omniū salutē incarnationē Christi præuisam fuisse: id enim & cū veritate, & cū modo loquendi scripturæ Sacræ, Conciliorum, & Patrū magis conforme iudicamus, apud quos passim legas omnes homines in Adamo peccasse, atq; ipsum omnē gratiā amisisse. Hæc verò maximè obseruanda sunt pro his, quæ in illo §. 14. & seq. dicturi sumus.

QVINTVM SIGNVM decretorum Dei roboratur.

§. VII.

103. Virgo Deipara ad existentiam, & ad gratiam originalem post præuisionem Christi prædestinata.
104. Si Adamus & Christus non venirent, Virgo Deipara non esset futura.
105. Ita docet Bernardus.
106. Confirmat Anselmus.
107. Adstruit Damascenus.
108. Idiota etiam persuadet.
109. Prima ratio petita ex officio mediatricis, quo apud Deum functa est.
110. Secūda ratio ducta ex dignitate matris Dei
111. Tertia ratio desumpta ex reliquo decretorum ordine in prædestinatione Dei.
112. Prima creationis beneficium sol a Virgo inter reliquos mortales per Christi merita obtinuit.



QVINTVM, & postremum signum, quod in decretis Dei supra expressimus, continet Virginis Deiparæ prædestinationē ad existētiam, & electionem ad originalem gratiā, & ad maternitatem post præuisionē Christi, ac meritorum ipsius eo modo, quo supra expressimus. Et quidem matris electionem, & præfinitionem subijci posse, post præfinitionē, & prædestinationem filij, sine iniuria aliqua illius modi, quo Deus res decernere cōsueuit, habes iam ex supra dictis §. 3. & 4. 103

Tota ergo difficultas, quæ in assignatione huius instantis occurrit, in eo vertitur: quia cum supra contra aliquos Theologos constituerimus omnium aliorum hominum existentiam ante peccati præscientiam, atque adeò ante Christi præuisionem fuisse decretam, ita quod licet Adamus non peccaret, aut Christus nō veniret, omnes homines,

quot-

quotquot hactenus fuerunt, & futuri sunt, nihilo secius existerent: id peculiare ac propriũ Deiparæ esse dicimus, quod Deus illius existentiam ita post peccati præscientiam, & Christi Domini præuisionem definierit, vt si Adamus non deliquisset, aut Christus non venisset, Virgo Maria nequaquam esset futura. Ad hãc positionem probandam, & roborandam neruos omnes intendimus supra à c. 19. vsque ad 24. vbi illam Sacræ scripturæ, & Sanctorum Patrum testimonijs, ac multis etiam rationibus efficacissime (ni fallor) confirmatam dedimus. Sed vt in hoc compendio illius nostræ probationis aliqua vestigia exprimam, ea certe missa facio, quæ de Scriptura Sacra, ex similitudine Adami, atq; Euæ, & de discordia mulieris, ac serpentis expressimus cap. 19. Mitto etiam plura Patrum testimonia, quæ cap. 20. congessimus: quibus docent Mariam propter Euam perinde factam, sicut Christus propter Adam. Ex quibus sic conficere licet. Christus ita factus est propter Adami peccatum, vt eo non peccante, non foret: ergo Maria similẽ ad modum propter Euam effecta, si Eua non peccaret nequaquã existeret. Sed accipe nunc ex multis quędam testimonia clariora, quæ nostram thesim luculenter tradunt.

105 Bernar. Bern. Hom. 1. super Missus est. *Proinde* (inquit) *factor hominum, vt homo fieret nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram.* Pende energiam huius rationis, *Cũ esset* (inquit) *factor hominũ*, atq; adeò quoscumq; vellet condere denuo posset, non fuit illi opus aliquam ex his, quæ iã futuræ erant, deligere, sed nouã formauit.

106 Ansel. Anselmus in lib. de Cõceptione Virginis, & de peccato originali. *Nẽpe decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum sibi filium ita dare disponebat, &c. Et quam ipse filius substantialiter facere sibi matrem eligebat.* Pende extrema verba: nam si aduerbium *substantialiter* referatur ad verbum *facere*, sensus erit, Virginem non modo à Deo electam, vt mater ipsius foret, sed eum in finem substantialiter factam. Quod si vocem illam *substantialiter* ad matrem adaptes, ita vt sensus sit, electam, vt esset substantialis, & naturalis ipsius mater: tunc quidem pensandum erit illud quod ait, *facere sibi matrem eligebat:* significat enim filium, non modo matrem sibi delegisse, sed etiã ipsius effectionem, & causationẽ.

107 Damas. Sed clarius loquitur Damascenus in orat. 1. de Virginis natiuitate. *Vitã* (inquit) *natura ipsa præstantiorẽ habebis non tibi ipsi, neq; enim tui ipsius causa progenita es: quocirca Deo habebis, ob quem in vitam prodijsti, vt orbis vniuersi saluti administrã te praberes, atque antiquũ Dei consilium, hoc est incarnationis verbi, ac nostra deificationis per te impleretur.* Quid illustrius? Habes etiam in eo c. 20. ad hunc sensum traducta illa eiusdẽ orationis celebratissima verba. *Quoniam itaq; futurũ erat, vt Dei genitrix Virgo ex Anna oriretur, natura gratia fatũ anteuertere minime ausa est, verũ tantisper expectauit, donec gratia fructũ suum produxisset*, &c. quorum exactam discussionẽ inde petere licet.

Sapientissimus Idiota in contemplatione de V. Beata. c. 2. *Tota* (inquit) *pulchra es in cõceptione ad hoc solũ effecta, vt templum esses Dei altissimi.* Particula illa *solum* omnem aliam finem excludit, atq; adeò significat Virginẽ eo sublato fine nequaquam futuram. Ac sibi similis idem author cap. 4. sic attexit. *Inter omnia opera æterni opificis operationem illã, qua natura nostra vnitus est filius tuus, speciale opus fuisti ò Sanctissima Virgo Maria: qui ad hoc te fecit, vt quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur.* Mitto alia testimonia, quæ ex eodem cap. & sequentibus peti possunt. 108 Idiota.

Rationes autem huius conclusionis minime infirmas ex horũ Patrum doctrina depromere licet. Prima sumitur ex officio mediatricis, & reparatricis generis humani: quo nomine gaudet passim Virgo Deipara apud Patres. De cuius muneris vi, ac potestate multa diximus c. 21. vbi illud ex cõmuni Patrum consensu confecimus, Mariam Virginem nõ solum pro actualibus, sed etiam pro peccato originali nostro, reparatricis officio functam fuisse. Ex quo principio ibi sic argumentati sumus. Præcipua ratio, quæ nobis suadet Christum Dominũ occasione peccati, & post præuisum peccatum condi decretum, ea est: quia proprium, & germanum illius officium fuit mediatorem agere apud Patrem pro peccato: Sed in huius officij societatem Virgo vocata est: Ergo similẽ ad modũ ipsius conditionem, & formationem primam occasione peccati, & post prẹuisum peccatũ decretã, & definitã fateri debemus, ne si huius argumenti neruos in Virgine elidamus, nihil roboris habeat in Christo. 109

Secunda ratio petitur ex dignitate Matris Dei. Nam communis quædam Sanctorũ Patrum consensio tenet, Sanctissimã Deiparam nõ modo gratiã, sed etiam bonam qualitatũ temperiẽ, pulchritudinẽ, speciem, ingenium, bonas propensiones, & alia naturalia dona lõge excellentiora, & præstantiora obtinuisse, quàm alios mortales: quia nimirũ hæc omnia ad decentiam maternitatis Dei ordinabãtur. Lege multa de hac Dei ordinatione in nostro tractatu c. 23. Cum igitur eiusmodi naturalia dona, vt connaturaliter se habeant, ipsius naturæ substantialem, & indiuidualem perfectionẽ sequantur, necessariũ certe fuit, vt ipsa etiam substantia, & indiuidualis Virginis perfectio, ad eundem referretur, ad quẽ prædicta maternitas ordinabatur, id est, ad Christum, cui Deus matrem præparabat, & ad cuius gloriam spectabat eam matrem for- 110

tiri, quæ non modo gratuitis sed etiam naturalibus ornamentis præstaret, atque excelleret. Nam cum dignitas Matris (qua Virgo donata est) propter Christum, atque adeò post Christum definita fuerit, asserere oportet etiam ipsam Virginis substantiam, & indiuidualem perfectionem propter Christum, & post Christum decretam fuisse. Huius rationis vim, & Patrum testimonia, quibus illam roborauimus, pete ex dicto cap. 23.

111 Tertia demum ratio promitur ex dictis in comprobatione superiorum signorũ: quia cum ex his constet omnem hominum multitudinẽ, quorum conditio, & creatio iã olim decreta fuerat, sub maledicto comprehensam, & Adami peccatum in cunctos nulla exceptione effusum fuisse, antequã Christus prædestinaretur, non posset vtique Christus Matrem puram, & immaculatam ex illis fœminis, quæ ante ipsum futuræ erant, sibi accipere: atque adeò nouam, aliásque minime futuram sibi efformare debuit, vt infra declarabimus.

112 Denique in constitutione huius signi non modo asseruimus Virginis primam conditionem post peccatum præuisum, & post Christi præscientiam fuisse definitam, sed etiam ipsammet illius creationem, & primam conditionem meritis Christi partam. Quam conclusionem non quidem ex eo probamus, quia Ioachimus, & Anna alioqui steriles filiam precibus adepti sunt (huius enim rationis imbecillitatem supra ostendimus, §. 3. & 4.) sed illam certius ex dictis facili cõsequutione deducimus: quia cum hæc conditio Virginis post prædestinatum Christum decreta, & definita fuerit, potuit quidem illam Christus suis meritis exorare. Quapropter cum potuerit illam promereri, & re ipsa promeruisse ipsi maxime decorum sit, id nequaquam negari ipsi debet. Deinde cum liquidum etiam sit ex dictis, Virginis cõditionẽ, aut formationem, & substantialem perfectionem illius ad Christum fuisse ordinatam, nihil eorum eiusdem Christi meritis subtrahere integrum est: quin potius omnia per eadem merita parta dicere, ac pronuntiare oportet. Missa facio alia multa, ex quibus quatuor illa præfata capita compleui ad huius positionis probationem.

NOSTRA SENTENtia de Virginis immunitate à peccato originali, & à debito illius, ex dictis elicitur.

§. VIII.

113. Virginem Deiparam nec peccatum originale, nec debitum illius contraxisse ex assumptis efficitur.

114. Cur Mariam ex Adamo per naturalem propagationem originem trahere oportuit.



HACTENVS Nostræ sententiæ semina sparsimus, ex quibus illam depromere nulli non pronum, ac procliue est. Nam illud ex dictis §. 1. constat Adami filios non ex eo præcisè peccati originalis debitores, ac reos fuisse, quia ex Adamo procreati, fariq; sunt: sed quia illos pacti cum Adamo initi lex prima comprehendit. Rursus ex his, quę diximus in 3. 4. & 5. §. liquidum est, pactum Dei, ac primam transgressionis legem eos tantum complexam fuisse, quorum existentia ante Christum, imo ante ipsam Adami pactum decreta erat. Denique ex his, quæ 6. & 7. §. statuimus, probatum manet Virginis primam creationem, & existentiam post peccatum præuisum, & post Christi præscientiã propter ipsius Christi merita decretam, & definitã fuisse. Manet ergo sanctissimã Deiparam nec pactum, nec legem antiquæ transfusionis ingressam fuisse. Ac demum inde fit illam nec peccatum originale contraxisse, nec illius contrahendi debito in se, nec in Adamo aliqua ratione obligatam, seu obæratam fuisse. Huius certi discursus consecutio, atque connexio adeò perspicua est, vt alia declaratione non egeat. 113

Illud fortasse alicui scrupulum injciet: quid causæ fuerit, quod cum Virgo Maria antiqua illa fœdera cum Adamo inita, transfusionisq; legem minime ingressa fuerit, nihilo minus tamen ex Adamo per naturalem generationem ritu aliorum procreata, & propagata fuit? An non melius & aptius esset, vt, quemadmodũ Adamus ipse, ex limo formaretur, aut, quemadmodum Christus, ex Virgine parente progenita fuisset? Hanc obiectionem dilui cap. 19. vbi diuini consilij dispositionem in humani generis redemptione pensandam, & æstimandam esse docuimus; tale enim fuit Dei decretum, vt inde medicamentum eueniret, vnde fluxerat venenum, & medelam ferret inde, hostis vnde læserat: eapropter voluit, vt ex radice vitiata inuitiatum germen prodiret, quod radicis ipsius vitium abstergeret. Lege ibi multa in hanc sententiam, quæ de sanctorum Patrum monumentis decerpsimus. 114



VIRGINIS DEIPARÆ Redemptio iuxta præfatam sententiam defenditur.

§. IX.

115. *Virginem Christi meritis verè ac propriè redemptam suadetur ex scriptura, & Patribus.*
116. *Ex baptismo Virginis aliqui probant Virginis redemptionem sine culpa originali defendi non posse.*
117. *Non efficitur falsa forma baptismi, quãuis in baptizato non adsit peccatum, quod emũdetur: aut quod verè adsit, non abstergatur de facto.*
118. *Virgo Deipara ab omni peccato mundissima baptismũ sine iniuria veritatis suscepit*
119. *Diluitur argumẽtũ ex Tridẽtino desumptũ.*
120. *Iuxta nostrã sententiã meliùs defenditur efficacia meritorũ Christi in Virginis electione, ac gratia, quàm iuxta alias.*
121. *Asserentes omnem gratiam Virgini collatam esse gratiam redemptionis, vincimus etiam aliarum opinionum sectatores.*
122. *Alia est redemptio, quæ lapsos erigit; alia, quæ à lapsu seruat, ex doctrina Dionysij.*
123. *Eandem redemptionis diuisionem tradit Augustinus.*
124. *De redemptione Virginis cur diuersi diuersa senserint.*
125. *Ad veram & propriã redemptionẽ neq; peccatũ originale, nec debitũ illius requiritur.*
126. *Vt Virgo propriè redempta dicatur, id satis esse, quod ab actualibus culpis liberata fuerit, aliqui contendunt exemplo Adami atq; Euæ.*

115 AD Superioris doctrinæ plenam comprehensionem nodus quidã explicandus restat. Quonam scilicet modo Virgo Deipara redẽptionis fructu gaudere potuerit: si enim Maria legẽ trãsfusionis minime est ingressa, atq; adeò neq; peccatũ originale, neq; ipsius debitũ cõtraxit, inde confici videtur ipsam à peccato originali nequaquã redimi potuisse.

Profectò in omnium opinione certum, ac ratum esse debet, Virginem per Christum redemptam, & assertã fuisse: quod ipsius Virginis testimonio cõprobatur, quæ ita aliquãdo cecinit Lucæ 1. *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*, id est, in Christo saluatore meo: sic enim Patres interpretantur. Huc spectant quoq; illa Ambrosi. verba supra exhibita. *Nec mirum si Dominus redempturus mũdum operationem suã inchoauit à Matre, vt per quã salus omnibus parabatur, eadẽ prima fructũ salutis hauriret ex pignore.* Item D. Bernardi nus in serm. de Assumptione *Plus* (inquit) *pro Virgine redimẽda is venit, quã pro omni alia creatura: iuxta illud Cãt. 4. Vulnerasti cor meũ soror mea sponsa vulnerasti cor meum. Pro amore tuo carnem sumpsi, & vulneribus primis vulnerasti in cruce cor meum: nã primogenita redemptoris filij sui Iesu fuit Virgo Beata.* Accedit etiam locus iste Salomonis, quem interpretandum suscepimus secundum translationẽ vulgatam: *Dominus possedit me initio viarum suarum.* Nam vt supra præmisi illi verbo *possedit* subest in originibus קנה *Kanah*, id est, *acquisiuit, locauit*, aut etiã *redemit*: quasi dicat Christus Dominus ante omnem aliorum reparationem sui sanguinis pretio me redemit. *Antequam quidquam faceret à principio*, id est, antequam aliquid aliud ad redemptionem pertinens præstaret. Nam cum reliquos homines per me redempturus esset, me prius redẽptã asseruit. Idẽ sibi voluit Ambros. cum dicit: *Vt per quam salus omnibus parabatur eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.*

116 Inferenda etiam in hoc loco non leuis difficultas, quæ ex Baptismo B. Virginis ducitur, ad hunc modũ. Virgo sacratissima Baptismi Sacramento initiata est (ita fert communis Patrum, ac Theologorũ sensus, ex quibus alij ipsam à Christo ipso, alij à Petro ablutam sentiunt) ergo à Christo verè, ac propriè redẽpta fuit: baptismus enim ianua est Ecclesiæ, atq; eius, quæ per Christum est, redemptionis character. Hæc autem difficultas sic vrgeri debet. Quia ex illa effici videtur, Virginem non modò peccati originalis debito obstrictam, sed ipso etiam peccato infectam, & contaminatam fuisse. Quia forma verborum, quæ in baptismi sacramento adhibetur, & exterior ablutio, quæ lustratis impenditur, ablutionem, ac lustrationem interiorem significat: illi ergo tantùm rectè, ac ritè baptizari possunt, ac debẽt, qui sordibus imbuti actu sunt, vel saltem aliquando sorduerunt, vt abstergi aliqualiter dicantur: aliter vana, imò mendax erit lustratio. Confirmari potest hoc ex Tridentino sess. 5. in decreto de peccato originali: vbi Patres contra Hæreticos nostri temporis, originalis peccati maculam abnegantes sic pronuntiant. *Si quis paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti: aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro necesse sit expiari, ad vitam æternam consequendam, vnde fit consequens, vt in eis forma baptismi in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, Anathema sit.* Sentit ergo Sancta Synodus baptismi formam aliter veram esse non posse, nisi in lustrato originalis culpa vel actu sit, vel olim fuerit.

117 Cæterùm ne huius difficultatis, quæ ad redemptionẽ Virginis non solũ peccandi debitum, sed etiam peccatũ ipsum postulat, solu-

[Margin notes: Luc. 1. — Ambros. — Bernard. — Ambros. — Conc. Trid.]

tionem amplius moremur, eam hic breuiter diluere operæ pretiū duco. Aio igitur baptismatis sacramentum ex institutione sua nec peccatum, nec peccati debitum requirere, vt ritè, ac sanctè impendatur. Nam primarius illius effectus est lustrali aqua tinctum fidei Christianæ charactere insignire, & ad reliqua Ecclesiæ mysteria initiare, aliorumque Sacramentorum ianuam illi aperire: Secundarius verò & consequens effectus est peccatorum emaculatio, si qua supersunt vel actualia, vel originalia. Ac proinde quamuis nulla adsint peccata (vt in adultis sæpè contingit, qui per actum contritionis tam originales, quàm actuales culpas ante baptismum diluerunt) sine iniuria veritatis huius sacramenti forma etiam super innocentes, & mundos profertur: quia quamuis in his secundarium effectum non præstet, tamen primariū & maximè necessarium exequitur. Quod videre etiam est in illis, qui cum fictione ad baptismum accedunt: in his enim perseuerante fictione primarium effectum præstat baptismus, quandoquidem illos charactere obsignat, & ad reliqua Ecclesię mysteria initiat, quamuis gratiam, & iustitiam eisdem minimè conferat. Vnde constat duos effectus prædictos ab inuicem distrahi, & vnum sine altero, seruata verborum veritate, perfici posse. Dices baptismum eiusmodi recedente fictione operari, & gratiam efficere. Id libens do: tamen apud te ipsum (si ita libet) constitue aliquem, qui cum fictione baptismum acceperit, & nunquam deinceps ex fictione ad veritatem redierit: an non ita verè, ac ritè baptizatus fuerit? Ita planè, & oppositum asserere temerarium, ne dicam hæreticum, esset: ergo nec iustificatio, nec emundatio peccatorū est effectus per se necessarius, vt substantia, & veritas baptismi salua, & integra sit. Ad rem.

118 Aio igitur Virginem Deiparam per baptismi lustrationem gratiæ augmentum accepisse, fidei charactere insignitam, ac reliquorū Sacramentorum compotem effectam fuisse: peccati verò, aut sordium nihil in ipsa detersum fuisse, quippe quæ omni macula, ac sorde caruit. Addo etiam id de veritate formæ istius sacramenti nihil detraxisse. Si enim peccata non abstergi, etiam cum peccata adsunt, veritatem formæ baptismi non violat, quis dicat hanc veritatē ex eo læsam fuisse, quia non emundatum fuit peccatum, cum non esset?

119 Argumentum verò, quod ex verbis Tridētini petitur, valde infirmum est: nam cum Synodus in ea sess. 5. quæ est de Peccato originali, ad extremum subiecerit suæ intentionis non esse, Virginem ea constitutione comprehendere, absurdum valde est asserere illā tam breui verborum interstitio sibi contrariā esse, atq; aliquid inibi depromere, quod Virginē peccato originali infectam persuaderet. Deinde etiam aio Concilium eò loci non illud assertiuè enuntiasse, baptismi formā haud veram futuram, si paruuli originali peccato carerent: sed argumento, quod vocant ad hominem, vsum fuisse, atque Hæreticos eius temporis ex datis reuincere: quia cum baptisma ad remissionem peccatorum impendi vltrò annuerent, imò etiam in forma huius sacramenti verba illa affigerent, *in remissionem peccatorum* (ita enim colligitur ex Concilij tenore, qui sic habet: *forma baptismi in remissionem peccatorum*) asserebant nihilominus nihil esse in paruulis, quod peccati nomen ferret, à quo emaculari, & abstergi dicerentur: quod planè contradictorium erat, & formam baptismi, qua vtebantur, falsam esse monstrabat.

Cæterum vt ad ea, quæ nostræ sententiæ propria sunt, accedamus, & præmissæ occurramus difficultati, quæ aliquos Mariæ beneuolos non parum exterret, aliqua præfari oportet. Primo in nostra opinione illud certum, & constans est, omnem gratiam Virgini collatam eiusdem prædestinationem, & electionem, imo & ipsum primum creationis beneficium cum reliquis donis, quæ cum illo connexionem habent, meritis Christi ipsi partum, & quęsitum fuisse: meritis, inquā, passione, & morte consummatis, & perfectis. In quo vincimus planè omnes illos Doctores, qui prædestinationem Christi, Virginis electionem ad gloriam, & ad primam gratiā, adde etiam ipsius exceptionem à lege transfusionis ante peccati præuisionem, atq; adeò ante præscientiam passionis, ac meritorum Christi ponētes, vix, ac ne vix quidem ostendere possunt, quonam modo Deipara Virgo hæc beneficia per merita Christi obtinuerit. Hi enim, me iudice, non possunt per omnia accommodare illud familiare admodum ipsis principium: nimirum ea beneficia in intentione quidem præparata fuisse Virgini sine meritis Christi: at vero in executione promeritis ipsius Christi donata esse. Nam illa exceptio à lege transfusionis, quam ipsi antecedenter in ipsa pacti constitutione factam asseuerant, ante præuisionem Christi passibilis non modo intenta, sed etiam re ipsa in executione præstita supponitur: atque adeò sub efficaciam meritorum ipsius cadere non potuit: ac per consequens totam Virginis liberationem à peccato originali sine meritis Christi factam affirmare coguntur. 120

Secundo etiam ponendum est iuxta nostrā sententiam omne beneficium, omnemq; gratiam Virgini collatam, esse gratiam redemptionis rigorose, ac proprie dictam: quia (vt supra dictum est) Virgo ea quidem intentione condita, ac formata est, vt Redemptori Matrem, & generi etiam humano mediatricem pro peccatis Deus donaret: atq; cum in finem tot gratiarum ornamentis, sed tum maxime gratia originali decorata fuit. Qua 121

propter dicendum est, omnem gratiam Virgini collatam fuisse gratiam redemptionis, reconciliationis, & expiationis, ad delenda nimirum peccata per se ordinatam, non quidem propria, sed aliena; omnia videlicet generis humani delicta. A que adeò Virgo in primariam intentionem passionis, ac meritorum Christi non venit solum, sed antecessit, ac praeuia fuit. Ita enim reor ad delenda re ipsa generis humani peccata non tantum Christi merita condigna, sed etiam Virginis Mariæ merita cōgrua à Deo præuisa, ac præscita fuisse. Vincimus etiam in hac re prioris sententiæ Doctores, qui cum præfatum beneficium exceptionis à communi lege, & donationem primæ, ac originalis iustitiæ iuxta Dei propositum ante præuisionem peccati, & præsciētiam passionis Christi factam præmittant: eas quidem gratias non possunt aliquo sensu redemptionis, & reconciliationis gratias dicere: quia neq; ad aliquod Virginis peccatum proprium, neque ad aliena peccata expianda, vel in intentione præparatæ, vel in executione donatæ forent.

122 Tertiò etiam ponendum est, Christi redēptionem non ita peccatis obstringi, & alligari debere, vt per illam tantummodo peccatores gratiæ restitui potuerint: omnes enim Doctores, qui immaculatam Virginis Conceptionem defendunt, duplicem redemptionem esse affirmant. Altera, quæ lapsos erigit: altera quæ à lapsu seruat. Hanc verò petunt ex Dionysio de Diuinis Nominibus, cap. 8. vbi sic scribit. *Verum enim profectò; & hanc salutem non præter intentionem Scripturæ sacra redimentem prædicare possumus; quantum cuiuscumque saluandorum admitti natura. Idcirco illam redemptionem etiam Theologi appellant ex eo, quod non finit, quæ vera sunt, ad id cadere, vt non sint. Ex eo item quod, si quid deliquerint, & ab ordine suo aberrauerint, & imminutionem aliquam bonorum suorum passi fuerint, hac etiam in parte à passione; & inbecillitate, & priuatione redimit, implens, quod deest, & à malo erigens, imò in bono sistens; & quod defluxerat, reparans, ac disponens.* Quibus verbis Dionysius docet redemptionem pro ipsorū saluandorum natura pensandam esse: atque adeò redemptionis quoddam genus esse, homines continere, ne in nihilum, id est, in peccatum recidant (nihilum enim priuationem boni appellat, quam peccatū includit) aliud verò eosdem iam lapsos, & prostratos in statum vendicare.

123 Accedit etiam D. Augustinus, ex quo verba hæc recitat Catherinus: *Sicut duo officia medicinæ: alterum quo sanatur infirmitas, alterum quo custoditur sanitas: sic & duo dona gratiæ, vnum quod aufert carnis cupiditatem: alterum quod facit animæ perseuerantem virtutem: ita vt vterque indigeat medico, & qui infirmus est, vt infirmitas sanetur, & qui potest infirmus fieri, vt seruetur in sanitate.* Sed luculentius idem Augustinus in Psalmo 85. *Quemadmodum si medicus videat tibi imminentem ægritudinem, forte ex aliquo labore, & dicat, parce tibi, sic te tracta, ne quiesce, his cibis vtere: nam si non feceris, ægrotabis. Tu autem si feceris, & sanus fueris, rectè dices medico: liberasti me ab ægritudine, non in qua eram, sed in qua futurus eram. Item nescio quis habens causam molestam mittendus erat in carcerem, venit aliquis, defendit eum, gratias agens quid dicit? Eruisti animā meam de carcere. Rursus suspendendus erat debitor, solutum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio.* Hęc Augustinus. Et quidem sicut pręstantissima medicinæ pars est illa, quæ tuendæ sanitatis exhibet medicamēta: ita etiam eam gratiam plurimū excellere necesse est, quæ à peccatorum morbis seruat incolumē. Et licet D. Augustinus de peccatis actionum sermonem habeat: tamen eadem de originali peccato ratio est: imò & ab ipsis actualibus ad originale aptissima similitudo ducitur. Sicut enim in his duplex redemptionis genus visitur. Alterum, quo Christus alios in peccata sua iam prolapsos liberat: alterum verò, quo alios à lapsu continet: ex his verò posteriores non minus, imò multo magis à culpis actualibus redemptos, & assertos à Christo dicimus, quam priores. Simile quidpiam de peccato originali fateri oportet, eum scilicet, quisquis fuerit ab ipso seruatus, ne ruat, longè melius, atque nobilius redimendum iri, quam eum, qui illo iam vulneratus iterum ad sanitatem, & ad cicatricem adducitur.

Adde etiam quod grauissimi Theologi ea ratione, vel (si licet dicere) ijs gressibus, quibus Virginis immunitatem à peccato asserendam sibi putarunt, proprietatem redēptionis per quosdam quasi gradus hactenus extenuasse videntur (proprietatem dixi, non dignitatem) quia quantum de rigore illius auferunt, tantum ad ipsius redemptionis gloriam, & excellentiam apponunt. Dictum, decretumque fuit iam olim, Virginem ab omni actuali peccato liberam fuisse; atque inde coacti sunt Theologi nobilius quoddam redemptionis genus Virgini tribuere: quod videlicet non sicut alios homines ab actualibus, & originali ipsam liberam efficeret, sed ab illis quidem contrahendis præseruando, & præcauendo eriperet: ab hoc verò iam cōtracto emundaret. Postmodum etiam pietas vires assumpsit; atq; adeò ea opinio celebrata fuit, quæ tradit Virginem ab omni etiam originali peccato fuisse immunem, illius tamen incurrendi debitum habuisse: atque inde etiam coacti sunt Theologi digniorem alium, sed minus rigorosum redemptionis modum excogitare, qui totus in præseruatione culpę, aliàs ex debito incurrendæ consisteret. Creuit hoc nostro sæculo pietas, & studium erga Deiparam, factumque est, vt graues Theologi digniora de Virgine sentiē- 124

tes audacter dixerint, Deiparam Mariam ne debitum quidem originalis culpæ contrahēdæ, vel in se, vel in Adam incurrisse; atque adeò similem ad modū necesse erit, aliquod redemptionis genus excogitare, quod proprietatem, & rigorem extenuans, nobilitatē, & gloriam adaugeat.

125 His constitutis dico primo, ad veram, & germanam redemptionis proprietatem in vniuersum, neque peccatum originale, neq; debitum illius esse necessarium. Huius assertionis fidem faciunt Adamus, atque Eua, qui nec peccatum originale, nec debitum illius incurrendi in se ipsis contraxerunt, & tamen verè, & propriè à Christo redempti sunt, quatenus ab actualibus expiati, atque mundati fuerunt. Ex hac verò positione ita concludo, sanctissimam Virginem longè melius, atque excellentius redemptam fuisse, quam Adamum, atq; Euam: quia in redemptione hominum ab actualibus culpis (ex omnium Theologorum consensu) nobilior, ac dignior redimendi modus est, qui seruat à ruina, & lapsu, quam qui oppressum, lapsumque hominem vendicat in statum Ergo Maria nobiliori modo redempta fuit, quā Adamus, & Eua: quandoquidem illi post casum actualis culpæ suscitati, & erecti sunt: Maria verò ab omni peccato actionis seruata, & protecta fuit.

126 Id certè grauissimis Theologis satis visum est ad saluandam Virginis redemptionem: putant enim frustrà, & ne quidquam ab alijs modum vestigari, quo Virginem aliter, quam Adamum, & Euam modo excellentiori redēptam asserant. Nec iniuria, quia cum omnes Theologi Virginis studiosi hoc tempore in eo maximè desudent, vt Virginem ab omni peccato, & debito illius in se, vel in Adamo contracto vendicent, absonum satis illis videtur rursus in eo laborare, vt eidem aliquod peccati originalis debitum affigāt, quo eam ab illo redemptam defendere possint: id enim nihil aliud est, quam id, quod actum est, rursus infectum velle, & telam Penelopis texere, ac retexere. Tum vel maximè, quia nullum Scripturæ sacræ, aut sanctorum Patrum testimonium occurrit, quod nos cogat asserere Virginem ab originali peccato redemptam fuisse, nisi communes quædā locutiones, quæ omnes in vniuersum homines ab originali peccato redemptos affirmant: tamen sicut generales locutiones scripturæ, aut Patrum, quæ omnes homines in originali conceptos asseuerant, nihil prohibent, quominus vnam Virginem ab originali immunem dicamus: eodem etiam iure omnes locutiones, quę tradunt omnes homines ab originali assertos, & redemptos, vetare non debent, quominus vnam etiā Virginem ab eadem generali regula exceptam affirmemus: atque adeò solam à peccato originali minimè redemptam dicamus. Hæc alij non improbabiliter. Ego verò vlterius etiam addo Virginem in nostra sententia à peccato originali bono quodam sensu, & nobiliore redemptionis genere assertam, & liberatam fuisse.

VIRGINIS REDEMPtio à peccato originali explicatur.

§. X.

127. Virgo Deipara non modo ab actualibus culpis, sed etiam ab originali propriè redempta fuit.

128. Ad redemptionem originalis non requiri debitum, aut necessitatem peccandi persuadetur exemplo redemptionis actualium.

129. Solam obnoxietatem etiam remotā ad peccandum ad redemptionem requiri probatur ex Augustino.

130. Eiusmodi obnoxietatem Virgo habuit, vt ab originali redempta dicatur.

131. Vrgentur Augustini, & Dionysij verba de redemptione præseruatiua, ad tuendam Virginis redemptionem.

132. Nostræ sententiæ auxiliatur Diuus Thomas.

133. Fauet etiam plurimùm eidem Anselmus.

134. Iuxta præmissam doctrinam ne obnoxietatem quidem ad peccandum originaliter in Virgine concedi quispiam obijcere posset.

135. Obnoxietas hæc non est consideranda relatè ad decreta Dei, sed absolutè, & secundum se.

136. Obijciet quispiam initium eius immunitatis ab originali, quam Virgini demus, ante Christi præscientiam inchoatum fuisse, atque adeò efficaciam meritorum ipsius fugisse.

137. Diluitur obiectio, & initium præfata immunitatis meritis Christi adiudicari debere ostenditur.

138. Angelos nullum peccati debitum, sed solam obnoxietatem habentes propriè redemptos sensit Bernardus.

139. Idem asseruit Hieronymus, siue Sophronius.

140. De redemptione Angelorum quid sentiendum.



VLTERIUS Etiam secundo dico Deiparam Virginem bono, ac rigoroso sensu, non modo ab actualibus: sed etiam ab originali peccato redemptam fuisse. Quia ratio pro- 127

pria

pria, & germana, quæ Virginem à culpa originali immunẽ præstitit, non alia certè fuit, quam ea quam sæpius dixi; quod videlicet post pactum, & peccatum præuisum, prima ipsius formatio, & creatio à Deo definita fuit. Sed hoc habuit ex meritis Christi, vt supra etiam per plura capita probatũ manet: ergo eam immunitatem à peccato originali per Christi merita adepta est: atque adeò per eadem merita liberata, & redempta.

128 Huius verò rationis vim melius vt calleas, cogites precor, ad redemptionem propriè dictam, non modo peccatum iam contractum per se necessarium non esse, sed neque debitum proprium illius. Quod videre est in peccatis actualibus. Nam vt quispiam ab aliquo peccato actuali redimi, & liberari dicatur, non modo necessarium non est, peccatum iam commissum (vt ex dictis liquet) sed neque necessitas illius contrahẽdi. Quia (exempli causa) à peccato furti per Christum liberatus quispiam dicitur, etiamsi ad illud committendũ nulla vnquam necessitate obstrictus fuerit, ex eo præcise, quod ipsum perpetrare potuit, nec tamen admisit: & eadem ratio est de peccato originali. Nam si ita per hypothesim ponamus Adamum in originali gratia ex Dei auxilio perseuerasse, ac proinde iustitiam in posteros transfudisse, apte diceremus cunctam Adami posteritatẽ à peccato originali Dei beneficio redemptã fuisse, ex eo, quia gratiam perseuerantiæ contulisset Adamo: & tamen in hoc casu, nec peccatum originale habuissent, nec debitum illius, sed solam obnoxietatem ad peccandum.

129 *Augu∫t.* Addo etiam ad veram redemptionẽ non esse necessariam obnoxietatem proximam, sed remotam. Quod ex Augustino deprehendere licet in lib. 2. Confess. cap. 7. vbi sic habet: *Gratias* (inquit) *tibi agam, & confitear nomini tuo, quoniam tanta dimisisti mihi mala, & nefaria opera: gratiæ tuæ deputo, quod peccata mea, tanquam glaciem soluisti: gratiæ tuæ deputo, & quæcumque non feci mala. Quid enim nõ facere potui? Omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te duce non feci.* Pende illa verba. *Quid enim non facere potui?* Et videas Augustinum non loqui de his tantùm culpis, quę proximè admittere in potestate eius fuit, quia videlicet earum occasiones in prõptu habuit: sed absolute de his, quæ vtcumque sibi possibilia erant. Nam idẽ Augustinus infrà docet in Dei beneficijs se ponere solitum omnia peccata, quæ alij perpetrarunt, quasi illa ex Dei misericordia ipse vitasset: & tamen circa hæc omnia peccata remotam quandam obnoxietatem habebat: cum pleraque neque in mentem eius venissent, neque illorum occasiones habuisset: imò neque vt sic inuariatis rebus, eas habere potuisset. Sed eo tantùm nomine, hæc sibi peccata dimissa esse in gratiam Christi referebat Augustinus, quatenus illa committi ab ipso non repugnabat, & ad illa committenda naturalem obnoxietatem habebat: vnde proximè post citata verba sic attexit: *Qui enim vocatus a te, secutus est vocem tuam, & vitauit, quæ me de me ipso recordantem, & fatentem legit, non me derideat ab eo medico ægrũ sanari, à quo sibi præstitum est, ne ægrotaret, vel potius, vt minus ægrotaret. Imò verò amplius Deum diligat: quia per quem me videt tantis peccatorum meorum langoribus exui, per eum se videt tantis peccatorum langoribus non implicari.* Hæc ille, quibus eam gratiam (scilicet liberari ab his criminibus, quæ posset quis admittere) præfert ei, per quam à commissis quisque sanatur. Itaque peccato caruisse, cui aliàs obnoxius homo existit, & quod ipsum habere non pugnat, redemptionem quandam nobilem esse docet Augustinus, quæ gratiæ Christi deputari debeat, & pro qua gratias agere liceat. Suppetit etiam aliud exemplum ex Augustino in libro de dono perseuerantiæ, vbi expendens illa verba. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum, ac ne fictio deciperet animam illius*, beneficium esse dicit gratia Christi partum, ad eum modum maturo letho abripi, per quod quis liberatur, & redimitur à peccatis, quæ admissurus erat, si diutius viueret: quamuis ad hæc peccata solum quandam remotam obnoxietatem paruulus habeat, quatenus superstes esse posset. *Augu∫t.*

Hoc igitur sensu Virginem à peccato originali redemptam, & assertam dicere licet, quatenus ex Christi beneficio, & gratia illud peccatum vitauit, quod reliqui eiusdem naturæ homines contraxerunt: atque adeò eidem contrahendo ipsa ex natura sua obnoxia erat. Quis enim neget Christum Dominum, gratias Patri agere potuisse, vel potius re ipsa egisse pro hoc beneficio matri suæ exhibito, quod scilicet illam subinde post pacti, atque peccati præuisionem fore definierit: atque adeò pacto suo minimè incluserit, & proinde à culpa originali, & à debito illius immunem fecerit, cuius alias ex natura, & conditione sua non repugnabat participem fieri? 130

Itaque sola obnoxietas culpæ originalis contrahendæ sufficiens esse debet, vt Virgo ab illa liberata, & asserta dicatur. Probatur primò ex Dionysio, & Augustino nuper citatis: nam cum ab his redemptionis præsetuatiuæ nomen, & naturã acceperint Theologi, neuter ad istud redemptionis genus aliquid amplius postulare videtur, quam potentiam peccandi. Augustinus enim sic fatur: *Sicut duo officia medicinæ, alterum, quo sanatur infirmitas, alterum, quo custoditur sanitas: sic & duo dona gratiæ* (& post pauca) *ita vt vterque indigeat medico, & qui infirmus est, vt infirmitas sanetur, & qui potest infirmus fieri, vt seruetur in sanitate.* Obserua illa verba: *Et qui potest infirmus* 131 *Augu∫t.*

firmus fieri: atq; facile agnosces solam istam potentiam, & obnoxietatem, quam adstruimus, ad redemptionem præseruatiuam necessariam esse. Quamuis enim in alio loco aliam redemptionem agnoscere videatur cū debito aliquo; quippè qui exemplum sumit ab eo, quem iam iam in morbum incidere oportebat, & ab eo, qui ob causam molestam in carcerem mittendus erat: tamen per hoc debitum nihil aliud intelligit, nisi fragilitatem, & imbecillitatem naturæ: obligationem verò, aut necessitatem peccandi nequaquam postulat, vt inibi videre est. Item D. Dionysius huius præseruatiuæ redemptionis formam exprimens, sic ait: *Idcircò eam redemptionem etiam Theologi appellant ex eo, quod non finit ea, quæ vera sunt, ad id cadere, vt non sint.* Atqui vt de aliquo verè, ac propriè dicatur, *non finitur cadere*, satis est, quod suapte natura labi possit, & ruinæ obnoxius sit. Adde etiā quod ibi loquitur Dionysius de redemptione in vniuersum, prout complectitur liberationem hominum ab actualibus peccatis, respectu quorum sola prædicta potentia, & obnoxietas est in natura, sine debito, & necessitate aliqua, vt nuper dicebamus.

Dionysi.

132 D. Thom. Ad hæc D. Thom. alias à me obseruatus in eo loco, vbi Virginem originali culpa vacasse affirmauit, solam hanc capacitatem, & naturalem obnoxietatem ad illam contrahendam in Virgine agnouisse videtur, & propter hanc dixit à peccato minus distare, quā Deum: sic enim habet: *Puritas intenditur per recessum à contrario: & ideò potest aliqua creatura inueniri, qua nihil purius esse possit, sine aliqua contagione peccati: & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit: tamen ista puritas sub Deo fuit in quantum erat in ea potentia ad peccandum.* Hactenus D. Thom. qui inter Virginem, ac Deum in recessu à peccato hoc tantum dissidere dicit, quod Deus recedit ab omni peccato per impotentiam committendi, Virgo autem non ita: hæc enim propius (vt ita dicam) ad culpam accedit, quatenus illius capax est, & illam contrahere potest. Quod si putaret D. Thomas vltra hanc potentiam, seu capacitatem, quam obnoxietatem dicimus, esse in Virgine debitum, vel necessitatem peccati originalis contrahendi, haud diceret quidem ipsam per solam potentiam peccandi minus recedere à peccato, quàm Deum: quandoquidem per debitum, & necessitatem illius contrahendi, multo minùs distaret à culpa, quàm per solam potentiam: hæc enim planè remotior est.

133 Anselm. Nunc ergo vocanda in consilium illa verba Anselmi: *Decuit sanè, vt Virgo ea puritate niteret, qua sub Deo maior non possit intelligi.* Nam per D. Thomam: *Puritas intenditur per recessum à culpa*: sed minus recedit à culpa, qui debito illius contrahendi obstringitur, quam is, qui solam potentiam, & obnoxietatē habet: si ergo fateamur Virginem eo debito teneri, maior alia puritas creata sub Deo esse needum excogitari poterit. Nam Angelorum puritas Virginis puritatem facilè superabit. Hi enim nec peccatum habuerunt, nec debitum, vel necessitatem illius, sed solam & meram obnoxietatem, & potentiam peccandi, per quam longior, & latior est recessus à culpa, quam per debitum illius contrahendæ, vt nuper dicebamus. Hæc igitur obnoxietas naturalis, & non repugnantia peccandi originaliter, quam in Virgine agnoscimus, satis esse debet, vt ipsam à peccato originali Christi meritis vendicatam, & assertam nobilissimo quodam modo affirmemus: ad quam redemptionem non est opus debito, aut obligatione peccandi, vt ex dictis liquidum manet. Quomodo autē prædicta obnoxietas debitum peccandi dici queat, quatenus necesse est naturam ei obnoxietati subesse, diximus supra cap. 1.

Sed dices Virginem iuxta nostram sententiam remotam etiam obnoxietatem, & potentiam originaliter peccandi minimè habuisse: quia præsupposito ad eum modum transfusionis pacto, & decretorum Dei serie sic conformata, impossibile erat ipsam originali culpa infici. Nam cum hæc ex peccato Adami iuxta præmissam pacti legem, in eos tantum descendere posset, qui pacto includebantur, cum Virgo Deipara per supradictum decretorum Dei ordinem à pacto exclusa fuerit: impossibile vtique fuit ipsam originali labe ex Adamo deriuata aspergi. 134

Respondeo idem omnino argumentum confici posse in paruulis illis, qui Dei beneficio ocyùs decesserunt. Nam posito Dei decreto, quo apud se statuit Deus illos maturius emori, impossibile etiam prorsus erat eos culpas admittere, quas non nisi vita comite, perpetrare poterant; & eadem ratio est de illis culpis, quas sibi dimissas gratulatur August. quatenus eas alij commiserunt. Nam supposito etiam Dei decreto, quo occasiones eiusmodi culpas perpetrādi haud immittere Augustino constituerat, impossibile etiam erat eas ab Augustino committi. Loquimur ergo non de potentia, aut obnoxietate ipsi creaturæ propria, & innata relate ad decretum liberum Dei, sed absolute, & secundum se. Imò beneficium, & gratia Dei in eo ponenda est, quod cum posset alio modo libere decernere, meritis Christi inductus decreuit, illos quidem paruulos vitæ simul, & peccatis, quæ succedente ætate admissuri erant, eripere, & Augustinum ab occasionibus peccandi seruare, & Virginem ita post præuisionem peccati creare, vt in pacti conditiones non veniret. 135

Sed obijcies iterum, beneficium hoc immunitatis à culpa originali, quo gaudet Maria, iuxta nostram sententiam inde initium cepisse, ex quo Deus alios Adæ filios creare 136

apud

apud se constituerat: quia (supposita scientia conditionali, per quam scilicet omnium filiorum Adami, quos iam tunc ex illo fore decernebat, interitum, nec non Christi aduẽtum præsenserat: per quam etiam Christum ex Maria nasciturum prænouerat) illius formandæ, ac condendæ decretum distulit, vt eam postmodum, impletis conditionibus, Christi meritis condonaret: atque adeò à communi generis humani piaculo liberam faceret. Quapropter hæc dilatio formationis Mariæ ex meritis Christi pendere non potuit, quia in eo signo Christi merita sub conditione tantum præuidebantur: propter merita verò sub conditione præuisa nihil Deus hominibus præstat, vt alias non semel diximus.

137 Sed tamen demus hoc, scilicet eam dilationem formationis Mariæ sub Christi meritum cadere non potuisse. Addamus etiam istam dilationem, non tam gratiam, quam futuræ gratiæ occasionem appellari debere: quia Deus in primo illo decreto, quo reliquos homines condere decreuit, & Mariam omisit, non ea intẽtione omisit, vt eam postmodum crearet à conditionibus pacti immunem (quod necessarium esse videtur, vt hæc omissio gratiæ rationem haberet) nam tunc in eo signo, nec de peccato futuro Adami, nec de Christo, nec de Maria Deus cogitauerat. Sed postmodum factum, vt illa Marianæ creationis prior dilatio, quatenus ipsi vitandæ culpæ originalis occasio fuit, fœlix illi, atque fausta esse cœperit, & quodammodo in gratiam conuersa fuerit, vt de culpa originali præfatus est Augustinus: *O fœlix culpa, &c.* Christus igitur primam conditionem Virgini meritis suis impetrans, illud etiam effecit, vt illa omissio, aut dilatio, per quam Deus cum reliquis eam concreare noluit, fœlix, faustaque Virgini esset: atq; adeò tota liberatio à peccato originali, quę inde promanauit, eiusdem Christi meritis adiudicari debet. Suppetit mihi huic rei appositissimum exemplum ex sententia eorum, qui asserentes primam electionem efficacem prædestinatorum ad gloriam sine meritis Christi fieri: quia tamen subinde dicunt ipsam, tàm gratiæ, quàm gloriæ collationem ex meritis Christi perfici, satis esse putant, vt tota nostra prædestinatio in Christi merita conferatur. Vel si placet rem altius repetere, exẽplum aliud accommodare possumus, quod in omnium sententia teneat: quia licet contendamus ipsam electionem prædestinatorum ad gloriam non sine meritis Christi factam: tamen fateri oportet illam efficacem excitationem, qua prima Christi Domini voluntas à Deo præuenta est, vt nostræ electioni causam daret, merita sua pro nobis offerẽdo, ex qua velut ex radice nostra prædestinatio pendet, non fuisse promeritam à Christo: & tamen id non valet, quominus absolutè dicamus Christum nostræ prædestinationis causam fuisse, quatenus excitationi illi respondens causam prædestinationis compleuit. Ergo ad eundem modum licebit dicere Virginem Christi meritis liberatam à peccato originali: quia licet omissio, seu dilatio creationis ipsius, ex qua pendet eius immunitas à lege, & à culpa, non fuerit ipsi parta ex meritis Christi, tamen propter eximia Christi merita factum, vt creatio illius postea decerneretur, atque præfata immunitate gauderet.

Obijciunt tamen aliqui ex nostra sententia consequenter confici, Angelos etiam redemptos fuisse: hi enim habuerunt obnoxietatem, & potentiam peccandi. 138 Ad hanc obiectionem respondeo sub distinctione. Nam vel id quærimus in sententia illorum, qui dicunt primam gratiam, & iustitiam, in qua creati sunt, ipsis ex meritis Christi partam: vel in eorum sententia, qui id negant. Aio igitur iuxta priorem sententiam dicendũ prorsus Angelos verè, ac propriè à Christo redemptos, & saluatos fuisse. Author est mihi huius pronuntiati, & asserti D. Bernardus, *Bernar.* qui sermone 22. in Cantica Christum Dominum verum Angelorum redemptorem fuisse, his verbis conficit: *At Angelis quomodo redemptio fuerit, non video: nec enim author illius, scriptura ve vspiam assentire videtur eos peccato extitisse captiuos, vel morti obnoxios, vt necessariam haberent redemptionem. Si igitur Angeli nunquam redempti sunt, alij utique non egentes, alij non promerentes: illi quia non sunt lapsi: hi autem quia irreuocabiles sunt, quo pacto tu dicis Dominum Iesum Christum eis fuisse redemptionem.* Ad hanc igitur dubitationem sic occurrit Bernardus: *Audi breuiter: qui erexit hominem lapsum, dedit sancto Angelo, ne laberetur, sic illum de captiuitate eruens, sic hunc a captiuitate defendens, & hac ratione fuit æque vtrique redemptor, soluens illum, & seruans istum.* Quid illustrius, aut dici, aut excogitari potuit? Hæc Bernardi verba vsque adeò thesim nostram declarant, & roborãt, vt illis tecta, & munita, non tantum se ipsam propugnare, sed etiam alias sententias oppugnare possit ad hunc modum. Non debuit Angelis melior, ac dignior redemptio præparari à Christo, quàm matri suæ Angelorum Reginæ, ac Dominæ: sed si concedamus in Virgine peccati debitum, vel necessitatem, Angelorum redemptio esset nobilior, atque excellentior, quam redemptio Virginis. Ergo.

Addendus etiam Bernardo D. Hieronymus, *Hieron.* siue Sophronius in epistola de Assumptione Virginis, 139 vbi non tantum eo sensu Angelos redemptos, & saluatos fuisse dicit, sed etiam digniorem saluationem Virgini præparatam: sic enim habet: *Nam eorum splendor, & gloria quanto illustratur fulgore suo sublimius, tanto apparet præstantior claritate quorumlibet subiectorum: sic & Beata Dei geni-*

trix, cuius plantatio quasi rosæ in Hiericò speciali, refulsit. Submittitur illi sanctorum claritas, vt eius amplius splendor, & gloria commendaretur, quæ super Angelorū choros eleuata iam beata, & beatissima prædicatur. Nam Angelorum quamuis celsior natura sit: non tamen gratia maior, quia ipsi gratuita gratia ne corruerēt saluati sunt (Adnota hæc verba) *Vnde Dauid verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorū. Quod si spiritu oris eius omnis eorum virtus subsistit, constat beatam, & gloriosam Virginem ampliora promeruisse virtutum priuilegia, & gratiam percepisse ab ipsis Angelis collaudatam.* Id est, gratiam accepisse, quam vel ipsi Angeli suspicere, & admirari possent. Loquitur autem Hieronymus etiam de gratia redemptionis: atque eo modo, ac forma Angelis superiorem fuisse dicit: subdit enim: *Vnde & si mirabilis est eorum virtus, ac firmitas perpetuitatis: mirabilior tamen in Maria:* cape verba. Quasi dicat: quamuis admiratione dignum sit Angelos ita saluatos, ne caderent, vt semper manserint constantes, & firmi in accepta iustitia, longe admirabilior est saluatio Mariæ, per quam maiori firmitate donata remotior fuit ab omni lapsu, & ruina, quàm Angeli. Quomodo autem Virgo à ruina longius recesserit, quam Angeli, & vim istius rationis dabimus infrà cap. 32. §. 2.

140. Quod si aliter dicas, ac sentias, scilicet Christum Angelis gratiam minimè promeruisse, consectarie affirmandum erit Angelos non fuisse propriè redemptos. Nam licet ex Dei gratia excitante, ac præueniente factum, vt in iustitia persisterent, atque adeò peccatum vitauerint: id verò non satis est ad redemptionem proprie dictam: hæc enim postulat, vt libertas per aliquem fiat, qui pretium offerat, vt de Christo Domino sentimus. Itaque sic respondeo: non est propria redemptio quælibet liberatio à peccato, sed ea, quæ fit per modum emptionis, in qua alter pretium offert, alter acceptat: siue pretium detur pro captiuo, vt à captiuitate vendicetur: siue pro eo, qui captiuitatem sustinere potest, vt ab ea securus, immunisque sit. Eapropter Angeli in ea sententia propriè redempti non dicuntur: quia eos liberalitas Dei seruauit à peccato, quod incurrere poterant, non pretium accipiendo, sed gratiam spontè donando: Maria tamen Virgo verè, ac propriè redempta dicitur à Filio, quia hic suæ passionis pretio, & æstimatione hoc illi obtinuit à Patre, vt ab illo peccato, cuius ipsam fieri participem ex vi originis naturalis non repugnabat, prorsus immunis esset.

SVPERIOR DE REdemptione Virginis sententia cum alijs confertur.

§. XI.

141. *Ad defendēdam Virginis redemptionem ab originali excogitata est diuisio debiti in remotum, & proximum.*
142. *Nomine debiti remoti non significatur necessitas ingrediendi communem legem, sed obnoxietas sola.*
143. *Hæc fuit mens Catherini, & aliorum Doctorum, qui Virginem peccati debitricem negant, & tamen eam redemptam asserunt.*
144. *A quibusdam perperam explicantur.*
145. *Qui Virginem à lege transfusionis excludunt, non possunt aliam redemptionis formam magis propriam in ipsa cogitare.*
146. *Ad redemptionem propriè dictam, nec peccatum, nec peccati debitum præsupponi probatur ex his, quæ de electione ad gloriam plures Theologi vltrò concedunt.*
157. *Confirmatur hæc probatio.*


ERTE Modus iste redemptionis à me hactenus assertus minimè nouus videri debet. Nam imprimis omnes illi, qui Virginem à lege transfusionis excipiendam putant, nihil accommodatum magis proferre possunt. 141

Recentiores non pauci, non alia ratione redemptioni propriæ locum esse putantes, nisi peccatum, aut aliquod peccati debitum intercedat: excogitant quidem duplex debitum: aliud proximū ex pacto Adami redundans, aliud remotum ex naturali generatione ortum. Itaque aiunt Virginem Deiparam à peccato exclusam, atque adeò prius debitum ignorasse: tamen ex Adamo naturali generandi ratione procreatam: atque adeò ea ex parte non quidem peccandi, sed in pactū intrandi debitum, & necessitatem habuisse: atque adeò ea ratione redemptioni locum dari existimant, quatenus Virgo per hoc posterius debitum obnoxia erat peccato; atque adeò ab illo redempta, & seruata dici potest. Hanc verò sententiam tribuunt Recētiores isti Catherino, Turriano, Salmeroni, Cornelio, Musio, Clictoueo, & alijs, qui Virginem à debito peccati originalis immunem fuisse asseuerant: quas sententias infra cap. 31. can. 1. fusius adscribemus.

142 Cæterum si res hæc libræ tradatur, aut præscripti authores nobiscum sentiunt, aut nihil solidum affirmant. Nam si velint debitum illud intrandi pactum, quod remotum appellant, ex naturali generatione contractum aliquam necessitatem, vel obligationem includere.nec solam, puramque obnoxietatem,& aptitudinem, prorsus decipiuntur:quia vt alias obseruaui,& copiose tractaui supra cap.1. §. 7. naturalis generatio non est per se alligata pacto transfusionis:nec rursus pactum naturali generationi per se obstrictum est: neque vnum alterius exigẽtiam aliquam habet, sed supra generationem naturalem pactum transfusionis liberè cecidit: atque adeò libere etiam Deus arbitrio suo illud moderari potuit,hos includens, & illos excludens.

143 Quapropter dicendum locupletissimos illos Doctores, qui Virginem ex pacto, & communi lege excipiunt, & eam nihilominus peccato originali obnoxiam deprædicant ratione generationis naturalis, nullam certè necessitatem,sed solam illam,& puram aptitudinem, seu obnoxietatem à nobis supra adscriptam in ipsa fateri: quia nimirũ cũ similem ad modum per generationem naturalem,sicut alij Adami filij,progenita fuerit, aptitudinem habuit, vt simili quoque ratione culpa ad ipsam descenderet,quemadmodum in alios Adæ filios propagata fuit: ratione cuius aptitudinis aliquo modo, quamuis impropriè debitrix peccati; benè tamen ac propriè peccato obnoxia, & subiecta dici potest,quatenus illud contrahere ex vi originis non repugnaret, si pactum ad originem accederet, quod ad redemptionem per se necessarium omnes dicimus. Et sanè ea ex parte caute legendi sunt Doctores præfati, quos quidam pugnantia dicere ex eo sibi persuadent: quia cum Virginem à communi lege exceptam,nec in Adamo peccasse, nec Adami filiam esse, nec debitum peccati contraxisse seriò affirment: statim addunt, illam obnoxiam peccato, atque adeò redemptam fuisse. Sed tamen eorum mentẽ assequuti nõ sunt. Etenim dum Virginem ea ratione ex vi originis suæ obnoxiam, & subiectam peccato asserunt,nihil præter dictam obnoxietatem naturalem, & potentiam originaliter peccandi significare voluerunt, quam propter similitudinem naturalis originis in Virgine agnoscebant. Necessitatem verò,obligationem,ac debitum omne,siue peccandi, siue in pactum intrandi, nullam omnino asseruerunt.

144 Sed dices præfatos authores, non quidem necessitatem aliquam intrandi pactum in Virgine asseruisse, sed conuenientiam,quatenus ita expedire videbatur, vt ea, cuius non erat inæqualis conditio secundum naturam,neque dispar generationis modus, eidem cum alijs pacto, & legi subiaceret, ne videretur Deus personarum acceptor. Respondeo in his, quæ ad gratiam, & liberalitatem Dei referuntur, eiusmodi conuenientias non obseruari: quia ex eodem luto vas honoris, & vas contumeliæ confingere Deo liberum est,nec licet illi obijcere: *Cur ita facis?* Et quamuis prædictam conuenientiam admittamus: tamen hæc nec debitum, nec obligationem, nec vllam denium necessitatem inducit,quam ad redemptionem aduersarij necessariam ducunt.

Quapropter dicendum omnino eos, qui Virginem Deiparam à peccati originalis debito immunem esse decernunt ex eo capite, ac nomine, quia lege transfusionis comprehensa non fuit, frustrà, & incassum eniti, vt aliam, quàm eam, quæ à nobis adstruitur, redemptionem in ipsa ponant. 145

Neque verò id mirum videri debeat, si ad redemptionem propriè dictam, nec peccatum,nec peccandi necessitatem requiramus: nam præterquamquod hoc in redemptione actualium peccatorum euenire suprà ostendimus, argumento quodam ex his, quæ vocant ad hominem, scrupulum illum præmissis autoribus euellere conabor. Certè in schola subtilissimi Doctoris,& omnium,qui prædestinationem Christi Domini ante præuisionem peccati factam asseuerant, constans doctrina est electionem efficacem prædestinatorum ad gloriam ante peccati præscientiam præmitti debere, non aliter, nisi per Christi merita quæsitam, & partam. Illud igitur ab his, qui talia sentiunt, inquiro: an istiusmodi electionem efficacem prædestinatorum, in qua ceu in radice tota electorum salus continetur,Christus Dominus tãquam redemptor promeruerit, & an gratia reconciliationis fuerit? Profectò si ita sentiant gratiam redemptionis, & reconciliationis fuisse meritis Christi partam(iuxta illud Pauli ad Ephes.1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem,vt essemus sancti*: atque iterum: *Prædestinauit nos in adoptionẽ per Iesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ suæ,in qua gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius,&c.*) cõcedere debent redemptionem propriè dictam sine peccato, aut peccati necessitate: quia tunc cum prædicta electio ab ipsis adstruitur, nullum erat peccatum præuisum,re ipsa perpetratum,nec peccati debitum,sed tantummodo Deus prænouerat eos,quos elegerat, suapte natura esse peccabiles. 146 *Ad Eph. 1.*

Quod si dicant præfatam electionem prędestinatorum ad gloriam non esse gratiam redemptionis, & reconciliationis (vt docet Suarez 1.par.lib.2.de causa prędestinationis cap.24. qui eapropter merita illa ab vtroq; statu passibili, & impassibili abstrahentia sibi cõfinxit)inde mihi perurgendi videntur. Nam si electionem illam, quæ in radice, & 147 *Suarez.*

semine

ſemine omnium prædeſtinatorum ſalutem continet, adeò vt illa poſita non poſsint non ſalutis ſuæ compotes fieri, ſine meritis paſſionis, & ſine gratia reconciliationis, & redemptionis acquiri, & parari potuiſſe vltro annuũt hi Theologorum proceres, nequidquam eos arguere licebit, qui in liberatione Virginis à peccato originali in primo conceptionis inſtanti, non ita perfectam redemptionis, & reconciliationis formam inueniri dixerint: præſertim in noſtra ſententia: qui tam liberationẽ iſtam, quam omnem aliam gratiam Virgini collatam ſub paſſionis Chriſti meritum cecidiſſe ſeriò pronuntiamus.

VLTERIVS SECVNdum præſcriptam ſententiam redemptio Virginis à peccato originali propria, ac rigoroſa ſolidiùs defenditur.

§. XII.

148. Virgo ab originali non ſecus redẽpta, quàm veteris teſtamenti Patres.
149. Non eſſe, aut non exiſtere abſolutè, vel pro aliquo tempore beneficij rationem habere poteſt.
150. Antiquos Patres à Chriſto verè, ac propriè redemptos alij aliter defendunt.
151. Vera ſententia.
152. Negationem futuritionis pro eo inſtanti, in quo homines fore decreti ſunt, & excluſionem à pacto, & lege communi Chriſtus Virgini meruit.
153. Proponitur grauis obiectio contra dicta.
154. Diluitur propoſita obiectio, & negationem futuritionis Beatæ Virginis, eiuſdemque exclusionem à pacto non fuiſſe principium prædeſtinationis Chriſti probatur.
155. Roboratur, ac declaratur ampliùs iſta poſitio.
156. Propter dictam negationem futuritionis, & conſequentem ex illa excluſionem à pacto ex meritis Chriſti factam, Virgo Deipara verè, ac propriè redempta dicitur.

148 VAMVIS Ea, quæ hactenus in hoc capite à §. 9. de redemptione Virginis à peccato originali præfati ſumus, ſatis mihi videantur ad eam ſolidè tuendam: tamen aliquid ſolidum magis, ac firmum ſuppetit adhuc, quod (niſi fallor) huius controuerſiæ cũctam difficultatem diluit.

Dico ergo (rem tene) B. Virginem ab originali peccato verè redemptam, nõ ſecùs ac antiqui progenitores Chriſti Domini verè ab ipſo redempti ſunt: ſentio enim nihil difficultatis in redemptione Virginis ſecũdum ordinem decretorum aſſignatũ reperiri poſſe, quod non debeat quoque in redemptione veteris teſtamenti Patrum ſimiliter peruinci. Filum ergo decretorum, & redemptionis ſic iterum perſtringo.

Primò definitus eſt Adam cum omni ſua poſteritate ex ipſo futura, pro qua lata eſt lex de transfuſione gratiæ, & per conſequẽs de transfuſione peccati ex ipſo Adamo. In hoc inſtãti noluit Deus, vt futura eſſet Beata Virgo, & conſequenter noluit illam cum reliqua Adami poſteritate in legem transfuſionis venire, nec peccato primi hominis ſubiacere. Et ſanè in hoc decreto aliquod beneficium agnoſcere oportet, commune quidem cum omnibus alijs hominibus poſſibilibus ex Adamo, quorum futuritio tunc decreta non fuit. Sed licet commune beneficiũ fuerit: tamen reuerà beneficium, quale agnouit Chriſtus Dominus in Iuda, ſi non eſſet natus, cum dixit: *Bonum erat illi, ſi non eſſet natus homo ille*: quia nimirum ſi non fuiſſet natus, Magiſtrum Dominum Ieſum non proderet. Si enim Iudas intra poſsibiles homines remaneret, neque in mundo exiſteret, tantum quidem ſcelus minimè commiſiſſet, & caruiſſet tanto malo: atque adeò beneficium illi eſſet non naſci, quandoquidem natus tanto facinore ſe ſponte obſtrinxit. Hoc idem beneficium agnouit Auguſtinus pluribus in locis contra Semipelagianos ex Sapientiæ 4 *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius.* Deus enim præſciẽtia ſua cognoſcens puerum baptizatum, ſi ſuperſtes foret, in hac, vel illa occaſione peccaturũ, tempus vitæ maturius, in ipſa ſcilicet infantia præcidit, ne ad occaſiones peccati pertingeret. Quapropter mors ipſa, & negatio exiſtẽtiæ pro illo tempore, in quo peccandi occaſionem euenire oportebat, beneficium non modicum fuit. Ergo ſimilem ad modũ, quod non fuerit decreta Virginis Deiparę futuritio pro eo inſtanti, in quo ſi decreta foret, communi cum alijs iure, legi transfuſionis, atque peccato ſubiaceret, imò & peccatum re ipſa contraheret, beneficium ingens fuit relatè ad eius exiſtentiam ſubinde alia ex cauſa decernendam, vt ſtatim dicemus.

Deinde verò poſtquam Chriſtus Dominus propter peccatum prędeſtinatus eſt, Beatæ Virginis futuritio decreta eſt: nimirum eo tempore, quo nullum ei peccandi periculum imminebat: quia nimirum pactum, & lex ad illos tantummodo Adæ filios, qui prius præuiſi fuerant, extendebatur: quæ quidem

Marginal notes (right margin, in order): 149 [beside "Primò definitus eſt Adam"]; Auguſt. [beside "Hoc idem beneficium agnouit Auguſtinus"]; Sapien. 4. [beside "Sapientiæ 4"]; 150 [beside "Deinde verò poſtquam Chriſtus Domi-"]

dem futuritio, & prima conditio Deiparæ propter Christi merita definita, & obtenta fuit, vt suprà confecimus. Vlteriùs autem sic adstruo, illud etiam beneficium, quod in negatione futuritionis Beatæ Virginis agnoscimus pro eo instanti, & signo, in quo pacti cum Adam o initi celebratio definita est: nimirum pro eo signo, in quo si futuritio eius decreta esset, peccati rea generali iure nasceretur, meritis eiusdem Christi Virgini partum, & quæsitum fuisse.

Notandū verò est certum, & constans Catholicorum dogma Christum Dominū nō solum his, qui post illū extiterunt, hominibus, sed etiā illis, qui ipsum præcesserūt, Patribus omnē gratiā promeruisse: ita vt non secus veteris testamenti priores, quam noui posteriores ab ipso redēpti, assertiq; dicātur. Sed qua ratione, inquies, futura Christi merita antiquis illis Patrib' gratiā impetrare potuerūt? Quonam modo ad collata iā olim beneficia merita cōsequētia pertingere potuerūt? Plures certè affirmant Christū Dominū antiquis Patribus per gratiarum actionē salutē impetrasse: nimirum ideò impetrasse, quia omnia sua merita pro donis iā olim collatis in actionē gratiarum obtulit Patri. Quod si obijcias actionis gratiarū id esse propriū, vt beneficia ipsa iam inde à donante collata essentialiter præsupponat: est enim gratia pro collatione relata, non vt fiat, sed quia facta est: atq; inde fieri dicas, vt eiusmodi beneficia sub meritū gratiarū actionis cadere non potuerint. Quidam Theologi respondent eiusmodi beneficia præsupponi, ac priora esse meritis Christi ordine intentionis in præparatione efficaci Dei: nō verò ordine executionis in donatione. Putant enim ea, quæ efficaciter in intentione, sine meritis decreta sunt, in executione pro meritis à Deo retribui posse. Sed tamen hanc doctrinam sæpè alias refutauimus, tum vel maximè supra cap. 6

Alij rursus aiūt istiusmodi dona in antiquos Patres collata præsupponi vtique relatè ad intentionē Christi agētis gratias, tanquā obiectū: hic enim non potuit agere gratias nisi pro beneficijs iā acceptis: nō verò relatè ad intentionē Dei eadē cōferentis, tanquā præmiū. Hic enim rectè potuit multa dona hominibus eo nomine præparare, ac cōferre, quia sperabat pro his gratias sibi à Christo exhibēdas: quia collatio eorū donorū non est causa, aut principiū relationis gratiarū, quā posteà exhibuit. Cæterum huic etiā solutioni nō assentior. Nam vt constat ex dictis suprà §. 3. sect. 5. vt talis gratiarum relatio verè, ac propriè meritū esset eorū beneficiorū, quę Deus antiquis Patribus contulit, debuit quidē antecedere voluntatē Dei efficacē ea conferendi, vt ipsam inducere, ac mouere posset: atq; adeò oportuit, vt prius à Deo præuideretur, quam præfata beneficia donare efficaciter apud se statueret: id verò impossibile prorsus est. Nam cum gratiarum relatio essentialiter præsupponat dona iam inde collata, & accepta: hæc autem vt sic præsupponant etiam voluntatem Dei donantis, non potuit certè Deus relationem gratiarum à Christo factam præuidere, antequam prædicta dona efficaciter decerneret: atque adeò voluntatem eius ad donationem nullo modo inducere, ac permouere valuit.

Quapropter alij rursus docent Christū Dominum antiquis Patribus meruisse non gratiarum actione, sed generali quadā suorū meritorum applicatione, & oblatione pro cūctis in vniuersum hominibus, non determinando præteritos, aut futuros, nec designādo ipsa beneficia, aut collata, aut conferēda, sed ab his abstrahendo. Putant enim Christum Dominū hac generali oblatione vsum fuisse: cū enim sciret totius generis humani mediatorē se à Patre creatum, se quoq; totum, ac cuncta sua merita in vniuersum pro genere humano deuouit, vt quidquid vellet Pater, pro meritis ipsius eisdem hominibus donaret: quæ oblatio sufficientē applicationē meritorū ipsius cōtinere videtur: & cum alioqui non præsupponat beneficia ipsa iam collata, rectè potuit Deus per illam ad ea conferenda induci, ac moueri.

Sed tamen hic modus dicendi aliquas etiā non leues difficultates præsefert. Imprimis enim nō omnino credo eā oblationē suorum meritorum generalē, nō determinatis personis, nec beneficijs singularibus, à Christo factā fuisse. Nā cū Christus ab initio suæ cōceptionis omnia, & singula intuitiue cognosceret, quæcumq; Deus, aut iā fecerat, aut facere apud se statuerat, talis actus volūtatis cōfus', & indeterminat' parū decēter ipsi tribuitur. Fortasse etiā iste actus possibilis in Christo nō fuit: quia cū cognitione intuitiua rerū singulariū, vt verior sententia fert, nō potest simul esse, ac cōponi cognitio vniuersaliū, ac rerū in cōmuni: atq; adeò Christus, qui intuitiuè sigillatim, & in particulari, tam personas præteritas, & futuras, quā beneficia collata, & conferēda in se ipsis cognoscebat, nō poterat certè, neq; personas in communi abstrahendo à singularibus, neq; beneficia in vniuersum abstrahendo similiter à particularibus intelligere: ergo neque pro his vt sic aliquid offerre valebat. Ob eandem enim rationem diximus supra c. 6. Deum propter merita in vniuersum gloriam decernere non posse: & in hoc cap. §. 5. docuimus pactum Dei cum Adamo non pro indeterminatis generaliter, sed pro determinatis, & particularibus sigillatim celebratum fuisse. Rursus Theologi applicationem istam meritorum Christi non alio nomine, ac titulo exposcere videntur, nisi vt Christus his potius, quam alijs gratiā impetraret, & pro his potiùs, quam pro illis oraret. Atqui eiusmodi applicatio generalis meritorum æqualis omnino est pro om-

nibus: atq; adeò frustra, & sine vsu aliquo ponetur, vt ex infra dicendis amplius patebit.

151 Assero ergo præmissum illud dogma (vt initio dixi) ad fidem catholicam spectare, & ad ea, quæ de Virgine Deipara, & de illius redemptione subinde dicturi sumus, satis esse, si omnino certum, ratumque sit Christum Dominum meritis suis antiquis Patribus gratiam impetrasse: tamen, vt ea, quæ supra diximus in hoc cap. §. 3. sect. 5. sarta, tectaque sint: si côiecturis indulgere fas est, circa præsentem controuersiam aliquid dicam non seriò, & affirmatiuè, sed quod lectoris iudicio omnino subiectum esse volo. Cui hoc negotij nunc do, vt videat, an sine iniuria veritatis, & aliorum fidei nostræ dogmatum dici possit, Christi merita ex natura rei, & essentialiter ad diuinam voluntatem mouendam, non indiguisse peculiari, aut generali applicatione ipsius, sed ex natura sua referri ad omne præmium, quodcumque Deus propter illa retribuere vellet. Hoc pronuntiatum roborari potest exemplis. Primum est Adami, qui propterea quod ex pacto, & lege Dei hominum caput constitutus fuit, si in accepta iustitia perseueraret, quamuis suæ perseuerantiæ opera posteris expressè nô applicaret, reuerà illis gratiam originalem promereretur, non de condigno, sed de congruo, vt docet Sanct. Thom. 1. 2. quæst. 63. artic. 3. Sed Christus eodem modo ex lege, & decreto Dei hominum caput constitutus, & creatus est: ergo, illo etiam non applicante expressè merita sua, ipsamet ex natura sua ad mundi reparationem referrentur, vt pro illis Pater hominibus quæcumq; beneficia conferret. Secundû exemplû petitur ex Sanctorum meritis, quæ iuxta communem Theologorû sentêtiam in Ecclesiæ thesauris reposita sunt: & quia omnes fideles eiusdem corporis membra censentur sub vno capite Christo, quâtumuis ipsimet Sancti suorum operû merita alijs expressè nô accômodauerint, summus Pontifex per potestatem à Christo acceptâ, ea applicare, dispensare, & accômodare potest his, vel illis ad remissionê pœnarû, quę per indulgêtias exhibetur. Ergo similê ad modû, quamuis Christus Dominus sua merita de facto nô applicaret: quâdoquidem præcipuû erat, & maximè nobile Ecclesię mêbrû, poterat quidê Deus ipsa pro quocumq; beneficio hominibus collato, aut conferendo acceptare, & propter ipsa quodlibet donû hominibus retribuere. Tertiû exêplum suppetit ex humanis: nam Reges beneficia, & dona in subditorû filios, & nepotes conferre solent propter merita patrû, & auorû, qui iam inde extremâ diem obierunt: beneficia inquam, quæ nec parentes ipsi, aut aui postularût, nec postulare potuerût: non alia ex causa, nisi quia parentû merita suapte natura ad quæcumq; præmia referuntur, quæ filijs côcedi possût. Quod etiam in ipso Deo obseruare licet, qui quemadmodû delicta parentum in filijs punire, sic etiam merita, & bene acta in eisdem præmio afficere solet, etiamsi patres nec pro filijs orauerint, nec sua illis expressè merita accommodauerint. Ergo potiori iure de Christi meritis idem censendum est, qui ex diuina ordinatione propter salutem nostram prædestinatus, & nobis etiam communis pater præfectus est, ita vt magis ad ipsum omnes homines, quàm filij ad proprios parentes, pertineamus.

Vlterius addo, quod licet hæc Christi merita ob rationes prçmissas, sublata quacumq; singulari, aut generali applicatione ipsiusmet Christi, ex natura sua ad quodcumq; prçmium, vel donû referrentur, quod à Deo in homines proficisci poterat: tamê ex peculiari decreto, & promissione Dei Christo facta constitutum fuisse, ne qua gratia in homines deriuaretur, quâ ipse Christus applicatis specialiter, & sigillatim meritis suis nô postularet, atq; obtineret. Hac verò promissione facta, de cętero salus hominû sic gesta fuit. Pater (verbi causa) desiderans simplici affectu fidem constantem D. Petri, excitauit Christi voluntatê, vt pro ipsa obtinêda merita offerret sua: ac sic demû his meritis inductus decreuit efficaciter côgruentê gratiâ Petro exhibere, per quâ à fide accepta non excideret, & sic de alijs. Quod priuilegiû Virgini etiam Deiparæ indultû sensit Bernar. & alij passim Patres, quorû testimonia dedimus in c. 8. Prouerb. ver. 18 vbi verba Bernardi subijcio, quę sunt: *Hæc est voluntas Dei, qui totum nos voluit habere per Mariã*, ser. de Natiuit. Hoc tamen decretû, vel promissio Dei (quâ ideò tantum adstruimus, vt defendamus Christû Dominû causam fuisse electionis aliorû præ alijs) non fuit vtiq; facta relatê ad beneficia, & gratias antiquis Patribus collatas: in his enim non potuit voluntas Patris applicationê meritorû Christi pro his potius, quam pro alijs prçstolari: tum quia pro illis non aliter Christus merita sua accommodare, & applicare poterat, nisi in relationê gratiarû pro donis iam acceptis: atq; adeò beneficia iâ præstita supponebantur, vt nuper dicebamus: tum etiam quia, vt docet P. Vazq. 1. p. disp. 94. c. 3. Christus Dominus merita sua, nec oratione, nec gratiarum actione ita pro antiquis Patribus offerre potuit, vt causa esset electionis vnius præ alio, aut hæc potius, quam illa dona eisdem promereretur.

Habes iam latissimâ differentiâ eorû hominû, qui ante Christû fuerunt, & eorû, qui post Christû extitere, respectu meritorû Christi: pro his enim necessaria fuit applicatio eorûdê meritorû facta in singulari ab ipso Christo, non quidem ex indigentia naturali ipsorum: nam secundum se, & ex natura sua, merita Christi satis idonea erant, & sufficientem relationem habebant, vt Pater pro illis ea omnia hominibus impenderet, quæcumque

vellet:

vellet: sed propter speciale decretum Dei, quo statuerat nihil gratiæ re ipsa alicui ex his, qui Christo posteriores fuerunt, conferre, nisi ipsomet Christi orante, atque exorante. Pro illis verò, scilicet pro antiquis Patribus, non ita: quia nimirum nulla esse poterat specialis, particularis, & determinata oblatio, quæ ipsam collationē beneficiorum non supponeret: vniuersalis verò, & indetermina ta applicatio ipsi Christo indecens, ne dicam impossibilis erat.

Quapropter dicendū omnino ChristūDominū reuerà gratias egisse Patri pro beneficijs illis, quæ à Deo in antiquos Patres profecta fuerāt: ita enim postulabat gratitudo: sicut etiā gratias egit pro omnibus etiā gratijs, ac beneficijs, quæ his, qui ipsum insecuti sunt, hominibus propter sua merita certo sciebat cōferenda, vt constat ex illis verbis Ioan. 11. *Pater gratias ago tibi, quoniā audisti me: ego autē sciebam, quia semper me audis, &c.* has tamen gratiarū actiones in præuisione Dei nō antecessisse decretū efficax collationis eorū donorum, sed magis illud insequutas fuisse, vt ex dictis cōstat: atq; adeò non ipsas, sed reliqua omnia Christi merita à Deo fuisse prę-uisa, & acceptata pro præfatis beneficijs, eo modo, quo ipsa ex natura sua ad illa referebā tur, vt dictū est. Neq; verò acceptationes admitto ad complendā rationē meriti, absit: sed merita Christi talia fuisse dico; vt per illa quantumuis condigna, diuina voluntas non necessariò, sed liberè moueretur: quod in omni opinione certum, ac ratum est.

Ioan. 11.

152 Ex his, quæ hactenus constitui, ad redemptionem B. Virginis gradū faciens, ita decerno negationē futuritionis eiusdem Virginis pro eo instanti, in quo pacti cū Adamo initi celebratio decreta est, & exclusionem illius à pacto, atq; futuritionem ipsius (si fas est dicere) posthumam, & pacto ipso posteriorē: hæc inquā omnia iuxta præmissum iā inde supra decretorum ordinem ex meritis Christi eidē Virgini cōtingere potuisse: etiamsi Christus post Adami peccatū præscitū, & post omnes illius posteros originali peccato commaculatos iam præuisos, prædestinatus fuerit. Id autē sic probo: quia Christus Dominus antiquis Patribus ideò cuncta gratiæ dona promeruit, quia quamuis eiusmodi dona prius illis collata fuerint, quam Christus existeret: tamen in præuisione Dei decretum efficax collationis non antecessit præscientiā meritorū Christi: sed ipsam potius cōsequutū est: atq; adeò per hæc merita, vt sic præscita, ad præfatam collationem efficaciter decernendam diuina voluntas induci potuit. Sed simi lem ad modum denegatio efficax futuritionis B. Virginis pro instanti celebrationis pacti, & quę inde sequuta est exclusio ab eodem pacto, & lege communi, atq; futuritio quoq; ipsius posthuma nō præcessit efficacem prædestinationem Christi, neq; præscientiā meritorum ipsius: ergo sub efficaciam istorū meritorum omnino cecidit. Minor propositio, cui tota difficultas incūbit, ex solutione duarum, quas iam iam subijcio, obiectionum comprobanda est.

Ergo contra hanc assertionē duas difficultates obijcere licet, ex quarum solutione lucem splendidiorem accipiet. Altera sic habet. Quia nimirū ante gratiam antiquis Patribus collatā, & ante futuritionē eiusdē Virginis in mente diuina supponitur Christus prædestinatus, & ex istētia illius decreta, atq; adeò quidquid deinde consequens fuerit, ex eius meritis datum affirmare licet: at verò illa, quæ prædestinationē Christi antecedūt, non possunt ex Christo habere principium. Sed negatio illa pacti pro B. Virgine, & negatio futuritionis eius cum reliquis posteris Adæ fuit omninò ante Christum prædestinatum definita, secundum ordinem decretorū assignatum: ergo non potuit ista negatio futuritionis pro illo signo Christi meritis tribui. Sed ex illa negatione futuritionis pendet negatio debiti, & negatio peccati: ergo B. Virgo ex Christi meritis non habuit negationem peccati originalis, aut debiti, de quo est præcipua nostra controuersia. Illam autem propositionem minorē ex ordine prę-scripto decretorū, & instantium comprobare procliue est: quia primū decretum fuit omnium futurorum determinatè, excepta humanitate Christi, & B. Virgine, de quibus pro eo instanti nil est actum. Secundum decretū, vt omnes hi ex Adamo originem traherent. Tertiò decreuit Deus omnibus his dare gratiam, perseuerante Adamo, & dependenter ab ipso. Quartò vidit Adam, & omnes in peccato. Quintò volens Deus his mederi, decreuit Christum. Sexto voluit hunc Christū nasci ex muliere: non quidē ex vlla earum, quas præuiderat in primo, secundo, & tertio instāti: sed aliam denuò, quæ eatenus tantum erat possibilis, neq; in pactum fuerat ingressa. Ex quo ordine argumentum sic conformo. Christus Dominus non est decretus, nec præuisus vsque ad quintum instans: sed B. Virgo fuit exclusa, antequam Christus esset prędestinatus: ergo non fuit exclusa propter Christum, neq; orantem, neque gratias agentem, quia tunc nō erat Christus futurus. Sed ex illa exclusione à pacto formaliter pendet exclusio à debito, & à peccato originali, quod contrahi non potest in aliquo, qui in lege, & pacto prius inclusus non fuerit: ergo B. Virgo non fuit liberata, & exclusa à debito, & peccato originali propter Christum. 153

Sed tamen ad præscriptam difficultatē facilē suppetit responsum. Nā in assignādo ordine decretorūDei, illud tantum dicendum est præcedere; quod habet aliquē ordinem causæ, principij, aut cōditionis, quæ se tenent ex parte causæ, & principij requisiti, ac prius efficaciter voliti, vt in eo §. 3. sect. 5. perspicue 154

docuimus (hic enim non assignamus ordinē realem diuersarum rerum: sed in vno, atq; indiuisibili decreto Dei ordinē nostro modo concipiendi statuimus relatè ad res, quæ causæ, & principia inter se se sunt) ergo in hac serie decretorū supra assignata ante Christum prædestinatū illud solū in Dei intētione pręcedere statuendum est, quod fuerit causa, vel principiū motiuū, vel quacunq; alia ratione occasio, cuius vel permissio prior fuerit respectu prædestinationis ipsius Christi. Hac ratione necessariò præcessit hāc prędestinationē Adam cū sua gratia originali, peccatū ipsius, pactū, lex, & posteri, pro quibus est lata, eorumq; peccatū, quia ea omnia sunt aliquo modo principia, seu occasiones prædestinationis Christi modo dicto. Reliqua autē, quę ita principia nō sunt per se, licet realiter pręcedant secundum tempus, vel secundū alium ordinē, optimè possunt subsequi Christū prędestinatū in ordine meriti: qualis fuit pœnitentia Adæ, quia licet hæc fuerit ante Christum: tamen in ordine decretorū non pręcessit, vt ratio motiua prædestinationis, &c. Sed exclusio positiua Virginis à pacto illo cōmuni, & negatio futuritionis eiusdē cū reliquis Adę posteris pro eo signo, in quo lex decreta est, non fuit prædicto modo causa, aut principium prædestinationis Christi: ergo ordine causalitatis non præcessit Christū prædestinatū. Sed si ita non præcedit ordine causalitatis, potest subsequi in ordine præmij, & meriti: ergo illa exclusio potest esse ex meritis Christi. Assumptam illam propositionē minorem sic probo. Quoniam exclusio illa Virginis à pacto, & à futuritione pro eo instanti dupliciter potest intelligi. Primò, vt fuerit voluntas communis ipsi Virgini, & omnibus alijs hominibus possibilibus, quorū futuritio tunc etiam decreta non fuit: ita vt sit beneficiū cōmune Virginis cū his hominibus. Hac verò ratione illam voluntatē, seu nolitionem communē non esse causam prædestinationis Christi certo certius est. An non ille, qui asserat Christū Dominū ideò prędestinatū fuisse, quia Deus noluit plures homines esse futuros, quàm eos, quos decreuit, ridiculū, & absurdū dogma enūtiaret? Ita plane. Alio modo potest intelligi exclusio illa Virginis à pacto, & futuritione pro eo signo, ita vt fuerit specialis voluntas circa Virginem excludēdam ex speciali fine, & motiuo maternitatis, &c. Hoc tamen falsum est: nō enim est fundamētum aliquod, vt asseramus speciale fuisse decretū nolitionis, vt Virgo foret ante præuisum peccatum, cū ex ordine decretorū assignato constet, deficiēte peccato, haud dispari modo tum ipsam, tum cæteros homines possibiles, imò etiam ipsam humanitatem Christi communi quadam conditione intra causas suas mansuram.

155 Sed vrgebit fortasse aliquis, illam nolitionē existentiæ, seu exclusionem Virginis à futuritione, & pacto pro eo instanti, non posse habere rationē beneficij respectu Virginis, nisi consideretur, vt circunstātia pacti cū Adamo initi pro tota posteritate ex ipso, & per ipsum peccati labe inficiēda, à qua infectione liberati sunt, quotquot tunc decreti sunt non futuri. Ergo hoc decretū nolitionis se tenet, vt circūstantia saltē concomitans pactū, quod sufficere videtur, vt dicatur ordine naturæ pręcedere ante prędestinationē Christi. Verùm obiectio hæc leuioris momēti est: nā licet prędicta negatio futuritionis, vt induat rationē gratiæ, requirat liberationem ab aliquo malo, & ita quasi malū imminēs supponat, scilicet peccatū Adæ, aut periculū illius cōtrahendi, à quo liberata fuit Virgo, quia nō fuit circūscripta lege, & pacto, vtpote tunc nō futura: tamen non propterea affirmare licet Virginē futurā vt sic fuisse causam, occasionem, conditionē, vel circunstantiā tenentē se ex parte illius, quod fuit principium Christi prædestinationis formaliter: quia peccatum Adæ, & posterorū non fuit occasio prædestinationis Christi, quatenus ab illo liberata fuit Virgo, & alij homines possibiles, qui decreti non sunt, nec voluntas efficax liberandi reliquos Adami filios præsupposuit voluntatem efficacē excludendi Virginē cū reliquis possibilibus, à futuritione, aut à pacto, sed absolute, quatenus in Adamo, & filijs de facto contractū est: Christus enim prædestinatus fuit primò, & per se tantùmmodo propter peccatū Adæ, & filiorum eius in ipsis iam cōtractum. Quare illa exclusio Virginis à futuritione, & à pacto nullā influentiam physicam, aut moralem habuit in prædestinationē Christi, nec voluntas efficax illius ante efficacem voluntatem prædestinationis Christi in ordine intentionis Dei præsupposita est. Quapropter nihil prohibet, quominus rectè illius meritis obtineri potuerit, sicut aliæ innumeræ res: scilicet ipsa Virginis existentia, maternitas, &c. quæ quia ordine causæ non præextiterunt ante Christum, potuerunt esse, & reuerà fuerunt ex meritis eiusdem.

Posterior difficultas leuior est: nimirū quomodo propter hanc exclusionē specialiter dicatur B. Virgo redempta à culpa originali, & à debito illius. Primò, quia beneficium hoc commune fuit cum alijs creaturis possibilibus. Deinde etiam quia cum in instanti, quo producta fuerit, nequiret in peccatum incidere, non videtur propriè liberata à peccato, in quod incidere non poterat. Respondeo erga reliquas creaturas possibiles, quę mansuræ erant semper intra causas, negationem futuritionis pro illo instanti rationem beneficij habere non potuisse: secùs erga B. Virginem. Quia B. Virgo cum in aliqua differentia tēporis reuerà fuerit, rectè dicitur accepisse illud beneficium negationis existentiæ pro eo signo, ex quo pendebat exclusio à pacto, & lege cōmuni, & immunitas à delicto. 156

Sicut

Sicut ille, qui immatura morte præripitur, ne, si diutiùs viueret, peccati quoque laqueis adstringeretur, beneficium non modicum à Deo excepit. Et mihi quoq; beneficiũ nõ leue impendit Deus, quod nõ ante ipsius in carne aduentũ, sed subinde post fidei propagationẽ productus fui. Ideò verò negatio existẽtiæ pro illo tẽpore mihi pro beneficio nunc est: quia licet pro tũc non existerẽ, cum huic beneficio causa dabatur, tandẽ aliquãdo productus illius compos factus sum. At verò reliquę possibiles creaturę, cũ in nulla temporis differentia sint, nec fuerint, nec futurę sint, nõ sunt capaces illius beneficij: vel si capaces aliquo modo essent: non tamen plenè, neq; hoc beneficium à Christo consequutæ sunt: quia Christus Dominus, neq; orauit, neq; gratias egit Patri pro hominibus possibilibus tantũ, sed pro aliquãdo futuris: scilicet pro B. Virgine, quã considerans conceptã, & natam, & suã matrẽ, & ab omni peccato, & debito immunem, & lege cõmuni, & pacto non cõprehẽsam, neq; cũ reliqua perditionis massa permixtã: in his omnibus beneficiũ suæ matris, & suum quoq; Christus agnoscens, gratias ingentes propter illud egit Patri æterno, & per gratias id ipsum promeritus est. Ideò enim tantũ beneficiũ collatũ fuit Christo, & Virgini à Patre, quia videbat propter ipsum futuras has Christi gratias. Quod verò sufficiat hoc ad redemptionẽ Virginis à peccato, & debito, inde patet: quia nõ minus redimitur quis, cum à peccato, cuius alias capax existit, seruatur, quam cum à peccato, cuius est reus, verè emũdatur, vt supra latissime cõprobaui.

OMNEM GRATIAM Virgini collatam esse gratiam redemptionis alio sensu probatur.

§. XIII.

157. Omnis gratia Virgini collata, etiam gratia creationis, fuit redemptionis, & reconciliationis gratia ad delendum peccatũ per se ordinata.

158. Gloria accidentalis per Christi merita Angelis collata, & ipsa etiã gloria corporis Christi gratia reconciliationis fuit.

159. Confirmatur amplius hæc doctrina.

160. Ex illa thesis initio proposita conficitur.

161. Censura Theologorum, qui opinionem Catherini, & Galatini damnant, nostram ne leuiter quidem attingit.

157 IS Tamen omissis illud mihi videtur omnino necessarium, omnem gratiam, quæ per Christi mortem hominibus parta est, per se aliqua ratione ad peccatum delendum ex primaria intentione ordinari. Nam cum ratio primaria, & adæquata aduentus Christi in carne passibili, & mortali, fuerit peccati destructio (vt supra non semel posuimus) necesse est, vt omnia, quæ sub hanc primariam intentionem cadunt, ad peccati destructionem ordinentur. Et quidem hanc fuisse credo Theologorum mentem, cum tam seriò affirmant omnem Christi gratiam fuisse gratiam redemptionis, & reconciliationis: atque adeò ex illis, qui huius gratiæ compotes fuerunt, nullum à peccato, vel à debito illius immunitatem habuisse: quia putabant non aliter in illam primariam intentionem aduentus Christi in mũdum, & mortis ipsius venire posse. Cæterum nos etsi Virginem à culpa, & debito illius liberã esse volumus: nihil tamen contra communem sententiam dicimus. Fatemur enim omnem Christi gratiam esse gratiam redemptionis, & ad delendum peccatum per se referri. Quia tamen Virginem non ea tantum intentione à Deo conditam sentimus, vt ipsius parens foret: sed etiam, vt eam ad redimendum genus humanum adiutricem, & comitem sibi adiungeret, atque eum in finem tot gratiarum ornamentis, sed tum maximè iustitia originali perornatam (vt cap. 21. etiam diximus.) Hinc est, vt omnis gratia Virgini collata, etiam ipsum primæ creationis beneficium gratia sit redemptionis; & expiationis, scilicet ad delenda peccata per se ordinata: non quidem propria, sed aliena, cuncta videlicet generis humani delicta. Quapropter in primariam intentionem meritorum, ac mortis Christi, non venit solum, sed antecessit, & prçuia fuit.

His itaque probe constitutis adiungo alia ita probe constituenda, scilicet gratiam illam, qua Virgo seruata fuit, ne in peccatum originale rueret, aut illius trahendi rea vllo modo per debitum existeret, 158
fuisse gratiam reconciliationis, & redemptionis, & hoc solo nomine excipiendam non esse à communi fructu redemptionis Christi, & à gratia, quam ipse propria passione, & morte omnibus meruit. Imprimis enim cõstans est Theologorum placitum, Christum Dominũ etiam vt hominẽ, caput esse non solùm hominũ: sed etiam Angelorũ, & Principatuũ, vt docuit conceptis verbis Paulus ad Ephes. 1. & ad Colossen. 2. propriũ autem munus capitis est, influxum ad reliqua corporis membra deriuare: Christus ergo non alia ratione capitis munus obijt, nisi virtutem, & gratiam suis meritis à Patre impetrans, & illam membris pro diuina sua, & humana voluntate impartiens. Dupliciter ergo potuit Christus hanc gratiam Angelis promereri. Primo, ita vt meruerit illis gratiam iustificationis, qua sanctificati sunt in primo instanti suæ creationis: & qua etiam in hac sancti-

Ephes. 1. Coloss. 2.

tate, alijs peccantibus, permansere. Ita sentiunt plures non minoris notæ Theologi, qui planè fatentur illam gratiam, qua iustificati sunt Angeli, esse à Christo redemptore, & reconciliatore promeritam, & aliqua ratione posse vocari gratiam reconciliationis: quia licet boni Angeli per eam à peccato, cuius rei nunquam fuere, mundati nō sint, tamen iustificati sunt, & quasi impediti, ne in peccata prolaberentur, sicut mali, ac prævaricatores.

159 Verum quoniam opinio hæc de gratia primę iustificationis Angelorum à Christo impetrata placere mihi vnquam non potuit: quia illam doctrinæ Patrum de prædestinatione Christi aduersari semper putaui: sed tum maximè principijs S. Tho. vt docte probat noster Vazq. 3. p. disp. 49. dicendum est, cum ipso Vazq. & S. Tho. de verit. q. 29. ar. 4. ad 5. & 3. p. q. 59. art. 6. Christū propterea caput Angelorum, & hominem dici, quia illis meruit illuminationē, notitiamq; pluriū mysteriorum Dei; tum etiam gaudia, aliaq; pręmia accidentalia, quæ quidem gratia reconciliationis aliquo modo appellari possunt. Imprimis enim vt ait S. Tho. gaudium, quod Angeli habent *Super vno peccatore pænitentiā agente*, Luc. 15. à Christo habent, idq; gaudiū gratia redemptionis est, quia est de homine redempto à peccato. Deinde gratia illa, qua Gabriel inter reliquos Angelos electus est Paranymphus B. Virginis, per Christi merita fuit, & gratia reconciliationis vocanda iure est: quia erat ordinatū munus illud ad hominum reconciliationē, propter quam maximè mortuus est Christus, & incarnatio instituta. Præterea Christus Dominus passione sua, & morte sibi meruit gloriam corporis, & exaltationē nominis: nō quia ob hoc maximè venerit Christus, sed quia mortē, & alia in corpore passus pro redimendis hominibus dignū se exhibuit, cui præmia gloriæ accidentarię donarentur, & illis gratijs, dotibusq; caro eius sanctissima ornaretur: quæ gratia etiam respectu Christi dicitur reconciliationis; nō quia Christus ea redemptus, aut reconciliatus fuerit: sed quia ordinata fuit ad copiosam redēptionē nostrā: *Resurexit enim propter iustificationē nostrā*: vt ad Rom. 4. docuit Paul.

Vazquez. S. Thom. S. Thom. Luc. 15. Ad Ro. 4.

160 Ex quibus constat gratiā reconciliationis ex Christi meritis posse in aliquo reperiri, per quam non sit emūdatus à peccato, ex eo, quod prius aut prolapsus fuerit, aut prolabi debuerit. Iam ergo agnoscis, quā fieri potuerit, vt gratia B. Virginis à Christi meritis deriuata, gratia redemptionis, & reconciliationis vocetur, etiamsi B. Virgo per illam à peccato proximè nō sit mūdata: quādoquidē tota illa gratia ad reconciliationē hominū fuit ordinata. Nam gratia illa, seu donum creationis, quo ex effœtis parētibus nata est Maria, gratia reconciliationis fuit, quia ordinata fuit ad producendā fœminā alias nulla ratione futurā, ex qua Christus redemptor carnē passionibus obnoxiā ad genus humanū redimendū assumeret: carnē quidē, licet ex primā parētis massa, & semine deductā: tamen sine semine antiquo, vt supra dicebā, id est, sine peccati macula, neq; debito. Deinde gratia illa, qua in primo suæ creationis momēto iustificata fuit Maria, gratia reconciliationis fuit: quia fuit gratia impetrata meritis redēptoris ita sancti, vt matrē non putā, non sanctā ab initio prorsus exhorreret. Demū gratia, qua B. Virgo maternitatē Christi meruit, gratia reconciliationis fuit, quia fuit gratia Christi redēptoris meritis acquisita, vt ea fœmina, cuius futurus erat filius, dignior, & excellētior redderetur per illud meritū maternitatis. Cū ergo in Angelis, & in ipso Christo concedēda sit gratia reconciliationis, ipsius passione, & morte cōparata, qua nec Angeli, nec ipse Christus, iustificati fuerint, ne dum à peccato emūdati: profecto nō erit, neq; noua, aut insolens Theologia fateri. B. Virginem gratiam creationis, iustificationis, & innumeras alias dotes animi, & corporis per merita Christi passione, & morte cōsūmata accepisse, ita vt omnis gratia ipsi collata dicatur vere reconciliationis, & redemptionis, etiāsi illius gratię munere à peccato nō sit emundata B. Virgo, neq; ab illius contrahendi debito deobligata, vel expedita: eo solùm nomine, quia tota illius gratia ad hominum redemptionem, & reconciliationem ordinata fuit.

Ex his liquet omnes illos, qui hactenus in sententiā illam, quæ Virginē à debito originalis culpæ incurrendæ liberat, ita inuecti sunt, vt eidem notam aliquam erroris imponere non dubitauerint (hi sunt Caiet. Vazq. & alij pauci) ita quidē capiendos esse, vt eorū censurę hanc nostram opinionē ne leuiter quidem attingāt. Nam illis vtiq; pugna fuit cum Catherino, Galatino, & alijs, qui Mariā ante præuisionē culpæ prædestinatā, & in ipsa pacti, seu fœderis cū Adamo initi constitutione ab eodē pacto exceptā fuisse dicebant. Hæc autem vel ante præuisionē Christi, vel certe ante præscientiam mortis, & passionis eius pręstita fuisse, haud inficiari licet: ex hoc verò principio consequēter fit Virginē à culpa originis per Christi mortē non fuisse redemptā. Et quidē non sequitur ex ea doctrina Virginē à peccato originali nō fuisse absolute redemptam, & seruatā ob defectū peccati, aut debiti illius contrahendi. Nam vt iam inde supra non paucis docuimus, ad redemptionem propriam non est per se necessarium peccatum re ipsa contractum, nec debitum illius, sed sufficit obnoxietas naturalis. Quapropter in opinione Catherini, & Galatini Virgo Dei beneficio seruata, & (si placet) etiam redempta dici potest, quatenus ab illo pacto antecedenter excepta fuit, quod ingredi certe potuit, atq; in communis peccati consortium venire. Sed in eorum opinione 161

Caiet. Vazquez.

nione illud difficile est, quod talis redemptio per Christi mortē minimè obtenta videtur: hæc enim tūc necdum futura præuidebatur, vt ex dictis liquet. Itaque prædicti autores, (mea quidem sentētia) in eo peccār, quod integram redemptionē, & præseruationem Virginis à culpa originali, ante passionē, & mortē Christi præuisam asserere coguntur. Nos autem non ita, sed ipsum immunitatis beneficium, vt Virgini vtile est, totum in Christi gratiā, & merita passione, & morte consummata referēdum dicimus. Atq; adeò nullam gratiam à Deo in Virginem proficisci affirmamus, quàm Christo autore adepta nō fuerit. Quod si supra c.8. Catherini quoq; sentētiam à censuræ iniuria vendicandam putauimus: ideò sanè fuit, quia quemadmodum plęriq; autores omnem gratiam Angelis collatam, & iustitiam originalem primis parentibus concessam Christi morte partam fuisse non improbabiliter defendunt, etiamsi ante Christi passibilis præuisionem ad ipsam electos dicant. Ita etiam Catherin. de hac exēptione Virginis à peccato sentire potuit: atq; adeò hac ex parte censurarum calumnijs nō subiacebit. Alia verò quæ contra ipsam supra dicti authores commenti sunt, in eo c.8. non obscure confutauimus.

DE PRÆSTANTIA, ET *nobilitate Redemptionis, qua Virgo Deipara per Christum asserta est.*

§. XIIII.

162. Maria Virgo sola opus Incarnationis Christi, vna, & sola filia vitæ.

163. Maria sola dignum opus, in quod totum redemptionis pretium decorè admodum impensum est.

164. Maria inter reliqua redemptionis Christi opera, ceu sol inter sydera sola emicat.

165. Sola Virginis præseruatio sublatis etiam alijs hominibus redemptionis Christi nobilis satis finis esse posset.

166. Hunc ad sensum vocantur verba D. Bernardini.

167. Ideò sola redemptionis opus dicitur, quia sola prima creationis beneficium à Christo Redemptore habuit.

168. Virgo Deipara redemptionem Christi formauit, ac perfecit, quia efficacem illam reddidit.

169. Et quia grauiora in ipsa passus est Christus, quàm in se ipso.

170. Et quia omnem redemptionis fructum excepit.

171. Maria Virgo Christi redemptionē pulchritudine, ac forma donauit.

172. Eandem redemptionem muniuit, atque firmauit.

173. Quod Virgo in primariam Incarnationis Christi intentionem non venerit, non extenuat, sed auget redemptionis eius gloriam.

174. Id sponte fatentur omnes illi, qui prædestinationem Christi post præuisionem peccati adstruunt.

175. Extremum iudicium authoris de superiori sententia.



NON Solùm autem sentio, ac pronuncio Virginē Deiparā à Christo verè, & propriè redemptam fuisse: sed redemptionem illius aliorum redemptiones, & reparationes gloria, & nobilitate longè superasse. Audiendus est D. Ildephonsus in libro de Virginitate Mariæ cap. 12. vbi sic scribit: *Procido ante te solum opus Incarnationis Dei.* Alij codices habent: *Sola opus Incarnationis Dei mei.* Et subinde post pauca verba: *Concedas etiam mihi adhærere Deo, & tibi: illi sicut redēptori meo; tibi sicut operi redemptionis meæ. Quod enim in mea redemptione est operatus, in tua persona veritate formauit*, aliàs *firmauit*. Eodem recidunt alia S. Dionysij Alexandrini verba in Epist. contra Paulum Samosatenum. *Vna autem, & sola Virgo filia vitæ genuit verbum viuens.* Quæ verba libræ prorsus committi debent, vt Marianæ redemptionis nobilitas innotescat. 162 *Ildephon.* *Dionys.*

Ergo cum audis Mariam esse *opus incarnationis*, cogita eiusmodi fuisse Virginē sanctissimam, vt cum ad eam red mendam Christus venit, ita illum fari oportuerit: *Hoc opus, hic labor est*: in hanc scilicet Diuam Virginē saluandam tota Incarnationis Christi vis profundenda est. Sanè Apostolorum, Martyrum, Virginum, & aliorum hominum salus leuioris fuit nogotij, in quo perficiendo operam suam, non tàm nauauit, quàm lusit Redēptor: in quo etiam solo (audens dico) tantum, tāq; effusum redemptionis pretium non satis vtiliter, ac dignè collocatum videri posset. Sola Maria proprium, & (si fas est dicere) dignum Incarnationis Christi opus, ac negotium, in quo perficiendo infinitū redemptionis Christi pretium decore admodum impensum est, vtpote, quæ sola tantis conatibus dignum opus fuit. 163

De hac Virgine capi solent illa verba Sapient. 4 *Speculum sine macula Dei maiestatis*. In Græcis autem sub est τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας, id est, Dei operationis, aut energiæ: quia nimirum in ea, vt in speculo diuinæ operationis vis, & energia precipuè enitescit. Loquitur autem Salomon de efficacia redēptionis: ait enim *speculum sine macula*. Quasi 164 *Sapien. 4.*

dicat: in eo diuinæ efficaciæ vis potissimum spectatur, quod speculum istud ab omni peccati macula mundissimum præstitit: vis autem illa, seu efficientia Dei, quæ maculas peccatorum, aut detergit, aut pręcauet, redemptionis efficientia est, vt ex dictis cōstat. Itaq; sensus est, Maria speculum est, in quo redēptionis tota efficacia se se prodit: hæc autē efficacia in eo spectatur, quod ita ipsam ab omni prorsus macula immunem seruauit, vt nō solùm omne actionis peccatū ignoraret, sed etiam ab originali mundissima foret. Sanè maculæ, & sordes in speculis, rei obiectę semper aliquid celāt, quatenus ipsam ea ex parte non reddūt, cui maculæ, & sordes adhærēt. Cogita ergo in alijs etiam hominibus redēptionis Christi efficaciā, ceu in speculis quibusdam spectari: tamē culparū maculæ, quas ipsis, vel propria actio, vel paterna origo adspergit, præcipuam illius efficaciæ partē abscondunt, & oculis eripiunt, quatenus in ipsis non satis tota visitur. Nam quamuis hoc appareat, quod peccata iam contracta delere valeat: tamen id, quod dignius, atq; sublimius in redemptione Christi est: quod nimirū ab omni peccato, tàm actionis, quàm originis præseruare etiā possit, minimè prodit. Sola Virgo huius efficacię candidissimū speculum est: quia cum omni macula caruerit, dignissimam illius efficacię partem in se expressit, & ad omnia peccata pręcauenda etiā per se valere ostendit.

165 *Ildephon.* Sed redeant Ildephonsi priora verba: *Procido ante te solum opus Incarnationis Dei: solum* scilicet, quia inter reliqua huius incarnationis opera ita splendet, vt quemadmodum Sol candidissima sua luce reliquorum syderum aspectum eripit, hisque celatis solus visitur (ideò enim Sol quasi solus nominatur teste Isidoro in originibus) *Isidorus.* ita etiā Virgo sanctissima reliqua Incarnationis Dei opera suo splendore contegit, adeò vt his obtenebratis, sola emicet. Hoc sibi voluit Petrus *Petr. Damian. Cant. 7.* Damian. ad illa verba Cant. 7. *Electa vt Sol,* vbi hanc solis, vt ita dicam, similitudinem eleganter ad Mariæ laudem transfert. *Multo* (inquit) *altius aliquid habet claritas solis, quam claritas lunæ: quia licet illa minores stellas obscuret, non tamen penitus occultat: hic tamen lucidus, & candescens ita syderum, & lunæ rapit positionem, quasi non sint, & videri non possint. Similiter & Virga Iessæ in illa inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumque spirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis, nec possint, nec debeant apparere.* Quod enim de gloria ibi pronunciat Damianus, idem omnino de gratiæ splendore cogitandum est: ita vt sicut gloria Virginis in cœlo aliorum beatorum fulgores obscurauit, sic etiam gratia, qua fulsit in hoc mundo, reliquorum iustorū gratiam luce sua cōtegeret, vel absconderet. Sed vnde immensus iste cādor Mariæ contigit? *Bernar.* Bernard. in sermone de verbis Apoca. in absentiam contrarij refert, ac propterea Virginem tanto splendore fulgere affirmat, quia nullæ peccatorum tenebræ lucem ipsius hebetare possunt: nam ad illa verba: *Mulier amicta sole,* sic scribit. *Calidissimus, & candidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea non dico tenebrosum, sed ne obscurum quidem, aut minus lucidum liceat suspicari.* Itaque Virginei splendoris magnitudo, per quam inter reliqua redēptionis Dei opera ita emicat, vt solis adinstar eorum fulgores obtenebrans sola prorsus appareat, nō aliūde fluxit, teste Bernardo, nisi ex perfecta, & ab omni peccatorū obscuritate libera innocentia. Alios enim sanctos peccatorū tenebrę obnubilant: atq; adeò lucem ipsorum, aut extenuant, aut hebetant: Virgo tantum, ceu sol, sola candidissimam lucē habet, & nullis pecatorū tenebris obtusum fulgorē. Nam cum in alijs rebus, quæ gloriam ipsius extollunt, ferme cōpares, aut certe socios habeat, hac in re sola, & singularis existit.

Rursus alio sensu in Virginem Deiparam quadrat locus ille Ildephonsi: *Sola opus Incarnationis Dei:* quatenus ita Incarnatio Christi propter omnes homines suscepta fuit, vt propter vnam Mariā alijs sublatis nihilominus suscipiendā liceat suspicari. De hac thesi aliquid diximus in commentarijs ad Prouerbia Salom. cap. 31. ver. 29. sub finem, vbi pulchra Ambrosij verba dedimus, quæ hùc in locum transferri possunt. Nunc verò illud discutiendum, & inquirēdum occurrit, quod ad illustrandam Ildephonsi sententiam plurimū facit. An scilicet, sublata Maria, propter reliquos homines Christus homo fieret, & carnem susciperet, nec non etiam, vtrū reliquis hominibus de medio sublatis propter vnam, & solam Mariam, carnē nihilominus indueret? Et quidem si suspicioni aliquid indulgere fas est, & rebus aliter se habētibus, quid tādem decreturus esset Deus, coniectari liceat: ausim dicere tantum sibi honoris, ac splendoris ex vnica Marię redemptione cōparasse, vt sola ipsa digna potuerit illi causa subesse carnis assumendę, mortis oppetendę, ac tolerādæ. Quia si Deū minimè dedecuit hæc omnia apprime peragere, vt homines à peccato redimeret (hic enim fuit primus, ac præcipuus incarnationis scopus, & finis) quanto magis Deum decebat, eadem & sublimiora perficere, vti vnicam, & solam B. Virginē ita à peccato redimeret, vt nec peccato actuali, nec originali faceret locum: quę redemptio dignior est, & in vna, ac sola Virgine reperitur, inque reliquo redimendorum cœtu desideratur. Rursus vni Virgini Mariæ maiorem gratiam suis meritis Christus contulit, quā prędestinatis omnibus, tā Angelis, quā hominibus simul sumptis, & in vnu coactis, vt docuimus ad Prouerb. Salom. c. 31. ver. 29. Nō ergo Christus sua dilapidaret merita, nō profunderet,

deret, si vni Virgini sibi coemẽdæ, & sanctificidæ prorsus addixisset, ac cõsecrasset: quando eadẽ nõ profligauit in reliquis prædestinãdis, asserẽdis, & ordinãdis, quorũ omniũ sanctitatis, & mũdities præ Virginis sanctitate
Ildephon. sordescũt. Id ergo sibi voluit S. Ildephonsus, cũ ait. *Sola opus incartionis*: nimirũ talis, ac tanta est Virgo ista, vt sola ipsa sufficientem incarnationis Christi finẽ, sufficientemq; redemptionis materiam exhiberet, ita vt suspicari liceat propter solam ipsam perficiendam alijs sublatis incarnationem, redemptionemque dignissimè suscipiciendam iri.

166 D. Bern. Hunc ad sensum vocandus est D. Bernardinus tom. 4. serm. 8. de flammis septem amoris Dei: vbi expendens illa verba. *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*, ita scribit. *Beata Virgo exultauit in Deo salutari suo. Quasi dicat, singularis saluator meus, quia aliqui Doctores speculantes dicunt, quod Deus assumpsit carnem potius propter saluare Virginem singularē, quam omnes alias creaturas, &c.* Quæ verba non significant primariã aduetus Christi intentionem ex Virginis redemptione desumptam: sed incarnationis Christi, dignissimum effectum fuisse Virginem: ita vt incarnatio, passio, & mors Christi plus detulerit vni Virgini, quam omnibus alijs creaturis simul sumptis. Adde etiam Virginem secundum se digniorem causam esse, vt propter illam Deus carnem assumeret, quam propter omnes simul creaturas: quod verissimum esse censeo.

167 Quid plura? Alio etiam nomine Virgo *sola incarnationis*, & redemptionis *opus* est, & *sola filia vitæ*: quia vt ex dictis per superiora capita à 20. & deinceps satis constat, sola Virgo, non vt alij Christi meritis refecta, & reparata, sed etiam denuo facta, ita vt primũ creationis suæ donũ meritis Christi debeat: in quo beneficio solitaria est Virgo sanctissima, & reliquos omnes mortales facile superat. Solaque hoc sensu redemptionis opus est, quia eius effectio, & productio Christo auctore peracta, & meritis ipsius parta est. Hinc vero conijcere licet, quam grata, & iucunda Christo fuerit hæc Virginis conditio, & formatio. Nam scitis opificibus permolestum est reficere: domum enim ruinosam instaurare ingratum est ædificatori perito: & vestem laceram, & pannosam resarcire iniucundum est sartori industrio: contra vero nouam domum à fundamento attollere, & vestem recentem cõformare, & consuere vtriq; pergratum esse solet. Non aliter de Christo Domino cogitandum est, hunc enim alijs hominibus reparandis, ac reficiendis molestiæ non parum accepisse dixerim. Nam cum reparaturus homines, ruinas & peccata eorum contemplari oporteret, non poterant nõ molestiam, negotiumque ipsi facessere: at in Virgine condenda, & formanda, cum nouum opus esset, ac recens, iucundissime suam operam posuit: nihil enim in ipsa suberat culpæ aut erroris, quod ipsi contemplanti, molestiam afferre posset. Propterea ergo sola Virgo opus redemptionis, & incarnationis merito appellatur, quia ad solam illius effectionem, & productionem primam incarnatio, & redemptio Christi efficacia sua pertigit, sola sub Christi meritum cecidit. Sola inquam fuit opus redemptionis, quia sola facta, alij refecti, sola creata, alij recreati.

16[illegible] D. [illegible] Artexit D. Ildephonsus. *Quod enim in mea redemptione est operatus, in tua persona veritate formauit*: verba hęc difficultatem aliquam menti ingerunt. Ita ne vt Christus nostram redemptionem sic informem dimiserit, vt ipsam à Virgine formari, & perfici oportuerit? Absit. Succedant memoriæ verba illa Pauli ad Colossen. 1. *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo, quæ desunt passionum Christi in carne mea.* En qua ratione gloriatur etiam Paulus, ad Christi passionem, & redemptionem se aliquid attulisse, quo ipsam adimpleuit, atque perfecit. Cuius verba in varias interpretationes compelli solẽt. Col. [illegible]
D. Tho. D. Tho. ita docet, Christi passionem quoad sufficientiam completam omnino, & perfectam in se ipsa esse: tamen quoad efficaciam attinet, vt scilicet in singulis effectum sortiatur, hominum cooperatione indiguisse, atq; eam ob causam Paulum ita dixisse: *Adimpleo, quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Quia nimirum hoc præstabat, vt ea, quæ Christus passione sua illi promeruerat, effectu suo minime carerent. Sententiam tamen coercet, ac limitat, dum ait *in carne mea*, vt cõstet id complementi, quod ipse passionibus Christi imponebat in se ipso [illegible] ac peculiariter perfici, non in alijs. De Virgine autem sanctissima absolute hoc pronunciat Ildephonsus, quod per ipsam redẽptio Christi formata fuerit: ait enim. *Quod enim in mea redemptione est operatus, in tuæ personæ veritate formauit.* Maria enim non suam tantum redemptionem in se ipsa priuate compleuit, sed etiam omnium hominum reparationem perfecit, hoc præstans, vt Christi redemptio, quæ quoad sufficientiam satis perfecta est, in singulis effectum sortiatur. Nam vt alias non semel diximus, nihil gratiæ, aut boni à Christo in nos vnquã proficiscitur, quod Virgini acceptum referri non debeat: quæ redemptionem generis humani cooperatione sua eatenus absoluit, & complet, quatenus efficit, vt gratiam, quæ nobis per Christum præparata est, & reipsa, & de facto obtineamus.
Arnold. Sic enim Arnoldus in tractatu 6. de verbis Domini in Cruce. *Cooperabatur plurimum secundum modum suum ad propitiandum Deum ille matris affectus, cum tam propria quam matris vota charitas Christi perferret ad Patrem, cum quod Mater peteret, filius approbaret, Pater donaret.* Itaque Mariæ cooperatio redemptionis Christi sufficientiam cõpleuit: qua-

propter eo sensu redemptionem nostram ab ipsa formatam, & perfectam absque vlla iniuria Christi dicemus.

169 S. Thom. Anselm. Alio propterea sensu idem D. Thom. cui hæret etiam Anselmus, verba Pauli donauit. Aiunt enim Christi corpus ex plurimis mēbris pangi, omnes enim sancti, atque iusti membra sunt Christi: quapropter membrorum, & capitis cohærentia, & concentus hoc Bernard. postulat, vt quemadmodum Christus passus est, ita quoque eius membra suas etiam passiones sustineant. Numquid monstro adsimile erit (vt ait Bernardus) capiti spinato membrum delicatum aptari, & adnecti? Ergo propter hanc capitis, ac membrorum suorum tantam connexionem fit, vt Christus ipse in iustis ea omnia pati, ac tolerare dicatur, quę ipsi sustinent: atque adeò iusti ipsius passiones perficere, & consummare apte quoq; dicuntur: non quidem eas, quas ipse in se pertulit, sed eas, quas propter supradictā vnius corporis compagem Christum in singulis iustis, tanquam in membris suis in dies sustinere oportebat. Ideo Paulus dicit: *Adimpleo, quæ desunt passionum Christi in carne mea,* nimirum in memet ipso, qui, velut mēbrum capiti, ita Christo copulatus hæreo. Hæc Paulus. Sed longe digniora Virgo Beata de se ipsa iactare potest, vt pote quæ passiones Christi multo melius formauit, atque compleuit: quia non tantum Christus in ipsa tanquam caput in coniunctissimo sibi mēbro multa pertulit, sed tanquam filius in matre: nam cum filius, & mater per naturæ ipsius leges vna sint caro, quidquid Christus in Maria perpessus fuit, non in aliena, sed in sua carne tolerabat. Addo etiam aliquid maius, quod mihi præfatus Arnoldus accommo- Arnold. dauit. *Christus,* inquit, *expensis iam in eum contumelijs, iam hora propinquante, in Matre amplius, quam in se ipso pati videbatur.* Itaque spinas, clauos, crucem, & reliquos cruciatus, quos in se ipso sustinuit, leuiores omnino ducebat Christus Dominus tormentis, atque cruciatibus, quos in matre perpeti ipsius erga illam charitas adigebat. Ex his constat longe excellentius, ac dignius passionem, ac redemptionem Christi a Maria, quam à Paulo, vel ab alio aliquo adimpletam, & formatam fuisse, cum in ipsa non solum digniori modo, sed etiam grauiora & arctiora Christus perpessus fuerit.

170 Chrysost. Theophil. Sed tamen alia verbis Pauli sententia subest, quæ ex Chrysostomo, & Theophilacto nō obscure depromitur. *Adimpleo* (inquit) *quæ desunt passionum Christi in carne mea,* id est, cum multa mihi bona Christus suis passionibus promeruerit in hoc viuo, vt eidem operam meam adiungens ea in me ipso adimpleam, & perficiam. Putat enim Paulus singulis prædestinatis quandam gratiarum, & bonorum mensuram ex Christi meritis definitam esse, quam expleri opus sit, antequam ex viuis discedant. Hæc igitur sententia Ildephonsi verbis aptata, redemptionem Christi nobilissima quadam ratione à Maria formatam, & completā significat. Nam alij prædestinati eam bonorum, & gratiarum mensurā definitam, & ratam assequuntur, quam Christus meritis suis impetrauit: ipsius autem redemptionis mensuram minime vel adimplent, vel exæquant. Ideo Paulus haud temere dixit *Adimpleo ea quæ desunt, &c.* Quasi dicat non passionem ipsam, sed ea quæ ex passione ipsius in me redundarunt, hæc adimpleo, & perficio, iuxta prædictum sensum. De Virgine autem maius aliquid enuntiat D. Ildephonsus: ait enim, ab illa ipsissimam Christi redemptionem perfectam, & formatam fuisse. Quod perinde est ac si dicat, Mariam omnes redemptionis mēsuras in se expleuisse (luculentius dicam) quantum ipsa Christi redemptio posset, ac valeat, in se ipsa perfecte expressit, omnemq; illius fructum excepit. Quapropter digniori quodam sensu de semetipsa illud prædicare potest. *Adimpleo, quæ desunt passionū Christi in carne mea:* id est, ea quæ passiones Christi per se causare aptæ sunt, & in alijs desunt, ac deficiunt, in me ipsa expleo, & absoluo. Nam creationis donum, originalem iustitiam, & alias gratias meritis Christi impetratas, & donatas mihi gratulor, quæ in alijs prorsus desiderantur. Hac enim ratione omnes redēptionis Christi numeros cosummaui, quatenus omnes illius fructus in me ipsa excepi.

Quid plura? Verbum illud, *formauit,* alio etiā sensu capi potest, id est, forma & pulchri- 171 tudine donauit ad hunc modum. *Nam quod in mea redemptione operatus est, in tua persona veritate formauit:* ita vt significet Christi redemptionem ex Marię persona formam, & speciem quodāmodo excepisse. Primò quia vt sæpè alias inculcaui, redemptionē nostrā ita Christus perfecit, vt Mariam etiam huic operi sibi adiutricem asciuerit. Quapropter sicut partus (teste Aristotele de partibus ani- Aristot. ma. lib. 4.) natura ipsa duce ex viro robur, ex fœmina vero formam, & venustatem trahit: ita etiam redemptio nostra, quæ per Mariā, & Christum veluti parta est, ex Christo quidem sufficientiam, robur, & constantiam, ex Maria vero venustatē & speciem sibi accersiuit. Sicut enim ex eo, quod Christus Dominus redemptionem nostram operatus est, nihil sufficientiæ, aut roboris ipsi deesse apte colligimus: ita etiam ex eo, quod ad eandem Virgo cooperata est, nihil formæ, ac venustatis in ipsa desiderari posse recte deducimus. Nescio enim qua ratione redemptionis gratia, & venustas marcesceret, si prædicta Virginis cooperatio deesset: & quodam modo etiam periret, nisi Virgo per illam ab omni culpa seruata esset, quatenus numquā non peccatis obstricta esset, & eorum turpitudinem respiceret. Rursus aliter etiam

Virgo redemptionem formauit, quatenus ipsa inter omnes redemptos prima, & præuia est: atque adeò redemptionis forma, & faciem in se prætulit, & lineamentis omnibus expressit. Quapropter sicut homines ex facie potissimum agnoscimus, & discernimus: ita & redemptionis tota sufficientia, & valor ex Maria sese prodit, & ex illa, velut ex facie nobis innotescit.

172 Ad extremum alij codices (vt initio præmisimus) sic habent: *Quod in mea redemptione est operatus, in tua persona veritate firmauit.* Sensus autem est Mariam redemptioni nostræ firmitatem addidisse. Quomodo autem Virgo redemptionem humani generis munierit, eleganter docet præmissus Arnoldus in tractatu de laudibus Mariç. *Diuidunt* (inquit) *coram Patre inter sese Mater, & Filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium, & condunt inter se reconciliationis nostræ inuiolabile testamentum. Maria Christo se spiritu immolat, & pro mundi salute obsecrat, filius impetrat, Pater condonat.* Inde vero tanta firmitas redemptioni nostræ accedit, vt Maria ad eũ modũ nobis propitia suo patrocinio in hoc vastissimo sęculi mari firma spei nostræ anchora sit, quæ salutem nostram inter tot procellas nunquam non fluctuantem semper fulcit, atque confirmat. Nam eo spectauit D. Ephrenus, cum Virginem *humanæ spei firmam anchoram* cõpellauit in oratione de ipsius cõpassione.

Arnold. Carn.

D. Ephre.

173 Ex his constat quàm insulsè contra istam sententiam à quibusdam obijci cœperit aliquid de Virginis gloria derogari, ex eo quod secundum nostra principia planè asserẽdum est, redemptionem Virginis Deiparæ sub primariam intentionem incarnationis, & aduentus Christi in carnem nequaquam cecidisse. Nam cum dicamus incarnationem Christi ex prima intentione propter omnes homines peccato originali infectos ante præuisos efficaciter definitam fuisse secundum substantiam: deinde vero præuisis Christi meritis Virginis Deiparæ primam conditionem decretam fuisse: fateri opus est ipsam in primariam illam incarnationis intentionem nequaquam venisse. Sed quàm sit irridenda isthæc obiectio, ea, quæ in hoc capite præfati sumus, manifestè euincunt. Quandoquidem ex eo, quod in primariam illam aduentus intentionem non venerit, pendet illius libertas, & immunitas à peccato originali, & à debito illius. Et inde etiam factum, vt aliorum hominum gloriam peruincens, ipsum etiam primæ creationis beneficium ex Christi meritis acceperit. Adde etiam, quia hoc non prohibuit, quominùs ipsa prima ante alios redemptionis fructum exciperet, atq; prædestinatorum prima fuerit: nec vetuit demùm, ne cum Christo simul merita sua adiungens, & copulans, reliquorum hominum etiam ab ipso peccato originali redemtionem impetrauerit.

Sed licet hæc omnia deessent, an nõ magnum quid, & nobile est gloria corporis Christi? Et fortasse nobilius, quàm reliquorum hominum salus, & redemptio ob dignitaté, quæ illi corpori ex consortio diuinitatis accedebat: & tamen hęc ad secundariam incarnationis Christi intentionem pertinuit. An non augmentum gratiæ, ac gloriæ, quod omnes homines ex suis, ac Christi meritis adepti sunt adhuc per remissos gradus gratiæ excelsũquid est, & ipsa libertate à peccato lõgè excelsius, ac dignius? Et tamen id in secundariam incarnationis intẽtionem venit. Vt quid ergo nobis id sugillant? Tum vel maximè quia hi, qui tale quidpiam nobis obijcere non dubitant, sentiunt Christum Dominum post præuisionem culpæ prędestinatum: atque adeò vt Virginem à culpa originali vendicare possint, seriò affirmant incarnationem ex primaria intẽtione propter vnius Adami peccatũ fuisse efficaciter decretam, quatenus aliorum hominum originalia velut in causa radicaliter continebat: nimirũ antequam præuideretur peccatum actu in posteros effusum, ac deriuatum: ita vt si per impossibile nullus Adæ filius postea procrearetur, ex vi præsentis decreti Christus nihilominus veniret. Atque adeò consequenter affirmare coguntur reliquorum hominum vnà cum Virgine redemptionem, & salutem secundariæ intentionis fuisse. Cur igitur nobis illud vitio vertunt, quod ipsi sponte amplectuntur, nisi forte quia ipsi næuos suos adamant? 174

Ex dictis igitur liquidum manet, Mariam Virginem non modò verè, ac propriè à Christo redemptam, & assertam fuisse: sed etiam primum, præstantissimum, ac solum redemptionis opus ad redemptionem Christi formandam, perficiendam, & muniendam assumptum. Ne igitur posthac quispiam ex hoc capite Virginem à peccato originali, vel à debito illius vendicandam esse addubitet, hæc est meæ sententiæ summa: hi sunt rationum nerui, qui illius robur, & constantiam suffulciunt, quos tibi (bone lector) nouo robore confirmandos, aut etiam (si placet) ingenij tui acie elidendos, & succidendos committo. Nam mentis meæ extremum de hac re iudicium, & decretum ita ex tuo pendere volo, vt tamdiu in vtramuis partem animus pendeat, donec tui propensio animi mihi comperta, & explorata sit. 175

Verum enim verò ne quid in nostro tractatu desideres, quod ad immaculatam Virginis Conceptionem tuendam possit deseruire, quasdam alias rationes, quæ piæ sententiæ robur faciunt, in trutinam vocare, & cum his, quæ hactenus diximus, conferre libet: constabit enim illas vel ad ea, quæ præmisimus, esse reuocandas: vel certè nec validas, nec robustas esse.

PRÆFA-

PRÆFATAM SENTENTIAM eo modo, quo à nobis asserta est, non tantùm D. Thomæ, sed etiam subtilissimi Scoti doctrinæ, & principijs de prædestinatione Christi, & Deiparæ posse accommodari ostenditur.

§. XV.

176. Vt modus sæpius adductus defendendi immunitatem Virginis ab originali cũ principijs Scoti cohæreat, maximè optandum est.

177. Scotus Virginis electionem in Matrẽ Dei post præuisionem passionis Christi statuit.

178. Si addamus existentiam, & primam cõditionem Virginis eodem modo post præuisionem passionis Christi definitam, cætera Scoti principia cum nostris constabunt.

179. Scotus de existentia Virginis aliter sentit: sed ab eo dissentire pro gloria Viginis tuenda eius discipuli non dubitant.

180. Magis consectariè ad Scoti principia hoc dicitur, quàm ea, quæ alij excogitarunt.

181. Si ponatur exceptio Virginis a pacto, & lege vniuersali, nihil cogit in doctrina Scoti, eius electionẽ siue ad gratiam siue ad gloriam, ante peccati præuisionem adstruere.

182. Prædestinationem eiusdem Virginis ad existentiam post eandem præuisionem consequenter ponere oportet.

183. Iuxta Scoti principia electio Virginis ad maternitatem reliquas eiusdem electiones præcedere debet.

184. Quomodo ordinanda sint decreta Dei, vt doctrina Scoti cum nostra cohæreat.

176 POSTQVAM Illam, quam hactenus aperui, viam ad defendendam Virginis Deiparæ immunitatem à culpa originali, & à debito illius præscripseram, oleum mihi, atque operam quodammodo perdidisse putabam, nisi ostenderem eam non modo cum D. Thomæ doctrina, & principijs cohærere, quibus statuit Christi Domini prædestinationem, & Deiparæ Virginis electionem post præuisam Adami culpam fuisse decretam (vt hactenus constituimus) sed etiam ad principia subtilissimi Doctoris Scoti aptari posse, quibus contendit Christum Dominum ante peccati præscientiam, imò ante omnem creaturam prædestinatum fuisse. Nam cum vniuersa Theologorum Schola id Scoto acceptum referre debeat, quod ipse primus tuendi, ac defensandi Virginis purissimam innocentiam reliquis Scholasticis Theologis author fuerit, ita vt, quod eatenus à quibusdam sola pietate inductis priuatè dicebatur, & sentiebatur, primus ipse in Scholas inuexerit, atq; ex tunc, & deinceps maximis, atque excellentissimis quibuscumque mentibus, & ingenijs id persuaserit: ægrè admodum ferrem aliquid sentire, ac dicere, quod ab illius principijs ita abhorreret, vt nulla ratione cum illis construi, ac conformari posset.

Igitur vocanda sunt in memoriam ea, quæ diximus suprà c. 12. vbi profundissimam Scoti mentem de ordine decretorum Dei circa prædestinationem Christi Domini, & electionem sanctissimæ Deiparæ non paucis expressimus, & (nisi fallor) exhausimus. Nam licet nihil vnquam expressè de prædestinatione, & electione Virginis pronuntiauerit, nihil etiam de momento, & signo dixerit, in quo electa, & prælecta in decretis Dei fuit: amẽ ex his, quæ de Christo scribit locis ibi citatis, apertè colligi monstrauimus ipsum in ea sententia fuisse, vt putaret Virginis Deiparæ electionem ad dignitatem matris Dei iam inde post culpam Adami præuisam, fuisse definitam. Quia (vt ibidem ostendimus) in primo signo decretorum Dei iuxta mentem Scoti sola Christi anima prædestinata fuit: de carne autem, non modo passibilisne, an impassibilis futura esset: sed etiam, vtrum ex multis carnibus, quas eadem Christi anima induere poterat, hanc potiùs, quàm illam reipsa indueret, in posteriorem deliberationem dilatum fuit (Luculentius dixerim) in eo primo instanti non modo de qualitate carnis Christi: sed etiam de illius singulari existentia nihil determinatè constitutum est: sed quibusdam alijs interpositis, subinde post præuisionem culpæ tandem sancitum, ac definitum fuit, vt in remedium ipsius culpæ illa anima Christi, quæ prius prædestinata, ac præfinita fuerat, eam carnem singularem, passibilem, & morti obnoxiam assumeret, quam in tempore habuit. Tunc verò, & non ante, Virgo Deipara ad maternitatem electa fuit: ita enim omninò putandum non prius ipsam ad eam dignitatem electam fuisse, vt mater esset Christi secundum carnem, quàm ipsa Christi caro in singulari decerneretur. Sed de his plura diximus loco citato. Quid inde?

Sanè inde sequitur nullam vim afferri doctrinæ, ac dignioribus Scoti principijs, si ad id, quod in eius via consectariè dicere oportet, nimirum Virginis electionem in matrẽ 177
Dei post peccati præuisionem definitam fuisse, vlterius addamus non electionẽ tantùm, sed primam etiam illius existentiam, conditionem, ac formationem post peccati præscientiam decretam fuisse: si enim hoc tan-

tummo-

tummodo suggeratur ijs, quæ ex doctrina Scoti hactenus stabilita dedimus, de cætero omnia cum modo nostro eximendi Virginé à culpa, & à debito illius apte constabunt.

179 Scotus. Fateor Scotum in 3. dist. 3. quæst. 1. §. *Si autem teneatur* sponte assentire his, qui dicunt Virginem pacto, ac lege vniuersali comprehensam, atque adeò culpæ subiacuisse, non quidem per debitum in se ipsa contractum (hoc enim debitum in sententia eiusdem Scoti, tum gratia Virgini infusa, tum etiam ipsa Christi merita eidem in Conceptionis instanti applicata prorsùs extinxerunt eo modo, quo supra cap. 13. præscripsimus) sed per debitum parentis. Vnde sequitur ipsum Scotum in eam sententiam discessisse, vt putaret Virginis substantiam, & existentiam cũ reliquis Adæ filijs simul à Deo decretam, ac proinde vniuersali transfusionis lege fuisse comprehensam. Id sanè non inficior: tamen cum hac nostra tempestate grauissimis, ac sapientissimis Franciscanæ familiæ Doctoribus id menti insederit, Virginem Deiparam non modo à culpa originali, sed etiam à debito illius ita immunem defendere, vt asserãt illam pactum, & communem legem nequaquam ingressam fuisse, necesse est, vt iam inde illis etiam placuerit præfatam Scoti Doctrinam deserere. Quorum in hac re consiliũ omnibus probari debet. Nam vel sic Thomistas docent, vt quemadmodũ ipsi, quò gloria, & decor Virginis, sublato etiã debito peccati originalis, splẽdidior fieret, ab Scoti sui doctrina tantisper recedere non dubitant: ita à D. Thomæ principijs, & doctrina nonnihil ipsi abire non ambigant, ne eiusdem Virginis gloriam vsque adeò extenuent, vt illam peccato originali commaculatam affirment. Quapropter superata hac difficultate, pollicери mihi audeo sapiẽtissimos illius Scholę Doctores in nostram sententiam sponte discessuros, vt pote, quæ ad Virginem tam à culpa originali, quàm à debito illius contrahendæ vendicandam longè facilior, atque expeditior sit.

180 Id verò ab his Doctoribus meo quodammodo iure mihi exposcere videor, quia doctrinam istam consectariè magis ad principia subtilis Doctoris dici existimo, quàm cætera, quæ alij excogitarunt. Nam cum ex dictis in eo cap. 12. constet, electionem Virginis ad matrẽ Dei post peccati prẹuisionem, & Christi passibilis prædestinationem in decretis Dei ab Scoto subiectam, subrogatãq; fuisse, iam illud percontari libet ab his, qui huius scholæ lumina putantur. An non Scoti celebre principium est illud: *Omnis ordinatè volens prius vult finem, deinde ea, quæ sunt ad finem?* Hoc igitur axiomate præsupposito iterum inquiro. Quidnam de reliquo sentiãt, vtrum putent Virginis creationem, formationem, existentiam primam propterea à Deo intentam fuisse, vt esset mater carnis Christi: an contrà dignitatem matris ipsi prę paratam propter existentiam, & creationem primam? Certe huius quæsiti iuxta doctrinã subtilissimi Doctoris responsum in promptu est: nam planè dicendum, pronunciandumq; est Deiparam Virginem ideò creatam, vt esset mater Dei, ita vt creatio, & existentia Virginis ad maternitatem, non contrà maternitas ad creationem ordinari debuerit. Ergo consequenter affirmandum est in decretis Dei Virginis existentiam post præuisionem peccati, & prædestinationem Christi passibilis decretam fuisse. Cum enim hæc existentia ad maternitatem ordinata fuerit, non potuit certè ante ipsam maternitatem aut definiri, aut præuideri.

Rursus si quis velit aptiùs & cohærentiùs cum reliqua doctrina Scoti affirmari Deiparam Virginem statim post illud instans primum, in quo Christi anima prædestinata fuit, cum reliquis hominibus ad gloriam præordinatam fuisse: ac subinde de mundi creatione, de Adamo, de lege transfusionis, & de alijs eiusmodi rebus deliberatum suo ordine. 181 Respondeo doctrinam Scoti in eam quidem sententiam propendere: tamen id satis difficile videri, quia in eo instanti, iuxta principia eiusdem Scoti, necdum Virgo ad maternitatem electa fuerat, vt in eo c. 12. fusè probauimus: atque adeò nullum pro eo momento apparebat ius, propter quod sola à reliquis prædestinatis discreta ad ampliorem vsque adeò gloriam, & gratiam præordinaretur, qualem postulabat decentia matris Dei. Adde etiam, nulla tunc ratio, nullum ius apparebat, propter quod sola ad iustitiã originalem efficaciter eligeretur, & sola item iam tunc à lege transfusionis exciperetur. Sanè vt Virginis existentia, & prædestinatio ad gloriam cum reliquis simul prædestinatis ante præscientiam peccati præmittatur, nihil aliud cogit in doctrina Scoti, nisi quod ille eandem Virginem lege transfusionis comprehensam fuisse existimans, per legem illam iustitiam originalem ipsi præparatam putauit. Cum autem præparatio gratiæ supponat propositum, & electionem ad gloriam, iuxta principia Scoti, cogimur certè secundũ eadem principia hanc electionem anteponere. Quapropter quandoquidem iam inde Scoti Discipulis placuit Virginem communi trãsfusionis lege non fuisse conclusam, atq; adeò illi gratiam per Adamum præparatã non fuisse, nihil certè subest, quod ipsos ad eiusdem Virginis electionem ad gloriam ante peccati præscientiam præmittendam adigere possit. Quin imò valde consequenter ad sui Doctoris dogmata pronunciare licebit, Virginis omnem electionem, siue ad gloriam, siue ad maternitatem post peccati præscientiam, & post decretam Christo carnem passibilem, atque adeò post Christi merita præuisa fuisse perfectam.

182 Quod si ita sentiant, vt certè sentire possunt, consectariè etiam dicere non tantùm poterunt, sed etiam debebunt eiusdem Virginis existentiam, & primam formatione m post eandem præuisionem carnis passibilis, & passionis Christi decretam, ac definitam fuisse. Si enim antequam hæc præuiderentur in superioribus signis decretorum Dei nihil circa Virginis gloriam, nec circa gratiam, nec circa dignitatem Matris constitutum à Deo fuit (vt iam ostendimus) sine vsu aliquo, frustrà, & nequicquam illius existentiam, & primam formationem anticipatã dicemus. Tum vel maximè quia plures ex discipulis Scoti docēt iuxta principia subtilis Doctoris asserendum prorsùs finem vltimum, scilicet beatitudinem, & gloriam cuiusuis hominis prius à Deo intentam, & volitam fuisse, quàm illius existentiam, & primam formationem: ea nimirum ratione inducti, quia Deus homines ad beatitudinem creauit, nō contrà beatitudinem ad homines, & propter homines. Itaque censent Deū optimum maximum considerasse priùs homines in esse possibili, prout in sua omnipotentia virtute continebantur, ac tunc quidem illis efficaciter beatitudinem præoptasse: ex hoc verò desiderio eorum existentiam, creationem, electionem ad gratiam, & subinde alia & alia eisdem desiderasse. Quapropter consequenter de Virginis existentia, & prima formatione dicendum: nam cum eius prædestinationem ad gloriam post præuisionem carnis passibilis, & meritorum Christi in doctrina Scoti ponendam esse hactenus constituerimus, affirmare etiam oportet eiusdem existentiam, & primam conditionem post illam præuisionem fuisse decretam.

183 Aliquid etiam vlteriùs secundum hæc principia addendum puto, scilicet electionem efficacem eiusdem Virginis in matrem carnis Christi fortasse etiam ante eiusdem electionem ad gloriam in decretis Dei præmissam fuisse: nam cum reliqua omnia, siue gloria, siue gratia in ea mensura, qua demùm illa Virgini collata sunt, ad eam dignitatem ordinata, & præparata fuerint, consequenter dicendum præfatam electionem in matrem carnis Christi ante omnes alias electiones præponendam esse: præsertim cum illud sit in doctrina Scoti satis nobile principium in decretis Dei illa præponi debere, quæ nobiliora, & quæ fini principali magis proxima sunt. Atqui Matris dignitas proximè ad Christi carnem ordinatur: ergo prima post Christi carnem intendi debuit.

184 Quapropter iuxta ea, quæ hactenus de Scoti mente, ac doctrina præfati sumus, vt eius sententia cum nostra ad amussim cohæreat, hæc posteriora signa decretorum Dei ad hunc modū pangenda, & ordinanda sunt. Præuiso iam peccato in primo signo ad eiusdem peccati compensationem faciendam animæ Christi Domini voluit Deus efficaciter carnem passibilem. In secundo idoneam illi desiderauit matrē: ex hoc verò desiderio cū videret reliquas omnes Adæ filias peccato infectas, & ad gloriæ, gratięq; minorē mēsuram efficaciter prædestinatas, quàm quæ matrem decebat suam, considerans Virginem in esse possibili voluit quidem illi primò efficaciter Maternitatem carnis Christi, & ex hac volūtate optauit illi condecentem tali dignitati gloriam: & subinde ad obtinendam istam gloriam parē gratiam eidem desiderauit: & vt nihil splendoris deesset isti gratiæ, illam originalem esse voluit. De reliquo vero cum his, quę hactenus diximus de immunitate Virginis à peccato originali, & à debito illius, omnia bene constabunt.

Fateor id à me impensius optari, vt quæ hactenus dixi, Scoti discipulis minimè displiceant: tum quia Franciscanæ familiæ, quæ mihi cordi est, & a qua me non animi propensio, & ardor, sed habitus tantùm discernit, laborem istum meum probari impensè cupio. Tum vel maximè quia ad summam Dei gloriã, & Virginis Deiparæ splendorem spectare existimo, si duę grauissimæ Scholæ, quæ hactenus de Virginis pura Conceptione tam disparia senserunt, iam deinceps non in vnam tantùm sententiam, sed etiam in vnam eandemque rationem cum vtriusque principijs cohærentem omninò conspirarent. 185

IVDICIVM AVTHORIS circa superiorem sententiam, vbi ponitur alius modus defendendi immunitatem Virginis à debito culpæ originalis in via Scoti.

§. XVI.

185. Author suum iudicium doctioribus submittit.

186. Ad defendendam Virginis immunitatem ab originali, & à debito illius, ex pluribus aliorum sententijs quæ præferenda?

187. Ea nimirum, quæ duplici ex titulo, scilicet matris Dei, ac filiæ Adæ Virgini gratiam originalem præparatam fuisse dicit.

188. Hos tamen titulos esse inæquales, atque adeò gratiam inæqualem ipsi respondere dicimus.

189. Non solùm inæqualem, sed etiam diuersam secundum numerum gratiam propter duos illos titulos Virgini deberi ostenditur.

190. Ex

190. Ex his principijs Virginis immunitas ab originali, & à debito illius solidius comprobatur.
191. Immunitas à debito peccati ex eisdem principijs amplius declaratur.
192. Inter eas sententias, quæ prædestinationem Christi ante peccati præuisionem ponunt, ad præfatam immunitatem defendendam nulla est accommodatior.
193. Virginis redemptio ab originali iuxta præmissam sententiam aptè defenditur.
194. Quomodo etiam per infusionem gratiæ formaliter factum fuerit, ne peccatum originale re ipsa contraheret, perspicuè ostenditur.

---

185 ANE Optarem plurimùm tantū authoritate, & doctrina apud omnes valere, vt ea, quæ de immunitate Virginis à peccato originali, & à debito illius contrahendi hactenus tradidi, seriò dicere, & affirmatiuè pronuntiare possem. Sed vt ad carceres recurram, vnde solui, extremum istum dicendi modum nulli non doctiori, ac peritiori viro subijciendum, ac submittendum puto, ita vt velim prorsus non prius hanc sententiam esse meam, quam ipsi probari didicero. Illud à te (lector candide) oro, & obtestor, ne de hac opinione prius decernas, quàm per otiū (si alia non possis) saltem caput hoc 24. quod compendij nomine subieci, attentiùs perlustres, & doctrinam illius mente combibas. Et tunc demùm integrum erit tibi, re optimè perspecta, iudicare, ac statuere: nam ei iudicio, quod ad eum modum re examinata ipse tuleris, meum postpono, & tuæ definitioni libens subscribo. Illud tantùm seriò dicere, & affirmare audeo, nullum modū tuendæ ac defendendæ immunitatis Marianæ siue à culpa originali, siue à debito illius magis ipsi Virgini decorum, ac splendidum, & qui digniora de Virgine doceat, ac statuat, quod non ex propria, sed ex aliorum, quibus illum videndum, & examinandum obtuli, sententia pronuntio: atque adeò pij lectoris pro suo in Virginem Deiparam studio beneuolentiam mihi præsto affuturā credo. At quis non videt quantum beneuolentia ad flectendas etiam rigidas, & indociles mentes valeat?

186 Sed interim quandiu de aliorum iudicio, ac sententia circa extremum dicendi modū certus non sum, aliorum sententias, & doctrinas mente conferens ita sentio. Primò quandiu ita licet sine aliquo erroris periculo tutè, ac solidè Virginem Deiparam non tantum à culpa originali, sed etiam à debito illius liberā esse dicere, ac tenere, sic statuo ex omnibus sententijs, quas supra dedi per plura capita, præferendam esse opinionem adscriptam cap. 10. Nam licet aliquas non leues difficultates cohibeat, nititur tamen communioribus quibusdam principijs, quæ in scholis omnibus circumferuntur, ac iuxta illa propositas obiectiones diluere procliue est. Ideò verò in hanc sententiā discedo, quia robustissima, quę inibi contra ipsam efformaui argumenta, contra constitutionem duplicis finis adæquati, & totalis, facili quadam, & expedita via eludi prorsus, ac vitari posse credo.

Et quidem illius sententiæ authores hactenus sic decreuerunt, statim post prædestinationem Christi Domini Virginem Deiparā ad maternitatem Dei, ad gloriam, & ad gratiam, & singulari quodam iure ob decētiam maternitatis ad originalem iustitiam efficaciter electam fuisse: ita vt ipsi ex tunc ratione huius decreti gratia originalis integrè, & adæquatè debita fuerit. Addunt postea Adamum prædestinatum, & totius generis humani ex Dei constitutione caput nuncupatum fuisse, non modo vt ex illo reliqua hominum posteritas genus repeteret: sed etiam vt per illius perseuerantiam, gratiam, iustitiamque originalem quasi hæreditatem paternam capesseret. Ergo hac vniuersali lege cum reliquis Adæ minoribus Virginem comprehensam fuisse asserunt: ita vt illi hoc etiam titulo ac nomine originalis gratia integrè quoq; & adæquatè debita esset. Quid inde? Peccauit Adamus, atque adeò Virgo cum cæteris ipsius posteris totale, & integrum ius amisit habendi gratiam originalem ex Adamo acceptam: quia tamen ipsi alio antiquiori, ac digniori iure adæquato, & totali propter maternitatem Dei eadem iustitia debebatur, propterea nec peccatum originale, nec debitum illius contraxit. Contra modum istū dicendi, quatenus duos totales, & integros titulos gratiæ originalis obtinendæ in Virgine agnoscit, multa contulimus argumenta cap. 11. Quapropter vt illa declinari, atq; vitari possint, ad ea, quæ primus illius author excogitauit, aliquid vlterius adscribere libet. 187

Illud ergo ponendum est, duos illos titulos gratiæ originalis obtinendæ, quos præfata sententia in Virgine constituit, esse valde inæquales. Nam ob titulum maternitatis Dei gratia originalis longè maior, atque intensior Virgini debebatur, quàm ob titulum filiæ Adami. Quis hoc neget? Nam cum tam sint impares isti duo tituli, non possunt non dispares gratiæ, & iustitiæ gradus postulare. Cogita ergo Deiparæ Virgini ex diuina electione ad dignitatem matris Dei deberi pro instanti conceptionis suæ octo gradus gratiæ originalis: eidem verò ex eo quod Adæ filia erat, atq; adeò in legem vniuersalem cōmuni cum alijs iure venerat, deberi tantùm pro eodem instanti quatuor gradus gratiæ originalis. Quapropter si admittamus duos fines totales, & adæquatos, affirmare oportet 188

tet eiusmodi fines non esse adæquatos respectu totius latitudinis gratiæ, quæ Virgini debebatur, scilicet respectu octograduum: sed tantùm relatè ad quatuor gradus: hi enim solùm ex posteriori titulo filiæ Adæ Virgini debebantur.

189 Vlteriùs etiam addo ad vitandam omninò eam difficultatem, quæ ex constitutione duplicis finis, aut tituli integri, & adæquati respectu eiusdem gratiæ resultare suprà diximus, longè aptiùs, & accommodatiùs dici præfatos duos titulos non eosdem secundum numerum iustitiæ originalis gradus, sed diuersos respicere. Ita nimirum, vt titulus Matris Dei ex diuina electione (verbi causa) octo prædictos gradus poposcerit: titulus autem filiæ Adæ propter pactum cum ipso initum quatuor alios gradus ab illis diuersos postulauerit: ita vt fas sit dicere ex vtroq; nomine duodecim Virgini iustitiæ originalis gradus deberi. Id verò aptiùs, & accõmodatiùs excogitatum videtur: nam cum illi tituli sint duo prorsus diuersi, non subordinati, & separabiles ab inuicem, diuersam & nõ subordinatã gratiam exigere videntur. Quod maximè verum est iuxta ea principia, quę in eo cap. 10. fusè tradidimus, vbi ostendimus duos illos titulos ita conspirare, vt vnus sit prior, & alius posterior: atque adeò vix intelligi potest, quomodo octo illi gradus gratiæ originalis debiti supponãtur per merita Christi ex electione absoluta, & efficaci ad matrem Dei: & rursùs postea ijdem gradus, vel aliqua eorumdem pars propter pactum transfusionis cum Adamo initum deberi, & à voluntate Adami pendere cœperint. Accedit etiam, quod gratiam originalem ita ex duobus illis titulis matris Dei, ac filiæ Adæ Virgini debitam asserimus, vt eam, quæ donanda erat illi propter dignitatem Matris Dei, propter Christi merita condigna acceptura esset: aliam verò, quę ex eo ipsi præparata fuit, quia futura erat Adami filia, relatè ad ipsius Adami quasi merita congrua esset similiter obtentura. Ergo parum aptè dicemus eandem gratiam diuersis vsque adeò meritis retribui. Nam ponamus Adamum perseuerasse in iustitia accepta, atque adeò ipsum perseuerantia sua promeruisse ex congruitate, vt quatuor iustitiæ originalis gradus ad Virginem deriuarentur: certè in hoc casu secundum sententiam præuisam merita Adami incompensata manerent. Nam si illi quatuor gradus solidè, & integrè propter merita Christi sine aliquo respectu ad merita Adami Virgini Deiparæ debiti iam, & præparari erant, nullũ planè effectum haberent, ac nihil omnino præmij referrent tunc noua merita Adami, sed totum delatum fuisset meritis Christi. Quapropter longè meliùs est dicere propter diuersos illos titulos, diuersos quidem secũdum numerum gratiæ, ac iustitiæ gradus Virgini Deiparæ ab initio debitos fuisse. Quid inde?

Sanè inde (me iudice) magna huic sententiæ conciliatur fides, & cuncta argumenta, quæ suprà c. 11. contra illam efformaui, sponte sua corruunt. In primis enim rationes, quas contra duos fines totales, & adæquatos ibi confeci, prorsus euanescunt, quia non vnam, & eandem gratiam originalem secundũ eosdem gradus propter duos titulos: sed diuersos, & inæquales gratiæ gradus propter diuersos, atque inæquales titulos Virgini præparatos, debitosque affirmamus. Deinde Virginis immunitas non solùm à culpa originali, sed etiam à debito illius contrahendæ hac ratione meliùs, robustiùsque defenditur. Nam iuxta hæc principia dicendum est, Adamo peccante, eos gradus gratiæ, & iustitiæ originalis, quos Virgo eodem perseuerante acceptura erat, prorsùs amisisse: non tamen ideò peccatum originale, aut debitum illius sibi attraxisse, quia pro instanti suæ Cõceptionis, priori, & anteriori iure ex Dei electione propter dignitatem Matris Dei maior, & intensior gratia ab ea diuersa, quã illi Adamus deperdidit, eidem debita erat. Atque adeò eiusmodi gratia accepta, non cõtraxit peccatum originis. Quamuis enim propter culpam Adami reipsa incurrit priuationem eorum graduum iustitię, & gratiæ originalis, quos illo perseuerante habitura erat: non tamen incurrit peccatum originale, id enim non est nisi nuditas totius gratiæ, ac iustitiæ originalis. Neque debitum etiam peccati originalis Virgo habuit: quia licet ex culpa Adami reuera incurrit debitum, ac necessitatem carendi illis gratiæ, ac iustitiæ gradibus, qui ex pacto Dei cum Adamo inito ipsi debebantur: tamen non incurrit debitum carendi omni gratia, & iustitia originali, quod solum est verum, ac proprium debitum peccandi. 190

Rursus iuxta hunc dicendi modum locum non habet id, quod in eo cap. 11. contra eos, qui duplicem finem adæquatam asserebant, diximus, scilicet in eorum sententia à debito peccandi originaliter Virginem Deiparam nequaquam vendicari. Nam illi authores, cum dicant Virgini gratiam originalem propter duos illos titulos adæquatè, & integrè debitam fuisse, coguntur consectariè ad hæc fateri altero ex his titulis deficiente Virginem eo ex capite similem ad modum totale, integrumque debitum carendi iustitia originali contraxisse. Et (nisi fallor) tenentur etiam concedere Virginem Deiparã in Adamo peccasse, & in eodem debitũ peccandi habuisse: quandoquidem quod ad ipsum Adamum spectat, iuxta eam sententiam, sufficientem causam originali eiusdem Virginis peccato obtulisset, quandoquidem eã dedit, quæ ad inducendam necessitatem carendi omni iustitia satis esset. Hæc (inquam) in hac sententia locum non habent: quia, vt 191

suprà

suprà probatũ manet, defectus alterius ex illis duobus titulis non inducit priuationem, seu carentiam totius iustitiæ originalis, sed eorum tantùm graduum iustitiæ, atque gratiæ, qui Virgini, tanquam filiæ Adæ ex pacto & lege Dei debebantur: manserunt autem illi, sarti tectique alij multò plures gratiæ, & iustitiæ gradus, propter diuinam electionem in Dei parentem ipsi debiti. Rursus etiam Adamus non dedit causam totalem, & integram, vt Virgo priuaretur omni iustitia originali, sed illis tantum gradibus suprà adscriptis, vt constat ex dictis supra §. 5. Atq; adeò inde sequitur sanctissimam Deiparam propter parentis culpam neq; in semetipsa debitum peccãdi habuisse, neq; etiam in ipso Adamo peccasse, aut peccare debuisse.

Non ignoro alias non infirmas rationes cõtra istam sententiam efformari posse: tamen isthæc certè non sunt aliæ, quàm illæ, quæ cõtra prædestinationẽ Christi ante peccati præuisionem confici solent: atq; adeò iuxta principia illius sententiæ diluendæ sunt. Id tantũ mihi sumo ex omnibus philosophãdi modis, quibus posita prædestinatione Christi ante omnem creaturã Virginis immunitas à culpa originali, & à debito illius defenditur, nullum esse solidum magis, ac ratum: quippe quod debitum omne peccandi reuera arcet à Virgine Deipara, & redemptioni propriè dictæ lõgè meliùs locum facit, quàm reliquæ omnes sententiæ, quibus præfata immunitas defensatur.

192 Quod meliùs vt teneas, subijcere libet modũ, quo iuxta sententiam istam de Virginis redemptione sentiri oportet. Primò dicendum est primam illam electionem efficacem Virginis in matrem Dei, & ad iustitiam originalem (non loquor de donatione gratiæ facta in executione, sed de electione facta in intentione) aut sine meritis Christi factã, vt plures ex Scoti discipulis autumant: aut certè si meritis Christi locus fieri debeat, excogitanda esse cum nostro Francisco Suarez illa merita ab vtroque statu, passibili, & impassibili abstrahentia. De quibus alibi non semel diximus, sed tum maximè c. 6. Quia vt suprà etiam fusius mõstrauimus, merita Christi passibilis ad eam electionem promerendã nequaquam pertingere potuerunt. Secundò dicendum donationem iustitiæ originalis in executione propter merita Christi morte cõsummata eidem Virgini factam fuisse. Nam quod de electione prædestinatorũ ad gloriã in intentione, & de donatione eiusdẽ in executione, id etiam de præfata electione, & donatione iustitię originalis sentire oportet: vtriusq; enim eadẽ prorsus ratio existit. Tertiò cõsectariè ad prædictã opinionẽ dicendũ est, Virginem Deiparam verè, ac propriè à peccato originali redemptam fuisse: nam quamuis non habuerit debitum proximum contrahendi peccatum originale, quatenus ea, quam incurrit necessitatem carendi iustitia originali, non fuit necessitas carendi tota iustitia, sed aliqua tantũ illius parte ex accidenti: quia nimirum alia eiusdẽ gratiæ originalis, & iustitiæ maior, ac nobilior mensura ex alio titulo anteriori illi præparata fuerat: tamen habuit debitum remotum, quatenus si illi ex titulo matris Dei illa alia iustitię originalis dignior mensura per merita Christi non esset præparata: certè propter Adami culpam necessitatẽ incurreret carendi tota gratia, & iustitia, atq; adeò peccati originalis contrahendi debito teneretur. Remotum verò debitum propterea appello, quia ablato impedimento consurgeret. Quomodo autem per merita, & mortem Christi factum iuxta hanc sententiam, ne Virgo contraheret peccatum originale, facilè intelliges, si cogites id, quod nuper diximus: quod scilicet quamuis in intentione electio Virginis ad gratiã originalẽ sine meritis Christi passibilis perfecta fuerit: tamẽ donationẽ eiusdem gratiæ per merita Christi passione, & morte consũmata exhibitã fuisse. Quo præsupposito rursus tecũ ipse reputa factu prorsus id, quod impossibile est, vt nimirũ facta iã illa electione efficaci priori, & antecedẽti Virginis ad gratiam, & iustitiam originalẽ: nihilominus talis gratia, & iustitia eidem primo conceptionis instanti in executione non conferretur. Certè hac hypothesi data, in tali casu Virgo contraheret prorsus peccatũ originale, quia haberet vtique priuationem totius iustitiæ originalis sibi debitæ ex Adamo, & propter Adamũ, in qua huius peccati tota natura cõsistit. Ergo in hac sentẽtia id, quod proximè, & formaliter prohibuit, ne Virgo maculam peccati originalis incurreret, fuit collatio ipsa gratiæ, & iustitiæ per merita Christi morte consummata, in executione perfecta. Atque adeò Deipara Virgo rigoroso, ac priori sensu Christi Domini sanguine, & morte à peccato originali redempta dicitur.

Vlteriùs modus iste excipiendi Virginem à culpa originali, & à debito illius, in eo aliorum Doctorum alios, atque alios modos supra adscriptos facile vincit, quia omnes aliæ philosophandi rationes non aliter Virginem à debito culpæ vendicari posse cẽsent, nisi illam à peccato, & lege transfusionis etiã excludant. Hac verò exclusione facta, sequitur Virginẽ non contracturam peccatũ originale, etiamsi in primo suæ conceptionis momento gratia habitualis ipsi minimè infunderetur: sed in tali casu mansuram in puris naturalibus, vt suprà cap. 8. §. 2. & sæpè aliàs obseruaui. Atque inde etiam consequenter fit, gratiam ipsam originalem eidem Virgini in instanti conceptionis collatam nõ fuisse id, quod formaliter exclusit, vel prohibuit peccatũ originale: sed exceptionem illã à lege transfusionis, quæ eiusmodi collationẽ præcessit. Id verò nonnulli propterea 193

Marginal note (left, beside "excogitanda esse cum nostro Francisco Suarez"): P. Suarez.

ægrè ferunt, quia libenter non audiunt aliquē Adami filium ex consueta propagatione satum, neque in pactum transfusionis inclusum, neque ad vitandum originale ex natura rei infusione gratiæ ind guisse. Hæc verò difficultas, quæ alios non parum exterret, per illum dicendi modum vitatur prorsus, ac declinatur: quia (vt ex dictis patet) affirmat per infusionem actualem gratiæ in primo conceptionis momento formaliter factum, ne Virgo re ipsa contraheret maculam originalem. Quia nimirum data hypothesi, quod illa prior electio efficax Virginis ad iustitiam originalem per impossibile effectu suo careret, ita vt gratia per talem electionem ipsi præparata in executione eidem nō conferretur, originalis culpæ labem prorsùs incurreret: ergo per ipsam gratiam factum ne incurreret.

Manet ergo in hoc sentiendi modo nullā grauiorem difficultatem reliquam esse prætereas, quæ in vniuersum contra prædestinationem tam Christi, quàm Virginis ante præuisionem culpæ conformari solent, quæ (vt aliàs non semel dixi) maximi momenti apud me sunt. Atque adeò ne quis putet immunitatem Virginis à debito culpæ originalis hanc opinioni obstrictā esse, præter eam, quam nuper dedimus eiusdem defensandæ rationem iuxta eorum sententiam, qui prædestinationem Christi post peccati præuisionem constituunt, aliam, & aliam satis aptam, opportunamque subtexam.

ALTER MODVS defendendi immunitatem Virginis à debito peccati originalis in vtraque sententia: siue in ea, quæ prædestinationē Christi ante præuisionem peccati, cum Scoto: siue in ea, quæ illam post peccati præuisionem constituit cum D. Thoma.

§. XVII.

195. Plures vias defendendi immunitatem Virginis ab originali, & à debito illius aperire operæ pretium est.

196. Scotus, & alij eius assectatores Virginem pacto includunt, & eius electionem ad originalem gratiam post præuisionem Christi passibilis subijciunt.

197. Ordo decretorum Dei in præfata sententia qualis sit.

198. Peccatum originale est priuatio totius iustitiæ debitæ.

199. Sola priuatio eius gratiæ, quam filios ex Adamo obtinere oportebat, sine denegatione alterius gratiæ, quæ aliunde ipsis præparari poterat, nec peccatores, nec peccati debitores constituit.

200. Omnes Adæ posteros sigillatim prout casuros ante prædestinationem Christi passibilis præuisos sensit Scotus.

201. Cum reliquis Adæ filijs præuisa est etiam Virgo vt casura, & cum debito amittendi eam gratiæ mensuram, quæ illi per Adamū præparata fuerat.

202. Virgini, & reliquis Adæ posteris vt sic sub ruina præuisis non eodē modo merita Christi applicata sunt.

203. In Virgine per applicationem meritorum Christi debitum factum fuit habendi gratiam in primo conceptionis instanti, iuxta mentem Scoti.

204. Per debitum habendi gratiam ex meritis Christi profectum exclusum est debitum peccati in Virgine.

205. Verba Scoti expendūtur, & mens illius aperitur.

206. Adamus peccato suo non transmisit ad posteros debitū carendi ex integro omni iustitia, in sententia Scoti.

207. Iuxta hanc sententiam Virginis redemptio ab originali rigorosa apte defenditur.

208. Contra hanc sententiam vnum tantum efformari potest robustum argumentum, sed probabilitatem eius non tollit.

NVLLA alia ratione huius sententię probabilitatem meliùs ostendi posse reor, quàm si constet plures esse faciles, atq; expeditos modos ad eam defensandam, ita vt promptū, ac procliue sit secundum communia cuiuslibet scholæ principia illam tueri. Alius igitur dicendi modus satis accommodatus occurrit, iuxta quem vtrisque, tam his, qui prædestinationem Christi ante præuisionem peccati ponunt, quàm his, qui illam sub peccati præscientiam constituunt, præfatam immunitatem tueri integrum est. 195

Et quidem præmittere oportet id, quod suprà cap. 5. & 6. & alibi etiam non semel diximus, in Scoti subtilissimi Schola fuisse perplures, qui ponentes Christi prædestinationem ante omnem creaturam: nihilominus tamen ipsam Virginem lege transfusionis comprehensam, & non priùs ad gratiam originalem efficaciter electam asseuerant, quam pręuiderentur merita Christi morte consummata. Quam sententam vel ipse Scotus sequutus est, vt in cap. 13. latè probauimus, eādemq; omnes eius discipuli tenuerunt ad nostram vsque ætatem, in qua non pauci ex illa Schola, vt de Virgine digniora sentirent, illam non solùm a culpa originali, sed etiā à debito illius liberā fuisse defen- 196

dentes,

dentes, à sui Præceptoris doctrina nonnihil discedere non dubitarunt, asserentes Virginem communem aliorum legem non fuisse ingressam, simulque affirmantes eiusdem electionem efficacem ad maternitatem, & ad iustitiam originalem ante peccati præuisionem fuisse perfectam. Quibus dimissis, vt cum Catherino, Salmerone, Viguerio, Turriano, & alijs sentiant, ad eos mihi sermo erit, qui Virginem in legem transfusionis ingressam, & post præuisam Christi mortem ad gratiam originalem electam autumant.

197 Et sanè illi Doctores posteriora signa decretorum Dei ab instanti, quo Adamus humani generis caput nuncupatus est, cum Scoto digerunt ad hunc modum, vt suprà cap. 4. pluribus ostendi. In primo (inquit) signo Adamus toti generi humano præfectus est, vt in omnes suos posteros non solum naturā per propagationem naturalem, sed etiam ex pacto gratiam influeret. In secundo peccauit Adamus, & quod ad illum spectauit, non sibi solùm, sed etiam posteris suis gratiam amisit. In tertio signo pendente peccato, antequam illud re ipsa in posteris propagatum Deus præuideret, Christum pati, atque emori decreuit, & propter eiusdem Christi passibilis merita Virginem Deiparam ad originalem gratiam efficaciter elegit: & subinde in quarto signo culpam originalem per aliquam massam effundi permisit, &c. Hunc ordinem expressè tradit ex nostris P. Franciscus Suarez, & omnes illius discipuli, vt in eo cap. 4. fusè probauimus. Et est expressa Scoti mens in 3. d. 15. quæst. vnica §. *In ista quæstione*, vbi sic ait. *Primo enim Deus intellexit se sub ratione summi boni. In secundo signo intellexit omnes alias creaturas. Tertio prædestinauit hos ad gloriam, & gratiam, & circa alios habuit actum negatiuum. In quarto præuidit illos casuros in Adam. In quinto præordinauit, seu prouidit de remedio, &c.* Obserua illa verba: *præuidit Deus illos casuros in Adam.* De industria enim dixit *casuros*, nō verò prostratos iam per culpam, vt locus fieret electioni Virginis ad gratiam originalem in sequenti signo, antequam peccatum originale per totam massam effusum præuideretur. Nam si peccatum in posteris Adami propagatum iam tūc ante præordinationem remedij præuisum foret, non posset electio Virginis ad gratiam originalem, & liberatio illius à peccato ex meritis Christi passibilis fieri, aut decerni. Quapropter Scotus, atque eius discipuli in assignatione illius instantis, in quo filij Adami ante casum, & ruinam actualem casuri, & ruituri præuisi sunt, conueniunt prorsùs cum his, qui in via D. Thomæ prædestinationem Christi sub peccati præuisionem statuentes, Virginis immunitatem à peccato originali defendunt. Qui similem ad modum, vt Virginem ex meritis Christi à labe originis liberatam fuisse doceant, Christum in eo signo, pendente in posteros parentis peccato, antequam actualis eiusdem peccati propagatio præuideretur, præfinitum, & prædestinatum fuisse aiunt. Quid autem inter vtriusque scholæ affectatores de reliquo discordiæ sit, paulò post subijciam.

P. Suarez

Scotus.

Igitur vt in hac via, quam ex vtraque Schola satis multi sequuntur, immunitas Virginis à debito culpæ originalis defendi queat, præbidenda sunt ea, quæ in superiori §. constituimus: scilicet peccatum originale non esse priuationem alicuius partis iustitiæ debitæ, sed totius iustitiæ originalis. Adde etiam debitum peccandi originaliter non esse necessitatem carendi aliqua iustitiæ parte, sed carendi ex integro omni iustitia debita. 198

His ergo prælibatis, ad præmissum decretorum Dei ordinē redire oportet. In primo signo permisit Deus Adami lapsum, & in secundo (verba sunt Scoti) *præuidit omnes homines casuros in Adamo.* Certè Adamus lapsu suo non sibi solùm, sed etiam posteris suis gratiam originalem deperdidit. Sed quamnam posteris gratiam perdidit? Illam profectò, quam posteris transfundendam accepit. Itaque si Deus in voluntate Adami hoc situm voluit, vt perseuerans ipse in accepta iustitia quatuor gradus gratiæ (verbi causa) aut plures, vel pauciores in primo conceptionis instanti ad filios transfunderet, tunc cum deliquit, eosdem quatuor gradus gratiæ filijs amisit, & necessitatē, seu debitū illis carendi ad illos transtulit. Debitum enim, aut necessitatem carendi omni alia iustitia, quæ ipsis aliunde præparari poterat, & denegationem eiusdem nequaquam transmisit ad posteros suos Adamus, vt supra §. 5. luculenta ratione ex ipsa pacti constructione deducta demonstrauimus, & infra clarius ostendemus. Cæterùm quamuis consideremus Adami filios cū debito amittendi, aut cū amissione actuali eorū quatuor graduum gratiæ, & iustitiæ originalis pro instanti suæ conceptionis, gradus (inquam) illos, quos ex pacto, & institutione diuina ab Adamo, & per Adamum accepturi erant: tamen nondum, aut peccatores, aut peccati debitores ipsos intelligimus, nisi concipiamus omnem aliam gratiam, quæ illis aliunde alijs nominibus, aut titulis pro eo instanti præparari poterat, eisdem denegatam fuisse. Ratio est in promptu, quia cum peccatum originale sit priuatio totius gratiæ debitæ, & obligatio, seu debitum illius incurrendi sit etiam necessitas carendi ex integro omni gratia debita, non priùs intelligi potest peccatum, aut debitum peccati in filijs Adæ, quoad ita pro instanti suæ conceptionis ea gratia, quæ ipsis per Adamum præparata erat, priuati cognoscuntur, vt simul etiam concipiatur denegatio alterius gratiæ, quæ ipsis aliunde euenire poterat. 199

200

Iam nunc intelliges quàm aptè iuxta istam philosophandi rationem Scotus dixerit in eo instanti in decretis Dei, antequam à Deo prænosceretur passio, & mors Christi, omnes alios homines non quidem sub ruina prostratos, & oppressos: sed in Adam casuros præuisos fuisse. Non enim cũ illis sentit, qui aiunt in eo decretorum Dei momento Adami peccatũ prout impendens, atq; imminẽs posteris tantummodo præuisum fuisse: atq; adeò pro eo momento ita Christum Dominũ in remedium peccati ipsius Adami primaria intẽtione prædestinatum volunt, vt etiamsi nullus Adamo postea eueniret filius, nullũq; aliud consequeretur ex traduce peccatum, ex vi illius primariæ voluntatis Christus nihilominus veniret, ac passionem, mortemque subiret. Contra quos suprà cap. 15. §. 3. satis multa cõtulimus. Sed Scoti mens est, omnes Adami posteros in eo momento ante prædestinationem Christi passibilis iam iam casuros præuisos fuisse, nimirum cum priuatione illius gratiæ, quæ ipsis per Adamum præparata erat: atque adeò cum causa sufficienti cadendi, & contrahendi peccatum originale ex suæ conceptionis instanti, si accederet denegatio cuiuscumq; alterius gratiæ quolibet alio nomine, aut titulo pro eodem instanti conferendæ, sine qua siue peccatum originale, siue necessitas, & debitum illius incurrendi concipi non posse affirmauimus. Quapropter Scotus non putauit Christi mortem ex primaria intentione propter vnum, ac solum Adamum redimendum præordinatam fuisse, ita vt Adamus solus ante illam sub lapsu præuisus fuerit: sed propter omnes illius posteros, quatenus ea gratia, quam per parentem accepturi erant, re ipsa priuati, atq; adeò iã iam casuri cuncti præuidebãtur modo dicto.

201 Igitur vt ea, quæ vlteriùs dicturus sum, teneas, cogitanda tibi est Virgo pro hoc signo, ac momento decretorum Dei, communi iure cum cæteris Adæ posteris, cum debito carendi, vel potiùs iam iam priuata re ipsa in suæ Conceptionis primo instanti ea gratia, & iustitia, quam ex Adamo acceptura erat, necdum tamen cũ denegatione alterius gratiæ alio titulo, aut nomine ipsi conferendæ: atq; adeò pro eo articulo neq; peccatrix, neque peccati debitrix.

202 Vlteriùs ergo in tertio instanti decretus est Christus Dominus, vt Adamum sub ruina iam prostratum erigeret, & reliquis eius posteris iam iam casuris subueniret. Decretus est (inquam) Christus, vel prout passibilis, vt sentit Scotus: aut omninò secundum substantiam simul & passionem, vt docent omnes D. Thomæ discipuli. Quid tum postea? In hoc etiam signo decreuit Deus voluntatẽ Christi ita præuenire, vt merita sua aliter Virgini, aliter cæteris hominibus applicaret. Nimirum vt ita Virgini ea adaptaret, vt gratiam, & iustitiam originalem pro instanti Conceptionis illi impetraret: reliquis verò Adæ filijs sic eadem merita accommodaret, vt pro eo instanti conceptionis, nec pro reliquo vsque ad natiuitates tempore (si vnum excipias Ioannem Baptistam, aut si placet etiam, D. Iosephum, & Hieremiam, quos in vtero sanctificatos piè credimus) sed subinde pro eo cuique tempore gratiam, & iustitiam exoraret, quo postea obtinuerunt. Quapropter inde factum, vt reliqui Adæ filij peccatum originale incurrant, & necessitatem illius habendi: quippe qui habuerunt carentiam omnis iustitiæ debitæ, eius nimirum, quam ipsos per legem diuinam ex Adamo accipere oportebat, cum denegatione alterius alio titulo conferendæ. Inde etiam factum, vt Virgo Deipara neque peccatum originale, neque debitum illius contrahendi incurrerit: quia cum per merita Christi præparata, quęsitaque fuerit illi alia gratia pro instanti conceptionis diuersa ab illa, quam Adamus ipsi perdiderat, neque carentiam habuit totius gratiæ, neque debitum carendi ex integro omni gratia, sine quibus nec peccatum, nec peccati debitum esse potest.

Dixi verò de industria per merita Christi primã iustitiam, & gratiam pro instanti conceptionis Virgini præparatam fuisse propter singularem ipsorum meritorum applicationem, vt intelligamus Virginem pro instanti conceptionis non solùm gratiam, sed etiam debitum habendi gratiam habuisse. Sicut enim demeritum extrinsecum parentis satis fuit, vt in ipsa esset debitum carendi ea gratia, quę ipsi per illum ex Dei ordinatione fuerat præparata: ita etiam, & longè melius, per ingentia Christi promerita ipsi applicata, quamlibet extrinseca, factum est in ea debitum habendi iustitiam originalem in priori natura, antequam ipsam haberet. Id verò non ideò obseruaui, quod cũ illis Theologis (quos cap. 10. citaui, & cap. 11. refutaui) sentiam debitum carendi iustitia per debitum habendi illam extingui posse. Nam quamuis fieri non possit, vt debitum habendi, & non habendi eandem gratiam ex eodẽ titulo in eadem persona conspirent: tamen ex diuersis titulis vtrumque debitum habendi, & non habendi eandem gratiam in eandẽ personam conuenire impossibile non est, vt in eo loco multis confecimus. 203

Sed aliquid aliud volo, ac contendo. Quapropter vlterius dico illa duo debita habendi iustitiam nõ esse ęqualis gratiæ, sed inæqualis: nam debitum carendi gratia refertur ad minorem gratiam, quam ob titulum filiæ Adami Virgo habitura erat: debitum verò habendi illam, quod ex applicatione meritorum Christi in Virgine resultauit, refertur ad maiorem gratiam, ad quam ob decentiã Maternitatis Dei propter eadem merita electa fuit. Dixi autem 204

(data

(data opera) maiorem gratiam propter titulum decentiæ matris Dei Virgini præparatam pro instanti conceptionis, quàm propter titulum filiæ Adæ: quia licet dicamus eosdem numero gradus gratiæ, & iustitiæ originalis remissæ, & minoris per Christū Virgini partos, quos in Adamo perdiderat: atq; adeò consectariè affirmemus eos gradus minoris gratiæ prius fuisse indebitos, quàm deberi cœperint: tamen excessus ille gratiæ, qui ob decentiam maternitatis ipsi pro conceptionis instanti per merita Christi decretus est, nūquam fuit indebitus ex aliquo titulo. Quapropter ex hoc solo capite nō fuisset in Virgine debitum carendi ex integro omni gratia, quā habuit, atq; adeò nec debitū peccandi originaliter. Adde etiā id, quod verius lōge est, scilicet hæc duo debita: alterū carēdi gratia, & alterū eam habendi in primo cōceptionis momēto ita in Virgine cōuenisse, vt ad diuersas omnino gratias referrētur, vt in §. superiori aperte mōstrauimus: atq; eā fuisse mētē subtilis Doctoris paulò post ostēdemus.

205 Et sanè quamuis sup. c. 13. aliud de sentētia Scoti iudicium tulerim, nunc certè meliora sapiens, hanc fuisse expressam ipsius mentem reor, quod ex ipsius verbis aucupari mihi videor in 3. d. 3. quæst. 1. §. *Si autem,*

Scotus. vbi sic scribit. *Sed si alicui in primo instanti creationis animæ detur gratia, ille licet careat iustitia originali, numquam tamen est debitor eius, quia merito alterius præuenientis peccatum datur sibi gratia, quæ æquiualet illi iustitiæ, quantum ad acceptationem diuinā, imò excedit: ergo quantùm est ex se, quilibet haberet peccatum originale, nisi alius præueniret merendo. Et ita exponendæ sunt authoritates omnes, quod omnes naturaliter propagati ab Adam sunt peccatores, hoc est ex modo, quo habent naturam ab Adam, vnde careant iustitia debita, nisi eis aliunde conferatur.* Expende ista verba, & (nisi fallor) germanam subtilissimi Doctoris mentem nos assequutos fuisse dices. *Data est* (inquit) *gratia, quæ æquiualet illi iustitiæ, imo excedit*, quæ nimirum æquiualet illi iustitiæ, quam per Adamū habere debebat ex ordinatione Dei, & quā eodēm peccāte amisit. Nec tantum æquiualet, sed etiam excedit: maior enim gratia præparatur per Christum, quam amisimus per Adamum. Vbi nota etiam Scotum non existimasse gratiam ab Adamo amissam posteris, & à Christo recuperatam, fuisse eandem gratiā secundū numerum, sed æquiualentes, imo vnam minorē, & alteram maiorē. Ex quo roboratur superior doctrina: quādoquidem cum debitum carendi vna potuit esse debitū habendi aliam, quod excluderet necessitatem carendi, in qua consistit debitū peccandi. Rursus idem Scotus, subinde paucis intercalatis sic attexit. *Per istud patet ad rationes suprà factas, quod Maria maximè indiguisset redemptore: ipsa enim contraxisset peccatum originale ex ratione propagationis cōmunis, nisi fuisset præuenta per gratiā mediatoris: & sicut alij indiguerunt Christo, vt remitteretur eis peccatum iam contractum: ita illa magis indiguit mediatore præueniente peccatum, ne esset ab ipsa aliquando contrahendum, & ne ipsa contraheret.* Committenda sunt libræ extrema ista verba: *ne esset ab ipsa aliquando contrahēndū, & ne ipsa contraheret:* significant enim per gratiam ex meritis Christi redemptoris Virgini pro ipso Conceptionis articulo præparatam non solùm factum, ne contraheret re ipsa peccatum originale, sed etiam ne esset aliquando ab ipsa contrahendum, hoc est ne aliquando illius contrahendi necessitate, ac debito obstricta fuerit. Nimirum quia per eiusmodi gratiam, & per debitum illam habendi, quod merita Christi Virgini attulerunt, hoc eidem collatum fuit, ne pro illo suæ Conceptiorionis momento necessitatē habuerit carendi ex integro omni gratia, in qua consistit debitum peccandi.

Cæterùm obijciet aliquis Adamū delicto suo idem omnino posteris amisisse, quod sibi perdidisse constat: atqui sibi debitum, & necessitatem carendi ex integro omni gratia attulit peccato suo: ergo posteris etiam suis idem debitum carendi omni gratia induxit, atque adeò debitum peccandi. Huic difficultati, quæ hunc philosophandi modum specietenus subuertere videtur, facilè occurri potest. Dico ergo Adamum delicto suo capitali necessitate carendi ex integro omni iustitia, & gratia se ipsum obstrinxisse: id enim est proprium delicti capitalis, vt hominem non modo ea gratia priuet, qua olim præditus fuerat, sed etiā indignum reddat omni alia gratia, quæ ipsi vndecumq; euenire possit. Addo etiam ipsos Adami posteros, postquā de facto incurrerunt peccatum originale, atque adeò per illud ipsi Deo ingrati, inuisiq; redditi sunt, eodē modo dignos effici vlterius carendi omni gratia: hoc enim est proprium peccati mortiferi: originalis verò culpa lethalis est, vt sæpè alias docuimus. Quod si posteri considerētur in priori natura, antequā peccatū originale re ipsa contrahant, certè Adamus nō meruit ipsis carere omni alia gratia, & iustitia, quæ ipsis ex alijs titulis præparari poterat: sed ea tantùm, quam per illum habituri erant. Ratio est in promptu, quia Adamus nō amisit gratiam minoribus suis naturali iure, sed ex pacto, & ordinatione Dei. Ergo eam tantùm gratiam pro instanti Conceptionis illis amittere potuit, quā ordinatio Dei ipsi in illos trāsferendā cōmisit. Hæc vero non fuit omnis iustitia, sed determinata, & definita: non ergo illis carendi omni iustitia necessitatem, vel debitum attulit. Confirmatur hoc: quia vt dicamus Adamum tali debito carendi ex integro omni iustitia posteros suos obligasse, quandoquidem hoc ex Dei ordinatione pendet, oportet etiam affirmare Deum tunc, cum 206

pactum cum ipso Adamo iniuit, habuisse decretum efficax sub conditione non conferendi gratiam, & iustitiam posteris alio titulo, si Adamus peccaret. Hoc verò decretum, vt sic in vniuersum indeterminatè, absolutè in Deo non fuisse manifestum est, quia si tale aliquod Dei decretum efficax præcessisset, fateri oporteret illum tunc cum ijsdē Adæ posteris per Christum gratiam donare apud se constituit, voluntatem, sententiamque mutasse, quod est absurdum. Rursus in sententia Scoti, & aliorum, quicumque Virginem ita communi lege transfusionis comprehensam putant, vt tamen illam à peccato originali immunem defendant, affirmare oportet in ipsa pacti constitutione non modo nō fuisse in Deo decretum illud efficax conditionatum denegandi omnem aliam gratiam Adæ minoribus præter eam, quam ex Adamo ad ipsos defluere volebat in vniuersum pro toto vitæ tempore, sed neque pro ipso conceptionis instanti: si enim eiusmodi decretum efficax præmittatur, ne Virginem quidem ipsam à peccato originali excipere, inuiolatis Dei efficacibus voluntatibus, licebit. Quapropter authores isti nullū decretū vniuersale denegandi omnem gratiam posteris pro primo conceptionis instanti ante præuisionem peccati, & prædestinationem Christi passibilis cōcedere debent. Sed consectariè ad sua principia affirmare cogūtur prędestinationē Christi passibilis duo Dei decreta lōgè diuersa insequuta fuisse: alterū per affirmationem circa Virginem, quo voluit ipsi merita Christi ita applicari, vt pro instanti conceptionis deberetur ipsi gratia, & iustitia. Alterum verò per dissensum circa reliquam Adami sobolem, quo noluit eam pro illo instanti ex meritis Christi, vel ex alio titulo gratiam obtinere. Hinc verò factum, vt Virgo neq; peccatum originale contraheret, quia gratiam ex meritis Christi sibi debitā in instanti conceptionis accepit: neque peccati originalis debitū incurreret, quia nō habuit necessitatem carendi ex integro omni gratia debita, in qua necessitate tale debitum consistit. Reliquis verò Adami liberis contra factum, vt scilicet peccatum haberent, quia in suæ conceptionis momento caruerunt omni gratia sibi debita, & peccati debitum incurrerent, quia supposito decreto, quo Deus statuit pro illo instanti gratiam ipsis ex omni alio titulo denegare, habuerunt certè necessitatē carendi ex integro omni gratia sibi debita.

207 Quomodo autem de cætero iuxta hanc sententiam redemptio Virginis à culpa originali, & à debito illius accōmodanda sit, compertum est. Quandoquidem ex dictis constat per eiusdem Christi merita morte consummata factum, vt gratia pro instanti conceptionis Virgini deberetur, atque illam re ipsa caperet, à qua exclusum est tam peccatum, quàm debitum peccati.

208 Certè cum hanc sententiam omni ex parte lustrarem, agnoui planè plerasque difficultates peruinci ex his, quæ alios Marianæ immunitatis à debito culpæ originalis tuendæ modos, ac vias difficiles reddunt. Neque video aliud argumentum satis robustum contra illam conformari posse præter illud, quod supra cap. 15. & in hoc capite 24. §. 5. contra eos produximus, qui sentiunt Christi Domini passionem, & mortem ita post præuisionē peccati vnius Adami fuisse prædestinatam ex primaria intentione, vt reliqui homines necdum tunc peccato originali contaminati præuiderentur. Atque adeò consequenter dicunt peccata originalia aliorum hominum non in primariam, sed in secundariam incarnationis Christi intentionem venisse, & (me etiam iudice) affirmare debent nullum hominem vere ac propriè in Adamo peccasse. Quod satis aduersarium Sacræ Scripturæ, & doctrinæ Patrum videtur, vt ibidem probaui. Sed tamen quia plures grauissimi Theologi priori quidem consecutioni sponte acquiescunt, & posteriorem negant, nihilque inde absurdi, aut inconuenientis confici putant, id non prohibet, quominus valde probabilis sit iste sentiendi modus.

ALTER MODVS immunitatis Marianæ à debito culpæ originalis tuendæ in via Sancti Thomæ.

§. XVIII.

209. *Notationes pro sequenti sententia.*
210. *Ordo decretorum Dei ad sequentem sententiam gradum sternens.*
211. *Secundum signum præfati ordinis.*
212. *Tertium signum.*
213. *Quartum signum.*
214. *Existentia Deiparæ priùs decreta fuit, quā præuiderentur eius parentes Ioachim & Anna.*
215. *Antequam præfati parentes Virgini decernerentur, eius ad maternitatem Dei, & ad gratiam originalem electio, ac reliqua ipsius merita præuisa fuerunt.*
216. *Quintum signum decretorum Dei.*
217. *Duo debita, alterum prius habendi gratiam originalem, alterum posterius carendi illa relata non solùm ad inæqualem, sed etiam diuersam gratiam, in Virgine agnoscere opus est.*
218. *Eius immunitas ab originali, & à debito illius ex dictis conficitur.*

209 D Superandam eam difficultatẽ, quæ in superiori sentiendi modo reliqua erat, alium subijcere libet, qui (me iudice) duobus alijs nuper exhibitis præponendus est, & in via S. Thomæ facilis, atq; expeditus videtur. Præmittere autem oportet id, quod suprà per plura capita, non solùm multis Patrum testimonijs, sed etiam validissimis rationum momẽtis euici: nimirum Sanctissimam Deiparam donũ primæ creationis ita ex Christi meritis obtinuisse, vt prima ipsius existentia præsupponat existentiam, merita, & mortem ipsius Christi. Deinde etiam in memoriam reuocanda sunt ea, quæ supra in hoc capite §. 3. non perfunctoriè probaui, scilicet existentiam rei quoad substantiam prius decerni, ac definiri à Deo, quàm eius causas physicas, quoties idem effectus per plures causas produci potest, vt de Christo communiter pronunciant Theologi: eum scilicet prius secundum substantiam definitũ fuisse, ac subinde tam matrem, quàm modum etiam, quo ex matre procreandus erat, decretum, constitutumque.

210 His ergo prælibatis, vt prædestinationi Virginis in Dei decretis locus fiat, eorũ signa, & instantia iuxta eam, quam subdo philosophandi rationem, hunc ad modum paugenda sunt. In primo signo decreuit Deus Adamum, & Euã Protoplastos nostros creare, & ex ipsis plures homines non quidem cõfusè, sed certo numero procreare eo modo, quo supra in hoc capite. §. 3. fusè monstrauimus. Ad hæc ipsum etiam Adamum ex pacto suo cæteris hominibus præficere, non modò his, quos iam futuros prænouerat, sed omnibus etiam alijs, quorum conditio qualibet ex occasione, aut causa decernenda foret, vt nimirum ex illo tanquam ex capite non solùm genus, sed etiam iustitiam haberent. Benè video ea, quæ in hac posteriori parte subiicci, nõ satisconstare cũ his, quę dixi suprà §. 5. scilicet pactum Dei non fuisse confusum pro omnibus in vniuersum Adæ posteris, sed signatè, ac nominatim pro his, qui futuri iã tunc præuidebantur. Sed tamen quia noui plures grauissimos Theologos in oppositam sententiam pendere, qui vt quosdam homines, quos ex meritis Christi donũ creationis habuisse credunt, lege transgressionis comprehensos defendãt, coguntur affirmare pactum eo modo in vniuersum pro omnibus filijs Adami ex naturali propagatione natis celebratum fuisse etiã pro illis, qui necdum tunc producti præsciebantur, quando pactum initum est, produci tamen poterant. Hac doctrina admissa, cui tot locupletes Doctores authoritate sua probabilitatem comparant, reliqua signa decretorum Dei sic contexenda sunt.

In secundo signo præuidit Deus Adami transgressionem, & culpam absolutam. Adde etiam (si placet) non solùm præuidit hanc culpam posteris impendentem, vt multi autumant, neq; posteros ipsos casuros tantùm, & obnoxios ruinæ, vt alij rentur: sed si sermo sit de illis, quorũ futuritio ante Christi merita decreta fuit, hos certè reuera lapsos, & peccati originalis labe iã infectos præuidit. Vel (si id displiceat) constitue in hoc signo cũ communiori sententia ipsam tantũmodo Adami culpam posteritati imminentem. Id enim non curo. 211

In tertio signo propter peccatum Adami, & (si placet etiam) propter omnia, ac singula originalia peccata filiorum eius iã tũc futurorum, incarnatio, passio & mors Christi primaria intentione decreta est. Sed vt rem meliùs teneas, puta in hoc instanti definitã fuisse Christi existentiam secundum substantiam, atq; omnia ipsius merita passione cõsummata: nondum tamen matrem illi destinatam, nec specialem modũ, quo ex ipsa procreandus fuerat, præordinatum. Nã quod ad hanc rem attinet, probabiliorem imo certã sententiam amplector, quę docet Christum Dominum parenti suæ dignitatẽ Matris Dei suis meritis exorasse, imo & ipsammet Virginẽ candẽ dignitatem suis quoq; promeritis implorasse. Quid tum postea? 212

In quarto signo præuidens Deus omnes fœminas, quarũ futuritio ab initio decreta fuerat, peccato originali cõmaculatas, & infectas, ex meritis Christi pręuisis nouã, & alias minimè futurã fœminã condere apud se constituit, vt ex illa Christus nasceretur. Hæc omnia cohærent prorsùs cum his, quæ suprà in hoc c. § 3. 4. 5. & 6. diximus. Quæ sequuntur, noua sunt, ac recẽtia, sed tamẽ principijs minimè nouis, ac recentibus innituntur. Ergo cum dico Virginis Deiparæ primam formationẽ in hoc quinto instãti ex meritis Christi præfinitam fuisse, ita intelligo, vt Deus priùs existentiam Virginis secundum substantiam definierit, antequam parentes illius, & modum, quo tandem aliquando procreanda foret, præordinaret. Addo etiam in hoc signo ante pręuisionem parentum, ac modi peculiaris, quo formari ipsam oportebat, non solùm definitam à Deo existentiam, & substantiam Virginis: sed ad eum modum, quo nuper etiam de Christo asserui- 213

mas, nimirum cuncta illius merita, passionē, mortemque ante præuisa, quàm ipsius mater, modusque nascendi ex illa præfiniretur. Ita etiam de Virgine cogitandum est, nimirum in hoc signo non modo existentiam eius secundum substantiam decretam fuisse, sed vlterius etiam electam ad gratiam originalē, & ad maternitatem: addo etiam omnia, & singula ipsius merita præuisa fuisse.

214 Duo certè affirmaui. Alterum est, existentiam, & substantiam Deiparæ priùs definitam à Deo, quàm præuiderentur eius parentes, & productionis modus. Id verò necessariò dicendum iuxta principia suprà adscripta §.3. nam cum Virginis existentiam non vno, sed pluribus modis producere posset Deus, vel per se ipsum immediatè, vel per generationem naturalem ex vtroque parente, aut etiam ex matre virgine sine patre, ac denique etiam ex his, vel illis parentibus: cumq; actio productiua sit medium non morale, sed physicum ad substantiam rei perficiendam: Deus enim non existentiam propter actionem, sed contrà actionem vult propter existentiam: consequenter factum, vt Deus volūtates suas ordinate disponēs priùs existentiā Virginis decreuerit: deinde verò modum statuerit, quo existentiam istā extra causas produceret.

215 Rursus etiam dixi in hoc momento antequam modus, quo Virginis existentia in lucem edenda erat, definiretur, atq; illi hi parētes determinate assignarētur, quos deniq; habuit propter Christi merita, ad gratiā originalē, & ad maternitatem Dei electam, omniaq; illius merita præuisa fuisse. Id verò ita fieri potuisse ex eo probatur, primò quia cum ex dictis constet existentiā Virginis priùs à Deo decretā fuisse, quàm definiretur modus productionis, & assignarētur illi proprij parētes, certè inter vnam, & alteram definitionē nihil prohibuit alia, & alia a Deo definiri, & præordinari. At verò ita factū re ipsa suadet primò exemplum, ac similitudo Christi Domini, cuius non modò existentia, sed etiam merita passione, & morte consummata antè præuisa, & præordinata fuerunt, quàm decerneretur ipsi mater, & peculiaris modus, quo tandem procreatus est. Secundo etiam probatur, quia si ita omnino factum dicamus, licebit consectarię affirmare Virginem meritis suis Annæ, & Ioachimo eam dignitatem obtinuisse, vt nimirum parentes ipsius existerent, quod tum ipsi Virgini, tum etiam Ioachimo, & Annæ perquam gloriosum videtur. Licebit inquam hoc dicere, quia cum in hoc decretorum ordine Deus Virginis merita ante præuiderit, quam eidem proprios parētes, & modum generationis assignauerit, certe per eadem merita induci potuit, vt illos designaret, vtque eorum sterilitatem ad generandam Virginem fœcundaret, ac reliqua etiam dona illis conferret, quibus ipsos exornari oportuit, vt digni Mariæ parentes existerent. Tertio denique suadetur, quia si dicamus ita res ordinatas, & dispositas fuisse ad Virginem tam à peccato originali, quā à debito illius excipiendam, optima, atq; expedita reseratur via. 216

Igitur consequenter in quinto signo post præuisam ipsius Virginis electionem ad gratiam originalem, & ad maternitatē Dei: adde etiam post præscientiam cæterorum meritorum ipsius, cum posset Virgo per omnes illos modos suprà enumeratos à Deo produci, vt ex eadem radice, & fonte, ex quo effluxerat damnum, deflueret etiam remedium, tandem decretum, vt Virgo ex Adamo per naturalem propagationem progigneretur, & consequenter, eidem adscripti sanctissimi illi duo parentes Ioachim, & Anna. Atque adeò iuxta ea, quæ nuper dicebamus in descriptione primi signi, in pacto, ac lege trāsfusionis inclusa fuit. Iam intelligis quo vergat ista series, & ordo rerum, quem hactenus præmisi. 217

Nam ex his, quæ hactenus diximus, iuxta modum istum philosophandi non pauca inferre, atque conficere licet. Primò habemus certè ex dictis in Virgine duo iura, vel potius duas necessitates, vel debita: alterum quidem habendi gratiam, & iustitiam pro instanti Conceptionis, ex applicatione meritorum Christi natum: alterū verò carendi gratia, & iustitia pro eodem instanti, ex peccato Adami, præsupposita lege Dei, profectum. Secundò etiam ex dictis constat hæc duo debita ita inter se comparari, vt debitum habēdi gratiam prius sit, quàm debitum carendi illa. Nā cum in decretis Dei applicatio meritorum Christi ad impetrandā Virgini gratiam originalem priùs perfecta fuerit, quàm præuideretur eiusdem natiuitas ex Ioachimo, & Anna, modo naturali facta, in qua natiuitate fundatur debitū carendi gratia, consectariè dicendum illud debitum præire, & istud subsequi. Tertiò etiā consequenter dicendum duo illa debita referri non solum ad inæquales, sed etiā ad diuersas gratias. Vtrūq; satis certum ex nuper dictis §.14. Nā maior gratia originalis præparata fuit Virgini per Christi merita ob decentiam maternitatis Dei, quàm per Adamum iure propagationis naturalis: atque adeò necessitas, quam peccante Adamo cōtraxit, carendi ea gratia, quæ per ipsum in illā effundi debebat, ad minorem gratiam relata fuit, quam ius illud, seu debitum habendi illam, quod propter decorem maternitatis ex meritis Christi eidem Virgini quæsitum, partumque fuit. Addo etiam non inæqualitatem tantùm in hac gratia cogitandam esse, sed etiam diuersitatem: nam gratia illa originalis, ad quam ex meritis Christi præuisis eo modo antecedenter, atque efficaciter Virgo electa fuit, non potuit quidem eadem

per generationem naturalem, quæ postea decreta fuit (vt iam diximus) legi, atque pacto transfusionis submitti, ac subijci. Nam impossibile est illam gratiam, quæ absolutè efficaciter, & independenter ab Adamo Virgini præparata fuerat, rursus ab eodem Adamo dependentem fieri, vt alijs in locis non semel demonstrauimus. Atq; adeò dicendum prorsus debitum illud posterius carendi gratia, quod in Virginem ex naturali generatione deriuatum agnoscimus, referri ad diuersam gratiam, ad eam scilicet, quam eadem Virgo, Adamo iustitiam acceptam seruante, ex eo nascens caperet. Hæc certè exploratissima sunt.

218 Ex quibus consectariè elicitur, sanctissimam Deiparam, nec peccatum originale, nec debitum illius incurrisse, quia per gratiam ex meritis Christi in ipso conceptionis momento eius animæ infusam factum est, ne culpam originalem contraheret. Et per debitum habendi hanc gratiam, quod ex eisdem meritis, & electione diuina in ipsa præexistebat, identidem factum, ne debitum peccandi contraheret. Nam licet tunc, cum ex Adamo ipsam naturali modo procreari decretū est, reddita fuerit debitrix carendi ea gratia, quam ex Adamo, & per Adamum ipsam obtinere oportebat: non tamen facta est debitrix carendi maiori illa, ac nobiliori iustitia, quæ ex meritis Christi per electionem Dei antecedenter ipsi parta, & quæsita fuerat: atque adeò non incurrit debitum carendi ex integro omni gratia sibi debita: ac per consequens non contraxit debitum peccandi, quod (vt alias sæpiùs asserui) propriè, & essentialiter est necessitas carendi omni iustitia debita, non parte aliqua illius.

219 At inquies Adamum peccato suo in omnes minores eam necessitatem deriuasse carendi gratia, quam sibi ipsi imposuit: ille verò per culpam, quam admisit, necessitatem sibi attulit carendi ex integro omni gratia. Nam ponamus (verbi causa) Adamo ante culpam debitam fuisse alio quodam titulo priori gratiam aliquam diuersam ab ea, quam habuit, gratiā inquam paulò post animæ illius infundendam. Certè statim atque lethali culpa se se obstrinxit, reus profectò fieret non modo amittēdi gratiam, quam habebat: sed etiam indignus ea, quam deinde ex debito habiturus erat. Ergo eandem necessitatem, & obligationem posteris suis iniecit. Quapropter licet Virgo Deipara ex priori aliquo titulo ad gratiam originalem electa fuerit, statim atque filia Adami per naturalem propagationem effecta fuit, debitum sibi attraxit non modo carendi ea gratia, quæ ipsi per Adamum præordinata fuerat: sed etiam indigna facta est accipiendi illam, ad quam ex meritis Christi præelecta dicebatur. Certè argumentum istud eodem modo diluendū est, quo in superiori §. aliud adsimile confutauimus. Fatemur enim idem omninò, & æquale debitum esse id, quo se se Adamus obstrinxit, atque illud, quod posteris suis immisit: dicimus tamen hoc debitum non præuium esse, ac prius intelligi, quam peccatum originale contrahatur de facto, sed ipsam potius contractionem actualem subsequi. Itaq; filij Adæ in priori naturæ, antequam peccatum originale in ipsis re ipsa contractum intelligatur, tantummodo concipiuntur debitores carendi ea gratiæ mensura, quæ ipsis per Adamum ex institutione diuina præordinata fuerat. Postquam verò eadem præfati peccati labes re ipsa in paruulis contracta fuit (quam lethalem, ac mortiferam esse cōstat, & eosdem paruulos Deo inuisos reddere) consequenter dicimus inducere necessitatem illam, & debitum carendi deinceps omni gratia ex integro. Itaque volumus illud debitum carendi ex integro omni gratia nō statim, posito peccato actuali Protoparentis, in filios redundare ante actualem contractionem culpæ originalis: sed ipsam actualem contractionem insequi ob rationes inibi efformatas: quas inde petere, & huc transferre integrum est. Quapropter cum per infusionem gratiæ in primo instanti conceptionis factum sit, ne Virgo actu contraheret peccatum originale, identidem etiam factum, ne vnquam sub debito fuerit carendi ex integro omni gratia, & iustitia. Atque adeò ea, quæ hactenus diximus, sarta, tectaque esse debent.

Iam tenes, quàm aptè iuxta dictā redemptio propriè dicta à peccato originali in Virgine defendi queat. Nam cōsentaneè ad hæc principia dicendum est, quod si Deiparæ anima ex diuina electione per Christi merita in suæ conceptionis primo momēto gratia originali adornata non fuisset: ex altero certè iure, quatenus erat filia Adami ex Ioachimo, Annaque prognata, peccatum originale, & debitum illius contrahendi incurreret: haberet enim priuationem totius gratiæ sibi debitæ, & illius etiam habendæ necessitate teneretur, vt ex dictis liquidum est. Quapropter dicendum, Deiparam Virginem secundum hanc philosophandi rationem à peccato simul, & à debito peccati Christi Domini sanguine redemptam fuisse. Deinde etiam fatendum peccati originalis contractionem per infusionem gratiæ, & iustitiæ habitualis formaliter prohibitam fuisse. Ex quo capite aliquæ ex præscriptis opinionibus deficere videbantur, quatenus iuxta illarum principia affirmandum est, Virginem non contracturam peccatum originale, etiamsi illius anima in conceptionis primo articulo habituali gratia donata non fuisset: sed mansuram prorsùs in meris, ac puris naturalibus. 220

At dices non solùm Virginem, sed quosdam etiam alios creationis donum ex Christi meritis obtinuisse, scilicet Isaac, Samue- 221

lem, Ioannem Baptistam, & alios non paucos. Quid igitur de his decernendum erit? Ego quidem ita reor nullum alium præter vnam, & solam Virginem primæ conditionis beneficium per Christi merita impetrasse, vt suprà fusè probaui §. 3. & 5. Tamen si quis adhuc contendat fuisse ex eo genere nonnullos, quibus primam formationẽ Christus obtinuerit, dicendum est inter hos, & Virginem latum versari discrimen: hi enim eo tantùm nomine, ac titulo creationis donum per Christum habuisse dicuntur, quatenus precibus à parentibus suis exorati, impetratique sunt. Quapropter priùs certè parentes, ipsorumque preces præuideri debuerunt, quã eorũ futura existentia definiretur. Nam in præuisione Dei iuxta ea principia, quæ iam inde suprà sæpius inculcauimus, media moralia intẽtionem efficacem finis nunquam non præcurrunt. Atque adeò consequẽter dicendum eiusmodi filios ratione propagationis, relatè ad quam definita fuit eorum existentia, prius concipi debitores carendi gratia, quàm potuerint ipsis merita Christi applicari, & aptari, vt ad gratiam eligerentur. Et quamuis non repugnaret etiam subinde per merita Christi eisdem gratiam præparari pro conceptionis primo instanti, ratione cuius effugerent, non solùm actualem cõtractionem peccati, sed fortasse etiam debitum illius eo modo, quo in superiori §. demonstrauimus: tamen Christi merita ipsis nequaquam ad eum effectum accommodata fuerunt. Attamen de Virgine Deipara aliud iudicium est: hæc enim non quia parentes illam precibus suis à Deo obtinuerunt, sed multis alijs nominibus primæ conditionis beneficium per Christi merita accepit, vt diximus suprà §. 6. & copiosiùs cap. 20. 21. 22. & 23. atque adeò eius existentia non relatè ad parentes, sed ad Christum ipsum decreta: & intuitu etiam meritorum ipsius Christi gratia, & iustitia pro instanti conceptionis obtinenda eidem ab initio præordinata fuit.

222 Profectò ita sentio cõtra hũc dicendi modum nullum aliud satis robustum argumentum efformari posse præter illud, quod initio in descriptione primi signi decretorum Dei præmisimus. Admittit enim hæc sententia pactum Dei cum Adamo initum non determinatè, & sigillatim pro his tantum, qui iam tunc futuri præuidebantur: sed confusè quodammodo pro futuris in vniuersum, necdum inspectis, numeratisque illis, quos subinde pluribus ex causis fore oportebat. Contra quam doctrinam satis, superque pugnatum est suprà §. 5. & copiosius cap. 19. Sed quia hæc omnia facilè deuorant aduersarij, ideò modus iste dicendi satis quoque probabilis est. Semper tamen mens, animusque in priorem illum modum suprà traditum pendet: est enim facilior, & procliuior ad eximendam Virginem, tàm à peccato, quàm à debito illius.

COROLLARIUM superioris doctrinæ, & iudicium vltimum authoris circa totam controuersiam.

§. XIX.

223. Iuxta omnes modos, quibus signa decretorum Dei ab Ecclesiasticis Doctoribus ordinata sunt, immunitatem Virginis ab originali, & à debito illius defendere pronum est.

224. Extremum iudicium authoris de integra controuersia.



SI Ergo ea, quæ hactenus præfati sumus, quatuorq; modos defendendi immunitatem Virginis à peccato originali, & à debito illius à nobis traditos mente complectaris, facilè agnosces prædictam immunitatem tàm in via Scoti, quàm in via Sancti Thomæ defendi posse: siue prædestinatio Christi ante præuisionem culpæ, siue etiam post præuisionem illius ponatur. Adde etiam nulla ratione signa rationis, quæ in decretis Dei distinguimus, à Classicis Doctoribus hactenus ordinata, & contexta fuisse, iuxta quam pronum, ac procliue non sit libertatem Virginis à peccato originali, & à debito illius contutari, siue rigorosam valdè redemptionem ab eodem peccato desideres, siue etiam minùs rigorosa contentus sis. Ad omnia enim parata, expeditaque principia habes supra: sed tum maximè in hoc capite, quod à te (ò candide lector) minimè perfunctoriè legi supplex rogo, & obtestor. 223

Quod si iam discere velis ex his, quæ hactenus prælusi, quid demum sentiam, quid præferam? Respondeo illud me ex animo sentire, ac non solùm mente, sed etiam voluntate, ac votis omnibus prosequi, scilicet Virginem Deiparam à peccati originalis labe permundam fuisse. Quod attinet verò ad immunitatem eius à debito culpæ originalis contrahendæ ita mente, & animo pendeo, vt nulli hactenus sententiæ me prorsus addixerim, aut deuouerim: sed malim doctiorum hominum sensum, & decretum 224

sequi,

sequi, quàm marte proprio aliquid sentire, ac decernere. Et quanuis id profiteri possum, mentem, animumque suopte nutu ad ea sentienda ferri, quæ Deiparæ Virgini decora magis, & gloriosa censentur: tamen nihil modò seriò, & affirmatiuè pronuntio, nihil iudico, quandiu de aliorum doctrina præstantium virorum iudicio, & sensu non constat, quibus non tam aliquid præscribere, quàm subscribere desidero.

DEIPARAE IMMVNITAS à peccato originali ex eiusdem munditia ab actualibus comprobatur.

 CAP. XXV. 

PRIMVM ARGVMENTVM.

1. *In captanda Virginis possessione Deus diaboli ius quasi per anticipationem praeuenit.*
2. *Ne momentanea quidem Virginis possessio diabolo permissa est à Deo.*
3. *Possessio, qua Deus Virginem gratia beneficio ab initio occupauit, fuit* continua, *&* antiqua.
4. *Fuit etiam* certa, *& minimè dubia.*
5. *Peccatū originale ceu radix germinās actualia: Virgo caruit germine, ergo & radice.*
6. *Peccatum originale est mater actualium: ergo à Dei matre longissimè abesse debuit.*
7. *Venialis peccati leuissima macula Virginem dedecent: ergo originalis peccati tetra lues dedecet magis.*
8. *Eua menstruas, & turpissimas sordes nesciuit.*
9. *Legalis immunditia in Virgine turpis visa est: ergo originalis labes longè turpior.*
10. *Nihil peccati nomen, aut suspicionem habēs in parentem suam cadere passus est Deus, nedum peccatum ipsum.*
11. *Indecorum esset Dei matrem pœnitentia indigere, vel aliquid habere pœnitentia dignum.*
12. *Peccatum originale pœnitentia, ac detestatione dignum est: & ideò à Virgine remouendum.*
13. *Virgo Deipara columba immaculata pœnitudinis felle carens.*
14. *Per hanc columbam astutia diaboli deuicta.*
15. *Columba Hebraicè* יונה Ionah, *& huius nominis ethimologia.*
16. *Ex eo nomine Mariæ immunitas ab originali, & actualibus culpis conficitur.*
17. *Maria munditiem ab actualibus culpis, sed multò magis ab originali suadet officium Mediatricis.*
18. *Vrgetur hæc ratio etiam respectu peccatorum actualium lethalium.*
19. *Virgo est* speculum Dei; ἐνεργείας; *& quo sensu.*



DOMINVS Possedit me in initio viarum suarum. 1 Prouer. 8 num. 22.
Nota est diuersitas dominij, seu proprietatis ex vna parte, & possessionis ex altera: hæc enim adinuicem separari consueuerunt. Sæpè enim accidit, vt dominium, proprietasque rei ad vnum spectet, quam alius per possessionem tenet. Vnde in controuersijs, ac litibus, quę super bona corporalia disceptantur: primum quidem de possessionis iure properatis terminis, per summariam quandam causæ cognitionem agitur: deinde verò de proprietate lis geritur. Quorsum hæc? Cogites velim inter Deum, atque diabolum de hominum proprietate, & dominio causam quandam satis ancipitem controuertinam prædestinatos sibi proprios vendicat Deus, teste Paulo ad Thim. 2. *Nouit Dominus, qui sunt eius*: reprobos autem diabolus sibi vsurpat. Sed tamen ante quæstionem hanc, quæ ad proprietatem, & dominium spectat, præmittitur alia breuis de possessione, in qua præcisis omnino moris, ac terminis, per summariam cognitionem paternę culpæ iuxta veterem ipsius Dei legem, & pactum cum Adamo initum, in ipso conceptionis instanti per culpam traducis omnium hominum possessionem diabolus captat. Deinde verò in posteriori de proprietatis quæstione post diuturnam singularum causarum agitationem partim quidem vincit, partim vincitur. Aliter (inquit Virgo) mecum actum

Timot. 2.

est:

est: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, id est, cum in alijs hominibus prima possessio propter parentis culpam diabolo cedat, me quidem ab ea lege liberam præstitit, & diabolum præoccupans ab initio per originalis iustitiæ infusionem possedit me.

2 Sed qua possessione Deus Virginem possidet? Hanc præstantissimam possessionem eam esse dicit Iurisconsultus in leg. *Seruit*. ff. de seruitu. quæ antiqua, certa, & continua est. *Certa* possessio illa appellatur, super quam nulla controuersia excitata est. *Antiqua* dicitur illa, quæ ad præscriptionem adducit. *Continua* verò, quæ omnem etiam momentaneam alterius possessionẽ excludit (est enim quædam possessio specialis, quæ à iure *momentanea* dicitur.) Est autem duplex momentaneæ possessionis species. Altera quidem est, quæ antiquo possessore per vim pulso, captatur: huius autem celeris valde reformatio, & restitutio ex iuris beneficio prouisa est. Alia verò est momentanea possessio rei, quæ ab initio capitur omni alio possessore præoccupato, & præuento: hæc verò, nec facilem, nec promptam restitutionem habet: *Iurispr.* sic docent legisperiti ad legem primam C. *Si per vim*, & ad leg. vltim. C. *Qui* legit pers. in iud. hab. Valeant ergo, qui diabolo in Virginem, vel vnius momenti, seu instantis possessionem tribuunt: nam cum hæc momentanea possessio ad secundam speciem pertineat, vtpote quæ omnem aliam alterius domini possessionem præuenerit, ac præoccupauerit, nec facilem profectò, nec promptã restitutionem habeat necesse est. Tum quia satis controuersum est apud Philosophos, & Theologos, an res aliqua permanens, quæ in instanti esse cœpit, in proximo tempore post instans desinere possit. Et multis quidem doctissimis viris placet, id planè impossibile esse, qui sentiunt omnem rem, quæ ad eum modum indiuisibilem inceptionem postulat, per aliquam temporis moram perdurare oportere: talis autem est inceptio peccati originalis indiuisibilis prorsus, atque impartibilis: atque adeò semel si fuit in Virginis anima, non tantum per conceptionis primam instans, sed per aliquam deinceps moram perseuerasse dicendum est. Tum prætereà, quia si vnius momenti præcelerem, & anticipatam Virginis possessionem diabolo demus, non facilè apparet ratio, cur diuturnior possessio eidem denegari debeat. Nam si indecorum non fuit Virginem per instans, & momentum in diaboli potestatem transire, non satis assequor, cur eidem turpe fuerit, per longiorem moram in eadem potestate manere.

3 Ait ergo Virgo sanctissima: *Dominus possedit me*, nõ vulgari possessione, sed *continua*, quam scilicet nulla etiam *momentanea* possessio diaboli, vel anterior per originalem, vel posterior per actualem culpam Dei possessionem, aut præcurrit, aut intercepit. Addo etiam possessione *antiqua* Virginem à Deo possessam: ait enim, *Dominus possedit me in initio*; id est, ab ipso conceptionis initio, quo nihil antiquius. Hinc nata vtrique præscriptio, quam Deus in Mariæ animam antiquæ possessionis iure per gratiam inamissibilem tenuit. Nam (vt alias non semel diximus) sicut ex *antiqua* possessione præscriptio, sic ex gratia originali perseuerans, & firma, constansque iustitia fluit.

Non solùm autem *antiqua*, & *continua* fuit ista Dei possessio, sed etiam *certa*, quæ scilicet nunquam in dubium vocata est. Puta ergo hanc animæ possessionem, quam Deus per gratiam, & iustitiam captat, lethali peccato interpellari, & per veniale incertam reddi. Nam possessionis continuatio non aliter, nisi alio rem occupante, intercipi potest: animam verò sola lethalis culpa Deo eripit, & ab eius potestate in diaboli ditionem trãsfert. Certitudinem verò possessionis mala fides excludit, & quidquid ipsam dubiam, & ancipitem reddit. Quapropter cum peccatum veniale dispositio sit ad mortale, eiusque periculum nunquam non homini creet: quoties illud admittimus, etiamsi Deum ab animi nostri possessione, non statim pellamus: tamen eiusdem possessionem quodammodo incertam, dubiam, & ancipitem reddimus, quatenus nos lethaliter peccandi, atque adeo ipsum à sua possessione deturbandi discrimini obijcimus. Fuit igitur in Virgine, non solùm continua per remotionem culpæ mortalis, aut originalis: sed etiam certa omnino Dei possessio: vtpote quam ne leuissimum quidem peccatum incertam, aut dubiã præstitit: id enim etiam ab ipsa quamlongissime semper abfuit. 4

Ergo mens nostra est, ex certitudine huius possessionis, quæ omne peccatum veniale à Maria excludit, eiusdem antiquitatem, & continuationem aucupari, per quas omnis culpa grauior, siue actionis, siue originis remouetur. Itaque sic statuo: Virgo ab omni peccati actualis macula munda fuit: ergo originalem etiam labem prorsus ignorauit. Huius consequutionis vim agnouerunt Catherinus de immaculata Virginis Conceptione lib. 3. Canisius, Suarez, Vazquez locis passim citatis, & alij Recentiores, qui huic argumẽto tantundem tribuunt, vt primas illi facilè deferendas dicant. Et quidem illi consequẽtiæ non vno modo robur paratur. Primò roborari solet facili quadam ratione. Quia optimus modus est medendi, & curandi morbos, primas illorum causas, & radices excindere: nam quandiu hæ radices non sunt euulsæ, recidiua redditur valetudo. Cũ ergo peccatum originale prima sit radix, & origo omnium actualium, vt non semel alibi diximus: nec non etiam ratio ipsa nos adigat fateri Virginẽ Deiparam à Christo Domino præ- 5 *Cather. P. Canis. P. Suarez. P. Vazq.*

stantis-

stantissima ratione ab omni actualium peccatorum morbo sanatam: certè haud inficiari debemus, primam ipsorum causam, & radicem, scilicet peccatum originale, Christi sanguine in ipsa expiatam, & sanatam.

6 Gregor. Ad hæc D. Gregorius Magnus lib. 6. Moral. cap. 15. peccatum originale aliorum peccatorum matrem appellauit, sic enim ait: *Peccatum in se inhabitans appellauit Apostolus originalem culpam: quia ergo ex originali culpa fit peccatum actionis, matrem eius esse primam culpam rectè nominamus: liberi autem huius matris sunt omnes concupiscentiæ, peccata & vitia.* Absit ergo, vt mater Dei tam ignobilem, degeneremque matrem in se inhabitantem vnquam habuerit: nihil enim (me iudice) cum Maternitate Dei maiori dissidio pugnare potest, quam maternitas peccati. Deinde etiam ad omnia peccata vitanda quid aptius excogitari potest, quàm eorum parentem domesticam propulsare? Aut etiam quo indicio, vel documento clariori constare poterit, impurissimam istam matrem nunquam in Virgine locum nactam fuisse, quam liberos eius, ac sobolē, scilicet peccata actualia, nunquam in ipsa deprehensam?

7 Secundum argumentum, quod præmissam positionem firmat, est à minori ad maius, & ex comparatione quadam peccati venialis, & originalis deducitur ad hunc modum. Peccatum veniale macula quædam est, sed leuissima: vtpote quæ animæ pulchritudinem, gratiam videlicet extenuat fortasse, non tamen corrumpit: per quam charitatis feruor intepescit quidem, sed non extinguitur: quæ valetudinem immittit animis, sed mortem nō conciscit: quæ Dei erga nos amorem præferuidum fortasse etiam deferuere facit: odium verò minimè lacessit, aut prouocat. Contra verò originalis culpæ labes, animi pulchritudinem corrumpit, charitatem restinguit, mortem affert, & Dei optimi maximi odium homini accersit. Si ergo decens fuit, vt peccati venialis leuissima macula à Virgine procul fieret: dignius ergo, atque decentius longè erat, vt originalis culpæ pessima labes ab eadem quamlongissimè arceretur. Ipsa est

Sapient. 4. enim, de qua Sapient. 4. dicitur: *Speculum sine macula Dei maiestatis*, vt vel ex eo nomine constaret, quantum ab omni labe, ac sorde ipsam distare oporteret. Speculi enim candorem nitidissimum, vel crassior aura, vel etiā oris leuissimus afflatus hebetat, ac perstringit, nedum aliæ turpiores, atque immundiores sordes. Ideò ergo dicitur *speculum sine macula*, vt inde liquidum fiat, tam longè affuisse, vt teterrimis illis peccati originalis fęcibus infecta fuerit, vt ne leuissima vnius venialis macula illi vnquam adhæserit.

8 Bonauen. Isai. 4. D. Bonauent. ad illa verba Isai. 64. *Et facti sumus, vt immundi omnes nos, & sicut pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostra.* per menstruatam istam, quæ nostram iustitiam originalem sordibus primæ damnationis imbuit, Euam intelligit: ex illa enim omnes in nos fæces redundarunt. Absit ergo, vt huius menstruatæ, hoc est, Euæ immundissimę sordes in candidissimum Mariæ speculum non modo inciderint, sed ne impenderint quidē, quasi illas ex debito suæ originis contrahere debuerit. Absit inquam hoc, quia vt auctor est Plinius lib. 7. cap. 15. *Speculorum fulgor, vel ipso menstruorū aspectu hebetatur.* Et alius quispiam dixit: *Ex menstruorum obiectu crassior nebula speculum inficit*: ergo à sanctissimæ Virginis mundissima puritate quamlongissime abesse debuerunt teterrimæ illę primæ parentis sordes, quam speculi nitidissimum candorem imitari oportebat: nam si in ipsam re ipsa incidissent, aut etiam si illis per debitum contrahendi proxima fuisset, non posset nō nitidissimus illius fulgor hebetari, ac perstringi. Plinius.

9 Sed rationem hanc amplius vrgere libet argumento ex leuioribus alijs maculis deprompto (si tamen maculas appellare licet) Erat vtique apud veteres Hebræos legalis immunditia, quam fœminæ propter sordes, quibus ex partu imbuebantur, contrahere solebant, Leuit. 12. *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, &c.* Hanc igitur immunditiam Deus à matre abesse voluit: nam primo fæces illas, quas aliæ puerperæ ex partu experiuntur; Virgo omnino ignorauit, vt docet Cyprianus in ser. de Natiuit. August. de quinque Hæresibus, Epiphanius in comp. doctrinæ. Gregorius Nazianz. oratione 40. & Concil. Trull. cuius hæc sunt signata verba. *Absque vllis fœcundinis Virginis partum esse confitentes, nec enim hoc honor est Virginis*, integram sententiam infra dabimus. Deinde etiam quia ex humano semine filium non susceperat, atque adeò legalem immunditiam nullo capite sibi adsperserat. Quid inde? Certè non iam mihi à veniali culpa ad originalem, tanquam à leuiori ad deteriorem maculam argumentum depromendum est: sed ab immunditia legali, quæ nec peccatum erat, nec peccatum includebat: atque adeò etiam cum veniali peccato collata vix maculæ, & immunditiæ nomen ferre poterat. Inde inquam argumentum à minori ad maius efformare licet. Si enim Deus legalem immunditiam à matre abesse voluit: quis neget eundem ab ipsa originalis peccati tetram maculam prohibuisse? Est nimirum *speculum sine macula*: speculi autem leuissimi, ac splendidissimi candorem nebulæ, atque vmbræ inficiunt, nedum sordes, ac fęces. Si ergo Deus huius speculi munditiem, & candorem per vmbratilem legalis immunditiæ maculam non parum lędi, ac violari putauit, ac propterea immunditiem istam ab illo prohibuit: quonam modo peccati originalis teterrimas sordes, & squallorem illi adspergi, & adhærere permiserit? Leuit. 12. Cyprian. August. Epiphan. Gregor. Nazian. Concilium Trull.

Addit

10 *Gerson.* Addit etiam Gerson Deum tanto studio omnem à Parente sua Maria peccati maculam prohibuisse, vt aliquid etiam, quod peccatum non est, sed tamen peccati nomen habet, eo tantum nomine, quia peccati nomen sortitur, in ipsam cadere prorsus vetuerit. *Peccati* (inquit) *fomes in Maria extinctus fuit, quod Paulus peccatum appellauit. Nam quod inhabitat in me peccatum, vt vel peccati nomen ab ipsa procul esse crederemus, nedum peccatum ipsum.* Quasi dicat, si Deus parenti suæ à peccati nomine cauendum putauit: quanto magis eidem à peccato originali cautum existimamus, quod non tantum nomine, sed re ipsa peccatum est, à parentibus per traducem acceptum. Vbi illud statim in mentem venit, hac in parte minus quodammodo sibi ipsi, quam matri à Christo consultũ fuisse: nam *2. Cor. 5.* Christus peccati nomen sibi dari non recusauit: ait enim Paulus 2. ad Corint. 5. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* (Appellat autem peccatum sacrificium, & hostiam pro peccato) itaque non indecorum putauit Paulus Christum peccati nomine censere. Neque etiam Christus à sua innocentia alienum duxit peccatoris formam induere, nec etiam hominum falsa opinione peccatorem existimari apud Ioannem cap. 9. *Ioann. 9.* *Nos scimus quia hic homo peccator est.* Et tamen idem ipse à matre sua non modo peccati nomen, vt docuit Gerson, arcendum putauit: sed etiã omnem peccati opinionem, & suspicionem. *Basilius. Hieron.* Nam vt tradunt Basilius, Hieronymus, & alij passim interpretes ad illa verba: *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam Ioseph*, ideò Christus ex desponsata nasci voluit, ne si Virgo illum innupta pareret, aliqua peccati suspicio innocentiæ illius gloriã extenuaret. *Ambros.* Et D. Ambrosius in lib. de Virginitate in Laudibus Mariæ hoc ponit, quod vitæ ipsius integritas tanta fuerit, vt ne suspicioni quidem, aut opinioni alicuius culpæ etiam in falsa hominum existimatione locũ dederit. Et quidem ita decebat tantam Dominam, vt non modo veram maculam, sed macularum etiam vmbras respueret. Erat enim *speculum sine macula Dei maiestatis*: speculi vero nitor talis naturæ est, vt non modo ex sordibus sibi aspersis inficiatur, & violetur: sed etiam obiectas fæces, & maculas in se exprimat, ita vt ab ijs quodammodo imbui, atque tingi videatur. Quapropter vt nitidum omnino, detersum, & ab omni macula liberum speculum sit, non tãtum opus est, vt nullæ ipsi fæces, vel sordes proxime adhæreant, sed ne obijciantur quidem: quia non solum veræ maculæ, sed etiam macularum imagines, & vmbræ ipsius splendorem obtũdunt. Iam intelligis, quo tendam. Si Christus Dominus matris suæ innocentiæ tanto studio consulendum putauit, vt non modo ab ipsa peccatum veniale, sed etiam legalem, & corpoream immunditiam: addo etiam peccati suspicionẽ, & opinionem, imò & solum peccati nomen prorsus remouendum duxerit: quis sibi persuadeat originali peccato locum in ipsa fecisse? quod certè lethale est, ac mortiferum, quod non corporis, sed animi teterrima immunditia est, quod non suspicione, opinione, aut nomine tantum; sed verè, & propriè peccatum existit, & hominẽ Deo inuisum reddit.

Tertia ratio, quæ ex peccato veniali ad originalem culpam rationẽ deriuat, petitur ex Bernardo, qui in sermone 2. de Assump- 11 *Bernar.* tione, ex eo Virginem ab omni etiam veniali vacuam, & insontem fuisse decernit, quia indecorum videbatur Dei matrem pœnitentia indigere: sic enim ait: *Arbitror non id quidem à proposita similitudine dissidere: virginalem etenim domũ intelligi volens spiritus, siluit non incongruè pœnitentiam, quæ malum vtique comitatur. Absit enim, vt proprij quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur.* Et infrà: *Proprium Maria delictum non habuit, nihilominus ab innocẽtissimo corde etiam pœnitentia longè fuit: sit ergo Lazarus apud eos, quorum necesse est ab operibus mortuis conscientias emundari: secedat inter vulneratos, dormientes in sepulchris: at in thalamo virginali inueniatur Martha, & Maria tantum.* Hactenus Bernardus rationem reddens, cur in eo Euãgelio, quod in assumptionis festo canitur, nulla incidit Lazari mentio. Pende illa verba: *Absit enim, vt proprij quidquam inquinamẽti domus hæc habuisse dicatur, vt proinde scopa Lazari quæreretur.* Quibus ex eo colligit Deiparam nullius peccati ream fuisse, quia dedecebat plurimum aliquid sordiũ ipsi adhærescere, quod scopa Lazari, id est, pœnitẽtia indigeret.

Inde verò ad peccatum originale sic transeo. Propterea Virginem ab omni actuali, 12 etiam veniali culpa mundam esse oportuit; ne aliquid ageret, quod pœnitentiæ scopam, aut requireret, aut saltem admitteret: ergo eodẽ nomine decuit ipsam ab originali peccato liberam, & immunem esse. Quia vt docet noster Suarez 3. p. tom. 4. de Pœniten. cui *Suarez.* accedit etiam Vazquez 1. 2. disp. 184. de pec- *Vazquez.* cato originali pœnitentia, & contritio vera suscipi potest: nam cum pœnitentia sit detestatio culpæ propriæ, & peccatum originis culpa sit in singulis propria, & pecculiaris, nihil deesse videtur, vt eam per pœnitudinẽ, & contritionem detestari possimus: & voluntariũ primi parentis propria voluntate retractare, ac refellere possimus. Si ergo id satis fuit, vt peccata etiã venialia à Virgine arcenda esse censuerit Bernard. ne in ipsa aliquid daret, quod Lazari scopa, id est, pœnitentiæ detestatione dignum esset, eadem profectò ratione suadetur ipsam ab originali peccato mundam fuisse, quia hoc etiam peccatũ Lazari scopam admittit, id est, pœnitudinis detesta-

testa-

testatione dignum est. Quinimò ipsa verba Bernardi vtramque culpam, actualem, & originalem à Virgine remouendam suadent: ait enim: *Absit, vt proprij quidquam inquinamenti domus hæc habuisse dicatur*: atqui originale peccatum non est alienum in Adamo tantum inhærens: sed propriũ cuilibet, vt sancta Synodus Tridentina decernit. At cur (inquies) Sanctam Deiparam tantopere dedecuit pœnitentia? Rationem offert Bernard. *Siluit non incongruè pænitentiam, quæ malum vtique comitatur*. Si igitur, quia mali comes est, pœnitudinem Virgini indecoram fuisse dicit Bernardus, quis non videat indecoram magis, ac turpem esse illi pœnitentiam, & detestationem originalis culpæ, quam venialis: quandoquidem illa longè maioris, ac deterioris mali socia, & comes existit? Pœnitentia enim de veniali suscepta leui malo sociatur: ea verò, quæ de originali capitur pœnitudo, graue, ac lethale malum comitatur.

Cant. 6. 13 Ad Virginem igitur spectat illud Cant. 6. *Vna est columba mea perfecta mea*. In originibus pro *perfecta* subest *immaculata*. Et quidem ideò quispiam Virginem columbam appellari existimabit, quia columba (vt docet Augustinus) felle caret: fel autem pœnitentiam adsignificat. Ita Gregor. ad illa verba: *Repleuit me felle, & labore*. Et quidem ipsius fellis natura hoc suadet, quia nõ solùm amarum, & acerbum est fel: atque adeò ad pœnitentiæ amaritudinem notandam idoneum: sed etiam iuxta peruulgatum medicorum placitum, vel ideò maximè animali fel à natura inditum est, vt sua mordacitate, & austeritate ad sordes egerendas facultatem expultricem incitet. In animis verò idem prorsus pœnitudinis officium existit, vtpote quæ ad peccatorum sordes pellendas nata est. Sic ergo sacer sponsus ad Virginem: *Vna es columba mea, immaculata mea*. Quasi dicat, vna, ac singularis est Maria, quæ propter innocentiã suam ab omni peccato, siue actuali, siue originali expertẽ, & vacuam, columba est acri, & austero pœnitudinis felle carens. Huc accersenda sunt illa Diui Irenæi verba supra à me data ex lib. 5. cap. 19. *Serpentis prudentia deuicta est in columbæ simplicitate*. Loquitur enim Irenæus de Sancta Deipara, & ad illa Genesis verba alludit. *Ipsa conteret caput tuũ, &c.* (quæ supra cap. 21. non paucis expendimus, & per caput serpentis originale peccatum captandum esse multis suasimus) Itaq; sensus est. Deus serpentis astutiam, quæ in eo posita erat, vt caput, id est, peccatum originale ita seruaret, vt illud nulli non tutissimè insereret filiorum Adæ: hanc inquam, astutiam per columbam, id est, per Mariam perdicit: per Mariam scilicet, quæ columba fuit omni pœnitudinis felle ex eo carẽs, quia ab omni tam actuali, quàm originali peccato aliena fuit.

Gregor.

Irenæus.

Ad hanc rem facit peruetus signum, aut symbolum, quod in antiquo numismate impressum visitur, quod inter ruinas vrbis Asotæ nuper inuentum fuit: scilicet serpens, cuius capiti columba insideret cum hac inscriptione *astutia deuicta*. Quod symbolum ad hãc Deiparæ Virginis victoriam, quam à dæmone tulit, illius non modo euitans, sed etiam conterens caput, appositissimum videtur. Et quidem per columbam hanc Virginis ab omni labe expertem innocentiam notari elegãti oratione prosequitur Sophronius in homilia de Assumptione: *Diligentius* (inquit) *procurate, ò filiæ, si quomodo simplicitas columbæ, quæ fuit in Maria illæsa, inuiolataque custodiatur. De qua Salomon in cãticis quasi in eius laudem: Veni (inquit) columba mea, immaculata mea, &c. ac deinde dicit: Veni de libano, coronaberis: Non immerito ergo venire de libano iubetur, quia libanus candidatio interpretatur: erat enim candidata Beata Virgo multis meritorum virtutibus, ac dealbata niue candidior, muneris Spiritus Sancti muneribus, simplicitatem columbæ in omnibus repræsentans: quia quidquid in ea gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum gratia, & veritas fuit: & ideò immaculata, quia in nullo corrupta.* 14

Sophron.

Pende illa verba *totum gratia*: puto enim Sophronium ad ethymologiã Hebraici nominis allusisse: nam columba Hebraicè dicitur: יונה. Et quidem ab origine huius nominis *Ionah* ad Deiparæ originem transitus procliuis est. Nam ex Hebræis aliquis vocem istam *Ionah* fluere existimauit ex radice יון *Iauan*, id est, cœnum, ac lutum. Inuehitur merito in illos Rabinus Himanuel, affirmãs columbam animal esse inprimis mundum, omnes sordes, & tetros odores plurimum fugiens: atque adeò ex cœno, aut luto censeri minimè debuisse. Addit verò vocem illam *Ionah*, ipso iudice, originem suam petere ex radicè ינה *Ianah*, id est, capere, aut rapere: quia nimirum columba facilis admodum captu sit, & rapacium volucrum prędæ plurimũ pateat. Sed obijcere Himanueli licet Origenem, Gregorium Magnum, & alios quosdam, qui columbæ iuxta aquas degentis ad accipitrum vngues vitandos nobilem satis astum, & industriam narrant: ex quo fit ipsam non adeò captu facilem esse, vt inde nomen non ferre debeat. Quapropter Rabi Dauid præfatum Himanuelem perstringit, & illius nominis originem accommodatiorem offert: asserit enim *Ionah* dictum per aphæresim ex יוהנה *Iohanna*, id est, *gratia Dei*: quia nimirum hæc auis inter alias Deo gratissima, & in sacrificijs valde celebris erat. Hanc coniecturam præfati Hebræi confirmat Euangelium. Nam Petrus, ad quem Ioann. 21. dicit. *Simon Ioannis diligis me plus his*, id est, Ioannis filius, idem Matth. 16. compellatur *Bar-Ionah*. Et Ioann. 1. *Simon filius Ionah*. Quod certè inde factum suspicantur nobiles satis 15

Rabi Himanuel.

Rabi Dauid.

Ioan. 21.

Matt. 16.

Ioan. 1.

interpretes, quia apud Hebræos hæc duo nomina *Ioannes*, & *Ionas*, nimirum *Iohannab*, & *Ionab* synonima erant, & pro eisdem censebantur, quemadmodum apud nostrates *Diego*, & *Iacome*.

16 Quorsum hæc? Sanè ex origine huius nominis ad Mariæ immaculatam originē gradus quidam pronus nobis sternitur. Sunt ergo, qui originem Mariæ ex luto, & fæcibus deriuant asserentes, hanc terræ, & cœli gloriosam Reginam ex sordida, & cœnosa Adami propagine peccati sordes, cœnumq; traxisse: sed absit, vt his adhibeamus fidem: est enim Virgo mundissima, ac purissima colūba, sordes etiam, vel leuissimas venialiū peccatorum detrectans, nedum originalis peccati teterrimo cœno se se immergens. Alij rursus docent ipsam ratione suæ originis *Ionab*, id est, captu facilem esse: quippè quæ ex conditione sua peccato proxime obnoxia, & debito illius obstricta fuerit: ita vt in diaboli prædam omnino cederet, nisi illam Christus meritis suis eiusdem vnguibus, & laniena eriperet. Sed neque his facile crediderim: est enim Virgo sanctissima cautior columba iuxta candidissimos illos amnes, qui ex vulneribus Christi in nos redundant, propius nata, & confidens, quam reliqui Adami, filij: atque adeò accipitris, id est, diaboli prędæ minimè patuit. Quid ergo dicemus? Profectò dicemus seriò Mariam *Ionab* columbā esse originem suam ex ipsissima gratia Dei accipientem: ita vt per hanc gratiam, id est, per merita Christi genita, & condita, & in suæ conditionis primo instanti affluentissima iustitia sanctificata fuerit: atque adeò nō solùm à peccato originali, sed etiam ab illius debito libera. Absit enim, vti ad hāc nostram columbam, cum primum genita est, ex virulento illo primi parentis admorsu aliquid pertinuisse dicamus. Plinius enim naturalis historiæ lib. 11. c. 37. sic scribit. *Hominis dentibus quoddam inest virus: namque speculi nitorem ex aduerso nudati hebetant, & columbarum fœtum implumem necant*. Et quidem tunc maximè veneni huius vim produnt, cum post risum exacuti, & calefacti sunt dētes (vt eius Scholiastes obseruauit) Siue ergo Mariam *speculum* esse dicamus *sine macula*, vt nuper adiecimus, siue columbam mundissimam, vt hactenus posuimus: affirmare vtique opus est, protoplasti dentes ab esu vetiti pomi recentes ne nudatos quidem contra ipsam: ne si vel nudatos aduersus illam fuisse dicamus, fateri opus sit, aut speculi nitorem adspersa macula hebetatum fuisse, aut fœtum illum simplicem, & columbinum exitiali corū veneno violatum, & enectum.

Plinius.

17 Quarta ratio ab eadem argumentatione deducta robustior est, quippe quæ ex his pendet, quæ in superioribus de officio mediatricis, quo sanctissima Virgo gaudet, diximus: nam vt suprà c. 21. obseruauimus, idem Bernardus epist. 174. Virginis munditiem ab omni peccato actuali ex præfato mediatricis munere deprompsit: *Decuit nimirum* (verba sunt Bernard.) *Reginam Virginum singularis priuilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati, mortisque pareret peremptorum, munus vitæ, ac iustitiæ omnibus obtineret*, scilicet mediatricē inter Deū, & homines agens. Et quāuis in eo capite, vbi locum istum Bernardi dedimus, eodem argumento Virginem à peccato originali mūdam fuisse ex eo confecimus, quia nō solum pro actualibus hominum culpis, sed etiam pro originalibus mediatricis munere functa est: tamen mediationes vtriusque partis inter se conferendas hunc in locum data opera distulimus. Comparatio igitur sic confirmanda est. Quia si Virginem pro peccatis actualibus mediatricem fuisse satis probat ipsam omni veniali culpa vacasse: ergo à fortiori eandem pro originali peccato idem mediatricis munus gessisse ab omni peccato originali immunem fuisse non probat tantum, sed euincit. Nam sicut Christus pro omnibus quidem peccatis etiam actualibus mediatorem egit: sed tamen primo, ac principaliter pro originali mediationem suscepit: ita etiam Virginis mediatio, quæ in hoc officio ipsius Christi socia, atque æmula fuit, primo, ac principaliter ad originale peccatum delendum spectauit, vt in eo ca. 21. fuse probauimus. Si igitur mediatio secundaria, & minus principalis pro venialibus hominum peccatis suscepta Mariam ab omni veniali labe mundam fuisse demonstrat: ergo primaria dignior, & principalior mediatio pro originalibus ipsam multo magis ab originali macula liberam statuet. Quod autem Virgo veluti corredemptrix generis humani Christo addita ad delendum traducis peccatum interuenerit, in eo capite ratione, ac Patrum testimonijs confecimus.

Bernar.

Hoc verò argumentum non solum thesim nostram probat, collatione facta originalis cum veniali; sed etiam cum mortali peccato actuali: nam vt nos etiam ca. 16. docuimus, primaria, & principalis intentio aduentus, & passionis Christi ad originale peccatum delendum spectauit: secundaria verò, & minus principalis ad actuale, seu veniale, seu mortale: ita vt his de medio sublatis propter solum originale nihilominus veniret, & passionem sustineret. Nec dispar ratio est de Virgine sanctissima, quæ per omnia illi comes, & æmula in redemptione obtinenda fuit: atque adeò primo, ac principaliter pro peccato originali mediatricem egit propter illud solum, alijs actualibus etiam sublatis futura. Redeant ergo illa verba Sapiē. 4. *Speculum sine macula Dei operationis*, Græcè ἐνεργείας, id est, *efficientiæ*, quæ sic interpretari debent, vt significent Virginem omnem Christi ad redemptionem humani generis 28

Sapien. 4. 19

efficien-

efficientiam, & operationem in se expressius adumbrasse, ac propterea ab omni peccati labe, ac nebula permundam fieri oportuisse. Sunt qui in hoc loco vocem illam ἐνεργείας per mendum irrepsisse dicant, & restituendum esse ἐλλάμψεως: atque adeò locum sic ad verbum reddendum esse: *Speculum Dei illuminationis*, seu *illustrationis*. Et sanè nihil est ad mediatoris officium significandum idoneum magis, quam speculum, quod solis radios, & lucem haurit, & ex repercussione in alia corpora reuerberat. Quis autem non teneat luminis reuerberationem, & repercussionem in speculo per adspersas ipsi maculas, aut nebulas plurimum hebetari? Quapropter vt Virgo illuminationis nostræ speculum esset, omnem lucem, & gratiam in se ipso excipiens, & in reliquos homines reuerberans, detersam, mundam, & ab omni sorde cuiuscumque peccati liberam esse oportuit. Audi ergo Andræam Hierosolimitanum in sermone de Salutatione Angelica. *Salue* (inquit) *contemplatiuæ cognitionis purum intellectuale speculum, per quod celebres spiritus Prophetæ incredibilem Dei ad nos descensionem mystice adumbrarunt*. Quibus verbis significat, per Virginem, quasi per speculum repercusso lumine notitiam Christi ad Prophetas redundasse: vel certè Prophetas omnes ita nobis Christum proposuisse, tanquam radium ex Virgine, seu speculo quodam candidissimo ex repercussione promicantem: vtrumque autem eximiam quandam puritatem ab omni culpæ labe, aut nebula expertem expetit. *Andreas Hierosol.*

QVATVOR ALIAE RAtiones, quibus Doctor Angelicus Virginem ab omni peccato actionis, etiam veniali, mundam fuisse statuit, ad originale traducuntur.

 CAP. XXVI. 

1. *Illa positio Sancti Thomæ*: Honor, aut decus parentis redundat in prolem, *magis probat immunitatem Deiparæ Virginis ab originali, quàm ab actualibus peccatis.*
2. *Qui alias dedecoris notas hominum causa subire voluit, infamiam illam, quæ ipsi eueniret, si ex peccatrice parente nasceretur, meritò non est passus.*
3. *Peccatum originale parentis maiorem infamiam in sobolem deriuare natũ est, quàm lethale, aut capitale actionis.*



1 *D. Thom.* DIVVS Thomas 3. parte quæstione. 27. art. 4. quatuor rationes cogit, quibus Virginem ab omni etiam veniali actionis peccato liberam fuisse defendat, quas subinde post alias ex alijs Patribus petitas expendere necessarium videtur. Prima igitur sic habet: *Virgo non esset idonea mater Dei, si peccasset aliquando, quia honor parentis redundat in prolem: iuxta illud Prouerbiorum 17. Gloria filiorum patres eorum.* Vnde per oppositum ignominia matris ad filium redundasset. Adstipulatur Ecclesiasticus, qui vtramque partem complexus est: *Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij pater sine honore.* Hæc igitur ratio siquid probat, de originis peccato longe efficacius rem euincit, quam de peccato actionis: non solùm si conferatur originale cum veniali, sed etiam si cum mortali peccato componatur. Ratio verò est in promptu, quia peccata actionis etiam lethalia non sunt per se nata, vt à parentibus ad filios transeant. Hinc est illud Ezechielis 18. *Filius non portabit iniquitatem patris.* At peccatum originis, vel traducis id nominis propterea fert, quia ad filios à parentibus per generationem redundat. Quapropter cum ex se ad transfusionem natum, & idoneum sit, si hoc peccatum in Virgine præfuisset, filij gloriam magis imminueret, quam alia peccata, quæ non ita ex natura sua ad liberos transmitti possunt. Exempli causa: quædam sunt delicta, quæ turpitudinem, & infamiam *Prou. 7. Eccles. 3. Ezech. 18*

à parentibus ad filios per leges deriuant, videlicet hæresis, perduellionis, & proditionis scelus: alia verò, quorum dedecus in ipsismet parentibus extinguitur, nec ad filios descendit. Quodnam igitur ex his parentum sceleribus turpe magis, & inglorium erit filio? Illud profectò, cuius labes ad filios deriuabilis est. Nam etiamsi demus, filium alio priuato iure ab his pœnis eximi, quas ex delicto parentis alij per leges trahunt: dedecus tamen illud nequaquam effugere potest, quod pœnæ in ipsum transfundendæ aptitudo in parente non defuerit. Eodem modo de culpa originali constituere licet: nam licet hanc culpam (liceat sic dicere) priuato iure, ratione vnionis hypostaticæ, & illibati, virgineique conceptus, Christus aliàs effugeret, ac vitaret prorsus: si tamen mater immunis ab ipsa non fuisset, eodem modo turpe illi esset, quod peccatum ad transfusionem per se idoneum, siquidem ipse aliunde eius incapax non fuisset, in matre præcessisset.

2 Id verò melius vt capias, concipere oportet, Christum Dominum, etiamsi peccati alicuius, tam originalis, quàm actualis ob rationes prædictas per se capax non esset: tamen infamiæ, & dedecoris incapacem non fuisse: quin imò non paucas famæ, ac decoris sui iacturas nostra causa illum sustinuisse certissimum est. Quapropter licet matris peccatum, vt peccatum est, ad ipsum redundare nequaquam posset: infamiam tamen, ac dedecus ex parentis delicto in ipsum transire non repugnabat. Sed cur (inquies) is, qui alia valdè indecora, & ignominiosa nostræ salutis gratia adire non dubitauit, qui videlicet circumcisionem, & reliquas peccatoris proprias notas in se ipso non respuit, hoc etiam dedecus, & ignominiam subire tantopere recusauit, quod ipsi ex peccato quolibet suæ genitricis accidere poterat? Vnam, & alteram rationem accipe. Ponendum autem est, filium duas potissimum res parentibus suis debere, scilicet amorem, & honorem. Nil certius. Dico igitur primo id ignominiæ, ac dedecoris eatenus à Deo in parente sua vitatum fuisse, quia quodlibet peccatum graue Dei odium homini accersit, nec non etiam Dei despectionem, efficit nimirum, vt peccator à Deo contemnatur, & despectui habeatur. Atqui absurdum omnino esset, ne dicam contra ipsam pietatem, Deum matrem suam aut odisse, aut despicere. Quod si dicas fieri posse, vt humana Christi voluntas Mariam matrem plurimum honoraret, & impensè amaret, diuina verò eandem despiceret, atque immiti odio prosequeretur: obstat certè vtriusq; diuinæ, & humanæ in Christo voluntatis mira in omnibus concordia. Posterior ratio inducitur ex ipsa Virgine matre Dei: nam peccatū charitatem Dei in ipsa, aut extingueret, si graue, aut remitteret, si leuius esset: à ratione autem valde alienum erat, Deum talem sortiri matrem, quæ ipsum, aut non amaret, aut certè minus feruide diligeret. Quod si obijcias fieri posse, vt eiusmodi mater peccati alicuius rea Christum ardentissime amaret, quatenus homo erat, eundemque tanquam Deum minime diligeret. Obstat similis ratio: quia cum Maria non modo hominis, sed Dei etiam mater, & parens absolute dici debeat, absonum profectò esset, si hominem ardenter, & Deum ardentius non diligeret, atque expeteret. Ideò ergo Christus Dominus id ignominiæ, & dedecoris, quod à matris culpa in ipsum refundi poterat, tanto studio vitauit: quia si matrem grauiori aliquo peccato infici sineret, præcipua officia boni filij erga parentem suam, aut deserere, aut imminuere cogeretur: quandoquidem nec amorem, nec honorem illi debitum penderet. Item matrem haberet satis impiam, quæ sibi debitum quoque amorem non deferret. Quorsum hæc? Sanè ex his liquet, peccatum originale non minus à matre Dei abhorrere, quam actuale mortale: quia si ad ipsum Deum spectes, originale quidem Dei etiam iram, & odium aduersus hominem prouocat, & despicabilem Deo reddit. Si verò ad illum intendas, qui eo peccato contaminatus est, eo ipso charitate, & amore erga Deum perpetuo carendi debitor existit. Indecorum ergo valdè esset Christo Domino, eam matrem habere, quam non sine pietatis iniuria, odio, ac despectui habere aliquando ipsi opus fuisset, & quæ ipsius etiam nunquam amandi debitum ab initio contraheret.

Rursus alio ex capite peccatum originale parentis cum peccato actionis lethali collatum, non solum æqualem, sed etiam maiorem turpitudinem ad filios deriuare natum est. Quia licet peccatum actionis, si grauitas spectetur, maius plerumque sit, quam originis; tamen si turpitudo, macula, & dedecus obseruatur, quodammodo turpe magis, & indecorum est peccatum originale, quam peccatum actuale, etiam lethale. Ideò enim Deus olim circumcisionem inuenit, quæ ita hominem in nobilissimi, & à Deo electi populi censum transferebat, vt hanc turpissimam originalis peccati notam simul deleret: quasi non aliter tantæ gloriæ, & splendoris consortem fieri fas esset, nisi ea prius macula elueretur. Genesis 17. *Masculus, cuius caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo.* Et idem iudicium est de baptismo Christi, qui ita ad Ecclesiam fidelibus ianuam reserat, vt eam simul labem emaculet. Et licet, tam Ecclesia, quam Synagoga plures semper complexa sit peccatores, qui grauissima ipsi scelera 3 Genes. 17

perpe-

perpetrarunt: nullum tamen sibi aggregari permisit, qui prius originis sordes, & squallorem non deponeret. Cum ergo peccatum originale per se inhonestius, atque turpius sit, quam actuale: merito dicimus, indecorum magis, ac turpe fore Dei filio, si matrem tali peccato infectam haberet, quam si eadē alio peccatorum actualium quolibet genere obstricta esset. Ex his verò ad veniale peccatum sic gradus fit. Si Virgini Deiparæ, atque Christo originale peccatum, aut æqualem, aut maiorem ignominiam crearet, quam mortale: quanto precor interuallo dedecus illud, quod ex originali peccato vtrique, tam matri, quàm filio accidere poterat, leuissimā illam ignominiam peruinceet, quæ ex veniali culpa contingeret? Si ergo Doctor Angelicus leuissimam illam notam, quę ex veniali peccato accidit, à matre in filium transire indecorum putauit: ergo potiori iure illam longe turpiorem, quæ ex peccato originali euenit, tam à matre, quàm à filio arcere debuit.

SECVNDA RATIO.

§. II.

4. *Filius & mater eadem persona, & vna caro censentur, atque eadem vita, vox, & actio.*
5. *Nihil huius identitatis, & vnitatis inter Christum, & matrem desideratum est.*
6. *Vnitas carnis, quæ inter Christum, & Mariam intercessit, non minus probat immunitatem ipsius ab originali, quàm ab actualibus peccatis.*
7. *Imò efficaciùs persuadet munditiem ab originali.*
8. *Vnitas animorum, quæ sequitur vnitatem inter filium, & matrem, magis violatur per peccatum originale, quàm per actuale.*
9. *Ipsa etiam carnis identitas magis læditur.*
10. *Si mater peccauit, filius in matre quodammodo deliquisse dicendus est.*
11. *Ex eo quod vna sit matris, ac filij vox in iudicio, Virginis innocentia comprobatur.*

4 S. Thom.

ECVNDAM Rationem offert Sanctus Thomas hisce verbis: *Tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, quæ ab ea carnem accepit: dicitur autem 2. ad Corinthios 6. Quæ conuentio Christo ad Belial?* Imprimis ergo constituere oportet, filium, & matrem singulari quadam non tam vnione, quàm vnitate inter se copulari. Tullius in Verrem oratione 3. *Cum filijs viui bona nostra partimur, quia pro eadem persona habentur:* Propter hanc vnitatem in caulis agēdis *eadem filij, ac patris vox*, leg. fin. c. impub. *vnum*, etiam *corpus, & vna caro*, §. *Ei vero*, de inutil. stipul. Item Aristol. 8. Ethycorum: *Filij (inquit) à parentibus sunt veluti alteri ipsi inseparati.* Et quia iustitiæ æqualitas hoc postulat, vt inter duos ad minimum versetur, addit ob eam causam, quia scilicet non duo, sed vnus sunt, inter filium, & patrem ius intercedere non posse. Iterum etiam filium patris indiuisum membrum appellat, tam arctè ipsi copulatum, vt nonnunquam leges propter grauem dolorem patrum filijs indulgeant. Quid plura? Hinc factum, vt pater in filio suo viuat, iuxta illud Eccles. *Mortuus est, sed non erat mortuus: reliquit enim similem sibi post se.* Accinit etiam ius ipsum in cap. Contradixi, §. *Hac authoritate*, 35. quæst. 3. Et vt in patre filius vicissim viuat, quod ex eodem iure manifestè colligitur: & identitas præfata hoc postulat, vt quasi animas in se mutuo transferant, & transpirent.

Tullius. Arist. Eccles. 30

5 Quod autem hæc, quæ inter alios parentes, atque filios intercedit vnitas, inter Christum, & Mariam fuerit arctissima, docet Augustinus de Assumptione homilia. 4. cuius verba supra alio instituto dedimus. *Si igitur (inquit) natura matris est filius, conueniens est, vt sit & filij mater, non quantum pertinet ad æquam administrationem: sed quantum pertinet ad eandem reciprocam substātiam, vt homo de homine, caro de carne, mater à filio, filius à matre, non ad vnitatem personæ, sed ad vnitatem corporalis naturæ, & substantiæ. Si enim vnitatem potest facere gratia sine proprietate specialis naturæ: quanto magis vbi gratiæ vnitas, & corporis est specialis natiuitas?* Et infrà. *Hæc quippe gratia vnitas, quæ à Christo in Christum credentibus seruatur: si Mariæ etiam minus sapientum æstimatione non tollitur, quanto magis cum gratiæ vnitate ipsa specialitas naturæ vnum efficit matrem, ac filium, & filium, ac matrem.* Accedit etiam Petrus Damianus in sermone 2. de Natiuitate, qui postquam præmisit, Deum non vno modo rebus creatis inesse, sic addit: *Quarto modo inest vni creaturæ, videlicet Mariæ matri identitate, quia idem est cum illa. Hic taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem: habitat Deus in Virgine, cum qua vnius naturæ habet identitatem.* Sed luculentius Arnoldus Carnotens. in libello de Laudibus Virginis: cuius etiam verba supra vsurpauimus vers. 17. huius capitis, cum de Virginis regno verba fecimus: *Vna (inquit) est Maria, ac Christi caro, vnus spiritus, vna charitas: vnitas diuisionem non recipit, nec secatur in partes, & licet ex duobus factum sit vnum: illud tamen vltra scindi*

August. Pe. Dam. Arnold.

non potest, atq; adeò filij gloriam cum matre non tam communem iudico, quam eandem.

6 Ergo ex hac positione, quam præfata Patrum testimonia firmam reddunt, depromit S. Thom. Virginem ab omni peccato actionis vacuam esse oportere: huius autem illationis vim accipe. Primò, quia ea vnitas carnis, ac corporum, quæ inter filios, & parentes intercedit, illam etiam animorum vnitatem, quam amor copulat, & adstringit, suo sibi iure exposcit. Et quidem maius illud, atque arctius debitum, quo filius parenti, & parens filio amorem impendere tenentur, non aliunde quidem, nisi ex hac carnis vnitate deduci debet. Quia nimirum quid monstro adsimile esset, eandem esse carnem: animam verò dissimilem, ac diuersam: talis autem esset, nisi eam mutua charitas illigaret. Rursus ex his, quæ nuper diximus, satis constat, quod si Maria capitale aliquod peccatum admisisset, & Christi erga matrem amor in odium verteretur, & matris erga filium charitas extincta deficeret ob rationes inibi præscriptas: sequeretur sanè inter nobilissimam matrem, & præstantissimum filium vnitatem carnis, depulsa animorum, spirituumq; vnitate, monstrosam, & naturæ etiã ipsi horribilem mansuram. Audiendus Anasthasius Synaita Anagogicarum quæstionum lib. 6. prope finem. *Quis mihi dic quæso, aut ex hominibus, aut ex dæmonibus audebit dicere, quod ea, quæ est eiusdem simul cum Deo essentiæ, quod ad carnem attinet, non sit ad imaginem, & similitudinem eius, qui est ex ipsa natus? Quomodo est enim mater eiusmodi filij non ferens in se illæsam fœtus sui imaginem?* scilicet per gratiã. Hæc ille, quæ in præfatam sententiam aptissime cadunt.

Anasthas.

7 August. August. verò vtranq; tam carnis, quam spiritus vnionem cum Christo filio suo, in Maria ita cõtulit, vt posteriorem præferret: nam inter alia verba supra adscripta hæc inserit: *Hæc igitur gratiæ vnitas, si Mariæ minus sapientum æstimatione non tollitur, quanto magis cum vnitate gratiæ ipsa specialitas naturæ vnũ efficiet.* Quibus verbis significat illud sapientibus omnibus persuasum esse, ex duabus vnionibus, quarum altera carnem, altera spiritum, & animum copulat, eam, quæ duos spiritus, vel animas matris, ac filij deuincit, arctiorem esse: atque adeò multo minus à Virgine auferendam, quàm aliam. Cum igitur (vt sæpe alias diximus) peccatum originale hominem Deo inuisum faciat, & vtriusque spiritum non minus secet, ac scindat, quam peccatum actionis capitale, certè non minus illud à Deiparente abhorrebit, quam hoc. Imò magis quodammodo originale peccatum ab illa alienum esse debebit: quia vnitas illa, quæ inter matrem, & filium intercedit, in similitudine consistit. Nam filium esse nihil aliud est, quam patris, vel matris similitudinem, & imaginem præseferre: imò filius (teste Augustino) genita imago, & similitudo parentis dici debet. Atqui peccatum originale, vt ex Diuo Dionysio depromit noster Turrianus, nihil aliud est, quam *habitus dissimilitudinis Dei, homini ingenitus*: nam sanctus ille Præsul de Ecclesiastica Hierarchia loquens de adultis, & ritus baptismi tradens, *ad occidentem eos verti* dicit, *& manuum depulsione communicationes tenebrosæ malitiæ renuere, atque habitum dissimilitudinis Dei ipsis ingenitum sufflare*: quem locum Turrianus ita edisserit, vt per *communicationes tenebrosæ malitiæ*, peccata intelligantur actionis: per *habitum verò dissimilitudinis Dei ingenitum*, originis peccatũ accipi debeat: tantumque tribuit hisce verbis, vt putet, absolutissimam huius peccati definitionem ex genere, ac differentia sua coalescentem complecti. Nam illud, *habitus dissimilitudinis Dei*, generis vicem habet, communemq; omnibus peccatis deformitatem sonat: vox autem illa, *ingenitus*, differentiæ locum gerit. Nam cum alia peccata actualia voluntaria sint committenti, originale peccatum ingenitum est, per ipsam scilicet generationem inditum, & transfusum. Aliquid etiam ad differentiam huius peccati pertinens notari per illam vocem *habitus* infrà docet. Nam licet peccata actualia etiam post actũ in habitum transeant: tamen vox illa *habitus* propensionem, ac pronitatem habẽtis asportare solet. Sic verò dissimilem Deo facere, vt homo pendentibus in malum omnibus, tam corporis, quàm animi facultatibus, in hanc Dei dissimilitudinem pronus sit, originali peccato proprium, ac peculiare est. Et sanè quamuis censeam per hanc definitionẽ quidditatem, & essentiam peccati originalis non omnino explicari: hæc enim nihil aliud est, quã *priuatio iustitiæ originalis debitæ*: existimo tamen luculenter admodum describi.

Dionys. Turrian.

Quid inde? Sanè inde fit, illam spirituum, & animorum vnionem, quam inter Mariam, & filium eius Christum Dominum intercedere oportebat, ne vnitas carnis vacua quodammodo, & inanis sit, magis quodammodo per peccatũ originale violari, quam per peccatum actuale etiam lethale: quia cum peccatũ originale habitus sit maioris quodammodo, & latioris dissimilitudinis, ac disparitatis Dei, quã actuale, eam vnitatẽ, quæ in similitudine tota consistit, perniciosiùs secat, ac scindit. A mortali verò ad veniale peccatum sic gradus sternitur. Quia vnio illa spirituum, quam gratia Dei adstringit, per peccatum veniale laxatur fortasse; non tamen dissoluitur, ac discinditur. Si ergo Doctor Angelicus absurdum putat, & illi affinitati prorsus contrarium, quæ inter Christũ, & Mariam intercedit, eam spirituum vnitatem, quam charitas cogit, & cõflat, per peccatum veniale tantummodo laxari, & remitti: quãtum absurditatis, & indecentiæ continebit, 8

eandem

candē per originale peccatum dissolui prorsus, ac rescindi.

9 Sed tamen non modo illa vnio animorũ, quæ cum carnis vnitate cohærere debet, per originis peccatum violatur, vt hactenus diximus: sed ipsa illa carnis, & sanguinis identitas, quam natura ipsa alligat, per eiusmodi culpam mirũ in modum læditur. Præmittere autem oportet peccatũ originale ita in animo esse, vt tamen corpori ipsi tradatur: tum quia per seminalem carnis propagationem trãsfertur: tum etiam quia prauos suos effectus in corpus deriuat. Vnde Paul. ad Ro. 7. *Cum essemus* (inquit) *in carne, passiones peccatorum, quæ per carnem erant, operabantur in mẽbris nostris, vt fructificarent morti.* Et infrà: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantẽ legi mẽtis meæ, & captiuantẽ me in lege peccati.* Loquitur autem Apostolus de effectibus peccati originalis. Et supra c. 6. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati.* Vbi peccati corpus appellat corpus ex peccato originali vitiatum, & violatum. Iam intelligis quo tendam. Sanè si Virginem Christiparam peccato originali infectam fuisse dicamus, fateri opus erit illius corpus ita vitiatũ, vt corpus, & caro peccati dici debeat. Absit ergo, vt Christi caro, quæ diuinitati in eadem hypostasi vnita erat cum corpore, & carne peccati, eam vnitatem contraxisse dicamus, vt in eandẽ prorsus carnem migrauerit, & in idẽ corpus coaluerit, (quod filiorum, ac parentum propriũ esse nuper dicebamus) hic enim locum habent illa Pauli verba à D. Thom. producta: *Quæ conuentio Christi ad Belial?*

Ad Ro. 7.

S. Thom.

10 Rursus ex eadem carnis, & sanguinis vnitate aliter pro immaculata Virginis Conceptione argumentari integrum est. Quia per illã vtiq; fit, vt matris, ac filij, siue bona, siue mala cõmunia sint, adeò vt etiam actiones, imò & vita ipsa vnius, alteri mutuo adscribi soleãt, vt ex prææallegatis legibus, ac testimonijs liquet. Hinc ergo non vna ratio excitari potest. Prima sit eiusmodi pro peccato actionis conformata. Si tanta est rerum omnium cõmunio inter matrẽ, & filiũ ex vnitate carnis profecta, vt actiones etiam ipsę inuicem communes esse ferantur: erunt ergo ipsarum etiam actionum, quæ peccata fuerint, mutui consortes: si enim identitas bonarum actionum communionẽ inter filium, & matrẽ statuit, cur non etiam malarum? Absit verò, vt vel sic, quamuis non ex propria actione, sed ex accommodatione illius cõmunionis, quæ inter matrem, ac filiũ intercedit, Christũ aliquo modo deliquisse, vel criminis quidpiam perpetrasse dicamus. Et quidem parentũ delicta ad filios aliqua ratione pertinere, quasi in illis ipsi quoq; filij aliqua ratione deliquerint, ex eo certe suadet August. de Genes. cõtra Manic. quia Deus persępe scelera parentum in filijs punire consueuit. Id ergo, quod de actionis peccato diximus, in peccatũ etiã originale apprime quadrat: quia ea ratio nõ solum actionũ, sed etiam vitæ, & omniũ, tam bonorum, quàm malorũ inuehit communionem, vt ex dictis liquidum est. Quod enim de gloria pronunciauit Arnol. *Atq; adeò filij gloriam cum matre non tam communẽ iudico, quàm eandem,* simili lege, ac iure de opprobrijs, ac de iniurijs dicẽdũ est, vt propterea putandũ sit opprobrium matris in filium redundare.

August.

Arnold.

Demum alia quoque non insulsa ratio ex præfato principio peti potest: quia vt initio dicebamus, propter hanc carnis vnitatẽ, quæ inter filium, atq; matrẽ versatur, in foro, atq; iudicijs eandem filij, atq; matris vocem esse iura differunt: atq; eapropter filij testimonium, aut accusatio contra parentem per leges ipsas tanquã minimè idonea refutantur. Et ob eandem rationẽ Arist. loco citato inter matrem, atq; filium iustitiam propriè dictam intercedere non posse affirmat: quia scilicet hanc inter duos saltem versari oportet: illi verò indiuisi, & indiscreti cẽsentur. Quorsũ hęc? Certè si Virgo alicuius peccati, adhuc originis rea esset, eius iudex, testis, accusator, & vindex nõ alius esset futurus, nisi Christus Dominus: iuxta illud Ioan. 5. *Neq; enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium.* Si ergo illa matris, atq; filij naturalis idẽtitas hoc postulat, vt vtriusque vna sit in iudicio vox, neque filius contra matrem ex iure agere possit: oportuit sanè, vt Virgo nihil accusatione, aut iudicio dignum admitteret, ne illa vnitas solueretur: & quod humana subsellia perhorrescunt, filius contra matrem causam diceret, & cum illa ex iure, atque iustitia aliquid actitaret. 11

Ioan. 5.

TERTIA RATIO D. Thomæ.

§. III.

12. *Non esset corpus Virginis idoneum Christi habitaculum, si animam peccati sordes polluissent.*
13. *Vnio carnis, ac Christi comparatio.*
14. *Virginis, ac mundi collatio.*



TERTIA Ratio Sancti Thom. qua inductus omnia actualia peccata à Virgine Deipara remouẽda esse decreuit, sic habet: *Tum etiam quia singulari modo Dei filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitauit, non solum in animo, sed etiam in vtero. Dicitur autem Sapien. 1. in maleuolam animam non introibit sapientia: nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Huius ratiocinationis tota vis in eo posita est: quia decebat maximè, vt Dei sapientia mundissimam sibi ad inhabitãdum domũ capesseret, 12

S. Tho.

Sapien. 1.

 cumq;

cumq; non in vtero solum: sed etiam in anima, ac præcordijs Mariæ morari opus esset, oportebat sanè vtrumq;, corpus scilicet, atq; animā illius mirabili quadam munditie præditam esse, ita vt ne leuissimi alicuius peccati venialis fęx, & turpitudo illi adherescerct. Nam licet peccatorum maculæ animum per se primo inficiant: tamen inde etiam ad corpus deriuantur, & illud suis etiam sordibus contaminant. Iacob in sua can. Ca. 3. de lingua maledica sic ait: *Quæ maculat totum corpus.* Et eadem ratio est de alijs criminibus Paul. ad Rom. 8. *Corpus quidē mortuū est propter peccatū.* Quibus verbis docet lethale peccatum non modo necem animis afferre, sed quodammodo ipsis etiam corporibus mortē inspirare. Propterea S. Tho. ab æterni Patris Filio, & sapientia abhorrere dicit, corpus illud ad inhabitandum sibi vsurpare, quod vel leuissimorum criminū sordes ex animo defluentes vnquam polluissent.

(Margin notes: Iacob. c. 3. — Rom. 8. — S. Thom.)

13 Vnicornium (Author est Beda in Psalm. 77.) ab spelæo, seu cauea, in qua degit, omne venenatum animal procul abigit: nam odor eius, & anima omnia virulenta præsentissime aut fugat, aut necat. Quorsum illa hæc? Virgini certè donat D. Bonauen. verba præfati Psalmi. *Ædificauit sicut vnicornium sanctificium suum in terra*, id est, ad eundemmodum Deus sanctuarium suum, & templum, id est, Mariam sibi ad incolendum conformauit, sicut vnicornis mundissimum habitaculum sibi construxit: atque adeò ab illa omnia peccata, quibus nihil est virulentius, longissime arcuit, odore videlicet, atq; anima, seu flatu. Nam per id tempus, quod excessit, antequam Christus ad Virginis vterum se se demitteret, odore aduentus sui, quasi à longè, tam originale, quàm actuale peccatum ab illa expulit: tunc verò cum eius in præcordia descendit, & deinceps, per animam, & afflatum, id est, per Spiritus Sancti illapsum, qui ipsam copiosissime perfudit: iuxta illud, *Spiritus Sanctus superueniet in te.*

(Margin notes: Beda. — Bonauen.)

14 Ad hæc, priorem illam domum, quam sibi Deus ad incolendum molitus est, scilicet hāc totius orbis vniuersitatem, mundissimā esse voluit: ideò enim *mūdus* appellatus est propter eximiam ipsius munditiem, & Græci etiā κόσμον dicunt, id est, ornatum, compositum, & purum. Ergo cum domus posterior, quam Virgo Deo in semetipsa exhibuit, priorē illam facilè superet, longè mundiorem, atque ornatiorem esse oportuit, ita vt ne leuissimi alicuius delicti macula ipsi adhęresceret, nedum capitalis, ex origine, aut actione cōtracti. Huc spectant illa verba Bernardi in ser. de Sanct. Maria: *Prius* (inquit) *eam altissimus quasi mundum specialissimum sibi creauit, quā in iustitia, & sanctitate fundaret*: vt nimirum esset mundus mundo ipso mundior, & ornatior. Audiendus etiam est Anselmus de excellentia Virginis. *Nulli denique dubium, castissimum corpus, & sanctissimam animā fuisse ab omni macula peccati protectam, vtpote aulā, quam suus, & omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in sua persona vnitati ineffabili fuerat operatione suscepturus.* Et subinde attexit. *Et quid mirum? Nam inter homines vsus obtinuit (si tamen è cœlestibus ad terrena potest esse comparatio vlla) cum prępotens aliquis, & persona diues aliquò vadit hospitaturus, vt clientes percurrant, & locum muniant, mundent, ornent, & custodiant, quò venienti domino suo aptus ad inhabitandū, & congruus fiat. Quod si talis apparatus fit pro aduentu terreni hominis, & momentaneæ potestatis, qualis apparatus omnis boni, putamus, fiebat pro aduentu cœlestis Regis, & æterni in cor de sacratissima Virginis, quæ illum non solum erat in semet transitiue hospitatura, sed etiam ex substantia sua factum hominem paritura.* Obseruanda est maximè hæc præuia hospitij expeditio, quam certè ab ipso conceptionis instanti inchoatam putamus, & affirmamus, vt tanto hospite dignum esset.

(Margin notes: Bernar. — Anselm.)

QVARTA RATIO.

§. IIII.

15. *Ex illis verbis*: Tota pulchra es amica mea, &c. *Virginis immunitas ab originali non minùs persuadetur, quàm ab actualibus.*
16. *Momus Deorum censor, atque exprobrator.*
17. *Virgo Deipara omni carens vitio nullum habet Momum, qui vel sandalia illius arrodere possit.*
18. *Verba illa:* Tota pulchra es, &c. *vnus tantùm D. Thomas de solis actualibus culpis interpretatur.*
19. *Antiqua lytburgia cum Virginem immaculatam, aut irreprehensam appellant, ad hæc verba respiciunt.*
20. *Satis multi sunt, qui hæc verba expressè de immunitate Virginis ab originali interpretantur.*
21. *In Primitiuis est ad verbum*: Omnis tu pulchra es, &c. *Virginis innocentia inde suadetur.*
22. *Cum Patres hæc verba de Ecclesia interpretantur, per illa verba:* Et macula non est in te, *originalem labem accipiunt.*
23. *Virgo nec maculam, nec rugam contraxit.*



DENIQVE Quarta ratio Sancti Tho. sic habet. *Et ideò simpliciter fatendum est, quod B. Virgo nullum actuale peccatū commisit, nec mortale, nec veniale, vt sic in ea impleatur, quod dicitur, Cantic. 4. Tota pulchra es amica* 15

mea

mea, & macula non est in te. Ex quibus verbis tale quidpiam conficit Cather. de Concep. Virg. lib. 3. Doctor (inquit) Angelicus ideò verba illa in Virgine compleri affirmat, quia caruit omni labe actualis peccati, tam venialis, quã mortalis. Si ergo aliqua vel leuis peccati venialis macula ipsi adhæsisset, non vtiq; in ipsam secundũ vim suam quadrarẽt verba illa. Ita planè fateri opus est ex mente Diui Thomæ. Si igitur ad pulchritudinem istam complendã vnius etiam peccati venialis maculam à Virgine remouere opus est: quis asserat teterrimam illam peccati originalis labem cum tãta pulchritudine componi, & copulari potuisse, ita vt nihilominus *tota pulchra, & sine macula* prædicari debeat? Caietanus in hunc articulum putat locum istum apte satis ad conclusionem probandam à Diuo Thoma productum fuisse: quia sensus, inquit, Ecclesiæ est grauis authoritatis: Ecclesia autem locum illum perquam familiariter Virgini adaptat. Quapropter videre oportet, quisnam fuerit in huius loci expositione communis Ecclesiæ sensus.

Cather. *Caietan.*

16 Sed verba primo iuxta literam expendere libet. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Hebr. ומום *V mem.* Hanc vocem quidam trahunt ex radice מאם *Maam*, idest, *reprobare*, & *abijcere*, aut *reprehendere*. Ideò lxx. apte admodum transtulerunt Καὶ μῶμος οὐκ ἔστιν ἐν σοί, id est, *nõ est reprehẽsio in te*, neq; iniuria, μῶμος hic adscribitur, ita vt liceat sic vertere, *nõ erit Momus in te.* Apud veteres celebris fuit inter Deos Momus, ad id inuẽtus, & cõfictus, vt Deorũ vitia carperet. Eius meminit D. Greg. Nazian. in Poemate de Virg. vbi puellam commonens domi vt hæreat, & senio confectos parentes subleuet: sic demum addit.

Nazian.

Ipsis conuiuere nulla
Inuidia est, oculos nec ob id tibi Momus acerbos
Inijciet, soleas stridorem emittere dicens.

Quasi dicat, si domi manseris, nec foras pedem extuleris, aberit à te liuor omnis, nec præsto erit Momus, id est, rigidus aliquis cẽsor, qui crepidarum stridorem incusets Alludit enim Naziã. ad nescio quid fabellæ apud veteres celebre. Ferunt enim Momum tanta libertate in Deorum vitijs obiurgandis vti solitum, vt in Veneris soleas, & crepidas aliquando inuectus fuerit. Atq; inde fluxit prouerbium à Clem. Alexan. non semel vsurpatum. *Quidquid est pulchrum sequitur Momus*, lib. 7. stromatum longè ab initio. Et idẽ Nazianzenus suprà.

Clemente Alexan.

Aduigila ne te Momus, sceleratque lingua
Inficiat, laudesque tuas carpatque maligne.

17 Ad rem nostram: *Non erit Momus in te*, id est, quantumuis sit aliquis rigidissimus vitiorum censor, qui Momi adinstar, vel Dijs ipsis vitia imponere audeat: is quidem nullum in te vitium non modo non reprehẽdet, sed nec deprehendet quidem. At inquies non deesse etiam Virgini suos Momos, qui ipsi originalis culpæ vitium affigant. Sed nihil mirum: *Est enim tota pulchra, & quidquid est pulchrũ sequitur Momus.* Profectò qui Virgini labem aliquam inurunt, Momi sunt: parati etiam Deo ipsi (audens dico) næuum aliquem imprimere. Nam turpem satis næuum Deo infigit ille, quisquis matrem ipsius macula aliqua aspergit, cum ex matre in filium omnes maculas aliquo modo redundare necessariũ sit, vt nuper ex eodem D. Tho. præmisimus. Ausus est Momus Veneris sandalia, & crepidas seuerius notare: audent etiam isti Virginis quoque calceamenta, id est, præseruationem, & protectionem à peccato origiuali magna cum licentia sugillare. Audi Rupertum ad illa verba Cant. 7. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis. Idcirco* (inquit) *ancillæ: nempe Eua calcaneum à serpente ad morsum; quia discalciata erat. Tu verò, ò filia principis, probe calciata serpentis caput contriuisti* (Quod autẽ per caput serpentis peccatũ originale accipi debeat, supra non semel ex doctrina Patrũ decreuimus) hoc ergo caput Virgo *calceata*, id est, gratia Dei protecta pede suo pressit, atq; cõtriuit. Ait ergo Salom. *Nõ erit Momus in te*, nullus scilicet erit, qui soleas, vel calceamẽta tua, quibus diaboli caput pressisti, liuidè corripiat. Vel quia licet aliqui sint seueri in Virginem censores, tamẽ ita pauci, vt nulli prorsus cẽseri debeant: vel quia lapsu temporis hi omnes deficiẽt prorsus, & vna erit omnium vox, & conspiratio. Hactenus lusimus.

D. Thom. *Rupert.*

Iam nunc ad loci præscripti expositionem redeamus. Mihi sanè exploratum est, illum iuxta communem Ecclesiæ sensum (cui tantum tribuit Caietanus) ita de Virgine intelligi, vt non tantum ipsam ab actualibus, sed etiam ab originali labe mundam fuisse ad significet. Imprimis autem illud pono, ex antiquis Patribus plures hunc locum iuxta literam, Ecclesiæ tribuisse, Virgini autẽ vix paucos illum accommodasse. Ex his tamen nullus est, qui illum ita coercendum dixerit, vt de actualibus tantum peccatis intelligi debeat: sed vel absolute de omnibus in vniuersum peccatis loquuntur, aut peccatum originale expresse includunt, si vnum excipias D. Tho. Aliqui etiam id adscribunt Richar. Victorino: sed tamen is præfata verba minimè coercuit, aut perstrinxit: ait enim. *Tota ergo fuit pulchra, quam totã possedit gratia, quia nullum in ea locũ habuit peccatũ.* Et infrà. *Tota ergo pulchra dicetur, quia pulchra facie fuit, & pulchra mẽte fuit. Nemo enim tã sanctus, qui maculã nõ habuerit, & defectũ præter ipsam.* Quod si idẽ dicit, *sanctificatã, & mundatã in vtero*, nõ ita accipiẽdus est, quasi illã ab aliquo purgatã sentiat: sed quia ab initio sanctitate, mũditia, & puritate insignita fuerit. Suadet hoc allud ipsi⁹ testimoniũ li. 2. de Eman. c. 28. vbi expresse docet illã ab omni culpa originali 18

Richard. Victor.

mundam fuisse. Missum facio Rupertum, qui fingit cœlestem sponsum Virginem iam inde in cœlesti Curia inter beatos agentem affari, quod à veritate lõgius abeat: nam idem ipse meliora sapiens lib. 3. & 8. in Cant. & lib. 7. de gloria Trinitatis c. 13. Virginẽ totã pulchrã, & formosam, eamq; Sunamitidẽ ab omni peccati iugo liberam deprędicat: *Cuius vita tanta integritas fuerit, vt nihil vnquã habuerit, vnde gemeret, nisi vulnus charitatis propter dilatione plena, atq; perfecta beatitudinis.* Cuius verba infra dabimus, cũ de perpetua Ecclesiæ traditione nobis sermo erit.

Rupert.

19 *Galatin.* Igitur vt ab his exordium ducam, qui antiquitate alios præcedunt, Galat. quidem l. 7. de arcanis, cap. 4. docet inter illos Hebræorum Magistros, qui Christum præcesserunt, constantissimam sententiam fuisse, verba illa de Matre Messiæ esse interpretanda, ac per hæc eiusdem immunitatem à peccato originali notari. Subinde verò inter Apostolos D. Iacob. in sua lythurgia planè ad hunc locum allusisse aliqui docent. Sic enim præcinit Sacerdos: *Præcipuè sanctissima, immaculata, & super omnes benedicta gloriosa Domina nostra Deipara semperque Virginis Maria.* Deinde subijciunt Cantores. *Dignum est, vt te Beatam dicamus Deiparam semper Beatam, & omnibus modis irreprehensam.* In Græcis est ἄμωμος, id est, sine reprehensione, vt planè concinat cum lect. lxx. Subijciendus Idiota in contemplatione Virg. c. 3. *Tota* (inquit) *pulchra Virgo gloriosissima, & macula non est in te: tota pulchra es in tua Conceptione ad hoc solum effecta, vt templum esses Dei altissimi.* Et infrà. *Tota igitur pulchra es Virgo gloriosissima non in parte sed in toto, & macula peccati, siue mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te, nec vnquam fuit, nec erit.* Hi sunt qui ex antiquis Patribus locum istũ de Virgine expresse edisserunt. Crediderim tamen multo plures esse, qui ex hoc loco Virginis immunitatem à culpa hauserunt: omnes enim, qui Mariam immaculatam, incontaminatam, & irreprehensam appellant, hunc ad locum (me iudice) respexerunt. Numerabo veteres aliquos, plures omittam. Imprimis B. Iacobus supra citatus in eadem lythurgia paulò ante sic ait. *Commemorationem agamus sanctissimæ, immaculatæ, gloriosissimæ benedictæ Dominæ nostræ Matris Dei, & semper Virginis Mariæ.* Et D. Marc. in sua etiam Missa post præmissam salutationẽ Angelicã sic addit. *Imprimis sanctissimæ, immaculatæ, & benedictæ Dominæ nostræ Dei genitricis, & semper Virginis Mariæ.* Et ne à lythurgijs recedamus, subest etiã illud ex canone Æthiopum. *Lætare Domina, quia peperisti nobis lumen verũ Iesum Christũ. Lætare immaculata verè Regina: lætare gloria nostrorũ parentũ.* Et in lythurgia Græcorũ in versu de Deipara, quem ipsi Theotocion appellant, sic habetur. *Qui consecuti sumus gaudiũ in tuo conceptu, ò planè immaculata salutamus te cũ Angelo clamante. Aue mater Emanuelis, &c.* Accedit etiã Ioã. Chrysost. in sua Missa, vbi semel, iterũ atq; iterum Virginẽ Immaculatã appellat. Nam post depositionem Sanctorũ donorũ populus sic recitat: *Sanctissimæ immaculatæ super omnes benedictæ Dominæ nostræ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ* (deinde Sacerdos ait) *Præcipue pro sanctissima, & immaculata, &c.* Et infrà. *Et intercessione immaculatæ Dominæ nostræ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ dignũ me fac, &c.* Deniq; in alijs lythurgijs, id nominis datur Virgini persæpe: ita vt putem iuxta solennem veteris Ecclesiæ morẽ Mariã eo nomine familiarissimè in omnibus Ecclesiasticis precibus compellari solitã. Missos facio antiquos Patres, qui eo vocabulo Virginem passim cẽsent. Ac ne ab Ecclesiasticis officijs recedam, subijcio illã non omnino nouã antiphonã, qua vniuersus ordo Franciscanus horas absoluere consueuit, cuius piũ morẽ nonnullæ etiam graues Ecclesiæ studiose amplexatæ sunt: quæ in perantiquis etiam quarundam Ecclesiarũ Breuiarijs in festo Conceptionis, & in officio Nogerolis à Sixto IIII. approbato legitur ad hunc modũ: *Tota pulchra es amica mea, & macula originalis non est in te: tu gloria Hierusalem: tu lætitia Israel: tu honorificentia populi nostri, &c.*

D. Iacob.

Idiota.

D. Iacob.

D. Marc.

Chrysost.

Si autem cum his, quæ vetustiora sunt, noua magis, & recentia cõputentur, haud facilè esset in censum cogere eos, qui locũ istum ad immaculatã Virginis Conceptionẽ probandam, & cõfirmandã adeiscunt: sed grauiores aliquos percensere libet. Alexan. Alens. in libello illo aureo, quem de pura Cõceptione morbo coactus scripsit, de quo infrà in sęculorũ censu. Dionys. Carth. de Virg. excellen. Gerson in vno, atq; altero serm. de Concep. & Pseudo Gerson in alio serm. de Concep. 2. p. alph. 47. Canis. in Marial. lib. c. 6. Salmer. in c. 6. Epist. ad Rom. Cardin. Cussan. Bellar. Valent. Suar. & Vazq. Barrad. locis citatis. Extremos autem ideò enumeraui, quia in hos omnis antiquorum diligentia, & industria quasi collectis riuis influxit. 20

Alexan. Dionys. Gerson. Pseu. Gerson. Canisius. Cussan. Bellarm. Valent. Suarez. Vazquez. Barrad.

Ex dictis liquet locũ istum iuxta communem Ecclesiæ sensum ita Virgini accommodari, vt non modo ipsam ab omnibus actualiũ peccatorũ maculis, sed etiam ab originali labe purã, & mundam fuisse manifeste conficiat. Sed expendenda nobis sunt verba singula. *Tota pulchra es amica mea.* Equidem *non in parte, sed in toto pulchra est.* (verba sunt Idiotæ) atqui animæ pulcritudo nihil aliud est, quam gratia, & iustitia. Ideò subdit *amica mea.* Quapropter dum tota pulchra dicitur, perinde est, ac tota iusta, & grata Deo: subest tamen in originibus ad verbum: *Tota tu pulchra es*, vel *omnis tu.* Itaq; illud *tota* non ad pulchritudinem referendum est, quasi pulchritudinẽ omnimodã sonet, sed ad personã. Quod si legas *omnis tu* (quæ lectio magis ad 21

primi-

primitiuā accedit, est enim כלף *Chilacha*) cū
vox illa *omnis* non vnius, seu multorum col-
Senec. lectam vniuersitatem significet, videre op-
portet, qua ratione in vno homine plures, vel
multi esse possint. Docuit hoc Sene. in lib. 3.
de benefi. vbi sic ait: *In homine plures, tēporis,
& ætatis differentia facit.* Nam idem homo
in vtero matris fœtus est: & ex illo editus in-
fans primum, deinde per temporis decursum
puer, adolescens, iuuenis, ac senex: tantaq; est
inter has ætates dissimilitudo, & disparitas,
vt non tam vnus, quam plures in homine
vno homines esse videantur. Ait ergo cœle-
stis sponsus ad Virginem: *Omnis tu pulchra es
amica mea,* id est, cum te per omnes temporis
mensuras contemplor, eo modo, quo multi
tudinem, & pluralitatem in te cōcipere licet,
omnis tu: siue cum fœtus eras in vtero mater-
no, siue cum infans, puella, adolescentula, &
anus eras: *omnis* inquā *tu* pulchra es, id est
gratiæ atque iustitię decore perfecta, ita vt
nullum tempus, nullamque ætatem excipere
21 liceat. Subdit.

Et macula non est in te. Originale peccatū
ea ratione, qua labes, & macula est, turpiorē,
atq; deteriorem quodammodo maculam es-
se, quam actuale, quibusdam argumentis nu-
per confecimus, quibus aliquid etiam robo-
ris accedit ex interpretatione, quam plures
ex Patribus in hunc locum coniecerunt. Nā
cum illum de Ecclesia vulgo edisserant, vt il-
lam pulchrā, & sine macula esse defendant,
aiunt maculam hic apellari hæreditariam il-
lam originis labem, quæ, antequam quis Ec-
clesiæ corpori tanquam membrum agglutine
Ad Ephes. 5. tur, per baptismum abluenda est: ex quo fit, vt
Ecclesia tota pulchra, & sine macula esse
merito dicatur iuxta illud Pauli ad Ephes. 5.
*Vt exhiberet ipsi sibi gloriosam Ecclesiam non ha
bentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmo
di, sed vt sit sancta, & immaculata.* In quo lo-
co Paulus (me iudice) ad præscripta Cantico-
rum verba prorsus spectauit, & qua ratione
Prophetia illa Salomonis in Ecclesia comple-
ta fuerit, elutis per baptismum originalis
peccati sordibus, manifeste ostendit: præmi-
tit enim: *Vt illam sanctificaret mundans laua-
cro aquæ in verbo vitæ.* Itaque quamuis Eccle
siæ membra alias subinde sordes, & labes pec
catorum actualium contrahāt: id tamen non
tollit, quominus pulchra, sine macula, & sine
ruga dici possit, postquam omnes originalis
peccati feces deposuit: quod certe non aliun
de accidere potest, nisi quia hæ turpissimæ,
ac teterrimæ sordes sunt. Valeant ergo illi,
qui docent verba illa. *Tota pulchra es amica
mea, & macula non est in te,* ex eo solum, quod
omni actualis peccati labe caruerit, etiamsi
peccati originalis maculam non effugerit, in
Virginem apte cadere: cum ne in Ecclesiam
quidem ipsam accommodate quadrare pos-
sint, teste Paulo, nisi prius peccati originalis
labes per baptismū eluerit. Imo potius iuxta
Pauli sensum id ego affirmare ausim, sublata
à Virgine macula originalis delicti, etiamsi
aliæ, atque aliæ peccatorum actualium sor-
des in ipsa forent, ipsam nihilominus sic af-
fari integrum esse: *Tota pulchra es amica mea,
& macula non est in te,* cum id ipsum de Eccle
sia censeat Apostolus, tantùm abest, vt de
solis actionum peccatis accipi debeant.

Vt autem vim huius nostræ rationis ca- 22
pias, obseruare oportet id, quod nouus, sed
locuples author in expositione huius loci ad-
notauit. Inter Ecclesiam, atque Virginem
hoc interesse, quod cum locus iste Ecclesiæ
tribuitur, significat ipsam à peccatis purga-
tam: cum verò Deiparæ adscribitur, eam ab
eisdem seruatā sonat. Quapropter cum Eccle
siæ datus is locus de purgatione ipsius à pec-
cato originali præcisè accipiendus sit, nō au-
tem de actualibus, vt ex dictis liquet: ita etiā
idem Virgini accōmodatus de præseruatio-
ne eiusdem ab originali culpa capi præcipue
debet. Denique cum mens nostra sit Pau-
lum ad hunc Salomonis locum spectasse, pen-
denda sunt illa verba. *Non habentem maculam
aut rugam.* Nam vt obseruant peritiores san-
ctæ linguæ magistri vox illa מום. *Mum*;
cui *macula* subest Canti. 4. pro qua lxx. μῶμον,
id est, *reprehensionem* transtulerunt, significat Cant. 4.
etiam *rugas*, quæ ex senio euenire solent: atq;
ideo Paulum vtramque nominis significatio-
nem complexum affirmant, cum dicit *non ha
bentem maculam, aut rugam.* Nobis ergo eodē
modo Salomonis verba efferre liceat: *Tota
pulchra es amica mea, & macula* seu *ruga non est
in te.* Non inquam est in te ruga, quæ ex senio
accidere solet, quia tu quanta es, tota noua
es: non solum quia numquam veterem homi
nem indueris, & senescentis delicti parti-
ceps facta illius rugas contraxeris, sed quia
recentior, ac iunior es per Christi merita de-
nuò condita, & formata: hæc enim tua noui-
tas in causa fuit, vt peccati originalis macu-
las effugeres: *Macula & ruga non est in te*:
ideo enim sine macula, quia sine ruga: ideo
enim veteris delicti antiquitatem ignoras,
quia recens & noua existis, & cum antiquis
non compuraris.

EX PERPETVA VIRGInitate Deiparæ, eius immunitas ab originali depromitur.

 CAP. XXVII 

SECVNDVM ARGVMENTVM.

1. *Dei filius Virginis Deiparæ corpus naturali possessione, animū verò ciuili occupauit.*
2. *Triplex ratio id suadens.*
3. *Ad Christum suscipiendum maior animi, quam corporis incorruptio in Virgine requirebatur.*
4. *Originale peccatum animi virginitatem, & integritatem violat.*
5. *Si Deus matrem à peccato originali immunem non seruauit, nec valuit, nec voluit id facere.*
6. *Ideò Christus matris Virginitatem seruauit nascens, vt λόγος, id est,* rationem *se esse monstraret.*
7. *Longe melius id testatus est, eandem à peccato originali immunem seruans.*
8. *Ex Virgine nascens Dei* sermonem *se esse ostendit: magis autem id ipsum testatus est ex immaculata genitus.*
9. *Nisi ex Virgine simul peccati omnis experte matre nasceretur, non satis ostenderet se esse filium Dei naturalem.*
10. *Ideò Virginem simul & ab omni labe liberā Matrem Deus effinxit, vt tunc se creatorem esse ostenderet, cum ab illa procreabatur.*
11. *Virginem corpore, & mente incorruptam alio etiam nomine esse oportuit.*
12. *Primam creationem Maria insolitam, & nouam esse decuit, sicut & partum.*
13. *Ideò Christus inquinatus non est ex Virgine nascens, quia non est inquinatus illam efformans, secundum Augustinum.*
14. *Vrgetur amplius hæc ratio, & verba Isidori, & Augustini librantur.*
15. *Subijcitur testimonium Procli in eandem sententiam*
16. *Examinātur quadā obscuriora illius verba*

1 OMINVS *Possedit me.* Hæc verba integram possessionem significant, per quā scilicet nihil rei possessæ possessoris ditionem fugiat. Quaprop ter cum in Virgine anima, & corpus fuerit, vtrumque in Dei possessionem venisse putandum est. Possessionem quidem sic dictam iuris periti volunt, quasi *pedum positionem*, quia nimirum immissis pedibus rerum possessio captari consueuit. Dei pedes ipsius humanitatem adsignificant, vt docet Rupertus, Panonius, & Aretas Gregorium citās ad illa verba Apoc. 1. *Et pedes eius similes aurichalcho.* Deus ergo (liceat, sic fari) pedibus insistens Virginem possedit, tunc scilicet cū eius in vterum se demisit, & per humanitatis illapsum illam captauit, occupauitque. Cæterum ius ciuile duplex possessionis genus enumerat: aliud quidem, quo res corporeas tenemus: aliud vero, per quod res incorporeas apprehēdimus. Possessio autem illa, quæ ad res corporeas spectat, naturalis dicitur: quæ vero ad res incorporeas, ciuilis appellatur. Inter vtramq; vero id discriminis est, vt colligitur ex Basilicis ad legem: *Nemo de adquirenda possessione*, quod naturalis rei corporeæ possessio corpore capitur: ciuilis verò rei incorporeæ possessio animo ipso apprehenditur. Sic enim habēt Basilica [illegible], id est, *est animi dominantis possessio*, per animum verò voluntas intelligitur occupādi ex donatione, aut cōtractu. His præmissis, cū in Virgine sit duplex pars, alia corporea, alia incorporea, scilicet corpus, & anima: vt eam integre, ac perfecte sibi acquireret, ac possideret Deus, corpus quidē naturali, animum vero ciuili possessione occupauit: corpus inquam illius, corporis sui occupatione captauit: animam vero, animi, id est, volūtatis suæ beneficio apprehendit (dicam luculentius) corpus eius per corpoream præsentiam: animam verò per gratiam, & iustitiam possedit.

Rupertus. Panonius. Aretas. Gregor. Apoc. 1.

2 Et primo nō satis esset Deo corpus Mariæ per sui corporis præsentiā occupare, nisi animum etiam per gratiam possideret: cuius rei non vna ratio afferri potest. Prima est, quia ad maiestatem Dei spectabat, vt dignā sibi expediret domum, ac sedem: atqui tam dignitas, quā indignitas ex animo pendet, & ex illo in corpus deriuatur: ergo vti Deus corpus Mariæ suæ præsentiæ dignum redderet, animum Virginis gratia sua prius

obti-

obtinere debuit, vt ex animo in corpus dignitas proficisceretur. Id autem sibi vult Ecclesia in peruulgata illa prece, quam ex Ambrosio mutuata est. *Qui gloriosæ Virginis matris Mariæ corpus, & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sãcto cooperante præparasti.* Quasi dicat: ideo corpus, & animam Mariæ tibi comparasti, quia corpus sine anima haud dignum tantæ maiestati domicilium esset.

Leo Papa. Secundam rationem offert Sãctus Leo Papa in sermone de immunitate Domini. *Virgo regia Dauidicæ stirpis eligitur, quæ sacro grauidanda fetu diuinam, humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore.* Sanctissimi vero Pontificis mens hæc est. Erat vtiq; in Christo diuinitas, & humanitas: erat inquam diuina, humanaq; in sobole vna proles, atque adeò non satis erat, si Virgo humanitati corpus suum occupandum præberet, nisi etiam Deum ipsum mente conciperet, & pareret. *Bed. Ven.* Atque id etiam sibi voluit Beda venerabilis in cap. 11. Lucæ ad illa verba. *At ille dixit, quin imo beati, qui audiunt verbum Dei, &c. Quia & eadem* (inquit) *Dei genitrix, & inde quidem beata, quia verbi incarnandi ministra facta est temporalis: sed inde multo beatior, quia eiusdem semper amandi custos manebat æterna.* Æternã appellat, id est, perpetuã, quæ videlicet, ex quo esse cœpit, Christum Dominũ adamauit, & nũquã deinceps amorẽ interpellauit: sensus enim verborum talis est. Fœlix vtique Maria fuit, quia Christum vtero gestauit suo, sed multo fœlicior, quia ipsum per amorem animo suo inclusit. Nam in vtero quidem humanitatem per nouẽ tantum menses portauit, atque his elapsis illam tandem enixa est: in animo vero diuinitatem ab initio suæ formationis per charitatem ita complexa est, vt numquam deinceps illam suo ex corde expulerit, sed semper, & sine intermissione seruarit. Id sibi vult illud *custos manebat æterna.* Eadem ferme verba habet Augustinus in Ioann. tract. 10. *August.* Augustinus autem, & Beda operæ pretium fuisse volunt, vti corpus Virginis humanitati domũ præberet: animus vero diuinitati amplam magis aulam expediret. Hinc autem fluit tertia ratio quia si Christus in Maria vteri solius angustias adiret, nec animum etiam illius capesseret, esset illi hæc arcta valde, & contracta domus: atque adeò opus fuit, vt vteri angustias immensa animi, mentisque capacitas compensaret, vt infra c. 40. ex Bonauentura, Damasceno, & Epiphanio plurimis conficiam. Qui docent Virginei vteri angustias, mentis amplitudine tantam in latitudinem adductas, vt Maria cœlo, atq; mundo ampliorem, & latiorem domum Deo præbuerit. Itaque ex dictis constat, ad Dei maiestatem, & gloriam spectasse, vt Virginis vterum humanitatis præsentia ita occuparet, vti mentem diuinitas obtineret: aliter enim nec dignum, nec aptum, nec amplum satis domicilium haberet. Quin imo illud etiam ex superioribus liquidum est, ita duas illas possessiones inter se copulari, vt illa, qua animus Virginis per gratiã possessus, & obtentus est, antiquior sit, atque dignior. Quid inde?

Sane ex hoc principio ad illibatam Virginis Conceptionem probandam gradus sternitur. 3 Quia si ad humanitatis gloriam hoc pertinuit, vt corpus illud, quod ipsi minus nobili possessione occupandum offerebatur, ante partum, in partu, & post partum nullas integritatis suæ iacturas sustineret: ergo potiori iure id gloriæ diuinitati debebatur, vt animus, quem ab ipsa digniori, ac nobiliori possessione obtineri oportebat, perpetuam etiam integritatem haberet, ita vt nullum vel leue crimen illius puritatem aut corrumperet, aut violaret. Id sibi voluit Ambrosius lib. 2. de virginibus. *Ambros.* *Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generauit?* Ac ne desiderares similem in animo integritatem, subiungit. *Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente.* Quæ verba citat Ioannes Gerson in serm. de Conceptione, & subinfert. *Gerson.* *Aliàs non Virgo mente, si peccato originali corrupta:* mentẽ enim, & animum sola culpa violare potest. Sed de hac re infra cap. 40. pluribus agemus, vbi exponemus Ecclesiæ veteris sensum, quæ hac ratione inducta in die conceptionis illud Lucæ Euangel. solemni ritu recitare olim solebat. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. At ille dixit, quin imo beati, qui audiunt verbũ Dei, &c.* non alio argumento, nisi quia ita Christus laude dignum censuit, Mariam matrem suam esse secundum carnem, vt tamen prætulerit eam esse matrem secundum spiritum, ac mentem. Aque ita gloriosum putauit parenti suæ illũ corpore intemerato gestare, vt dignius, ac splendidius duxerit ipsummet cũ animi integritate corde inclusũ gerere. Quapropter hęc duo ita inter sese cohęrere voluit, vt neutrũ alteri deesset: sic nimirum, vt si aliquam integritatem in matre sua desiderari passurus esset, libertius quidem annueret ipsam in corpore Virginitatem, quã in animo, iustitiæ, innocentiæ, & integritatis iacturam facere. Ratio autem huius rei germana ea fuit, quam subijcio: quia Virgo Deipara non solum Christum mente concepit generali, ac cæteris communi modo, scilicet per gratiã, quatenus omnis in vniuersum anima gratia Dei prędita Christi mater dicitur, iuxta illud: *Ipse meus frater, soror, & mater est:* sed speciali, & sibi proprio iure, quia nimirum ipsam Matris Dei dignitatem promeritis obtinuit: nam cum ita ipsius animi, atque mentis germani effectus sint, fateri certe oportet eam maternitatem, quam animi merita consecuta sunt, ipsius animi magis quodammodo

pro-

propriam esse, quam corporis: nam vt supra cap. 22. num. 8. confecimus, morales causæ ea omnia præstare dicuntur, ad quorum effectionem mouent. Hinc autem sic conficere integrum est: si propter decentiam maternitatis Dei, in corpore perpetuam Virginitatem inesse oportuit: ergo potiori iure in animo integritas perpetua esse debet, quandoquidē ea dignitas magis propria fuit animi, quam corporis, vt hactenus demonstraui: ita vt liceat omnino dicere Mariam mente potius, quam corpore Dei parentem extitisse.

4 Et quidem licet cuilibet peccato propriū sit hanc integritatem animi violare, & corrumpere, sed originali maximè proprium est, non alia ex causa, nisi quia primum. Nam quemadmodum virginitatem corporis prima lasciuiæ iniuria viciat, ita etiā animi integritatem, & innocentiam primum peccatum corrumpit: atque adeò, vt illa animi integritas in Virgine, farta tectaque foret, debuit quidem innocentiæ primus corruptor, & violator ab ipsa longius arceri, scilicet originale peccatum. Lege plura in hanc sententiam cap. 40. §. 1. & 2.

5 Sed quamuis hæc sit inter alias princeps ratio ex his, quæ ex perpetua Virginitate ad probandam perpetuam Virginis innocentiam duci possunt: tamen suppetūt aliæ, atq; aliæ, quas subscribere etiam collibitum est.

Ildephon. Prima quidem petitur ex Diuo Ildephonso de Virginitate Mariæ cap. 1. vbi sic scribit. *Si Virgini nostra aut generationem, aut integritatem adimis, grandi dedecore Deo iniuriam facis. Negas enim voluisse incorruptam seruare, quem fateris absque corruptione adire Virginem potuisse. Negas Deum, quod vellet, facere quiuisse, quem concedis genitricem integram inuenisse, corruptioni deditam reliquisse.* Quod perinde est, ac si dicat. Deus aut voluit quidem, sed non valuit integritatem Virginis seruare: aut certe valuit, non tamen voluit: vtrumq; vero ipsi satis contumeliosum esse constat. Quia voluisse, & non valuisse, potentiam Dei extenuat: valuisse vero, atque noluisse, bonitatem eiusdem, & debitam erga parentem suam pietatem plurimum deprimit. Sic aliqui Ildephonsum exponunt. Mens autem illius (me iudice) alia est. Conatur enim ad vtrumq; absurdum Iouinianum compellere, vt scilicet vtrumque simul, & valuisse, & voluisse deneget. *Negas enim* (inquit) *voluisse incorruptam seruare, quem fateris absque corruptione adire Virginem potuisse.* Nam cum hęreticus ille fateretur Deum vtique Matris suæ integritatem inuiolatam tueri potuisse, inde hoc depromit: quod si ita, vt potuit, illam re ipsa non seruauit, nulla alia ratio reddi poterat, nisi quia noluit. Addit subinde. *Negas Deum, quod vellet, facere quiuisse, quem concedis genitricem integram inuenisse, corruptioni deditam reliquisse.* Quasi dicat: illud etiam inde colligitur, quod non valuerit Deus matris suæ integritatem tueri, quia illam certe integram ante conceptū inuenit: ergo quod eandem ex partu violatam dimitteret, quam integritate præditam nactus est, non aliunde euenire potuit (inquit Ildephonsus) nisi quia id præstare non potuit: atque inde fit, vt data illa hipothesi, recte vtrumque ex concessis colligitur, quod nec voluerit, nec valuerit. Et quidem iuxta vtrumque sensum rationes Ildephonsi à Virginitate ad innocentiā Virginis trāsferre procliue est. Primam illam rationem conficit Scotus in 3. dist. 3. & alij ex ipso: posteriorem autem similem ad modum conficere licet. Quia si dicamus Virginem à peccato originis Dei beneficio seruatam non fuisse, cogimur vtique fateri nec voluisse, nec valuisse id præstare: quia quod non ita fecerit, cum tamen facere potuerit, non subest ratio aliqua accommodata, nisi quia noluit. Quod autem non fecerit, cum propter debitum matris obsequium, & sui ipsius decentiam debuerit facere, non potest bona aliqua ratio offerri, nisi quia nō voluit: vtrumque autem Deo iniurium est. Quia noluisse de eius erga Virginem amore detrahit: at non valuisse, ipsum impotentiæ coarguit. Et sane vtraque ratio eo magis in Mariæ immunitate à peccato, quam in eius Virginitate mentem perurget, quo nobilior est animi, quam corporis integritas, atq; adeò dignior, vt eam Christus in Matre sua ponere vellet simul, atque valeret. Scotus.

6 Theodot. Secunda ratio peti potest ex his, quæ Theodotus scribit in homil. de natiuitate Saluatoris Ephesi ad Patres Concilij habita. *Vide* (inquit) *quomodo factum est inopinabile Sacramentum transcendens natura rationem. Quia enim est verbum Dei palam est, & ideo Virginitatem non soluit: qua parit carnem puram, Virginitatem amittit: sed quoniam natus est carnaliter verbum Deus, custodit Virginitatem, se ipsum rationem ostendens.* Pro *ratione* autē subest in Græcis λογο, in qua voce alij alia peruestigarunt, quæ nos ipsis libenter potiunda dimittimus. Nux iterum nobis frangenda, & nucleus eruendus est. λογος ergo rationem, ac sermonem adsignificat. Vtraque vero satis apta significatio est ad rem explicandam. Ipse sibi lux erit Theodotus, qui primū quidem post præfixa verba perbreui interstitio sic addit. *Neque nostrum verbum cum paritur, corrumpit mentem, neque Deus verbum substantiale, partū eligens perimit Virginitatē.* Itaq; in eo Dei verbum se ipsum rationem ostendisse affirmat, quod quemadmodum ratio ex mente, sic ipsum ex ventre natum est. Ita nimirum ex ventre in lucem edi voluit, vt ipsa editio naturam nascentis testaretur, dum corporei partus natiuitate modum illum imitabatur, quo prius ex mente diuina prognatum fuerat: nullo enim locupletiori restimonio suæ natiuitatis Dei verbum, & sapientiæ fidem facere poterat. Addo etiam aliquid

huic

h nic adsimile. Oportebat sane, vt Dei verbũ ita Virginis corpus occuparet, vt animum etiam illius obtineret: *Se ipsum rationem ostẽdens*. Nam sicut corpori aptus locus est aliud corpus: ita etiam rationis idoneus locus est mens, & animus. Quapropter non satis Dei verbum rationem se esse ostenderet, si ita in corpore Virginis hæreret, vt non etiam mentem illius inscenderet, atq; in illa sibi locum vendicaret. Rursus alio modo se ipsum Dei verbum rationem esse monstrauit in Virginitatis asseruatione, & tutela: quatenus scilicet illam non in partu solum, sed etiam ante partum incolumem præstitit. Nam vt idem Theodotus in alio sermone in eodem Concilio habito non obscure docet: vt Dei verbum ita se temporali natiuitate denuo in lucem edi monstraret, vt tamen tunc esse nõ inciperet, quippe quod ipsi Patri coæternum erat, materni honoris etiam ante partum arbitrum se præbuit, atque adeò matris Virginitatem perpetuam esse voluit: non in partu solum, sed etiã ante partum. Omnes istas

Damasce. rationes complexus videtur Damascenus Orat. 1. de Natiuit. Virginis his verbis. *Castè* (inquit) *ac sanctè munere vestro functi* (scilicet Anna, & Ioachim) *Virginitatis Thesaurum produxistis: Virginem inquam ante partũ, solam Virginem, & semper Virginem: solam & mente, & animo Virginitatem perpetuo colentem. Par siquidem erat, vt Virginitas ex pudicitia orta ei, qui solus est vnigenitum lumen, corporeo modo offerretur, benigna videlicet voluntate, à quo incorporeo modo is genitus est, qui non gignit, sed semper gignitur, cuique gigni personæ proprietas est*: vt nimirum verbum Dei, quod virgo est, & Patre quoque virgine ab æterno nascitur, matrem etiam Virginẽ sortiretur: sic enim λόγον, id est, rationem se esse aperte monstrauit.

7 A Virginitate igitur ad innocentiam Mariæ rationem istam sic transferre licet. Illud enim ex præmissis iã tenemus: quod scilicet, vt Dei filius se rationem esse ostenderet, non tantum ventrem humanitatis præsentia, sed etiam mentem Virginis per gratiæ assistentiam capere oportebat. Quid inde? Sane vt Dei filius rationem, & sapientiam diuinam se esse monstraret, quæ non quidem tunc ex temporali partu esse inciperet, sed omnino Patri esset coæua, operæ pretiũ erat, vt prius per se solus mentem Virginis teneret, quàm humanitati sociatus in eiusdem Virginis vtero coexisteret, ne si tunc simul in mentem, & in ventrem veniret, addubitare quispiam posset, illam cum humanitate pariter denuo congenitam esse. Quapropter Dei filius æterni Patris rationem, & sapientiam se esse ostẽdens, prius in mentem, quam in ventrem illapsus est: & vti melius antiquitatem suam testaretur, ab ipso Conceptionis instanti Virginis animum per gratiam obtinuit, ne si aliquo etiam perbreui tempore in ea esse differret, nondum illum tunc esse quispiam excogitare posset: nihil enim aliud ipsum morari posse videbatur, quominus ex tunc in matre illius existeret, nisi quod tunc nondum esset, ac viueret. Hæc de priori significatione nominis λόγος.

Quod si dicamus *sermonem* ea voce notari, atque adeò verba Theodoti sic efferamus. *Sed quoniam natus est carnaliter verbum Deus, custodit Virginitatem seipsum sermonem ostendẽs*: erit etiam sibi ipsi lux idem Theodotus. Nam in altero illo sermone Ephesi habito verbi diuini temporalem generationem eleganti *sermonis* similitudine declarat. *Nam & tuũ quoque verbum quædam mentis tuæ proles est: at post quam verbum istud, quod mens tua peperit, elementis, ac literis volueris exprimere, & in charta sermonem efformare, manu literas describis, & certa quadã ratione verbũ tuum per manũ denuo eniteris: non quod tunc sui esse exordium sumat, cum per literas exaratur: iam enim ex mente enatum erat. Sed agedum similitudinẽ ipsi prototypo adaptemus. Hic itaque cernis mentem, ibi Patrem: hic verbum ex mente productũ agnoscis, ibi verbum essentiale, subsistensque ex patre natum vides: hic manum per literas verbũ parientem conspicaris, ibi verbũ per corpus Virgineũ generatũ. Non quod ea suo partu aliquod diuinitati initium subministrauerit, sed quod Deum inhumanatum, humanisque aspectibus conspicuum, visibilemque reddiderit.* Hactenus Theodotus, qui duas verbi generationes, æternam ex Patre, & temporalem ex Virgine aptissima verbi, sermonisque similitudine complexus est: verbi inquam in mente concepti; & sermonis in charta descripti. Sed vt alia omittam, quæ in hoc exemplo venustissima sunt, illud ad rem nostram. *Hic manum per literas verbum parientem conspicaris, ibi verbum Dei per corpus Virgineum, generatum.* Corpus vtiq; Virgineũ cum charta confert mundissima, & candidissima, qualem ad excipiendas literas esse addecet. Cui adsimile est illud Epiphanij de laudib. Virg. *Liber incomprehensus, qui verbum, & filium Patris mundo legendum exhibuisti.* Inde ergo ratio à Virginitate ad innocentiam Virginis traducenda est. Quia si vt verbum, ac sermo Dei in Virgine ceu in charta digne conscriberetur, Virginitatis mundities in corpore necessaria fuit, multo magis innocentiæ puritatẽ ab omni peccati labe expertem in animo ipsius requisitam esse dicemus, vt partus Virginis esset verbo, ac sermone diuino minime indignus, atque munda omnino, pura, & candida charta ipsum exciperet.

8 Theodot.

Epiphan.

9 Tertiam rationem offerunt nobis alia Sancti Ildephonsi verba, quæ aliàs expendimus: nunc vero iterum lanci committenda sunt. Nam in lib. de parturit. & Virginitate Mariæ sic scribit. *Quia solus inter omnes liber fuit à culpa, liberè egit in nascendo ex Maria, libere & in omnibus, pro quibus venit. Alioquin si*

Ildephon.

ipse

ipse ex matre coinquinatus esset, aut materna viscera quasi pro peccato corrumperet, & sordibus ex vitio primæ damnationis coinquinaret, non esset Dei filius naturalis, sed adoptiuus, vt cæteri. Loquitur autem Sanctus Præsul (si antecedentia, & consequentia cum his conferas) non de peccato filij, sed de peccato matris. Nam quod matres cum doloribus, & corruptione fœtus edant, & puerperij sordibus commaculentur, non ex peccato originali filiorum, sed ex suo ipsarum peccato proficiscitur. Itaque sensus est. *Si Christus ex matre coinquinatus esset*, scilicet fœcibus puerperij. *Et materna viscera quasi pro peccato corrumperet, & sordibus primæ damnationis coinquinaret*: id est, si mater eius effectus peccati originalis, scilicet corruptionem, & sordes ex partu illius sentiret, *non esset Dei filius naturalis, sed adoptiuus.* Huius consequutionis vim alias expendimus ex illo communi iuris axiomate. *Partus sequitur vterum.* Nunc vero germanum illius sensum accipe. *Non esset* (inquit) *filius Dei naturalis.* Loquitur Præsul de Christo, in quantum homo est, quem secundum eam rationem filium Dei naturalem esse ex doctrina Cyrilli Alexandrini paulò ante statuerat, dixeratque per naturalem, vel innatam diuinitatis sanctitatem, cui humanitas in eadem hypostasi vnita fuerat, sanctū constitui: ait enim. *Non illum, vt cæteros adoptiuos filios, Dei filium fecit. sed diuinitatis natura illum in proprium Dei filium exaltauit, donauitque illi nomen, quod est super omne nomen, vt esset totus Dei filius, homo, & verbum.* Ergo vis illationis in eo sita est. Si res ita gesta esset, inquit Ildephonsus, vt Christus in partu suo matrem ea experiri permitteret, quæ ex peccato profecta sunt, scilicet corruptionem, & sordes, non satis ostenderet sanctitatem, & iustitiam sibi naturalem esse, cum ab his, quæ ex peccato promanarunt, non omnino abhorrere videretur. Itaque illud *non esset filius Dei naturalis:* non ita accipiendum est, quasi ex matre infecta nasci non potuerit homo Deus: sed quia, vt filius Dei naturalis Deus & homo non se gereret, neque id se esse proderet, quod erat. Si ergo Christus Dominus effectus, & pœnas ex peccato originali relictas, quæ per se malæ non sunt, à matre non arceret, nec prohiberet, non ageret vt filius Dei naturalis, nec talem se esse monstraret, cui sanctitas nō ex adoptione ascita, sed secundum naturam ingenita esset. Quid tandem dicendum esset, si ipsummet peccatum originale, quod illarum pœnarum per se causa, & fons est, & totius malitiæ caput existit, ab eadem non remoueret? Profectò filius Dei naturalis, id est, natura ipsa sanctus haud credi facile posset, qui tale quidpiam in matre sustineret.

Ildephon.

10 Quid plura? Aliter etiā quartò de Virginitate Mariæ magnus illius vindex Ildephō. ratiocinatus est cap. 8. *Sicut totum fecit ex nihilo, ita faceret ex inauditis hoc solum, quod semper esset in miro: sic in vterum Virginis vteri factor ingressus, nouitatis opus efficit, faciens, quod ante non fecerat, licet & faciendum esse prædixerat.* Quasi dicat, Deus in vterum Virginis delapsus se creatorem, & factorem non modo ipsius vteri, quem adierat, sed etiam omnium rerum restatum esse voluit: qui nimirū quemadmodum creaturas omnes ex nihilo in hoc aliud transtulit: ita etiam ex numquā auditis id facere decreuit, quod nouitate sua admirationem moueret, & deinceps vulgo audiretur, ac celebre esset. Ad hæc, vti se ipsum vteri ipsius, in quem descenderet, factorem demonstraret, nascendi ordinem mutare voluit: sic videlicet in lucem prodiens, vt claustra Virginitatis, quæ alij effringere solent, ipse minime prærumperet. Hæc Ildephōsus. Cæterum si ad ea oculos referas, quæ supra per multa capita probauimus, Mariam scilicet propterea à culpa originali, & debito illius ex Christi beneficio vendicatā fuisse, quia cum ante non esset futura, illius primam conditionem Christus meritis suis impetrauit, atque adeò in eam legem, & pactū ingredi non potuit, quæ olim cum Adam pro filijs iam tunc futuris inita fuerat: facile profecto agnosces, quam apte hæc Ildephōsi ratio à Virginitate ad immaculatam Mariæ Conceptionem transferri possit. Certe oportebat maxime, vt tunc cum Deus homo fieri incipiebat creatorem, atque factorem se esse monstraret, ne purus, ac merus homo cogitaretur. Huius ergo rei nobile satis documentum exhibuit, Virginitatem matris seruans: quoniam originis, & natiuitatis modum consuetum inuertens, atq; commutās, se creatorem, atque authorem naturæ facile declarabat: sed tamen longe melius id ipsum restabatur si ipsiusmet matris, quæ sibi humanæ existentiæ autrix, & causa erat, authorē, & creatorem se esse aliquo argumento declararet. Nulla enim ratione certius probari poterat, Deum à Virgine non accepisse, vt denuo foret, quam si illam ab ipsomet Deo conditam, & formatam esse insigni aliquo documento constaret. Nullum autem vel clarius, vel luculentius argumentum nobis offerri à Deo poterat, quàm ipsius à peccato originali præseruatio, aut immunitas: hæc enim satis declarat ita Virginem a suomet filio denuo creatam, & conditam, vt ante illum nullo modo futura esset: quia nimirum eum in finem formata fuit, vt Dei creatoris sui mater existeret, atque adeò in communes eorum leges venire non potuit, quorum conditio, & creatio in decretis Dei anterior erat.

Ildephon.

Ad hæc, quinta ratio peti potest ex his, quæ Diuus Augustinus in lib. de quinque hæresibus cap. 5. de Virgine dicit. *Vnde sordes in domo, ad quā nullus habitator accessit? Solus ad eam Dominus, & fabricator eius venit, vestem,* 11 *August.*

quam

quam non habebat, induit, eamque sicut inuenit clausam reliquit. Hæc verba ex Augustino excepit Diuus Ildephonsus de Parturit. & Virginitate Mariæ. Et in lib. de Virginitate c.2 ipse marte proprio sic scribit. *In hac regione* (scilicet vteri Virginis) *solitudo Deo tantum, & domui: in hac mansione singularitas hospitio tantum, & hospiti: cohæret hic locus cum vno tantum adnectante* (mendum suspicor, lego *ad nascente cohæret.*) *Hic vterus vnius tantum agnitione congaudet, nec alterius viri, quam nascentis vnius membra cognoscit.* Mens autem vtriusque Doctoris eò spectat, vt perpetuam Mariæ Virginitatem euincant: ita vt illam etiã ante partum, & post partum Virginem illibatam, & intemeratam numquã nõ fuisse ex eò conficiant: quia valde indecorum, & inglorium ipsi Deo erat, si viscera, in quibus ipse degerat, alius aliquis aut prius tenuisset, aut subinde post ipsum incoleret. Propterea Augustinus quærit, *vnde fores in domo, ad quã nullus habitator*, vel ante, vel postea, *accessit?* Si ergo à gloria, & maiestate Dei alienum fuit, in vtero Virginis, quem suæ humanitatis in domicilium delegerat, alium vel ante ipsum præire, vel post ipsum succedere: quid quæso dedecoris, & contumeliæ ipsimet Deo eueniret, si in mentem eiusdem Virginis, quam diuinitas in propriam domum sibi vendicare volebat (vt supra dictum est) alius aliquis hospes admitteretur. Quis ergo audeat dicere in Mariæ mente, & animo peccatum originale sibi locum, & domum fixisse? De hoc enim peccato Paulus ad Rom.7. *Non ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum*: vbi peccatum appellat originalis peccati reliquias, quæ ex causa sua nomen accipiunt. Vel quod magis exhorreas, quis vnquam affirmare ausit, in Mariæ animo, in quo Deum degere opus erat, diabolo, vel ad momentum, factum fuisse locum? Hic enim ibi habitare semper dicitur, vbicumque peccatum sedem nanciscitur. Lege Rupertum ad illa verba Apocalyp.18. *Et facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ, & odibilis.* Solus vtique fuit Christus in vẽtre, solus in mente, vt tam Deo, quam homini dignum habitaculum eueniret in Maria.

12 Denique extremam rationem nobis offerunt verba illa Diui Isidori, quæ in Myxtarabico Missali, in festo assumptionis, & in priori oratione canonis ita recitat. *Talem, multoque verè creditur mirabilem matrem creasse, qualem diuinitas per eam transiens decus Virginum non amisit.* Quæ verba supra in hunc locum expendenda distulimus. Sententia autẽ sanctissimi illius Patris nõ est ea, quã nouus, sed locuples, & eruditus author ex hoc loco expressit: talem scilicet, tamque integram ex partu reliquit, quam integram, & incorruptam eandem creauit: hæc enim sententia marcet plurimum. Sed contra potius ait: talem illam, tamque mirabilem creauit, qualẽ decebat esse eam, cuius ex vtero, seruata Virginitate, in lucem edendus erat. Itaque inter creationem Virginis, & parturitionem eiusdem quandam concordiam esse dicit, vt posterior priori respondeat. Quod perinde est ac si dicat: necessarium videbatur ita ipsam procreari a Deo, quemadmodum ipsa Deum procreatura erat. Nam eam, quæ Deũ insolito, ac nouo modo, inuiolata Virginitate, paritura erat, in ipso suæ creationis initio mirabilẽ fieri oportebat, id est, sanctitate, & iustitia ad miraculum exornatam: nulla enim alia res in eius creatione admirationem mouere poterat, nisi hæc, quæ sola insolita, & noua erat.

13 Sed vnde (inquies) hæc duo connexionem habent? Audi Augustinum in tract. d. quinq. hæresibus cap.5. apud quem sic Christus ipse fatur. *Quid est, quod te permouet in mea natiuitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate, ego matrem, de qua nascerer, feci, ego viam meo itineri praparaui. Hanc quam despicis Manichæe, mater est mea, sed manu fabricata est mea: si potui inquinari cum facerem, potui inquinari, cum ex ea nascerer. Sicut transitu meo illius non est corrupta Virginitas: sic & mea non est ibi maculata maiestas.* Hæc Augustinus, quæ illustratione aliqua indigent. Negabat Manichæus Dei filium esse etiam Virginis sobolem non alia ex causa, nisi quod planè indignum Deo videretur ex fœmina nasci. Occurrit ergo Augustinus ad hunc modũ ex persona Christi verba faciens. Ne putes o Manichæe mihi contumeliosum fuisse ex matre nasci: nam ego ipse mihi matrem effeci, atque adeò talem, qualem ex ea nasci nõ modo non turpe, sed etiam gloriosum esset. Iuxta id, quo aliàs Augustino familiare est Virginem affari, *Talem fecit te, vt ipse fieret ex te.* Id ergo sibi vult illud: *Ego matrem, de qua nascerer, effeci: ego viam itineri meo praparaui.* Illud vero, quod subdit. *Si potui inquinari, cum facerẽ, potui inquinari, cum ex ea nascerer,* ita accipiendum est, vt prioris partis negationem inducat. Quasi dicat: sicut non potui inquinari, cum illam conderem, quia nimirum talem illam condidi, qualem esse decebat eam, ex qua me tandem nasci oportebat: ita etiam non potui contaminari, aut infici ex ea nascens, quia talem natiuitatis modum elegi, quo ipsius Virginitatem minime violarem. Itaque (vt vno verbo dicam) hæc Christi Domini sententia est. Ego matrem meam fabricatus sum, ego modum nascendi elegi, atque adeò hæc omnia taliter disposui, & parui, vt ex fœmina procreari mihi indecorum, aut turpe non fuerit. Antequam hinc demigrẽ, velim aduertas Christum Dominũ inquantum hominem in hac Augustini sententia planè fassum, proprijs à se manibus fœminam matrem Mariam, ex qua nasceretur, compactam fuisse. Quod profecto non alia

Ildephon.

Ad Ro.7.

Apoc.18.

Isidorus.

August.

ratione contigisse dicendum est: nisi quia proprijs meritis consequutus est à Patre, vt ea fœmina, & Mater ad ipsius filij voluntatem, & naturam fingeretur: atque adeò ex Augustini mente tota Virginei corporis, & animi creatio Christi manibus, id est, meritis tribui debet, iuxta ea, quæ supra præfati sumus, dum de Virginis creatione esset nobis sermo.

14 Verùm, omissis his, iam agnoscis, qua ratione Marianæ creationis sanctitas, & partus integritas inter se cohæreant, & sibi respondeant: vtramque enim necessariam duxit Augustinus, vt Deus sine maiestatis suæ iniuria ex fœmina nasci disceretur, ita vt si altera alteri deesset, vix defendi possit temporalis natiuitatis decentia in Deo. Ratio autem est illa, quam initio præmisimus: quia illa corporis, & animi integritas ex vtraque coalescit, quas in Mariam conuenire opus erat, vt digna Dei Mater existeret. Id ergo sibi voluit Isidorus in præmisso loco. *Talem, multoque verè creditur mirabilem matrem creasse, qualem diuinitas per eam transiens decus Virgineū non amisit.* Illud autem, quod ait, *multoq; verè,* satis ostendit ad hanc temporalis natiuitatis decentiam magis necessariam fuisse conditionis primæ sanctitatem, quam corporis integritatem in partu: & ideo Augustinus à creatione ad partum argumentum ducit. *Si potui inquinari, cum facerem, potui in illa inquinari, cum ex ea nascerer.* Quæ verba significāt priori sublato, frustra posterius adstrui. Sic enim visum est Augustino. Quod si ita fateamur Mariam in sua creatione sanctam non fuisse, frustra & absque vsu aliquo Virginitatem illius defendimus: si enim Deus ex muliere, cuius animum culpa corruperat, nasci non erubuit, non subest ratio aliqua, cur ex illa matre nasci perhorresceret, cuius corpus Virginitatis corruptela violasset.

Isidorus.

August.

15 Eadē autē fuit (me iudice) sententia Ephesini Concilij, in quo grauissimus Cizici præsul Proclus in sermone de natiuitate ad Patres habito, sic scribit (locum integrum habeto, cuius aliqua supra carptim vellicaui, est enim grauissimus, & ad rem nostram maxime opportunus) *Natus* (inquit) *salutis ostium id ostendit* (scilicet mulierem) *quod peccati quondam introitus extiterat: nam vbi serpens per inobedientiam virus suum infuderat, ibi verbum per obedientiam ingressum viuum sibi templum exædificauit. Vnde peccator Cain primus emersit, inde generis nostri assertor Christus sine semine prodijt. Clemens Deus ex muliere nasci non erubuit. Quod enim agebatur, vita erat, nullam inde ille contrahit labem, quod intra viscera, quæ citra vllam sui dedecoris nota creauerat, inhabitat.* Et infra breui intertitio. *Ne igitur ò homo partum hunc erubescendum censeas: quia vt architecto nullam maculam aspergit, si domum, quam forte extruxerat, incoluerit, neque lutum figulum inficit, dum vasculum, quod finxerat, ex eo refingit: ita ex vtero virgineo prodijsse purissimum illud numen nihil quidquam polluit: quam enim citra vllam sui labem formauerat, ex hac quoque nulla macula contracta processit.* Quæ verba ex his, quæ de Augustino diximus, recensenda sunt, eandem enim sententiam continent.

Proclus.

Hæc tamen melius vt capias, sic habeto illa verba: *Neque lutum figulum inficit, dum vasculum, quod finxerat, ex eo refingit:* hunc sensum reddere. Sicut non inficit lutum figulum, cum vasculum, quod prius effinxerat, mage reformat, atque expolit: ita etiam Deus inquinatus non est, dum matrem, quam prius formauerat, non corrupit deinde nascendo, Virginitatis claustra effringēs, sed mage reformauit, atque expoliuit integritatem adaugens. Sic enim ait Fulgentius de laudibus Mariæ. *Creuit enim eius partu integritas corporis potius, quam decreuit, & Virginitas ampliata est potius, quam fugata.* Vel aliter alludit Proclus ad Petrum, qui mulieri vasculi nomen indidit in prima Can. cap. 3. *Mulieri quasi infirmiori vasculo, &c.* Nominis autem rationem bonam reddit Hieronymus, quia in illam ceu in vas fœtus infunditur, & ab illa ceu ex vase rursus effunditur. Itaque hanc rationem conficit Proclus. *Neque lutum figulum inficit, dum vasculum, quod finxerat, ex eo refingit,* id est, non inquinatur figulus ex eo, quod ex eodem luto pro vno vasculo aliud efformet: quasi dicat. Deus quidem priorem mulierem, quasi vasculum finxit, quod quamprimum sordibus, ac fœcibus sese addixit: atque adeò omnis proles, quæ in hoc vas infundebatur, aut ab illo effundebatur, sordes, ac fæces illius trahebat. Ergo pro hoc vasculo aliud refinxit purissimum, ac mundissimum, in quod infusus, aut effusus minime ipse inquinaretur. Quapropter aptissime subdit. *Ita ex vtero Virginis prodijsse purissimum illud numen nihil quidquam polluit. Quam enim citra vllam sui labem formauerat, ex hac quoque nulla macula contracta processit:* Id est vasculum illud, scilicet Maria, cuius ex formatione nihil illi labis adhæsit, quia nimirum illud purissimum, ac mundissimum creauit, cum tandem ex illo effusus est in hanc lucem, nulla illud macula adspersit. Ad similē sensum altera domus comparatio vocari debet, vt per omnia Proclus cum Augustino cohæreat.

16 *Fulgen.*

1. Petr. 3.

Hierony.

QVOD

QVOD VIRGO A PLAERISQVE peccati originalis effectibus immunis fuerit, eiusdem immunitatem à culpa originali eximiè probat.



CAP. XXVIII.



1. *Seruitutes in iure quid sint.*
2. *Seruitutes peccati originalis rectè dicuntur omnes illius effectus.*
3. *His seruitutibus ideò caruit Virgo Deipara.*
4. *Antiquitas possessionis, qua Deus Virginē praeoccupauit, omnem peccati seruitutem prohibuit.*
5. *Per Mariā non duxit semitam suā peccatū.*
6. *In Virgine solus Deus tanquam antiquior possessor vias suas aperuit.*

1 OMINVS (inquit) *possedit me.* De possessione hac, qua Deus Mariam sibi vēdicauit, iterum redit sermo. Qualis ergo huius possessionis natura fuerit, nūc denuo inquiritur: constat enim quoddam possessionis genus esse, quod iuris periti imperfectum vocant, quia seruitutibus quibusdam obnoxium est: verbi causa, cum prædium aliquod ita possidetur ab vno, vt alteri semitā per illum ducendi, aut aquā regendi ius sit: aut cum domus ita ab vno tenetur, vt alter ipsum ex iure cogere possit, ne aut illam attollat, aut deprimat; & alia his similia. De his seruitutibus integrū titulum compleuit Iurisconsultus. Illud ergo à nobis controuertendum videtur, an Deus ita Virginem totam possederit, vt tamen hæc alicui seruituti obnoxia fuerit. Luculentius dicam: an ita in Dei potestatem Virgo venerit per sanctitatem, & gratiam, vt aliquæ peccati originalis seruitutes in ipsa manserint.

2 Habet sanè originale peccatum, etiā postquam ex animo pulsum est, plæraque seruitutum iura, sed tum maxime in fœminis: hæc sunt multiplicatio partuum, molesta gestatio ęrumnæ, dolores, atq; aliæ puerperij immunditiæ, subiectio obscura, & ignobilis erga virū, peccati fomes, & eiusmodi alia, partim molesta, partim turpia, & indecora. Adde etiā (si placet) mortem, corruptionem, & alios labores, & ærumnas, quæ homini ex peccato originali euenisse constat. Nec desiderabis hoc seruitutis nomen in Paulo: nam ad Rom. 8. *Quia ipsa* (inquit) *creatura liberabitur à seruitute corruptionis.* Vbi per seruitutē corruptionis peccati originalis reliquias accipit Caietanus, & alij passim interpretes. *Ad Ro. 8.*

3 Facile ergo ad quæsita respondebis, eiusmodi seruitutes à Virgine Deipara quamlōgissime abfuisse: illas dico, quæ vel quia peccato maxime affines sunt, vel quia turpiores, videntur, indecentiam per se continent, non alias, quæ nihil in se turpitudinis habent, & non vulgarium bonorū causas offerunt. Quarum seruitutum differentiam luculenter admodum expressit Richard. Victorinus lib. 2. de Emanuele, cap. 28. *Videtis certe, quod illud remansit in Virgine, quod erat ad pœnam, illud recessit, quod erat ad culpam: vitiositas recessit pœnalitas remansit: carnalitas tollitur, sed calamitas non amouetur*, & subinde attexit. *Quæ vero est causa, quæue iustitia, vt remaneat pœna, vbi nulla est culpa?* Id vero beneficij, quod certe maximum fuit, in filij erga matrem beneficentiam confert Richardus. *Quid mirum* (inquit) *quid stupendum, quod matrem suam, quæ ab omni vitio ad plenum purgata fuit, fons ipse pietatis filius eius sub iugo captiuitatis nostræ laborare permisit.* Subijcit rationem, c. 31. *Corruptibilitatem habuit Virgo in his, quæ pertinent ad pœnam: quod sibi quidē ad futuræ gloriæ cumulum, nobis autem ad patientiæ documentum profuit, quod passibilitatis nostræ iugum cum tanta puritate portauit.* Itaque mens Richardi est, eos omnes peccati originalis effectus, aut pœnas, qui vel peccatum continent, vel ad peccatum inclinant: eas itē seruitutes, quæ nec Virgini ad gloriæ incrementum, nec nobis etiam ad documentum proficere poterant, ab ipsa penitus exclusas, & amandatas. *Richard. Victor.*

Redeo ad possessionis naturam. Illud certe apud Iurisperitos compertum, seruitutis nomen nequaquam mereri id, quod dominus, ac possessor in re sua facit, aut fieri permittit: non quia alteri vtile est, sed quia sibi emolumentum affert. Nā seruitutis definitio sic vulgo censeri solet. *Seruitus est ius domini vtilitatē imminuēs, & alterius vtilitatē adaugens.* Quorsū hæc? Vt intelligas passiones, labores, ac mortē, quę aliàs peccati reliquię sunt, ita quidē in Virgine locū habuisse, vt culpę originalis seruitutes dici nō possint: quia nō in peccati emolumētū, sed in Virgi-

nis vtilitatē,&cōmune generis humani documentū relictæ sunt, vt Richar. ait. *Sibi quidē ad futura gloria cũmulum, nobis autem ad patientia documentũ, &c.* Ex his constat nullam
Richard. peccati originalis seruitutē in Virginē transijsse, quæ Dei possessionem deteriorē redderet. Sed quid causæ subest, quod solēnes alijs peccati seruitutes in Virgine locum non habuerint? Certe ratio ex ipso etiā iure petenda est: nā seruitutes ex eo in agris, in prædijs in domibus, atq; in eiusmodi alijs rebus antiquitas possessionis inducere solet: nā antiquioris possessionis iura, minus antiquæ alterius possessioni siura sibi subijcere, &in seruitutē redigere solēt: vt docet Martia. in lib. 1. de seruit. ff. insufficientiæ. Nequis ergo putaret
Martia. Virginē aliquam peccati seruitutē pati, Salomon antiquitatem diuinæ possessionis adstruit, cum dicit. *Dominus possedit me in initio viarum suarũ, antequā quidquā faceret à principio*: eius nimirũ sanctitatē ante omnes alios, hoc est, ab ipsa Conceptione deriuans, atque adeò omnes peccati seruitutes prohibens. Si enim peccati possessio prior, & antiquior esset, illas seruitutes Virgo declinare nō posset.

5 Sed vt ad rem nostrā veniamus, præcipuę, &magis solēnes seruitutes in agris, &prædijs sunt viarum publicarũ, aut etiā semitarũ. Nā publicam, & Regiam viā per vicinũ agrũ regere fas est, si aliās præcludatur: & ei, qui prædium aliquod mediũ inter alia prædia possidet, licet etiam per ea, quæ circumcirca obsident, semitam ad illud aperire, & exterere. Hæc enim legibus ipsis cauta sunt. Legatur præscriptus Martianus in dictam legē. Ergo D. Greg. ad illa verba Iob. *Nunquid semitam sæculorum custodire cupis, quā calcauerunt viri*
Gregor. *antiqui?* semel quidem superbiam, quæ fuit protoparentum culpa, & iterũ concupiscentiam, & omnes alias originalis peccati reliquias intelligit: has enim dicit ad actualium peccatorũ cōmissionem viam sternere, ac semitam munire. Liceat igitur sic fari, ac comminisci. Huic semitæ perantiquę, quā Regiā vniuersæ carnis viā appellare fas est, omnes homines animo, ac mente ita obseruiunt, vt per omnes omnium generationes communi quadā necessitate semper irruperit, quin obstrui, aut præcludi vnquam potuerit, quominus per eos, qui sunt, ad posteriores regatur, ac deducatur. Sola Virgo Deipara huic semitæ prorsus imperuia fuit: quia semita ista, quam peccatum aperuit, agros vicinos, ac sibi hærentes tantum exterit, remotos vero non attingit: Virgo autem sanctissima ab ea perquàm remotissima fuit, quia non solum à peccato originali immunis extitit, sed etiam à debito illius, atq; adeò longe ab illo facta. Nam debiti huius contrahendi peccatũ originale proprium esse videtur, homines illi semitæ propius adiungere. Nihil enim aliud est debito illo teneri, quā proximum esse, vt eo peccato, atq; eius legibus cōprehēdatur.

Sed vt nostram denique mentem in palā demus, si per eiusmodi semitas sæculi, originalis peccati effectus, aut reliquias capiamus cũ D. Grego. sic certe peccatum ipsum contemplari licet, vt medio in homine, hoc est, 6
in animo locatum, cætera, quæ circumcirca sunt, scilicet mentē, voluntatem, appetitum, ac totum deniq; corpus sibi grauissimarum seruitutum legibus subijciat, vt scilicet quo volet, semitas suas aperiat: ita scilicet, vt mētem ignorantia, voluntatem concupiscentia, corpus prauis appetitionibus exterat; adde etiā in fœminis corruptionem, dolores partus, aliasq; puerperij fæces & ærumnas. Nō abit ab hac sententia Diuus. Ambro. lib. de Salomone super cap. 30. Prouerbiorum. in fragmento post cap. 5. dum ait. *Serpens, id est,* Ambros.
diabolus in auribus Adæ, & Euæ semitam fecit: fecit & in pedibus, quibus interdictum fuerat iter ad arborem: fecit & in manibus, quibus contracta sunt poma: fecit in lateribus, dum ab eis non vt fuerant concessa, celebratæ sunt nuptiæ, &c. Quorsum hæc? Non leue profecto argumentum pro immaculata Virginis Conceptione hinc cōficere licet. Quia si suas illas celebres, solennesque vias, ac semitas in Virgine peccatum nō aperuit: si corpus eius, atq; animi cōmunes aliarum fœminarum seruitutes non sensit, satis inde probatur nihil illius ab eo peccato vnquam possessum, vel occupatum fuisse: sed totam ipsam in Dei possessionem ab initio cessisse. Ait enim. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum.* Nimirum quasi primus, & antiquior possessor vias suas in me constrauit, atque adeò omnē peccati semitam a me longius arcuit.

EX FOMITE PECCATI argumentum ducitur.

§. II.

7. *In Virgine fomitem ab initio restinctum authoritate, & ratione probatur.*
8. *Deformes valde sunt omnes fomitis affectiones, & nomina valde indecora.*
9. *Ex his conficitur, illum in Virgine nullo tempore, nec ante partum, nec post partũ admittendum esse.*
10. *Ex fomitis absentia colligitur libertas Mariæ ab originali.*
11. *Lōgè deteriores sunt affectiones, & turpiora quoque nomina peccati originalis, quàm fomitis.*
12. *Christi, & Mariæ maxima similitudo suadet illam fomite, magis autem peccato originali caruisse.*

ROFECTO, Mentis nostræ est, in id incūbere, vt probemus Virginem peccato originali prorsus vacasse, quia nullam illius legē ex- 7

perta

perta est. Ergo ab ea lege, quæ cæteris seuerior est, exordiū ducā, de qua sic Paulus. *Sentio aliā legē in membris meis repugnātē legi mētis meæ.* Pende seueritatē huius legis, *& captiuantem me in lege peccati.* Hanc legē vulgo appellamus peccati fomitē. Nos ergo cum pluribus sentimus, in Deipara ab ipso cōceptionis exordio peccati fomitē, non vt alij dicūt ligatum, aut cōstrictū, sed prorsus restinctum, & suffocatum fuisse. Hāc sententiam tradunt Tho. de Argen. in 3. dist. 3. q. vnica art. 3. & 4. Mars. in 3. q. 4. art. 1. p. 2. Cord. lib. 1. q. 49. p. 2. opin. 2. Vazq. 3. p. disp. 118. Suar. q. 27. art. 4. disp. 4. sect. 5. Valent. q. 27. art. 3. Canis. lib. 2. c. 4. Barrad. tom. 1. lib. 8. c. 3. & omnes fere recentiores interpretes in eam conspirāt. Et quidem ad hanc positionem comprobandā validæ rationes suppetūt. Mitto eas, quibus P. Vazq. in ea disp. c. 4. aperte euincit fieri non potuisse, vt fomes in Virgine ligaretur, quin etiam restingueretur, ac sopiretur: quia hæc extinctio non aliter fieri potuerit, nisi aut per contemplationē assiduam diuinarū rerū, aut per amorem Dei præferuidū, & nūquam intermissum, aut protectionem diuinæ prouidentiæ, quæ ita Virgini omnes cogitationes bonas suggerebat, vt nullū illis locum faceret, quæ ipsam ad peccatum inuitare possent. Quicunque ergo fomitem ligatum fatentur, affirmare etiā debent extinctū fuisse: nam ligatio ijsdem certe rebus, & nō alijs fieri potuit, scilicet contemplatione, amore, aut protectione Dei. Aut dicant nobis, qua alia ratione appetitio sponte sua in malū pēdens constringi, aut coerceri potuerit: hæc enim prorsus incōperta nobis est.

Thomas Argenti. Marsi. i. Corduba. Vazquez. P. Suarez. Canisius. Barrad.

8 His igitur omissis, fomitē peccati in Virgine nō fuisse, plures aliæ ipsiusmet fomitis indecoræ, ac turpes affectiones suadent. Imprimis enim ipsū fomitis nomen hoc suggerit: quia praua illa animi propensio in malū, quæ ex peccato in nobis relicta est, ideo peccati fomes dicitur, quia quemadmodū fomes ignē facile concipit: ita etiā hæc animi propēsio semper velut in prōptu est, vt à peccato ceu igne quodā celeriter corripiatur. Quapropter Deiparā Virginē ita esse ad peccatum dispositam, & promptā, sicut fomitem ad ignem, ab illius eximia puritate abhorret plurimū. Sed tamē ex alijs huius fomitis vocabulis id fortius, & efficacius confici potest. in primis enim D. Petrus quasi ducē quendā illū constituit, cui prauæ affectiones cōtra rationē, imo & contra Deū obarmatæ semper militāt: id enim sibi voluit, cū dixit. *Fratres abstinete vos à carnalibus desiderijs, quæ militāt aduersus animam.* Vt in eum locū expēdit D. Tho. Pau. etiā ad Rom. 7. *Legē peccati* appellat, legē inquā, nō polyticā, quę ciues ciuiliter obligat, sed quæ captiuos seruituti addicit. *Et captiuantē me sub lege peccati.* Rursus, quod caput est, idē Paulus huic fomiti *peccati* nomē indidit in eodē loco. *Quod habitat in me peccatū.* Vbi duo quidē obseruatione digna occurrunt: alterū scilicet, quod peccatū appellauit: alterum vero, quod non hospitē, sed incolam & habitatorem esse dicit. De priori quidē sic August. lib. 1. de Nup. & Concep. c. 23. *Concupiscentia sic vocatur peccatū, quia à peccato facta est, sicut vocatur lingua locutio, quā facit lingua, & manus scriptura, quā facit manus. Itemq; sic vocatur peccatū, quia peccatum, si vincit, facit, sicut vocatur frigus pigrū, quod pigros facit.* Circa posterius vero id cogita, quod ideo habitare in homine dicitur, quia domū sibi propriā in eo nanciscitur, à qua nunquā pelli, aut exterminari possit. Peccata quidē ipsa accedūt, ac recedant, & ceu hospites quidā nunc occurrunt, nūc abeunt: at fomes peccati, aut cōcupiscentia domū suā in homine figit, eamq; peccatis ipsis ceu diuersorium quoddā aperit. Ad hæc Magister sententiarum inter alia nomina, quibus hoc malum censet, *tyrānum* etiam cōpellat lib. 2. sent. dist. 30. Bas. *Innatū dæmonē omnia praua suadentē.* Chrisost. *Lernā serpentē multicipitē,* cuius ex trunco capitalia peccata etiam per pœnitudinem excisa repullulant.

D. Petrus

D. Thom. Paulus. Ad Ro. 7.

August.

Magi. Sē. Basil. Chrisost.

9 Ex his facile intelliges, quantum à Virgine Deipara concupiscentiā, aut peccati fomitem remouere oporteat. Singula expendam, & ex singulis ad originale peccatum gradum faciam: sic enim scopus mihi semper collimādus est. Est ergo peccati fomes dux acer, cui omnes prauæ affectiones, & desideria contra rationē, & contra Deum militant. Quis ergo a ferat, vel etiā cōniueat, in ea, quæ Dei turris fuit, & arx Sion à Deo impēsius adamata, quā etiā contra hostes suos omni præsidiorū genere instruxit, & ex qua Deus (liceat sic dicere) humana carne obarmatus, & cathaphractus processit, ducē istū degere, & cunctā suā militiam contra Deū arma mouentē vnquā cōtinuisse? Quis etiā facile acquiescat, in Virgine tantū, tamq; intestinū, & ciuile rationis, & appetitus bellū fateri? De qua Richar. Victorinus lib. 2. de Emanuele c. 29. ad illa verba *Auferens bella vsq; ad finem terræ, arcū conterens, & cōfringens arma, &c. Quæ est* (inquit) *ista terra, de qua bella omnia fine tenus auferuntur, nisi illa, de qua idem Propheta alibi protestatur. Veritas de terra orta est. De hac itaq; terra omnis pugna tollitur, in hac terra pax plena reparatur. In arcu & sagitta percussio quidem est, non tam virtuosa, quàm artificiosa. E cōtra in gladio, & hasta percussio quidē est, non tā artificiosa, quàm virtuosa. Per arcus ergo intelligamus tētationes fraudulētas: per arma vero tētationes violentas. Attende itaq; in quantæ securitatis arcē te erexit, ad quam nec violenta, nec fraudulenta tentatio nullum de cætero accessum habere potuit, &c.* Rursus fomes peccati est lex nō ciuilis, sed captiuos seruituti addicēs. Quis ergo æquo animo ferat cœli, ac terræ Reginam, ac Dominam huic miserrimæ legi mancipari? Ad hæc, hic fomes, etsi peccatū

Richard. Victor.

vere non sit, tamen peccati nomen fert. Quis ergo non exhorreat in Virgine Deipara, vel peccati solum nomen audire? Quod autem iste fomes inhabitare, & domum figere in eo dicitur, qui ipsi obnoxius est, à Deipara etiã plurimũ abhorret: nã cum Dei Regia, & augustissima domus Maria sit, eiusmodi degenerem habitatorẽ, & incolã plane detrectat. Hinc Richar Victorin. supra.c.31. sic scribit. *Cæteris* (inquit) *sanctis in cõmune præcipitur, vt in mortali eorum corpore peccatum nõ regnet, soli isti singulariter datur, vt in corpore eius nõ inhabitet. Non regnet* (inquit *Apostolus*) *peccatum in vestro mortali corpore: sed nunquid, vt inhabitet, etiã præcipit? Minime vero. Attende super hoc, quod alibi dicit. Iam non operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum.* Non ergo habitat in Virgine peccatum, id est, concupiscentia, quæ peccati propterea nomẽ fert, vt docet Sancta Synodus Trident. *Quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Atq; adeò ita sibi domicilium in homine capit, vt illud à peccato acceptum quodammodo referens peccatis libenter referet, illaq; ad diuertendum inuitet. Absit ergo, vt turpe hoc diuersorium, vel potius prostibulum in Virgine vnquam fuisse annuamus. Quid plura? Fomes iste *tyrannus* est, teste Magistro. Quis ergo sibi persuadeat à Deo optimo maximo ciuitatem suam, de qua sic cecinit David. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei,* Tyranno traditã, seu permissam aliquando, vt in eius ditionem veniret? Sed quod caput est, *dæmonẽ innatum* ad omnia praua adhortantem fomitẽ appellat Basil. Quis ergo audeat dicere tale quidpiam innatũ, aut ingenitũ in ea, ex qua Deus ipse genitus, ac natus est. Deniq; *lernæ multicipitis serpentis truncus* fomes dictus est à Chrisostomo. Quis igitur sustineat huic trũco in Deipara locum dari? Nã qui tandem fieri potuit, vt qui nullum ex suis capitibus in eã inserere vnquã potuit, truncũ aliquando insinuaret? Hæc omnia facile probant, quã indecorũ sit in Virgine peccati fomitem agnoscere.

Richar. Victor. — *Triden. Conc.* — *Magist.* — *Basil.*

10 Eadem vero longe efficacius euincunt à Deipara cunctam originalis peccati suspicionem esse remouendam. Omitto communem illam rationem, quæ ex negatione, effectus necessarij apte colligit negationem causæ, atq; adeò bene sic conficit. In Virgine non fuit fomes, aut concupiscentia ad peccatũ inuitans: ergo causa illius propria, & germana, scilicet peccatum originale, ab eadem procul affuit. Quam rationẽ perbellè efformant Petrus Blessensis Archidiaco. in ser. de B. Maria Magdalena. *Sed quia non nouit peccatũ, sensit in se fomitem extinctum, nec experimento sciuit, quam intolerabile certamen est, cum accingitur homo cõtra se ipsum, quam difficilis victoria, vbi idem vincit, & vincitur, &c.*

Petrus. Blessen.

11 Missam facio rationem istam, atq; ex dictis sic vrgeo. Indecorũ esset, Virginem Deiparam peccati fomitẽ sentire: longe igitur indecentius erit peccatum originale in ea ponere. Pergo per singula: ideo sane dedecet fomitẽ peccati in Virgine agnoscere, quia absurdũ videtur duci iniquo perniciosam prauorum desideriorũ aciẽ sibi numeranti, Dei arcẽ fortissimã, & pulcherrimam tradi. Erit igitur longe absurdius illam ab eo teneri, cuius stipendijs (liceat sic dicere) dux ille cum omni suo exercitu militat, & qui illi assiduo arma, & omnem cõmeatum administrat. Nam tale quidpiã originale peccatũ dixerim. Insuper si absurdũ est in terra illa, ex qua veritas orta est, intestinum, & quasi ciuile rationis, & concupiscentiæ bellũ grassari: erit igitur longe absurdius, ipsam ab initio ab hoste infensissimo vinci, & subiugari. Habet enim peccatum originale, iugi nomen iuxta illud. *Graue iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, &c.* Nam quamuis ad literam alius hisce verbis sensus subijciatur: tamen Augustinus per accõmodationẽ de originali peccato interpretatur. Rursus si turpe est cæli, & terræ Reginã legi illi mẽbrorum ad seruitutem, & captiuitatẽ mancipari, iuxta illud *captiuantem me sub lege peccati*: erit profecto turpius legislatorẽ ipsum sustinere: sic enim peccatum originale appellare libet, à quo eiusmodi lex in mẽbra manauit: vel certe turpius erit ei, legi illi veracius subiacuisse, quã Deus Adamo indixit de transfundẽda in posteros lethali culpa: atq; adò in pœnã paternæ transgresionis peccati vulnus cũ reliqua illius sobole excepisse. Ad hæc, si absonũ videtur solũ peccati nomẽ, & vocabulum in Virgine sanctissima & purissima: erit ergo absonũ magis id in Deipara agnoscere, quod non verbo tenus, sed verum, ac germanum peccatum est, animæ mortẽ consciscens. Et si indecorũ ducimus peccati germen, aut prolẽ, augustissimã Dei domum, & templum inhabitare: indecorũ profecto magis putandũ est, ipsum peccatũ in eadem non degere solum, sed præoccupare, & Deum ipsum inhabitando anteuertere. Vlterius, si fomes peccati *tyranni* vocabulo censetur, cui ciuitatem Dei reserari, & tradi nefas sit: si itẽ *innati dæmonis* nomen meretur, à quo eã, ex qua Deus natus est, possideri, ac teneri iniuriũ sit. Potiori ergo iure ipsum peccatũ originale tyrãni, atq; innati dæmonis nomina feret, cui nec ciuitas Dei tradi, nec in Matre Dei locus fieri debeat. Et quidẽ peccatum hoc tyrannum appellauit Paulus ad Rom. 6. cum ait. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Et iterum cap. 7. *Regnauit mors ab Adam* Quod peccati regnum cum nõ sit legitimum, & iustum, tyrannidẽ appellare licet. Quamuis enim pro illis verbis, *non ergo regnet,* in vulgatis sit μὴ βασιλευέτω. In quibusdam codicibus, vt notat Erasmus, habetur μὴ τυραννείτω, id est, ne per tyrãnidẽ occupet. Quanta vero sit huius tyrãni vis, & astus ad ho-

August. — *Ad Ro. 6. & 7.*

minem

minem inuadendū, & expugnandum, quam seueris in illum vtatur legibus, nemo est, qui nesciat. Rursus etiam: *Diaboli innati*, aut *ingeniti* nomen in peccatū originale aptius, quā in fomitem cadere constat ex illo anathemate, quo diabolū sub serpentis vmbra Dei sententia confixit. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem: inter semen tuum, & semen illius.* Vel vt habet Chaldæus: *inter filium tuū, & filiū illius*: vbi non pauci ex interpretibus per serpentis, aut diaboli filium originale peccatū accipiendū putāt. At quid est, obsecro, diaboli filius, nisi diabolus alter illi adsimilis? Deniq; si à Dei gloria alienum est, in parentem suam lernā multicipitem serpentem, trūcum suū, aut extremum tractū inseruisse: erit ergo alienum magis præcipuū caput, in quo totū virus, ac venenū sedet, in eandem insinuasse. Nam originis peccatum per caput serpentis notari alias diximus c.19. Vnde aliquid etiā minime insulsum in hūc locū trāsferre licet.


12 Sed vt rem absoluam, non pigebit hic subijcere rationē aliam, qua author quidā haud quaquā pœnitendus vsus est, vt Virginē à fomite peccati liberam esse conficeret: est autē eiusmodi. Quia fomes peccati, vt supra diximus, nihil aliud est, quam quædā hominis propensio, & inclinatio in malū ex appetitu dimanās, ad ea, quæ rationi aduersaria sunt, animum alliciens, atq; inuitans. Atqui certū, & exploratū est, vt alias supra animaduertimus, filios suas propensiones, ac studia ex matribus potissimū haurire. Ita enim fert iuris peritorū commune proloquium. *Filij vt plurimum matrizant*, id est, matrum studia, ac propensiones in se exprimunt. Illud etiā ex Cyrillo accipe, cuius verba alibi dedimus, ex magna Dei prouidentia factū, vt Christus matri suæ perquam adsimilis specie, ac moribus euaderet. Nā cum postea plures Hæretici addubitaturi essent, an Christus ita Deus esset, vt verus etiam homo cōprobaretur, si studiorum, atq; morum magna dissimilitudo (quæ solet etiā iuxta præsumptiones iuris alieni partus dubitationem afferre) inter Mariā, & Christum intercederet, nōn facile adducerētur, vt illū verū hominē ex Virgine procreatum crederēt. Quapropter cū hæc matrū, ac filiorū similitudo in studijs ac propensionibus sita sit, operę pretiū valde fuit, vt Virgo Deipara gratia Dei præuenta nullam in malum propensionem, aut inclinationem sentiret, ex qua illum nasci oportebat, qui sponte sua ad omne bonū propēsus erat futurus, vt filij, matrisq; propēsiones interse ita concinerēt, ac conspirarent: vt vel ex his integrum esset colligere, & Mariā talis filij matrem esse, & Iesum talē sibi Matrem vendicasse. Id vero ad originale peccatū translatū efficacius cōprobat illud à Virgine arcendum esse: quia vt supra dicebamus ex Dionysio Areopag. de Eccle. Hierarch. c.5. de his, qui dormierūt, peccatum originale est *Habitus dissimilitu-* *linis Dei homini ingenitus.* Absit ergo, vt mater ingenitam dissimilitudinem à filio suo habuerit, cum filius nihil aliud sit, quàm genita imago, & similitudo parentis. Audiendus est, Pseudo Augustinus ad Fratres in Eremo. ser. 20. *Quia vero a corruptione liberandus homo erat, idcirco pretiū redemptionis in corruptum esse debebat. Propterea Maria mater electa est, omnibus gratijs fœcundata, omni virtute, & sanctitate in vtero repleta, vt de mundissima matre mundissimus filius nasceretur. Et sicut in cœlo filius habuit Patrem immortalē, & æternum: sic & in terra haberet matrē omni corruptione carentē. Igitur in cœlo qualis est Pater, talis est filius: & in terra qualis est mater, talis est secundū carnem filius.* Quid illustrius?

Dionys. Areop. | Pseudo August.

EX MVLTITVDINE conceptuum, gestatione, & partus doloribus ducitur alia ratio.

§. III.

13. *Effectus peccati originalis in puerperis censentur multitudo conceptuum, grauis gestatio, & dolor.*
14. *Ab his omnibus libera fuit Virgo Deipara.*
15. *Nō ex priuilegio, & relaxatione legis vniuersalis, sed quia lege comprehēsa non fuit.*
16. *Eius exēptio à lege vniuersali, & ab his, quæ ex lege manarunt, optima ratione persuadetur.*
17. *Virgo leæna fuit vnicum pariens, & inde innocentia illius originalis conficitur.*
18. *Propter prolis decētiā magis debuit Virgo ab omni peccati pondere mētem, quā ventrē à gestationis grauitate leuem gerere.*
19. *Id etiam opus fuit, vt verbum diuinum ostenderet à se portari eā, à qua portabatur.*
20. *Vt Christus se naturali sanctitate præditū demōstraret, dolores partus à matre, sed multò magis peccatum originale probibere debuit.*
21. *Duplex D. Ildephonsi ratio suadēs eā, quæ in partu non doluit, sine peccato conceptam.*
22. *Dolor de peccato magis dedeceret matrem Dei, quàm dolor ex partu.*
23. *Dolor de peccato originali susceptus ingens est, atque valde deformis.*



13 SED Ad alia gradū faciamus, & vt alia minora missa faciā, quæ ex peccato originali in homines cunctos redundarūt, de his, quibus specialiter fœminas Dei sentētia mulctauit, mihi sermo ineūdus est. Ad fœminā ergo Gen. 3. *Mulieri quoq; dixit: Multiplicabo ærūnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios tuos.* D. Ambr. in Hexameron, & Diuus Tho. in Genes. quos ferme alij sequitur interpretes: triplicē pœnā mulieri impositā cōtē-

Genes. 3. D. Ambr. D. Thom.

 plantur

plantur in hoc loco. *Multiplicabo ærumnas*, id est, tædia, labores, & molestias in portanda prole: *& conceptus tuos*. Plures ex Patribus, qui lectionē lxx. interpretū exponunt, non obseruant hic nouum pœnæ genus: nā lxx. sic extulerūt. *Multiplicās multiplicabo tristitias tuas, & gemitus tuos*. Sed tamen in originibus Hebraicis subest. הרון *Heron*, quæ vox conceptū proprie significat: atq; adeò aliqui ad aborsum referunt, quasi Deus id fœminæ imposuerit, vt sæpius aborsum passa ad filiū aliquē in lucē edendū non semel ipsi concipere, & vterū portare opus sit. Alij rursus volunt ipsā partuū multiplicationē in supplicio mulieris poni: nā nō minima pœnæ pars est, partus molestias, & labores sæpius iterare, ac repetere. Subdit: *In dolore paries filios tuos*. Verba sunt perspicua, & alterā huius sentētiæ partē cohibent. Quidā addunt ad hanc posteriorem partē referendas esse puerperij immunditias, & sordes, quasi hæ quoq; ex peccato fluxerint: sed id non valde curandū. Itaq; fœ-
14 minæ triplex iniungitur in præmissis verbis pœna, multiplicatio partuum, labor gestandi
D.Berna. prolem, & dolor parturiendi.

Quod autē ab his omnibus molestijs Virgo libera, & immunis fuerit, omniū Patrū cōsensus tenet, quos cōplexus est Bernar. in ser. ad illa verba. *Signū magnū, &c. Sed in his quoq; sydereum plane irradiat decus, quod Virginitatis primiceria, quod sine corruptione fœcunda, quod sine grauamine grauida, quod sine dolore puerpera.* Et quidē D. Leo Papa absolute decernit ad Mariæ partū, & puerperiū, nihil ex peccati legibus permeasse. *Nihil* (inquit) *in istā singularē natiuitatē de carnis concupiscētia transiuit, nihil de peccati lege manauit.* Quæ verba nō modo de Christo capiēda sunt, quasi ipse ab omnibus peccati legibus immunis
15 natus dicatur: sed etiā de Maria, cuius in partū nihil inciderit ex his, quæ veteri ex culpa fluxerunt.

Hinc ergo ex hac vniuersali positione ad peccatū originale transire integrū est: ac primū licet cōmunē illam rationē efformare. In Virginis partum nihil de peccati lege manauit: ipsam ergo cōmunis illa peccati lex minime cōprehendit. Nā quod pœnas legis decretas minime experta fuerit, satis declarat culpā etiam ipsam, quam supradictæ pœnæ insequuntur, in ipsam minime deriuatam fuisse. Neq; enim putandū est, illam cōmuni iure in
Cypri. legē inclusam, & pœnas eidem postea indultas fuisse. Propterea enim D. Cypria. de industria, & data opera dixit illud alias à me obseruatū ex ser. de natiuit. Christi. *Non sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus*
Richar. Victor. *lassaretur iniurijs, quod plurimū à cæteris differens, natura cōmunicabat, nō culpa.* Pēde illa verba, *non sustinebat iustitia*: Cum quibus cohærent alia Richar. Victori. lib. 2. de Emanuel. c. 28. *Quæ* (inquit) *causa est, quæue iustitia, vt remaneat in Maria pœna, vbi nulla est culpa?* Vterque ergo ideo eas iniurias, & molestias, quæ sunt pœnæ peccati originalis, non ex relaxatione iuris, & indulgentia fuisse remissas, sed ex iustitia prohibitas dicit, quia cū iustitia conforme erat, vt pœnas nesciret, quæ culpa vacabat. Deinde etiā alio argumento pro-
bare possumus Virginē ideò ab his pœnis liberatam fuisse, quia lege illa, qua primum irrogatæ sunt, minime comprehendebatur. 16

Liceat ergo mihi sic cōminisci. Sit quispiā legislator, qui legē aliquam constituens, & transgressoribus pœnā interminans non ignoraret futurum, vt in casu aliquo, & persona legis rigore postposito indulgendū omnino sibi foret: hic certe si saperet, ne suæ ipsius legis violator putaretur, satius faceret, si ab initio casum, & personā exciperet. Imo si ita nō Arist.
faceret, putandū esset, illū ex ignoratione futuri casus, atq; personæ eā exceptionē omisisse. Ideo Arist. Polyt. lib. 2. c. 2. dicit Legumlatores nonnumquā vniuersalia iura ferre solitos, quæ aliquando ipsismet violare necessum est, quia non possunt casus singulos prænoscere, quos si præuidissent, merito ipsos ab initio in ipsa legis institutione, & conditione exciperent, vt lex semper inuiolabilis esset. Adde etiā Baldū apud Hothomanū Baldus.
in lexico iuris, qui propterea legibus exceptiones ab Imperatoribus additas dicit, ne opus esset, magna ipsarū iniuria, illas passim effringere, ac violare. Quorsum hæc? Sane, vt inde notum fiat, Deum, qui nullius rei ignorationem habet, sed omnia futura noscit, ac prænoscit, vt sapiens, ac prudens legislator esset, satius facturū, si virginem, quā deinde ab omni legis antiquæ effectu, & pœna seruandā esse nouerat, ab initio legis conditæ prorsus exciperet: nimirū legem ipsam ita conderet, vt eā minime includere posset, ne etiā ipse aliquid cōtra legē suam tentare videretur. Et quidem de lege illa perantiqua, de cuius tenore non satis edocti sumus, ex alijs statuere licet, quorū tenorem expressum habemus. Ita quidē factum multa suadent. Nam lex illa Deuteron. 13. quæ de primogenitis Deo Deu. 13.
offerendis lata est, sic habet. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam filijs Israel, &c.* Vbi fere Patres obseruant ea verba significanter fuisse in lege addita: *quod aperit vuluam*, vt per ipsa Christus exceptus intelligeretur. Rursus de circuncisione paruulorū, & purificatione puerperarum, Leuit 12. sic cauetur. *Mulier si suscepto semine pepererit mascu-* Leuit. 12.
lum, immunda erit septem diebus iuxta dies separationis menstruæ, & die octauo circuncidetur infantulus; ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis. Vbi etiā de industria additum est illud. *Quæ suscepto semine, &c.* vt Christus à circuncisionis lege exēptus cōprobaretur, & Virgo similiter à purificationis iure ostenderetur immunis. Mitto alias eiusmodi leges, quæ restrictionem habent, vt constet illas, nec ad filium, nec ad

matrem pertinere. Ergo ad eundem modum de illa prima lege, & transfusionis pacto decernendũ videtur, cuius tenor nobis incompertus est, quod tali modo initũ ab initio existimare debemus, vt exceptionẽ Mariæ clauserit. Quorsum enim dicamus illã ea lege cõprehensam fuisse, ex qua nihil, *vel in ipsam, vel in eius partũ manauit*, vt Leonis verba iterũ vsurpẽ? Quomodo autẽ hęc exceptio Virginis à communi lege facta fuerit, ita vt tota sub Christi meritũ ceciderit, ex superioribus cõstat. Hęc de quatuor illis pęnis invniuersũ.

17 De singulis nunc agamus. Prima mulieris
pœna est multiplicatio conceptuũ, ac partuũ.
Ab hac pœna libertatẽ adepta est Virgo san-
Luc. c. 1. ctissima, de qua sic Lucas, c. 1. *Et peperit filiũ
suum primogenitum*, id est, *vnigenitum*, vt exponit Hieronimus contra Iouinianum, qui nõ modo ob singularitatem personæ vnus fuit, sed etiam ob singularem, & propriam excellentiam. Nam cum idem esset vnicus, ac solus Patris æterni filius, Sanctissimæ istius Virginis vnicus, ac solus filius in tempore voluit
D. Epiph. fieri. De Virgine enim est illud Epipha. lib. 3.
contra Hæreses. *Aiunt leænam non parere præterquam semel vnum, habere autem hanc causam: animal est voracissimum, specie fuluum, robore solidissimum, & vt ita dicam regalissimum genus super omnia animalia. Habet conceptionem ex vno coniuge: perficit autem immissum semen viginti sex mensibus in vtero, ita vt catulus intus vsque ad perfectionem gestetur, atque adeò omnes dentes habeat, priusquam ex vtero prodeat, & vngues in statura firma clauiculares appellatos, dentes caninos, & molares. Itaque dum est in vtero, saltationibus, morsibusque, & alijs motibus per vngues diuellere aiunt, incidereque matrices, atque vteros prægnantes, &c.* Et subinde postquam dixit Christũ leonem esse, sic addit. *Profecto etiam genitricem ipsius leænam dixerim: vnde enim gignitur omnino leo si non leæna mater eius vocatur: leænæ autem non contingit secundus partus, ergo nõ amplius partũ nouit Maria, &c.* Neq; vero partus iste matris diuulsit, aut incidit viscera, absit: nã ea in re deficit similitudo. Quinimo ita ex ipsa in hanc lucem prodijt, vt claustra pudoris inuiolata, & intacta dimiserit. Est ergo Virgo leæna eo solum nomine, quia vnũ parit: *Et quidem leonem robore solidissimum, & regalissimum super omnia animalia* (vt Epiphanij verba resumã.) Et sane illud obseruatione dignum sanctissimus ille Doctor scribit: scilicet hoc animal duos solidos annos, & plures menses in vulua matris demorari solitum, donec suis numeris perfectũ in lucẽ edi queat. Quod quidem concinit cum his, quæ tradit
Aristot. Aristoteles de Hist. animalium lib. 3. nimi-
rum perfectiora, & robustiora animantia in vulua diutius hærere, quam alia minori perfectione, ac robore prædita. Nam licet Philosophus iste id, quod de vnico leonis partu, & de vuluæ euulsione vulgo iactatur, in fabulis ponat: moram tamen illam animantis perfecti in vtero boni consulit: atque eo fine à natura inuentam esse dicit, vt membra diutius in matrice confota, solidiora reddantur. Ad Christũ igitur redeamus. Si ergo diuturnior animantis mora in vtero ex robore, ac perfectione illius mensuratur: si leo commune animal, quia fortissimum, ac regalissimũ est, longiori tempore in leænæ vulua hæret: qua ratione factum, vt leo noster Christus per nouem tantummodo menses in leænæ, id est, Mariæ vtero mãserit? Si enim perfectionem, & robur attendas, Deus & homo est: atque adeò nihil eo vel robustius, vel perfectius. Oportebat sane tam perfectum, robustumq; fœtum longissimo tempore materno in vtero demorari. Ita quidem ego fieri debuisse existimo, imo potius ita factum sentio. Nam vt iam inde nõ semel diximus ex Augustino, atque alijs Patribus, Virgo non vtero solum, sed etiam mente Deum concepit. Quapropter licet in vtero corporis per nouem tantũ menses mater eum gestauerit: tamen in mentis aluo diutius portauit. Redeant ergo illa
Leonis verba in sermo. de natiuitate. *Virgo* *D. Leo.*
Regia Dauidicæ stirpis eligitur, quæ sacro grauidanda fœtu diuinam, humanamq; prolem prius conciperet mente, quam corpore. Prius scilicet mente, vt quod ad perfectionẽ tantæ prolis pertinere videbatur, diuturnior esset, ac longior illius in vulua gestatio: prius inquã mẽte, quia istã verbi generationẽ ex matris mẽte cũ priori illa, & æterna, qua ex Patre procedit, concordare oportebat. Atque adeo sicut eius in patris mente æterna conceptio est, & ęterna generatio: ita etiã, vt quoad fieri poterat, mater patri similis esset, decuit maxime, vt eiusdẽ verbi gestatio in matris mẽte, atq; animo, si nõ æterna, quantũ ipsi fas erat, diuturnissima foret: sic scilicet, vt à suæ conceptionis instanti auspicata in æuũ produceretur, dignusq; esset tanta prole conceptus, dignaq; matris in vtero portatio, atq; sic demũ (vt illud vulgo tritum vsurpem) *Leæna vnum pareret, sed leonem.*

Secunda pœna, qua Deus mulieris facinus
mulctauit, est laboriosa, & grauis prolis ge- 18
statio. Ab hac pœna Virginem ipsa suæ pro- *D. Berna.*
lis maiestas immunẽ reddidit: ait enim Bernardus. *Sine grauamine grauida*. Et quidem aliqui ad hunc sensum accersunt illa Prophetæ verba. *Ascendet Dominus super nubem leuẽ.* Hiero. in Psal. 77. *Super nubẽ* (inquit) *leuẽ, id
est, nullo virili semine prægrauatã* Alij addũt: *Psal. 77.*
nulla sui partus grauitate oneratã. Alij demũ adiungunt, *nullo peccatorum pondere degrauatam.* Idque Hieronymo tribuunt (sed tamen nec verba, nec sensum illorum in Doctore illo inuenire hactenus potui, nihilominus posterius ex priori non difficile confici puto) Si ergo prolem absque vlla grauitate, pondere, aut molestia in vtero corporis sui Virgo gestauit, quis dicat eandem prolem in mẽtis

aluo non sine molestia, & grauitate, ab eadem Virgine portatam fuisse? Non posset enim Maria sine graui molestia, & angore Deum in mente gestare, si alicuius peccati sibi conscia vnquã fuisset, quod ipsius animũ angeret. Qui ergo propter tantæ prolis decẽtiam omnem corporeæ molis grauitatem, & pondus ex Virginis naturali ventre arcent, potiori iure omnem de peccato susceptam molestiã, & onus, ex mentis spirituali aluo remouere debent, cum constet diuinum illũ, atq; humanum fœtum corpore, ac mente pariter ab ipsa conceptum, atq; mentis conceptionem tum priorem, tum etiã nobiliorem fuisse, iuxta illud. *Diuinam, humanamque prolem prius conciperet mente, quã corpore.* Et quidẽ hunc sensum reddere videntur verba, quæ alij Augustino, alij Seueriano, alij melius Fulgentio adscribunt in lib. de laudibus Virginis. *Plena sunt viscera, & nullum nouit contagium Virginis conscientia, cum esset grauida, salubri leuitate plaudebat: lumen enim, quod intra se habebat, pondus habere non poterat.* Pende illa verba. *Et nullũ nouit contagium Virginis conscientia.* Duas enim res copulat Fulgentius, & ex his vteri leuitatem deprehendit: videlicet conscientiam, animumque Virginis ab omni contagio culpæ vacuam: & fœtus ipsius naturam, qui cum esset lumen, ac splendor Patris, grauitatem corpori afferre non poterat. Putabat enim Fulgentius illam ventris leuitatem, mente aliquo peccati onere depressa, non posse subsistere: sed eum plausum, & gaudium, quod Virgini Christi gestatio adducebat, ex vtroq; conflari. Animus enim ab omni culpa, quæ ipsum grauare posset, vacans, & corpus sui fœtus pondus, & molestias minime sentiens, mirabili consensu applaudebãt sibi inuicem, & gaudio inenarrabili gestiebant.

D. Fulgẽ.

19 D. Berna. Sed tamen optimam huius leuitatis rationem affert nobis D. Bernardus in sermone illo de verbis Apocalyp. *Iure etiam* (inquit) *molestissimum tædium, quo reliquæ omnes grauidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosa voluptate concepit.* Et statim attexit. *Portans onus leue, portans, à quo portabatur.* Quasi dicat: ideo in Virgine tanta ventris leuitas, quia Dei verbum in vtero portabat, à quo ipsa magis portabatur. Hoc enim Dei verbo maxime proprium. Iuxta illud Pauli ad Heb. 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Itaq; fœtus ille, quẽ Maria suis includebat visceribus, vix aliter poterat, Dei verbum se esse, melius prodere, quam Mariam ipsam sui corporis onere leuiorem reddens, vt inde palam fieret, non tam ipsum ab illa, quam illam ab ipso baiulari, ac portari. Sed hinc ex corpore ad animum Virginis gradus sternitur. Aliquis enim sic obijcere posset ex eo, quod virgo fœtus sui onus, ac pondus nequaquam senserit: & quia eum portabat, à quo ipsa portabatur, non satis confici, illum, quem gerebat vtero, Dei verbum, ac filium esse: nam Angeli etiam corporum portitores, & baiuli esse possunt: constat enim illos ad mouenda, & agitanda etiam vastissima corpora prorsus valere. Illud certe dixerim soli Deo proprium, ac peculiare, spiritũ, animumq; portare, & peccatis sublatis, quæ ipsum degrauare, & deprimere solent, leuẽ prorsus reddere. Nec abit hoc à mente Pauli in eo loco. *Portans* (inquit) *omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens.* In Græcis exemplaribus est. ποιησάμενος, id est, *purgatione peccatorum facta.* Pro verbo autem illo *portans* subest, φέρων, id est, ferens, mouens, agens, ita vt eiusmodi sensus ex eo loco elici posse videatur. *Portans omnia verbo virtutis suæ purgatione peccatorũ facta*, id est, omnia purgatis, pulsisque peccatis facile admodum mouens, & impellens, id est agens, & gubernans. Quibus verbis innuere videtur Paulus, peccata grauitate, ac pondere suo in causa esse, ne Deus hominem, & omnes alias creaturas, quæ homini inseruiunt, & obsequuntur, facile agere, mouere, ac moderari possit. Ratio vero est in promptu. Quia cum peccatum non modo hominem graui pondere oneret, iuxta illud: *Et sicut onus graue grauata sunt sunt super me*: sed etiam tam illum, quam reliquas creaturas à fine suo separet, in quo ceu in cardine proprio facile vertuntur, & agitantur, non possunt non difficilius moueri, & impelli. Ad rem nostram. Non inficior sane Dei verbum, ac filium in Virginis vtero inclusum se ipsum, ac virtutem suam prodere, portans eam, à qua portabatur, & vteri onus omnino eleuans. Sed tamen idem in Mariæ animo, ac mente requiescens longe melius se ipsum testabatur, suamque potentiam ostentauit, cũ peccatis omnibus depulsis, ita illam ab initio suæ conceptionis in sui finis amore, ac dilectione tanquam in cardine defixit, vt nullo negotio illam omnem in partem pro nutu verteret, àtque conuerteret. Portabat igitur hac ratione Deus eam, à qua ipse portabatur: portabat, inquam, id est, mouebat, agebatque pro nutu, quia nullũ peccati onus, aut pondus, nullaque ex peccato orta propensio mala ipsius animum degrauauit, aut onerauit. Nonne hoc posterius dignius est, quàm illud prius? Merito quidem. Imo potius nullius fere momenti res esset, corpus à pondere, & grauitate prolis liberari, si aliàs mens, & animus Mariæ ex peccati conscientia non maiori solum, sed etiam turpiori onere aliquando ingrauesceret.

Heb. 1.

20 Bernard. Ad hæc, in pœnis, quas Deus mulieri inflixit, tertio loco numerantur dolores, ac gemitus ex partu, & nixu prolis: hos vero Maria minime experta est: *fuit enim* (verba sunt Bernardi) *sine dolore puerpera*, qui in illo sermone non longo interstitio ita scribit. *Sic & in partu quam lucidum est, quod noua exultatione nouam edidit prolem sola inter mulieres à cõ*

muni maledicto, & dolore parturientium aliena. Fulgentius etiam supra loco citato sic habet. *Nulla fieri potuit grauedo concipienti, nulla tristitia parturienti. Qui enim venerat triste lætificare sæculum, ventris non contristauit hospitium.* Idem docet Nissenus in oratione de Christi resurrectione. Damascenus lib. 4. de Fide, cap. 15. Rupertus lib. 3. in Ioan. Pseudo August. serm. 14. de Natiuitate. Sed audiendus est Diuus Ildephonsus in lib. de Virginitate, & Parturitione Mariæ, vbi sic habet. *Quapropter quæso cessent isti dicere, sic eum esse natum, vt cæteri nascuntur, quia non genuit eum Virgo Dei genitrix ex origine primæ præuaricationis, vt renascatur: sed de Spiritu Sancto, vt Deus credatur, sine dolore, sine gemitu, sine molestia, & ærumna, sine tristitia, & afflictione.* Nam cum sanctus Præsul præmisisset, Christum non ex adoptione filium Dei esse, sed ex natura ipsa per diuinitatis sanctitatem, ita vt filius Dei naturalis prorsus appellari debeat: inde certè conficit, matrem eius Mariam omni doloris sensu in partu suo carere debuisse. Quia in aliorum partu, quos puerperæ ita generant peccatores, vt ipsis iterum renasci opus sit, æquum est (inquit) vt matres doleant, & crucientur. In Christo verò, qui ita primum natura sua sanctus, & iustus ex parente nascitur, vt regeneratione non indigeat, non subest causa, cur mater ipsius dolores, & angores ex partu sustineat. Et quidem sanctissimi Ildephonsi, vt ex his, quæ postea attexit, & ante præmittit, confici videtur, mens est, dolores illos, & angores, quos matres in filiorum suorum nixu experiuntur, ideò illis à Deo inflictos, vt ipsæ non sine doloribus parerent eos, ad quos per partum culpam transmittebant, quæ ipsis doloris, ac luctus perpetui causa futura erat, & quæ per dolores etiam, ac gemitus deleri deberet. Itaque matribus dolores, & gemitus in partu propterea (Ildephonso authore) immittuntur, vt filijs suis dolorem, & luctum denuncient, quo maculas ex partu contractas detergere ipsis necessum sit, vt iterum renascantur. Quapropter cum Virgo filium natura sua sanctum, ac iustum regeneratione minimè indigentem ediderit, haud debuit ipsa dolere, & angi, cum ad filium nullam doloris, & angoris causam transmitteret. Sed quid inde? Subijciam. Æquum sanè erat, vt is filius, quem ita mater concepit, ac peperit, vt nullam in ipsum doloris, & molestiæ causam ex partu transfuderit, si fieri poterat, omnem etiam à matre sua doloris causam prohiberet, quæ illi ex proprio delicto euenire poterat: tum vel maximè, quia matris delictum non ipsam tantum, sed filium etiam contristaret, ac dolore afficeret. Quapropter vt ratio Ildephonsi subsistat, Virgo Deipara originali peccato carere omnino debuit: quia si eiusmodi peccato obstricta esset, vel ideò dolores, & angores in partu sustinere debuisset, quia satis magnam dolédi causam ad filium transferret, vt scilicet quamuis non ex proprio: tamen ex matris suæ delicto grauius, quam dici potest, contristaretur.

Fulgent.

Nissen.

Rupert.

Pseudo August.

Ildephon.

Sed iterum nobis audiendus est Beatus Ildephonsus, qui subinde post præmissa verba non longo interstitio, sic habet. *Ergo (inquies) per quem tanta benedictio effluxit, & gratia manauit, non est credendum, quod eius puerperium doloribus, & gemitibus more fœminarum subiacuit.* Sed vide qua ratione statim ex dictis argumentatur. *Et quia tristitijs non subiacuit, & ærumnis, libera ab omni maledictionis nodo fuit, quam Spiritus Sanctus adimpleuit, & totam Domino dedicauit.* Et infra rursus idem argumentum vrget. *Gemitus, & corruptio in partu fœminarum non nisi ex delicto, & maledictione primæ originis veniunt. Vnde interrogemus istos sequaces Heluidij hæretici, qui etsi Virginem eam non denegant permansisse, tamen pudicitiam commaculant, & gratiam, qua plena esse prædicatur, quando communi lege naturæ vitiatæ dicunt eam peperisse. Quia si ita peperit, ergo adhuc ac si in massa esset primæ damnationis, contra Angeli vocem maledictioni subiacuit, & verbum patris de carne peccati, quod absit, vt caro fieret, hominem assumpsit. Sed quia contra Fidem Catholicam est sic sapere; Beatā Virgo plena gratia, nec dolorem sensit, nec corruptionem viscerum pertulit: quia quàntum aliena fuit à culpa, Spiritu Sancto in ea cooperante, & virtute altissimi, qua obumbratur, in totum extranea à maledicto primæ damnationis, & tantum immunis permansit à corruptione carnis, nec non & à gemitu, & doloribus, quibus vexantur omnes filiæ Euæ cum pariunt.* Hactenus Ildephonsus, qui primum quidem ex eo, quod Virgo absque dolore pepererit, ipsam à peccato originali immunem fuisse decernit: deinde verò ex eo, quod originali labe caruerit, ipsam nequaquam in partu dolere debuisse colligit. Quæ duo argumenta ita sibi respondent, vt primum sit à posteriori, id est, ab effectu ad causam: alterum verò à priori, id est, à causa ad effectum.

21 Ildephon.

Sed aliquid ad extremum subnectit idem Ildephonsus minimè insulsum: *Hinc est sanè, quod Ecclesia ex authoritate Sanctorum canit, & gaudium matris habet cum virginitatis honore.* Et subinde multa subinfert, quibus probat ad filij, matrisque decentiam hoc pertinuisse, vt Virgo nullo doloris sensu in partu tangeretur, sed cum gaudio potius, & exultatione pareret. Inde autem pro immaculata conceptione rationem non ineptam conformare licet: quia si dolores, & gemitus ex partu profecti, filij, matrisque simul gloriam, & honorem non parum dehonestarent: maior ergo turpitudo, & dedecus eisdem accresceret, si tantam matrem dolores, & gemitus de proprio aliquo peccato, & delicto suscipere opus esset (Et quidem de peccato originali hominem pœnitere, & conteri posse supra

22 Ildephon.

[illegible]) Quod autẽ dolore tangi ex peccato deterius sit, ac turpius quam dolere ex partu exploratum est:quia dolor,& molestia partus ex corruptione corporis accidit: dolor autem ex peccato ex corruptione mentis,& animi contingit. Hæc autem grauior, ac deterior est,quam illa. Redeant iterum illa verba Bernardi alibi obseruata, qui pœnitudinem à Virgine alienam esse decernẽs, sic ait. *Virginalem etenim domum intelligi volens spiritus, siluit non incongrue pœnitentiam, qua malum vtique comitatur: absit enim vt proprij quidquam inquinamenti domus hæc habuisse dicatur, vt proinde scopa Lazari quæreretur.* Ideò igitur dolor ex peccato susceptus turpior est, ac deterior, quia graue animi malum præsupponit, & cum malo semper coniunctum est: dolor autem ex partu non ita: quippe qui tantummodo ex quadam leuiori corporeæ integritatis iactura contingit. — *Bernar.*

23 Tunc verò exploratum fiet, dolorem illum de peccato originis susceptum, alium dolorem, qui ex partu euenit, turpitudine superare: si memoriæ succedant grauissimi illi angores, & insanæ molestiæ, quibus veteres illi Patres peccati huius atrocitate perculsi non dolendum solum, sed quodammodo etiam sæuiendum sibi existimarunt. Iob enim sic expostulat cap.3. *Pereat dies, in qua natus sum, & in qua dictum est, conceptus est homo: dies ille vertatur in tenebras, nõ requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine, obscurent eum tenebræ, &c.* Mitto plura atrociora, & sæuiora, quibus diem illum prosequitur. Et Hieremias, cap.20. *Maledicta dies, in qua natus sum: dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta: maledictus vir qui nunciauit patri meo dicens: Natus est tibi puer masculus, & quasi gaudium lætificauit eum. Sit homo ille, vt sunt ciuitates, quas subuertit Dominus: audiat clamorem manè, & vlulatum in tempore meridiano, qui nõ me interfecit à vulua, vt fieret mihi mater mea sepulchrum, & vulua eius conceptus æternus.* Ex his ergo tam grauibus querelis, tamque diris execrationibus, quas dolor de peccato originali conceptus à sanctissimis illis viris extorsit, facilè agnoscas, quantum hic omnem alium dolorem, & angorem non magnitudine solùm, sed etiam turpitudine, ac deformitate vincat. — *Iob c.3.* — *Hier.20.*

Et quidem nulla vnquam mulier tam imbecillis, & infirma fuit, quæ ad eum modum de die illo, in quo dolores partus sustinuit, aliquando expostularit, atque illum tot, tantisque execrationibus prosecuta fuerit: imò id si faceret, mente prorsus deficere, & insanire videretur. Illud certè in eo genere maximum, quod rixantibus intra vterum duobus pueris, vi doloris, & molestiæ euicta Rebeca dixit: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Et sanè Virginem ex dolore, & angore partus ad similem vocem compelli, vel tale quidpiam illam sentire, & experiri, quo vehementius cruciata non sine aliqua causa vsurpare posset illud: *Si sic futurum erat, quid necesse fuit concipere?* tum ab ipsa, tum à filij dignitate alienũ esset. Quanto igitur alienum magis ab vtriusque gloria tali dolore Mariam ex peccato originali affici, vt posset illud merito inclamare. *Pereat dies, in qua nata sum, & in qua dictum, mulier concepta est, &c.* Necnõ illud. *Maledicta dies, in qua nata sum, dies, in qua peperit me mater mea, &c.* — *Genes.25.* — *Iob.3.*

EX FÆCIBVS, AC SORdibus puerperij argumentum conformatur.

§. IIII.



24 TERTIA Pœna, qua Deus in fœminæ facinus animaduertit, continet secundas fæces, & sordes, quas Virgo in suo partu minimè perpessa est. Ita docent August. in tract. de quinque heresibus cap.5. Cyprianus in sermone de Natiuitate. Zeno Episcopus Veron. serm.3. de Natiuitate. Sanctus Ildephõsus in lib. de parturitione, & Virginitate Mariæ. Fulgentius supra. Concilium Trullanum can.79. & alij passim Patres. — *August.* *Cyprian.* *Zeno.* *Ildeph.* *Fulgen.* *Cõ.Trul.*

25 Et quidem Diuus Cyprianus ex eo Virginem eiusmodi sordium illuuiem non passam velut à priori, & per causam colligit, quia caruit peccato originali: atque adeò nobis idem ipsum à posteriori, & per effectũ deducere integrum erit. Ait enim sanctissimus martyr. *Nihil in hac re petijt vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetijt pœnarum vsuram.* Et infrà. *Ideòque innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus lassaretur iniurijs, quoniam* — *Cyprian.*

pluri-

plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa. Cõmunes iniuriæ decorè admodum parturientium fæces dictæ sunt à Cypriano, & tam ab his, quam ab alijs doloribus, & molestijs, quæ ex partu accidere solent, Virginem minimè vexatam, aut infectã fuisse immunitati eiusdem à peccato adscribit: à peccato inquam originali: nam de hoc Cyprianum loqui necesse est: dolores enim & aliæ partus iniuriæ, seu fæces ex originali culpa fœminis eueniunt: non autem ex actualibus. Atqui (inquies) Diuus Cyprianus sub illis verbis: *Nec præcedens delectatio aliquam expetijt pœnarum vsuram:* statim addit: *Spiritu Sancto obumbrante, incendium originale extinctum est.* Et deinde subnectit: *Ideòque innoxiam affligi, &c.* Quibus verbis significare videtur originale peccatum ante ipsam incarnationem minimè abolitum fuisse. Sic aliqui huius testimonij vim manifestam eludere conati sunt, sed manifesta potius illos coarguit ratio. Quia peccati originalis, quod prius in animo fuerat, deletio, & extinctio non liberat fœminas ab alijs pœnis, quæ ipsam cõsequi solent: nam etsi per baptismum originis labem exterserint, concupiscentiæ fomenta, gestationis molestias, dolores partus, & secundas sordes nihilominus pro meritis sustinent. A peccato enim originali pẽdet hisce pœnis iustam causam dare: at vbi semel illis causam obtulit, etiam ipso abolito, pœnę nihilominus perennant, & nunquam deficiunt. Quapropter parum aptè concluderet sic Cyprian. *Ideoque innoxiam affligi non decuit, &c.* si crederet peccatum originale in Maria incarnationis tempore restinctum, & non magis ab initio suæ conceptionis prohibitum: hoc enim solum satis esse poterat, vt eam innocentia à communibus aliarum puerperarum iniurijs, atque pœnis eriperet. Quapropter existimo hæc verba cum superioribus esse consuenda; & *incendium originale* hic appellari libidinem, & carnis concupiscentiam, quæ ex originis peccato fluxit. Hanc enim Spiritu Sancto obumbrante, incarnationis tempore prorsus restinctam fuisse Patres passim inclamant, de quorum sensu infrà cap. 41. can. 3. aliquid dicemus.

26 Sed hoc argumentum vrgere libet ex his, quæ præmissi Patres de puritate partus virginei docent: omnes enim vnanimi conspiratione dicunt ideò Virginem eiusmodi fæcibus minimè sordescere debuisse, quia id tam ipsi, quam filio turpe foret. Et quidem hoc Christo indecorum esse pereleganter probat Diuus Ildephonsus verbis illis, quæ superiori capite dedimus, cum ex perpetua Virginitate Mariæ argumentaremur: nunc autem denuo ad incudem referenda sunt, quia non solum de virginitate, sed etiam de hac partus puritate ab omni fæce immuni apertè loquuntur. Ait ergo Sanctus Præsul: *Alioqui si ipse ex matre coinquinatus fuisset, aut materna viscera quasi pro peccato corrumperet, & sordibus, ex vitio primæ damnationis coinquinaret, non esset Dei filius naturalis, sed adoptiuus, vt cæteri: imò nec adoptiuus, quia non esset alius per quem adoptaretur ipse, sed seruus.* Et quidem hæc ratio Ildephonsi ad sordes partus relata sic efformanda est. Omnia quidem sordida seruis mandamus, & impuras res agere, & tractare, atque ex horum tractatione sordescere, & inquinari seruorum est propriũ. Hinc Quintilianus Declamatione 4. seruos quosdam olim fuisse dicit lautiores, quibus res digniores committebantur, atque hos *lautitios* dici: alios verò his deteriores, quibus res sordidę, & humiles demandabantur, atque hos *squallores*, ac *sordes* appellari solitos. Ergo Ildephonsi sensus hic erit: si Dei verbum ad eas se sordes abiecisset, vt ex matris colluuie inquinari, & contaminari non renueret, nequaquam se tanquam filium Dei naturalem gereret: imò nec adoptiuus eiusdem filius videretur, sed mage seruus appareret: nec lautus quidem ille, ac splendidus, sed squallidus prorsus, ac sordidus, quem *sordem*, & *squallorem* appellare fas esset.

D. Ildep.

Quintil.

27 At quis nesciet has corporis sordes, quantumuis tetræ sint, atque immundę, si cum his fæcibus conferantur, quibus culpa animum aspergit, vix sordium, atque immunditiarum nomen mereri: imò potius si Ildephonsi verba attentius inspectes, ea solùm ex causa sordes sunt, atque adeò turpes censentur, quia ex peccato originali fluunt, & cum ipso coniunctionem habent: ait enim, *Aut sordibus ex vitio primæ damnationis coinquinaret.* Si ergo Dei filius has matris fæces vel ideò exhorruit, atque illis parentem suam pollui indignum duxit, quia ex peccato originali dimanant: quanto magis à sua gloria, & maiestate alienum putasse credendus est, ipsius peccati originalis labem, & squallorem ab ipsa cõtrahi, ac per illam teterrime conspurcari? Nonne hoc sordidum magis, atque immundum esset: atq; adeò illum dignum quodammodo redderet, qui nec filius Dei naturalis, nec forsan etiam adoptiuus, quin imò seruus minimè lautus, vel quod turpius est, *sordes, squallorq;* humana opinione cẽseretur? Hæc de filio.

28 Ad matrem spectant verba Trullanæ Synodi, quæ in quosdam impurissimos hæreticos, qui nescio quid impurissimi festi pro secundinis Mariæ peragebant, ad hunc modum statuit: *Absque vllis secundinis Virginis partũ esse confitentes. Nec enim hoc honor est Virginis, quæ supra mentem, & sermonem, quod comprehendi non potest, verbum peperit ex carne, ex communibus, & his, quæ in nobis fiunt, inenarrabilem eius partum statuere.* Pende illa verba: *neque enim hoc honor est Virginis*, quæ non filio, sed matri hoc dedecus tribuunt. Illud igitur ex te nunc quæro: quid Virgini ignominiosum magis esset, partum filij in his, quę spectant

Trullana Synodus.

ratione contigisse dicendum est: nisi quia proprijs meritis consequutus est à Patre, vt ea fœmina, & Mater ad ipsius filij voluntatem, & naturam fingeretur: atque adeò ex Augustini mente tota Virginei corporis, & animi creatio Christi manibus, id est, meritis tribui debet, iuxta ea, quæ supra præcul imus, dum de Virginis creatione esset nobis sermo.

14 Verùm, omissis his, iam agnoscis, qua ratione Marianæ creationis sanctitas, & partus integritas inter se cohæreant, & sibi respondeant: vtramque enim necessariam duxit Augustinus, vt Deus sine maiestatis suæ iniuria ex fœmina nasci disceretur, ita vt si altera alteri deesset, vix defendi posset temporalis natiuitatis decentia in Deo. Ratio autem est illa, quam initio præmisimus: quia illa corporis, & animi integritas, ex vtraque coalescit, quas in Mariam conuenire opus erat, vt digna Dei Mater existeret. Id ergo sibi voluit Isidorus in præmisso loco. *Talem, multoque vere creditur mirabilem matrem creasse, qualem diuinitas per eam transiens decus Virgineū non amisit.* Illud autem, quod ait, *multoq; vere*, satis ostendit ad hanc temporalis natiuitatis decentiam magis necessariam fuisse conditionis primæ sanctitatem, quam corporis integritatem in partu: & ideo Augustinus à creatione ad partum argumentum ducit. *Si potui inquinari, cum facerem, potui in illa inquinari, cum ex ea nascerer.* Quæ verba significāt priori sublato, frustra posterius adstrui. Sic enim visum est Augustino. Quod si ita fateamur Mariam in sua creatione sanctam non fuisse, frustra & absque vsu aliquo Virginitatem illius defendimus: si enim Deus ex muliere, cuius animum culpa corruperat, nasci non erubuit, non subest ratio aliqua, cur ex illa matre nasci perhorresceret, cuius corpus Virginitatis corruptela violasset.

Isidorus.

August.

15 Eadē autē fuit (me iudice) sententia Ephesini Concilij, in quo grauissimus Cizici præsul Proclus in sermone de natiuitate ad Patres habito, sic scribit (locum integrum habeto, cuius aliqua supra carptim vellicaui, est enim grauissimus, & ad rem nostram maxime opportunus) *Natus* (inquit) *salutis ostium id ostendit* (scilicet mulierem) *quod peccati quondam introitus extiterat: nam vbi serpens per inobedientiam virus suum infuderat, ibi verbum per obedientiam ingressum viuum sibi templum exædificauit. Vnde peccator Cain primus emersit, inde generis nostri assertor Christus sine semine prodijt. Clemens Deus ex muliere nasci non erubuit. Quod enim agebatur, vita erat, nullam inde ille contrahit labem, quod intra viscera, quæ citra vllam sui dedecoris notam creauerat, inhabitat.* Et infra breui intertitio. *Ne igitur ô homo partum hunc erubescendum censeas: quia vt architecto nullam maculam aspergit, si domum, quam forte extruxerat, incoluerit, neque lutum figulum inficit, dum vasculum, quod finxerat, ex eo refingit: ita ex vtero virgineo prodijsse purissimum illud numen nihil quidquam polluit: quam enim citra vllam sui labem formauerat, ex hac quoque nulla macula contracta processit.* Quæ verba ex his, quæ de Augustino diximus, recensenda sunt, eandem enim sententiam continent.

Proclus.

Hæc tamen melius vt capias, sic habeto illa verba: *Neque lutum figulum inficit, dum vasculum, quod finxerat, ex eo refingit*: hunc sensum reddere. Sicut non inficit lutum figulum, cum vasculum, quod prius effinxerat, mage reformat, atque expolit: ita etiam Deus inquinatus non est, dum matrem, quam prius formauerat, non corrupit deinde nascendo, Virginitatis claustra effringēs, sed mage reformauit, atque expoliuit integritatem adaugens. Sic enim ait Fulgentius de laudibus Mariæ. *Creuit enim eius partu integritas corporis potius, quam decreuit, & Virginitas ampliata est potius, quam fugata.* Vel aliter alludit Proclus ad Petrum, qui mulieri vasculi nomen indidit in prima Can. cap. 3. *Mulieri quasi infirmiori vasculo, &c.* Nominis autem rationem bonam reddit Hieronymus, quia in illam ceu in vas fœtus infunditur, & ab illa ceu ex vase rursus effunditur. Itaque hanc rationem conficit Proclus. *Neque lutum figulum inficit, dum vasculum, quod finxerat, ex eo refingit*, id est, non inquinatur figulus ex eo, quod ex eodem luto pro vno vasculo aliud efformet: quasi dicat. Deus quidem priorem mulierem, quasi vasculum finxit, quod quamprimum sordibus, ac fœcibus sese addixit: atque adeò omnis proles, quæ in hoc vas infundebatur, aut ab illo effundebatur, sordes, ac fæces illius trahebat. Ergo pro hoc vasculo aliud refinxit purissimum, ac mundissimum, in quod infusus, aut effusus minime ipse inquinaretur. Quapropter aptissime subdit. *Ita ex vtero Virginis prodijsse purissimum illud numen nihil quidquam polluit. Quam enim citra vllam sui labem formauerat, ex hac quoque nulla macula contracta processit*: Id est vasculum illud, scilicet Maria, cuius ex formatione nihil illi labis adhæsit, quia nimirum illud purissimum, ac mundissimum creauit, cum tandem ex illo effusus est in hanc lucem, nulla illud macula adspersit. Ad similē sensum altera domus comparatio vocari debet, vt per omnia Proclus cum Augustino cohæreat.

16

Fulgen.

1. Petr. 3.

Hierony.

QVOD

QVOD VIRGO A PLAERISQVE peccati originalis effectibus immunis fuerit, eiusdem immunitatem à culpa originali eximiè probat.



CAP. XXVIII.



1. *Seruitutes in iure quid sint.*
2. *Seruitutes peccati originalis rectè dicuntur omnes illius effectus.*
3. *His seruitutibus ideò caruit Virgo Deipara.*
4. *Antiquitas possessionis, qua Deus Virginē praeoccupauit, omnem peccati seruitutem prohibuit.*
5. *Per Mariā non duxit semitam suā peccatū.*
6. *In Virgine solus Deus tanquam antiquior possessor vias suas aperuit.*

1 
OMINVS (inquit) *possedit me.* De possessione hac, qua Deus Mariam sibi vēdicauit, iterum redit sermo. Qualis ergo huius possessionis natura fuerit, nūc denuo inquiritur: constat enim quoddam possessionis genus esse, quod iuris periti imperfectum vocant, quia seruitutibus quibusdam obnoxium est: verbi causa, cum prædium aliquod ita possidetur ab vno, vt alteri semitā per illum ducendi, aut aquā regendi ius sit: aut cum domus ita ab vno tenetur, vt alter ipsum ex iure cogere possit, ne aut illam attollat, aut deprimat; & alia his similia. De his seruitutibus integrū titulum compleuit Iurisconsultus. Illud ergo à nobis controuertendum videtur, an Deus ita Virginem totam possederit, vt tamen hæc alicui seruituti obnoxia fuerit. Luculentius dicam: an ita in Dei potestatem Virgo venerit per sanctitatem, & gratiam, vt aliquæ peccati originalis seruitutes in ipsa manserint.

2 Habet sanè originale peccatum, etiā postquam ex animo pulsum est, plæraque seruitutum iura, sed tum maxime in fœminis: hæc sunt multiplicatio partuum, molesta gestatio ærumnæ, dolores, atq; aliæ puerperij immunditiæ, subiectio obscura, & ignobilis erga virū, peccati fomes, & eiusmodi alia, partim molesta, partim turpia, & indecora. Adde etiā (si placet) mortem, corruptionem, & alios labores, & ærumnas, quæ homini ex peccato originali euenisse constat. Nec desiderabis hoc seruitutis nomen in Paulo: nam ad Rom. 8. *Quia ipsa* (inquit) *creatura liberabitur à seruitute corruptionis.* Vbi per seruitutē corruptionis peccati originalis reliquias accipit Caietanus, & alij passim interpretes. *Ad Ro. 8.*

Facile ergo ad quæsita respondebis, eiusmodi seruitutes à Virgine Deipara quamlōgissime abfuisse: illas dico, quæ vel quia peccato maxime affines sunt, vel quia turpiores, videntur, indecentiam per se continent, non alias, quæ nihil in se turpitudinis habent, & non vulgarium bonorū causas offerunt. Quarum seruitutum differentiam luculenter admodum expressit Richard. Victorinus lib. 2. de Emanuele, cap. 28. *Videtis certe, quod illud remansit in Virgine, quod erat ad pœnam, illud recessit, quod erat ad culpam: vitiositas recessit pœnalitas remansit: carnalitas tollitur, sed calamitas non amouetur*, & subinde attexit. *Quæ vero est causa, quæue iustitia, vt remaneat pœna, vbi nulla est culpa?* Id vero beneficij, quod certe maximum fuit, in filij erga matrem beneficentiam confert Richardus. *Quid mirum* (inquit) *quid stupendum, quod matrem suam, quæ ab omni vitio ad plenum purgata fuit, fons ipse pietatis filius eius sub iugo captiuitatis nostra laborare permisit.* Subijcit rationem, c. 31. *Corruptibilitatem habuit Virgo in his, quæ pertinent ad pœnam: quod sibi quidē ad futuræ gloriæ cumulum, nobis autem ad patientiæ documentum profuit, quod passibilitatis nostræ iugum cum tanta puritate portauit.* Itaque mens Richardi est, eos omnes peccati originalis effectus, aut pœnas, qui vel peccatum continent, vel ad peccatum inclinant: eas itē seruitutes, quæ nec Virgini ad gloriæ incrementum, nec nobis etiam ad documentum proficere poterant, ab ipsa penitus exclusas, & amandatas. 3 *Richard. Victor.*

Redeo ad possessionis naturam. Illud certe apud Iurisperitos compertum, seruitutis nomen nequaquam mereri id, quod dominus, ac possessor in re sua facit, aut fieri permittit: non quia alteri vtile est, sed quia sibi emolumentum affert. Nā seruitutis definitio sic vulgo censeri solet. *Seruitus est ius domini vtilitatē imminuēs, & alterius vtilitatē adaugens.* Quorsū hæc? Vt intelligas passiones, labores, ac mortē, quę aliàs peccati reliquię sunt, ita quidē in Virgine locū habuisse, vt culpę originalis seruitutes dici nō possint: quia nō in peccati emolumētū, sed in Virgi-

nis vtilitatẽ,& cõmune generis humani documentũ relictæ sunt, vt Richar. ait. *Sibi quidẽ ad futura gloriæ cũmulum, nobis autem ad patientiæ documentũ, &c.* Ex his constat nullam peccati originalis seruitutẽ in Virginẽ transijsse, quæ Dei possessionem deteriorẽ redderet. Sed quid causæ subest, quod solẽnes alijs peccati seruitutes in Virgine locum non habuerint? Certe ratio ex ipso etiã iure petenda est: nã seruitutes ex eo in agris, in prædijs in domibus, atq; in eiusmodi alijs rebus antiquitas possessionis inducere solet: nã antiquioris possessionis iura, minus antiquę alterius possessioni siura sibi subijcere, & in seruitutẽ redigere solẽt: vt docet Martia. in lib. I. de seruit. ff. insufficientiæ. Ne quis ergo putaret Virginẽ aliquam peccati seruitutẽ pati, Salomon antiquitatem diuinæ possessionis adstruit, cum dicit. *Dominus possedit me in initio viarum suarũ, antequã quidquã faceret à principio:* eius nimirũ sanctitatẽ ante omnes alios, hoc est, ab ipsa Conceptione deriuans, atque adeò omnes peccati seruitutes prohibens. Si enim peccati possessio prior, & antiquior esset, illas seruitutes Virgo declinare nõ posset.

Richard.

Martia.

5 Sed vt ad rem nostrã veniamus, pręcipuę, & magis solẽnes seruitutes in agris, & prædijs sunt viarum publicarũ, aut etiã semitarũ. Nã publicam, & Regiam viã per vicinũ agrũ regere fas est, si aliàs præcludatur: & ei, qui prædium aliquod mediũ inter alia prædia possidet, licet etiam per ea, quæ circumcirca obsident, semitam ad illud aperire, & exterere. Hæc enim legibus ipsis cauta sunt. Legatur præscriptus Martianus in dictam legẽ. Ergo D. Greg. ad illa verba Iob. *Nunquid semitam sæculorum custodire cupis, quã calcauerunt viri antiqui?* semel quidem superbiam, quæ fuit protoparentum culpa, & iterũ concupiscentiam, & omnes alias originalis peccati reliquias intelligit: has enim dicit ad actualium peccatorũ cõmissionem viam sternere, ac semitam munire. Liceat igitur sic fari, ac comminisci. Huic semitæ perantiquę, quã Regiã vniuersæ carnis viã appellare fas est, omnes homines animo, ac mente ita obseruiunt, vt per omnes omnium generationes communi quadã necessitate semper irruperit, quin obstrui, aut præcludi vnquam potuerit, quominꝰ per eos, qui sunt, ad posteriores regatur, ac deducatur. Sola Virgo Deipara huic semitæ prorsus imperuia fuit: quia semita ista, quam peccatum aperuit, agros vicinos, ac sibi hærentes tantum exterit, remotos vero non attingit: Virgo autem sanctissima ab ea perquàm remotissima fuit, quia non solum à peccato originali immunis extitit, sed etiam à debito illius, atq; adeò longe ab illo facta. Nam debiti huius contrahendi peccatũ originale proprium esse videtur, homines illi semitæ propius adiungere. Nihil enim aliud est debito illo teneri, quã proximum esse, vt eo peccato, atq; eius legibus cõprehẽdatur.

Gregor.

Sed vt nostram denique mentem in palã demus, si per eiusmodi semitas sæculi, originalis peccati effectus, aut reliquias capiamus cũ D. Grego. sic certe peccatum ipsum contemplari licet, vt medio in homine, hoc est, in animo locatum, cætera, quæ circumcirca sunt, scilicet mentẽ, voluntatem, appetitum, ac totum deniq; corpus sibi grauissimarum seruitutum legibus subijciat, vt scilicet quo volet, semitas suas aperiat: ita scilicet, vt mẽtem ignorantia, voluntatem concupiscentia, corpus prauis appetitionibus exterat; adde etiã in fœminis corruptionem, dolores partus, aliasq; puerperij fæces & ærumnas. Nõ abit ab hac sententia Diuus. Ambro. lib. de Salomone super cap. 30. Prouerbiorum. in fragmento post cap. 5. dum ait. *Serpens, id est, diabolus in auribus Adæ, & Euæ semitam fecit: fecit & in pedibus, quibus interdictum fuerat iter ad arborem: fecit & in manibus, quibus contracta sunt poma: fecit in lateribus, dum ab eis non vt fuerant concessæ, celebratæ sunt nuptiæ, &c.* Quorsum hæc? Non leue profecto argumentum pro immaculata Virginis Conceptione hinc cõficere licet. Quia si suas illas celebres, solennesque vias, ac semitas in Virgine peccatum nõ aperuit: si corpus eius, atq; animi cõmunes aliarum fœminarum seruitutes non sensit, satis inde probatur nihil illius ab eo peccato vnquam possessum, vel occupatum fuisse: sed totam ipsam in Dei possessionem ab initio cessisse. Ait enim. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum.* Nimirum quasi primus, & antiquior possessor vias suas in me constrauit, atque adeò omnẽ peccati semitam a me longius arcuit. 6

Ambros.

EX FOMITE PECCAti argumentum ducitur.

§. II.

7. *In Virgine fomitem ab initio restinctum authoritate, & ratione probatur.*
8. *Deformes valde sunt omnes fomitis affectiones, & nomina valde indecora.*
9. *Ex his conficitur, illum in Virgine nullo tempore, nec ante partum, nec post partũ admittendum esse.*
10. *Ex fomitis absentia colligitur libertas Mariæ ab originali.*
11. *Lõgè deteriores sunt affectiones, & turpiora quoque nomina peccati originalis, quàm fomitis.*
12. *Christi, & Mariæ maxima similitudo suadet illam fomite, magis autem peccato originali caruisse.*

PROFECTO, Mentis nostræ est, in id incũbere, vt probemus Virginem peccato originali prorsus vacasse, quia nullam illius legẽ ex 7

perta

perta est. Ergo ab ea lege, quæ cæteris seuerior est, exordiũ ducã, de qua sic Paulus. *Sentio aliã legẽ in membris meis repugnãtẽ legi mẽtis meæ.* Pende seueritatẽ huius legis, *& captiuantem me in lege peccati.* Hanc legẽ vulgo appellamus peccati fomitẽ. Nos ergo cum pluribus sentimus, in Deipara ab ipso cõceptionis exordio peccati fomitẽ, non vt alij dicũt ligatum, aut cõstrictũ, sed prorsus restinctum, & suffocatum fuisse. Hãc sententiam tradunt Tho. de Argen. in 3. dist. 3. q. vnica art. 3. & 4. Marsi. in 3. q. 4. art. 1. p. 2. Cord. lib. 1. q. 49. p. 2. opin. 2. Vazq. 3. p. disp. 118. Suar. q. 27. art. 4. disp. 4. sect. 5. Valent. q. 27. art. 3. Canis. lib. 2. c. 4. Barrrad. tom. 1. lib. 8. c. 3. & omnes fere recentiores interpretes in eam conspirãt. Et quidem ad hanc positionem comprobandã validæ rationes suppetũt. Mitto eas, quibus P. Vazq. in ea disp. c. 4. aperte euincit fieri non potuisse, vt fomes in Virgine ligaretur, quin etiam restingueretur, ac sopiretur: quia hæc extinctio non aliter fieri potuerit, nisi aut per contemplationẽ assiduam diuinarũ rerũ, aut per amorem Dei præferuidũ, & nũquam intermissum, aut protectionem diuinæ prouidentiæ, quæ ita Virgini omnes cogitationes bonas suggerebat, vt nullũ illis locum faceret, quæ ipsam ad peccatum inuitare possent. Quicunque ergo fomitem ligatum fatentur, affirmare etiã debent extinctũ fuisse: nam ligatio ijsdem certe rebus, & nõ alijs fieri potuit, scilicet contemplatione, amore, aut protectione Dei. Aut dicant nobis, qua alia ratione appetitio sponte sua in malũ pẽdens constringi, aut coerceri potuerit: hæc enim prorsus incõperta nobis est.

Thomas Argenti. Marsi.i. Corduba. Vazquez. P.Suarez. Canisius. Barrad.

8 His igitur omissis, fomitẽ peccati in Virgine nõ fuisse, plures aliæ ipsiusmet fomitis indecoræ, ac turpes affectiones suadent. Imprimis enim ipsũ fomitis nomen hoc suggerit: quia praua illa animi propensio in malũ, quæ ex peccato in nobis relicta est, ideo peccati fomes dicitur, quia quemadmodũ fomes ignẽ facile concipit: ita etiã hæc animi propẽsio semper velut in prõptu est, vt à peccato ceu igne quodã celeriter corripiatur. Quapropter Deiparã Virginẽ ita esse ad peccatum dispositam, & promptã, sicut fomitem ad ignem, ab illius eximia puritate abhorret plurimũ. Sed tamẽ ex alijs huius fomitis vocabulis id fortius, & efficacius confici potest. In primis enim D. Petrus quasi ducẽ quendã illũ constituit, cui prauæ affectiones cõtra rationẽ, imo & contra Deũ obarmatæ semper militãt: id enim sibi voluit, cũ dixit. *Fratres abstinete vos à carnalibus desiderijs, quæ militãt aduersus animam.* Vt in eum locũ expẽdit D. Tho. Pau. etiã ad Rom. 7. *Legẽ peccati* appellat, legẽ iniquã, nõ polyticã, quę ciue sciuiliter obligat, sed quæ captiuos seruituti addicit. *Et captiuantẽ me sub lege peccati.* Rursus, quod caput est, idẽ Paulus huic fomiti *peccati* nomẽ indidit in eodẽ loco. *Quod habitat in me peccatũ.* Vbi duo quidẽ obseruatione digna occurrunt: alterũ scilicet, quod peccatũ appellauit: alterum vero, quod non hospitẽ, sed incolam & habitatorem esse dicit. De priori quidẽ sic August. lib. 1. de Nup. & Concep. c. 23. *Concupiscentia sic vocatur peccatũ, quia à peccato facta est, sicut vocatur lingua locutio, quã facit lingua, & manus scriptura, quã facit manus. Itemq; sic vocatur peccatũ, quia peccatum, si vincit, facit, sicut vocatur frigus pigrũ, quod pigros facit.* Circa posterius vero id cogita, quod ideo habitare in homine dicitur, quia domũ sibi propriã in eo nanciscitur, à qua numquã pelli, aut exterminari possit. Peccata quidẽ ipsa accedũt, ac recedunt, & ceu hospites quidã nunc occurrunt, nũc abeunt: at fomes peccati, aut cõcupiscentia domũ suã in homine figit, eamq; peccatis ipsis ceu diuersorium quoddã aperit. Ad hæc Magister sententiarum inter alia nomina, quibus hoc malum censet, *tyrãnum* etiam cõpellat lib. 2. sent. dist. 30. Bas. *Innatũ dæmonẽ omnia praua suadentẽ.* Chrisost. *Lernã serpentẽ multicipitẽ*, cuius ex trunco capitalia peccata etiam per pęnitudinem excisa repullulant.

D.Petrus

D.Thom. Paulus. Ad Ro.7.

August.

Magi.St. Basil. Chrisost.

9 Ex his facile intelliges, quantum à Virgine Deipara concupiscentiã, aut peccati fomitem remouere oporteat. Singula expendam, & ex singulis ad originale peccatum gradum faciam: sic enim scopus mihi semper collimãdus est. Est ergo peccati fomes dux acer, cui omnes prauæ affectiones, & desideria contra rationẽ, & contra Deum militant. Quis ergo asserat, vel etiã cõniueat, in ea, quæ Dei turris fuit, & arx Sion à Deo impẽsius adamata, quã etiã contra hostes suos omni præsidiorũ genere instruxit, & ex qua Deus (liceat sic dicere) humana carne obarmatus, & cathaphractus processit, ducẽ istũ degere, & cunctã suã militiam contra Deũ arma mouentẽ vnquã cõtinuisse? Quis etiã facile acquiescat, in Virgine tantũ, tamq; intestinũ, & ciuile rationis, & appetitus bellũ fateri? De qua Richar. Victorinus lib. 2. de Emanuele c. 29. ad illa verba *Auferens bella vsq; ad finem terræ, arcũ conterens, & cõfringens arma, &c. Quæ est* (inquit) *ista terra, de qua bella omnia fine tenus auferuntur, nisi illa, de qua idem Propheta alibi protestatur. Veritas de terra orta est. De hac itaq; terra omnis pugna tollitur, in hac terra pax plena reparatur. In arcu & sagitta percussio quidem est, non tam virtuosa, quàm artificiosa. E cõtra in gladio, & hasta percussio quidẽ est, non tã artificiosa, quàm virtuosa. Per arcus ergo intelligamus tẽtationes fraudulẽtas: per arma vero tẽtationes violentas. Attende itaq; in quanta securitatis arcẽ te erexit, ad quam nec violenta, nec fraudulenta tentatio nullum de cætero accessum habere potuit, &c.* Rursus fomes peccati est lex nõ ciuilis, sed captiuos seruituti addicẽs. Quis ergo æquo animo ferat cœli, ac terræ Reginam, ac Dominam huic miserrimæ legi mancipari? Ad hæc, hic fomes, etsi peccatũ

Richard. Victor.

vere non sit, tamen peccati nomen fert. Quis ergo non exhorreat in Virgine Deipara, vel peccati solum nomen audire? Quod autem iste fomes inhabitare, & domum figere in eo dicitur, qui ipsi obnoxius est, à Deipara etiã plurimũ abhorret: nã cum Dei Regia, & augustissima domus Maria sit, eiusmodi degenerem habitatorẽ, & incolã plane detrectat. *Richar. Victor.* Hinc Richar Victorin. supra.c.31.sic scribit. *Cæteris* (inquit) *sanctis in cõmune præcipitur, vt in mortali eorum corpore peccatum nõ regnet, soli isti singulariter datur, vt in corpore eius nõ inhabitet. Non regnet* (inquit *Apostolus*) *peccatum in vestro mortali corpore: sed nunquid, vt inhabitet, etiã præcipit? Minime vero. Attende super hoc, quod alibi dicit. Iam non operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum.* Non ergo habitat in Virgine peccatum, id est, concupiscentia, quæ peccati propterea nomẽ fert, *Triden. Conc.* vt docet Sancta Synodus Trident. *Quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Atq; adeò ita sibi domicilium in homine capit, vt illud à peccato acceptum quodammodo referens peccatis libenter referet, illaq; ad diuertendum inuitet. Absit ergo, vt turpe hoc diuersorium, vel potius prostibulum in Virgine vnquam fuisse annuamus. Quid plura? *Magist.* Fomes iste *tyrannus* est, teste Magistro. Quis ergo sibi persuadeat à Deo optimo maximo ciuitatem suam, de qua sic cecinit Dauid. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei,* Tyranno traditã, seu permissam aliquando, vt in eius ditionem veniret? Sed quod caput est, *dæmonẽ innatum* ad omnia praua adhortantem fomitẽ appellat *Basil.* Basil. Quis ergo audeat dicere tale quidpiam innatu, aut ingenitũ in ea, ex qua Deus ipse genitus, ac natus est. Deniq; *lernæ multicipitis serpentis truncus* fomes dictus est à Chrisostomo. Quis igitur sustineat huic trũco in Deipara locum dari? Nã qui tandem fieri potuit, vt qui nullum ex suis capitibus in eã inserere vnquã potuit, truncũ aliquando insinuaret? Hæc omnia facile probant, quã indecorũ sit in Virgine peccati fomitem agnoscere.

10 Eadem vero longe efficacius euincunt à Deipara cunctam originalis peccati suspicionem esse remouendam. Omitto communem illam rationem, quæ ex negatione, effectus necessarij apte colligit negationem causæ, atq; adeò bene sic conficit. In Virgine non fuit fomes, aut concupiscentia ad peccatũ inuitans: ergo causa illius propria, & germana, scilicet peccatum originale, ab eadem procul abfuit. Quam rationẽ perbellè efformauit *Petrus. Blessen.* Petrus Blessensis Archidiaco. in ser. de B. Maria Magdalena. *Sed quia non nouit peccatũ, sensit in se fomitem extinctum, nec experimento sciuit, quam intolerabile certamen est, cum accingitur homo cõtra se ipsum, quam difficilis victoria, vbi idem vincit, & vincitur, &c.*

11 Missam facio rationem istam, atq; ex dictis sic vrgeo. Indecorũ esset, Virginem Deiparam peccati fomitẽ sentire: longe igitur indecentius erit peccatum originale in ea ponere. Pergo per singula: ideo sane dedecet fomitẽ peccati in Virgine agnoscere, quia absurdũ videtur duci iniquo perniciosam prauorum desideriorũ aciẽ sibi numeranti, Dei arcẽ fortissimã, & pulcherrimam tradi. Erit igitur longe absurdius illam ab eo teneri, cuius stipendijs (liceat sic dicere) dux ille cum omni suo exercitu militat, & qui illi assiduo arma, & omnem cõmeatum administrat. Nam tale quidpiã originale peccatũ dixerim. Insuper si absurdũ est in terra illa, ex qua veritas orta est, intestinum, & quasi ciuile rationis, & concupiscentiæ bellũ grassari: erit igitur longe absurdius, ipsam ab initio ab hoste infensissimo vinci, & subiugari. Habet enim peccatum originale, iugi nomen iuxta illud. *Graue iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, &c.* Nam quamuis ad literam alius hisce verbis sensus subijciatur: tamen *August.* Augustinus per accõmodationẽ de originali peccato interpretatur. Rursus si turpe est cœli, & terræ Reginã legi illi mẽbrorum ad seruitutem, & captiuitatẽ mancipari, iuxta illud *captiuantem me sub lege peccati*: erit profecto turpius legislatorẽ ipsum sustinere: sic enim peccatum originale appellare libet, à quo eiusmodi lex in mẽbra manauit: vel certe turpius erit ei, legi illi veracius subiacuisse, quã Deus Adamo indixit de transfundẽda in posteros lethali culpa: atq; adò in pœnã paternæ transgresionis peccati vulnus cũ reliqua illius sobole excepisse. Ad hæc, si absonũ videtur solũ peccati nomẽ, & vocabulum in Virgine sanctissima & purissima: erit ergo absonũ magis id in Deipara agnoscere, quod non verbo tenus, sed verum, ac germanum peccatum est, animæ mortẽ consciscens. Et si indecorũ ducimus peccati germen, aut prolẽ, augustissimã Dei domum, & templum inhabitare: indecorũ profecto magis putandũ est, ipsum peccatũ in eadem non degere solum, sed præoccupare, & Deum ipsum inhabitando anteuertere. Vlterius, si fomes peccati *tyranni* vocabulo censetur, cui ciuitatem Dei reserari, & tradi nefas sit: si itẽ *innati dæmonis* nomen meretur, à quo eã, ex qua Deus natus est, possideri, ac teneri iniuriũ sit. Potiori ergo iure ipsum peccatũ originale tyrãni, atq; innati dæmonis nomina feret, cui nec ciuitas Dei tradi, nec in Matre Dei locus fieri debeat. Et quidẽ peccatum hoc tyrannum appellauit Paulus ad Rom. 6. cum ait. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore.* *Ad Ro. 6. & 7.* Et iterum cap. 7. *Regnauit mors ab Adam.* Quod peccati regnum cum nõ sit legitimum, & iustum, tyrannidẽ appellare licet. Quamuis enim pro illis verbis, *non ergo regnet*, in vulgatis sit μὴ βασιλευέτω. In quibusdam codicibus, vt notat Erasmus, habetur μὴ τυραννείτω, idest, ne per tyrãnidẽ occupet. Quanta vero sit huius tyrãni vis, & astus ad ho

minem

minem inuadendū, & expugnandum, quam feueris in illum vtatur legibus, nemo eſt, qui neſciat. Rurſus etiam: *Diaboli innati*, aut *ingeniti* nomen in peccatū originale aptius, quā in fomitem cadere conſtat ex illo anathemate, quo diabolū ſub ſerpentis vmbra Dei ſententia confixit. *Inimicitias ponam interte, & mulierem: inter ſemen tuum, & ſemen illius*. Vel vt habet Chaldæus: *inter filium tuū, & filiū illius*: vbi non pauci ex interpretibus per ſerpentis, aut diaboli filium originale peccatū accipiendū putāt. At quid eſt, obſecro, diaboli filius, niſi diabolus alter illi adſimilis? Deniq; ſi à Dei gloria alienum eſt, in parentem ſuam lernā multicipitem ſerpentem, trūcum ſuū, aut extremum tractū inſeruiſſe: erit ergo alienum magis præcipuū caput, in quo totū virus, ac venenū ſedet, in eandem inſinuaſſe. Nam originis peccatum per caput ſerpentis notari alias diximus c. 19. Vnde aliquid etiā minime inſulſum in hūc locū trāsferre licet.


12 Sed vt rem abſoluam, non pigebit hic ſubijcere rationē aliam, qua author quidā haud quaquā pœnitendus vſus eſt, vt Virginē à fomite peccati liberam eſſe conficeret: eſt autē eiuſmodi. Quia fomes peccati, vt ſupra diximus, nihil aliud eſt, quam quædā hominis propenſio, & inclinatio in malū ex appetitu dimanās, ad ea, quæ rationi aduerſaria ſunt, animum alliciens, atq; inuitans. Atqui certū, & exploratū eſt, vt alias ſupra animaduertimus, filios ſuas propenſiones, ac ſtudia ex matribus potiſſimū haurire. Ita enim fert iuris peritorū commune proloquium. *Filij vt plurimum matrizant*, id eſt, matrum ſtudia, ac propenſiones in ſe exprimunt. Illud etiā ex Cyrillo accipe, cuius verba alibi dedimus, ex magna Dei prouidentia factū, vt Chriſtus matri ſuæ perquam adſimilis ſpecie, ac moribus euaderet. Nā cum poſtea plures Hæretici addubitaturi eſſent, an Chriſtus ita Deus eſſet, vt verus etiam homo cōprobaretur, ſi ſtudiorum, atq; morum magna diſsimilitudo (quæ ſolet etiā iuxta præſumptiones iuris alieni partus dubitationem afferre) inter Mariā, & Chriſtum intercederet, nōn facile adducerētur, vt illū verū hominē ex Virgine procreatum crederēt. Quapropter cū hæc matrū, ac filiorū ſimilitudo in ſtudijs ac propenſionibus ſita ſit, operę pretiū valde fuit, vt Virgo Deipara gratia Dei præuenta nullam in malum propenſionem, aut inclinationem ſentiret, ex qua illum naſci oportebat, qui ſponte ſua ad omne bonū propēſus erat futurus, vt filij, matriſq; propēſiones interſe ita concinerēt, ac conſpirarent: vt vel ex his integrum eſſet colligere, & Mariā talis filij matrem eſſe, & Ieſum talē ſibi Matrem vendicaſſe. Id vero ad originale peccatū tranſlatū efficacius cōprobat illud à Virgine arcendum eſſe: quia vt ſupra dicebamus ex Dionyſio Areopag. de Eccle. Hierarch. c. 5. de his, qui dormierūt, peccatum originale eſt *Habitus diſsimilitudinis Dei homini ingenitus*. Abſit ergo, vt materer ingenitam diſsimilitudinem à filio ſuo habuerit, cum filius nihil aliud ſit, quàm genita imago, & ſimilitudo parentis. Audiendus eſt, Pſeudo Auguſtinus ad Fratres in Eremo. ſer. 20. *Quia vero a corruptione liberandus homo erat, idcirco pretiū redeptionis incorruptum eſſe debebat. Propterea Maria mater electa eſt, omnibus gratijs fœcundata, omni virtute, & ſanctitate in vtero repleta, vt de mundiſsima matre mundiſsimus filius naſceretur. Et ſicut in cœlo filius habuit Patrem immortalē, & æternum: ſic & in terra haberet matrē omni corruptione carentē. Igitur in cœlo qualis eſt Pater, talis eſt filius: & in terra qualis eſt mater, talis eſt ſecundū carnem filius*. Quid illuſtrius?

Dionyſ. Areop. — Pſeudo Auguſt.

EX MVLTITVDINE conceptuum, geſtatione, & partus doloribus ducitur alia ratio.

§. III.

13. *Effectus peccati originalis in puerperis cenſentur multitudo conceptuum, grauis geſtatio, & dolor.*
14. *Ab his omnibus libera fuit Virgo Deipara.*
15. *Nō ex priuilegio, & relaxatione legis vniuerſalis, ſed quia lege comprehēſa non fuit.*
16. *Eius exēptio à lege vniuerſali, & ab his, quæ ex lege manarunt, optima ratione perſuadetur.*
17. *Virgo leæna fuit vnicum pariens, & inde innocentia illius originalis conficitur.*
18. *Propter prolis decētiā magis debuit Virgo ab omni peccati pondere mētem, quā ventrē à geſtationis grauitate leuem gerere.*
19. *Id etiam opus fuit, vt verbum diuinum oſtenderet à ſe portari eā, à qua portabatur.*
20. *Vt Chriſtus ſe naturali ſanctitate præditū demōſtraret, dolores partus à matre, ſed multò magis peccatum originale prohibere debuit.*
21. *Duplex D. Ildephonſi ratio ſuadēs eā, quæ in partu non doluit, ſine peccato conceptam.*
22. *Dolor de peccato magis dedeceret matrem Dei, quàm dolor ex partu.*
23. *Dolor de peccato originali ſuſceptus ingens eſt, atque valde deformis.*



13 SED Ad alia gradū faciamus, & vt alia minora miſſa faciā, quæ ex peccato originali in homines cunctos redundarūt, de his, quibus ſpecialiter fœminas Dei ſentētia mulctauit, mihi ſermo ineūdus eſt. Ad fœminā ergo Gen. 3. *Mulieri quoq; dixit: Multiplicabo ærūnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios tuos*. D. Ambr. in Hexameron, & Diuus Tho. in Geneſ. quos ferme alij ſequūtur interpretes: triplicē pœnā mulieri impoſitā cōtē-

Geneſ. 3. D. Ambr. D. Thom.

plantur in hoc loco. *Multiplicabo ærumnas*, id est, tædia, labores, & molestias in portanda prole: *& conceptus tuos*. Plures ex Patribus, qui lectionē lxx. interpretū exponunt, non obseruant hic nouum pœnæ genus: nā lxx. sic extulerūt. *Multiplicās multiplicabo tristitias tuas, & gemitus tuos*. Sed tamen in originibus Hebraicis subest. הרון *Heron*, quæ vox conceptū proprie significat: atq; adeò aliqui ad aborsum referunt, quasi Deus id fœminæ imposuerit, vt sæpius aborsum passa ad filiū aliquē in lucē edendū non semel ipsi concipere, & vterū portare opus sit. Alij rursus volunt ipsā partuū multiplicationē in supplicio mulieris poni: nā nō minima pœnæ pars est, partus molestias, & labores sæpius iterare, ac repetere. Subdit: *In dolore paries filios tuos*. Verba sunt perspicua, & alterā huius sententiæ partē cohibent. Quidā addunt ad hanc posteriorem partē referendas esse puerperij immunditias, & sordes, quasi hæ quoq; ex peccato fluxerint: sed id non valde curandū. Itaq; fœ-

14 minæ triplex iniungitur in præmissis verbis pœna, multiplicatio partuum, labor gestandi

D. Berna. prolem, & dolor parturiendi.

Quod autē ab his omnibus molestijs Virgo libera, & immunis fuerit, omniū Patrū cōsensus tenet, quos cōplexus est Bernar. in ser. ad illa verba. *Signū magnū, &c. Sed in his quoq; sydereum plane irradiat decus, quod Virginitatis primiceria, quod sine corruptione fœcunda, quod sine grauamine grauida, quod sine dolore puerpera*. Et quidē D. Leo Papa absolute decernit ad Mariæ partū, & puerperiū, nihil ex peccati legibus permeasse. *Nihil* (inquit) *in istā singularē natiuitatē de carnis concupiscētia transiuit, nihil de peccati lege manauit*. Quæ verba nō modo de Christo capiēda sunt, quasi ipse ab omnibus peccati legibus immunis

15 natus dicatur: sed etiā de Maria, cuius in partū nihil inciderit ex his, quæ veteri ex culpa fluxerunt.

Hinc ergo ex hac vniuersali positione ad peccatū originale transire integrū est: ac primū licet cōmunē illam rationē efformare. In Virginis partum nihil de peccati lege manauit: ipsam ergo cōmunis illa peccati lex minime cōprehendit. Nā quod pœnas legis decretas minime experta fuerit, satis declarat culpā etiam ipsam, quam supradictæ pœnæ insequuntur, in ipsam minime deriuatam fuisse. Neq; enim putandū est, illam cōmuni iure in

Cypri. legē inclusam, & pœnas eidem postea indultas fuisse. Propterea enim D. Cypria. de industria, & data opera dixit illud alias à me obseruatū ex ser. de natiuit. Christi. *Non sustine-*

Richar. Victor. *bat iustitia, vt illud vas electionis communibus lassaretur iniurijs, quod plurimū à cæteris differens, natura cōmunicabat, nō culpa*. Pēde illa verba, *non sustinebat iustitia*: Cum quibus cohærent alia Richar. Victori. lib. 2. de Emanuel. c. 28. *Quæ* (inquit) *causa est, quare iustitia, vt remaneat in Maria pœna, vbi nulla est culpa?*

Vterque ergo ideo eas iniurias, & molestias, quæ sunt pœnæ peccati originalis, non ex relaxatione iuris, & indulgentia fuisse remissas, sed ex iustitia prohibitas dicit, quia cū iustitia conforme erat, vt pœnas nesciret, quæ culpa vacabat. Deinde etiā alio argumento pro- 16

bare possumus Virginē ideò ab his pœnis liberatam fuisse, quia lege illa, qua primum irrogatæ sunt, minime comprehendebatur.

Liceat ergo mihi sic cōminisci. Sit quispiā legislator, qui legē aliquam constituens, & transgressoribus pœnā interminans non ignoraret futurum, vt in casu aliquo, & persona legis rigore postposito indulgendū omnino sibi foret: hic certe si saperet, ne suæ ipsius legis violator putaretur, satius faceret, si ab initio casum, & personā exciperet. Imo si ita nō Arist.

faceret, putandū esset, illū ex ignoratione futuri casus, atq; personæ eā exceptionē omisisse. Ideo Arist. Polyt. lib. 2. c. 2. dicit Legum latores nonnumquā vniuersalia iura ferre solitos, quæ aliquando ipsismet violare necessum est, quia non possunt casus singulos prænoscere, quos si præuidissent, merito ipsos ab initio in ipsa legis institutione, & conditione exciperent, vt lex semper inuiolabilis esset. Adde etiā Baldū apud Hothomanū Baldus.

in lexico iuris, qui propterea legibus exceptiones ab Imperatoribus additas dicit, ne opus esset, magna ipsarū iniuria, illas passim effringere, ac violare. Quorsum hæc? Sane, vt inde notum fiat, Deum, qui nullius rei ignorationem habet, sed omnia futura noscit, ac prænoscit, vt sapiens, ac prudens legislator esset, satius factură, si virginem, quā deinde ab omni legis antiquæ effectu, & pœna seruandā esse nouerat, ab initio legis conditæ prorsus exciperet: nimirū legem ipsam ita conderet, vt eā minime includere posset, ne etiā ipse aliquid cōtra legē suam tentare videretur. Et quidem de lege illa perantiqua, de cuius tenore non satis edocti sumus, ex alijs statuere licet, quorū tenorem expressum habemus. Ita quidē factum multa suadent. Nam lex illa Deuteron. 13. quæ de primogenitis Deo Deu. 13.

offerendis lata est; sic habet. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam filijs Israel, &c.* Vbi fere Patres obseruant ea verba significanter fuisse in lege addita: *quod aperit vuluam*, vt per ipsa Christus exceptus intelligeretur. Rursus de circuncisione paruulorū, & purificatione puerperarum, Leuit. 12. sic cauetur. *Mulier si suscepto semine pepererit mascu-* Leuit. 12.

lum, immunda erit septem diebus iuxta dies separationis menstruæ, & die octauo circuncidetur infantulus; ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis. Vbi etiā de industria additum est illud. *Quæ suscepto semine, &c.* vt Christus à circuncisionis lege exēptus cōprobaretur, & Virgo similiter à purificationis iure ostenderetur immunis. Mitto alias eiusmodi leges, quæ restrictionem habent, vt constet illas, nec ad filium, nec ad

matrem

matrem pertinere. Ergo ad eundem modum de illa prima lege, & transfusionis pacto decernendū videtur, cuius tenor nobis incompertus est, quod tali modo initū ab initio existimare debemus, vt exceptionē Mariæ clauserit. Quorsum enim dicamus illā ea lege cōprehensam fuisse, ex qua nihil, *vel in ipsam, vel in eius partū manauit*, vt Leonis verba iterū vsurpē? Quomodo autē hęc exceptio Virginis à communi lege facta fuerit, ita vt tota sub Christi meritū ceciderit, ex superioribus cōstat. Hęc de quatuor illis pęnis in vniuersū.

17 De singulis nunc agamus. Prima mulieris pœna est multiplicatio conceptuū, ac partuū. Ab hac pœna libertatē adepta est Virgo sanctissima, de qua sic Lucas, c. 1. *Et peperit filiū suum primogenitum*, id est, *vnigenitum*, vt exponit Hieronimus contra Iouinianum, qui nō modo ob singularitatem personæ vnus fuit, sed etiam ob singularem, & propriam excellentiam. Nam cum idem esset vnicus, ac solus Patris æterni filius, Sanctissimæ istius Virginis vnicus, ac solus filius in tempore voluit fieri. De Virgine enim est illud Epipha. lib. 3. contra Hæreses. *Aiunt leanam non parere præterquam semel vnum, habere autem hanc causam: animal est voracissimum, specie fuluum, robore solidissimum, & vt ita dicam regalissimum genus super omnia animalia. Habet conceptionem ex vno coniuge: perficit autem immissum semen viginti sex mensibus in vtero, ita vt catulus intus vsque ad perfectionem gestetur, atque adeò omnes dentes habeat, priusquam ex vtero prodeat, & vngues in statura firma clauiculares appellatos, dentes caninos, & molares. Itaque dum est in vtero, saltationibus, morsibusque, & alijs motibus per vngues diuellere aiunt, incidereque matrices, atque vteros prægnantes, &c.* Et subinde postquam dixit Christū leonem esse, sic addit. *Profectò etiam genitricem ipsius leanam dixerim: vnde enim gignitur omnino leo si non leana mater eius vocatur: leanæ autem non contingit secundus partus, ergo nō amplius partū nouit Maria, &c.* Neq; vero partus iste matris diuulsit, aut incidit viscera, absit: nā ea in re deficit similitudo. Quinimo ita ex ipsa in hanc lucem prodijt, vt claustra pudoris inuiolata, & intacta dimiserit. Est ergo Virgo leæna eo solum nomine, quia vnū parit: *Et quidem leonem robore solidissimum, & regalissimum super omnia animalia* (vt Epiphanij verba resumā.) Et sane illud obseruatione dignum sanctissimus ille Doctor scribit: scilicet hoc animal duos solidos annos, & plures menses in vulua matris demorari solitum, donec suis numeris perfectū in lucē edi queat. Quod quidem concinit cum his, quæ tradit Aristoteles de Hist. animalium lib. 3. nimirum perfectiora, & robustiora animantia in vulua diutius hærere, quam alia minori perfectione, ac robore prædita. Nam licet Philosophus iste id, quod de vnico leonis partu, & de vuluæ euulsione vulgo iactatur, in fabulis ponat: moram tamen illam animantis perfecti in vtero boni consulit: atque eo fine à natura inuentam esse dicit, vt membra diutius in matrice consota, solidiora reddantur. Ad Christū igitur redeamus. Si ergo diuturnior animantis mora in vtero ex robore, ac perfectione illius mensuratur: si leo commune animal, quia fortissimum, ac regalissimū est, longiori tempore in leænæ vulua hæret: qua ratione factum, vt leo noster Christus per nouem tantummodo menses in leænæ, id est, Mariæ vtero mānserit? Si enim perfectionem, & robur attendas, Deus & homo est: atque adeò nihil eo vel robustius, vel perfectius. Oportebat sane tam perfectum, robustumq; fœtum longissimo tempore materno in vtero demorari. Ita quidem ego fieri debuisse existimo, imo potius ita factum sentio. Nam vt iam inde nō semel diximus ex Augustino, atque alijs Patribus, Virgo non vtero solum, sed etiam mente Deum concepit. Quapropter licet in vtero corporis per nouem tantū menses mater eum gestauerit: tamen in mentis aluo diutius portauit. Redeant ergo illa Leonis verba in sermo. de natiuitate. *Virgo Regia Dauidicæ stirpis eligitur, quæ sacro grauidanda fœtu diuinam, humanamq; prolem prius conciperet mente, quam corpore.* Prius scilicet mente, vt quod ad perfectionē tantæ prolis pertinere videbatur, diuturnior esset, ac longior illius in vulua gestatio: prius inquā mēte, quia istā verbi generationē ex matris mēte cū priori illa, & æterna, qua ex Patre procedit, concordare oportebat. Atque adeò sicut eius in patris mente æterna conceptio est, & ęterna generatio: ita etiā, vt quoad fieri poterat, mater patri similis esset, decuit maxime, vt eiusdē verbi gestatio in matris mēte, atq; animo, si nō æterna, quantū ipsi fas erat, diuturnissima foret: sic scilicet, vt à suæ conceptionis instanti auspicata in æuū produceretur, dignusq; esset tanta prole conceptus, dignaq; matris in vtero portatio, atq; sic demū (vt illud vulgo tritum vsurpem) *Leæna vnum pareret, sed leonem.*

Secunda pœna, qua Deus mulieris facinus mulctauit, est laboriosa, & grauis prolis gestatio. Ab hac pœna Virginem ipsa suæ prolis maiestas immunē reddidit: ait enim Bernardus. *Sine grauamine grauida.* Et quidem aliqui ad hunc sensum accersunt illa Prophetæ verba. *Ascendet Dominus super nubem leuē.* Hiero. in Psal. 77. *Super nubē* (inquit) *leuē, id est, nullo virili semine prægrauatā*. Alij addūt: *nulla sui partus grauitate oneratā.* Alij demū adiungunt, *nullo peccatorum pondere degrauatam.* Idque Hieronymo tribuunt (sed tamen nec verba, nec sensum illorum in Doctore illo inuenire hactenus potui, nihilominus posterius ex priori non difficile confici puto) Si ergo prolem absque vlla grauitate, pondere, aut molestia in vtero corporis sui Virgo gestauit, quis dicat eandem prolem in mētis

Luc. c. 1. · *D. Epiph.* · *Aristot.* · *D. Leo.* · 18 · *D. Berna.* · *Psal. 77.*

aluo non sine molestia, & grauitate, ab eadem Virgine portatam fuisse? Non posset enim Maria sine graui molestia, & angore Deum in mente gestare, si alicuius peccati sibi conscia vnquã fuisset, quod ipsius animũ angeret. Qui ergo propter tantæ prolis decẽtiam omnem corporeæ molis grauitatem, & pondus ex Virginis naturali ventre arcent, potiori iure omnem de peccato susceptam molestiã, & onus, ex mentis spirituali aluo remouere debent, cum constet diuinum illũ, atq; humanum fœtum corpore, ac mente pariter ab ipsa conceptum, atq; mentis conceptionem tum priorem, tum etiã nobiliorem fuisse, iuxta illud. *Diuinam, humanamque prolem prius conciperet mente, quã corpore.* Et quidẽ hunc sensum reddere videntur verba, quæ alij Augustino, alij Seueriano, alij melius Fulgentio adscribunt in lib. de laudibus Virginis. *Plena sunt viscera, & nullum nouit contagium Virginis conscientia, cum esset grauida, salubri leuitate plaudebat: lumen enim, quod intra se habebat, pondus habere non poterat.* Pende illa verba. *Et nullũ nouit contagium Virginis conscientia.* Duas enim res copulat Fulgentius, & ex his vteri leuitatem deprehendit: videlicet conscientiam, animumque Virginis ab omni contagio culpæ vacuum: & fœtus ipsius naturam, qui cum esset lumen, ac splendor Patris, grauitatem corpori afferre non poterat. Putabat enim Fulgentius illam ventris leuitatem, mente aliquo peccati onere depressa, non posse subsistere: sed cum plausum, & gaudium, quod Virgini Christi gestatio adducebat, ex vtroq; conflari. Animus enim ab omni culpa, quæ ipsum grauare posset, vacans, & corpus sui fœtus pondus, & molestias minime sentiens, mirabili consensu applaudebãt sibi inuicem, & gaudio inenarrabili gestiebant.

D. Fulgẽ

19 D. Berna. Sed tamen optimam huius leuitatis rationem affert nobis D. Bernardus in sermone illo de verbis Apocalyp. *Iure etiam* (inquit) *molestissimum tædium, quo reliquæ omnes grauidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosa voluptate concepit.* Et statim attexit. *Portans onus leue, portans, à quo portabatur.* Quasi dicat, ideo in Virgine tanta ventris leuitas, quia Dei verbum in vtero portabat, à quo ipsa magis portabatur. Hoc enim Dei verbo maxime proprium. Iuxta illud Pauli ad Heb. 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Itaq; fœtus ille, quẽ Maria suis includebat visceribus, vix aliter poterat, Dei verbum se esse, melius prodere, quam Mariam ipsam sui corporis onere leuiorem reddens, vt inde palam fieret, non tam ipsum ab illa, quam illam ab ipso baiulari, ac portari. Sed hinc ex corpore ad animum Virginis gradus sternitur. Aliquis enim sic obijcere posset ex eo, quod virgo fœtus sui onus, ac pondus nequaquam senserit: & quia eum portabat, à quo ipsa portabatur, non satis confici, illum, quem gerebat vtero, Dei verbum, ac filium esse: nam Angeli etiam corporum portitores, & baiuli esse possunt: constat enim illos ad mouenda, & agitanda etiam vastissima corpora prorsus valere. Illud certe dixerim soli Deo proprium, ac peculiare, spiritũ, animumq; portare, & peccatis sublatis, quæ ipsum degrauare, & deprimere solent, leuẽ prorsus reddere. Nec abit hoc à mente Pauli in eo loco. *Portans* (inquit) *omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens.* In Græcis exemplaribus est. ποιησάμενος, id est, *purgatione peccatorum facta.* Pro verbo autem illo *portans* subest, φέρων, id est, ferens, mouens, agens, ita vt eiusmodi sensus ex eo loco elici posse videatur. *Portans omnia verbo virtutis suæ purgatione peccatorũ facta*, id est, omnia purgatis, pulsisque peccatis facile admodum mouens, & impellens, id est agens, & gubernans. Quibus verbis innuere videtur Paulus, peccata grauitate, ac pondere suo in causa esse, ne Deus hominem, & omnes alias creaturas, quæ homini inseruiunt, & obsequuntur, facile agere, mouere, ac moderari possit. Ratio vero est in promptu. Quia cum peccatum non modo hominem graui pondere oneret, iuxta illud: *Et sicut onus graue grauatæ sunt sunt super me*: sed etiam tam illum, quam reliquas creaturas à fine suo separet, in quo ceu in cardine proprio facile vertuntur, & agitantur, non possunt non difficilius moueri, & impelli. Ad rem nostram. Non inficior sane Dei verbum, ac filium in Virginis vtero inclusum se ipsum, ac virtutem suam prodere, portans eam, à qua portabatur, & vteri onus omnino eleuans. Sed tamen idem in Mariæ animo, ac mente requiescens longe melius se ipsum testabatur, suamque potentiam ostentauit, cũ peccatis omnibus depulsis, ita illam ab initio suæ conceptionis in sui finis amore, ac dilectione tanquam in cardine defixit, vt nullo negotio illam omnem in partem pro nutu verteret, atque conuerteret. Portabat igitur hac ratione Deus eam, à qua ipse portabatur: portabat, inquam, id est, mouebat, agebatque pro nutu, quia nullũ peccati onus, aut pondus, nullaque ex peccato orta propensio mala ipsius animum degrauauit, aut onerauit. Nonne hoc posterius dignius est, quàm illud prius? Merito quidem. Imo potius nullius fere momenti res esset, corpus à pondere, & grauitate prolis liberari, si aliàs mens, & animus Mariæ ex peccati conscientia non maiori solum, sed etiam turpiori onere aliquando ingrauesceret.

Heb. 1.

Ad hæc, in pœnis, quas Deus mulieri inflixit, tertio loco numerantur dolores, ac gemitus ex partu, & nixu prolis: hos vero Maria minime experta est: *fuit enim* (verba sunt Bernardi) *sine dolore puerpera*, qui in illo sermone non longo interstitio ita scribit. *Sic & in partu quam lucidum est, quod noua exultatione nouam edidit prolem sola inter mulieres à cõ-* 20 Bernard.

muni maledicto, & dolore parturientium aliena. Fulgentius etiam supra loco citato sic habet. *Nulla fieri potuit grauedo concipienti, nulla tristitia parturienti. Qui enim venerat tristi: lætificare sæculum, ventris non contristauit hospitium.* Idem docet Nissenus in oratione de Christi resurrectione. Damascenus lib. 4. de Fide, cap. 15. Rupertus lib. 3. in Ioan. Pseudo August. serm. 14. de Natiuitate. Sed audiendus est Diuus Ildephonsus in lib. de Virginitate, & Parturitione Mariæ, vbi sic habet. *Quapropter quæso cessent isti dicere, sic eum esse natum, vt cæteri nascuntur, quia non genuit eum Virgo Dei genitrix ex origine primæ præuaricationis, vt renascatur: sed de Spiritu Sancto, vt Deus credatur, sine dolore, sine gemitu, sine molestia, & ærumna, sine tristitia, & afflictione.* Nam cum sanctus Præsul præmisisset, Christum non ex adoptione filium Dei esse, sed ex natura ipsa per diuinitatis sanctitatem, ita vt filius Dei naturalis prorsus appellari debeat: inde certè conficit, matrem eius Mariam omni doloris sensu in partu suo carere debuisse. Quia in aliorum partu, quos puerperæ ita generant peccatores, vt ipsis iterum renasci opus sit, æquum est (inquit) vt matres doleant, & crucientur. In Christo verò, qui ita primum natura sua sanctus, & iustus ex parente nascitur, vt regeneratione non indigeat, non subest causa, cur mater ipsius dolores, & angores ex partu sustineat. Et quidem sanctissimi Ildephonsi, vt ex his, quæ postea attexit, & ante præmittit, confici videtur, mens est, dolores illos, & angores, quos matres in filiorum suorum nixu experiuntur, ideò illis à Deo inflictos, vt ipsæ non sine doloribus parerent eos, ad quos per partum culpam transmittebant, quæ ipsis doloris, ac luctus perpetui causa futura erat, & quæ per dolores etiam, ac gemitus deleri deberet. Itaque matribus dolores, & gemitus in partu propterea (Ildephonso authore) immittuntur, vt filijs suis dolorem, & luctum denuncient, quo maculas ex partu contractas detergere ipsis necessum sit, vt iterum renascantur. Quapropter cum Virgo filium natura sua sanctum, ac iustum regeneratione minimè indigentem ediderit, haud debuit ipsa dolere, & angi, cum ad filium nullam doloris, & angoris causam transmitteret. Sed quid inde? Subijciam. Æquum sanè erat, vt is filius, quem ita mater concepit, ac peperit, vt nullam in ipsum doloris, & molestiæ causam ex partu transfuderit, si fieri poterat, omnem etiam à matre sua doloris causam prohiberet, quæ illi ex proprio delicto euenire poterat: tum vel maximè, quia matris delictum non ipsam tantum, sed filium etiam contristaret, ac dolore afficeret. Quapropter vt ratio Ildephonsi subsistat, Virgo Deipara originali peccato carere omnino debuit: quia si eiusmodi peccato obstricta esset, vel ideò dolores, & angores in partu sustinere debuisset, quia satis magnam dolendi causam ad filium transferret, vt scilicet quamuis non ex proprio: tamen ex matris suæ delicto grauius, quam dici potest, contristaretur.

Sed iterum nobis audiendus est Beatus Ildephonsus, qui subinde post præmissa verba non longo interstitio, sic habet. *Ergo (inquies) per quem tanta benedictio effluxit, & gratia manauit, non est credendum, quod eius puerperium doloribus, & gemitibus more fœminarum subiacuit.* Sed vide qua ratione statim ex dictis argumentatur. *Et quia tristitijs non subiacuit, & ærumnis, libera ab omni maledictionis nodo fuit, quam Spiritus Sanctus adimpleuit, & totam Domino dedicauit.* Et infra rursus idem argumentum vrget. *Gemitus, & corruptio in partu fœminarum non nisi ex delicto, & maledictione primæ originis veniunt. Vnde interrogemus istos sequaces Heluidij hæretici, qui etsi Virginem eam non denegant permansisse, tamen pudicitiam commaculant, & gratiam qua plena esse prædicatur, quando communi lege naturæ vitiatæ dicunt eam peperisse. Quia si ita peperit, ergo adhuc ac si in massa esset primæ damnationis, contra Angeli vocem maledictioni subiacuit, & verbum patris de carne peccati, quod absit, vt caro fieret, hominem assumpsit. Sed quia contra Fidem Catholicam est sic sapere, Beatâ Virgo plena gratia, nec dolorem sensit, nec corruptionem viscerum pertulit: quia quantum aliena fuit à culpa, Spiritu Sancto in ea cooperante, & virtute altissimi, qua obumbratur, in totum extranea à maledicto primæ damnationis, & tantum immunis permansit à corruptione carnis, nec non & à gemitu, & doloribus, quibus vexantur omnes filiæ Euæ cum pariunt.* Hactenus Ildephonsus, qui primum quidem ex eo, quod Virgo absque dolore pepererit, ipsam à peccato originali immunem fuisse decernit: deinde verò ex eo, quod originali labe caruerit, ipsam nequaquam in partu dolere debuisse colligit. Quæ duo argumenta ita sibi respondent, vt primum sit à posteriori, id est, ab effectu ad causam: alterum verò à priori, id est, à causa ad effectum.

Sed aliquid ad extremum subnectit idem Ildephonsus minimè insulsum: *Hinc est sanè, quod Ecclesia ex authoritate Sanctorum canit, & gaudium matris habet cum virginitatis honore.* Et subinde multa subinfert, quibus probat ad filij, matrisque decentiam hoc pertinuisse, vt Virgo nullo doloris sensu in partu tangeretur, sed cum gaudio potius, & exultatione pareret. Inde autem pro immaculata conceptione rationem non ineptam conformare licet: quia si dolores, & gemitus ex partu profecti, filij, matrisque simul gloriam, & honorem non parum dehonestarent: maior ergo turpitudo, & dedecus eisdem accresceret, si tantam matrem dolores, & gemitus de proprio aliquo peccato, & delicto suscipere opus esset (Et quidem de peccato originali hominem pœnitere, & conteri posse supra

Marginalia (left): Fulgent. — Nissen. — Rupert. — Pseudo August. — Ildephon.
Marginalia (right): 21 Ildephon. — 22 Ildephon.

plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa. Cõmunes iniuriæ decorè admodum parturientium fæces dictæ sunt à Cypriano, & tam ab his, quam ab alijs doloribus, & molestijs, quæ ex partu accidere solent, Virginem minimè vexatam, aut infectã fuisse immunitati eiusdem à peccato adscribit: à peccato inquam originali: nam de hoc Cyprianum loqui necesse est: dolores enim & aliæ partus iniuriæ, seu fæces ex originali culpa fœminis eueniunt: non autem ex actualibus. Atqui (inquies) Diuus Cyprianus sub illis verbis: *Nec praecedens delectatio aliquam expetijt pœnarum vsuram:* statim addit: *Spiritu Sancto obumbrante, incendium originale extinctum est.* Et deinde subnectit: *Ideòque innoxiam affligi, &c.* Quibus verbis significare videtur originale peccatum ante ipsam incarnationem minimè abolitum fuisse. Sic aliqui huius testimonij vim manifestam eludere conati sunt, sed manifesta potius illos coarguit ratio. Quia peccati originalis, quod prius in animo fuerat, deletio, & extinctio non liberat fœminas ab alijs pœnis, quæ ipsum cõsequi solent: nam etsi per baptismum originis labem exterserint, concupiscentiæ fomenta, gestationis molestias, dolores partus, & secundas sordes nihilominus pro meritis sustinent. A peccato enim originali pẽdet hisce pœnis iustam causam dare: at vbi semel illis causam obtulit, etiam ipso abolito, pœnę nihilominus perennant, & nunquam deficiunt. Quapropter parum apte concluderet sic Cyprian. *Ideoque innoxiam affligi non decuit, &c.* si crederet peccatum originale in Maria incarnationis tempore restinctum, & non magis ab initio suæ conceptionis prohibitum: hoc enim solum satis esse poterat, vt eam innocentia à communibus aliarum puerperarum iniurijs, atque pœnis eriperet. Quapropter existimo hæc verba cum superioribus esse consuenda; & *incendium originale* hic appellari libidinem, & carnis concupiscentiam, quæ ex originis peccato fluxit. Hanc enim Spiritu Sancto obumbrante, incarnationis tempore prorsus restinctam fuisse Patres passim inclamant, de quorum sensu infrà cap. 41. can. 3. aliquid dicemus.

26 Sed hoc argumentum vrgere libet ex his, quæ præmissi Patres de puritate partus virginei docent: omnes enim vnanimi conspiratione dicunt ideò Virginem eiusmodi fæcibus minimè sordescere debuisse, quia id tam ipsi, quam filio turpe foret. Et quidem hoc Christo indecorum esse pereleganter probat Diuus Ildephonsus verbis illis, quæ superiori capite dedimus, cum ex perpetua Virginitate Mariæ argumentaremur: nunc autem denuo ad incudem referenda sunt, quia non solum de virginitate, sed etiam de hac partus puritate ab omni fæce immuni aperte loquuntur. Ait ergo Sanctus Præsul: *Alioqui si ipse ex matre coinquinatus fuisset, aut materna viscera quasi pro peccato corrumperet, & sordibus, ex vitio primæ damnationis coinquinaret, non esset Dei filius naturalis, sed adoptiuus, et cæteri: imò nec adoptiuus, quia non esset alius per quem adoptaretur ipse, sed seruus.* Et quidem hæc ratio Ildephonsi ad sordes partus relata sic efformanda est. Omnia quidem sordida seruis mandamus, & impuras res agere, & tractare, atque ex horum tractatione sordescere, & inquinari seruorum est propriũ. Hinc Quintilianus Declamatione 4. seruos quosdam olim fuisse dicit lautiores, quibus res digniores committebantur, atque hos *lautitios* dici: alios verò his deteriores, quibus res sordidę, & humiles demandabantur, atque hos *squallores*, ac *sordes* appellari solitos. Ergo Ildephonsi sensus hic erit: si Dei verbum ad eas se sordes abiecisset, vt ex matris colluuie inquinari, & contaminari non renueret, nequaquam se tanquam filium Dei naturalem gereret: imò nec adoptiuus eiusdem filius videretur, sed mage seruus appareret: nec lautus quidem ille, ac splendidus, sed squallidus prorsus, ac sordidus, quem *sordem*, & *squallorem* appellare fas esset. *Quintil.*

At quis nesciet has corporis sordes, quantumuis tetræ sint, atque immundę, si cum his fæcibus conferantur, quibus culpa animum aspergit, vix sordium, atque immunditiarum nomen mereri: imò potius si Ildephonsi verba attentius inspectes, ea solùm ex causa sordes sunt, atque adeò turpes censentur, quia ex peccato originali fluunt, & cum ipso coniunctionem habent: ait enim, *Aut sordibus ex vitio primæ damnationis coinquinaret.* Si ergo Dei filius has matris fæces vel ideò exhorruit, atque illis parentem suam pollui indignum duxit, quia ex peccato originali dimanant: quanto magis à sua gloria, & maiestate alienum putasse credendus est, ipsius peccati originalis labem, & squallorem ab ipsa cõtrahi, ac per illam teterrime conspurcari? Nonne hoc sordidum magis, atque immundum esset: atq; adeò illum dignum quodammodo redderet, qui nec filius Dei naturalis, nec forsan etiam adoptiuus, quin imò seruus minimè lautus, vel quod turpius est, *sordes, squallorq;* humana opinione cẽseretur? Hæc de filio. 27

Ad matrem spectant verba Trullanæ Synodi, quæ in quosdam impurissimos hæreticos, qui nescio quid impurissimi festi pro secundinis Mariæ peragebant, ad hunc modum statuit: *Absque vllis secundinis Virginis partũ esse confitentes. Nec enim hoc honor est Virginis, qua supra mentem, & sermonem, quod comprehendi non potest, verbum peperit ex carne, ex communibus, & his, quæ in nobis fiunt, inenarrabilem eius partum statuere.* Pende illa verba: *neque enim hoc honor est Virginis*, quæ non filio, sed matri hoc dedecus tribuunt. Illud igitur ex te nunc quæro: quid Virgini ignominiosum magis esset, partum filij in his, quę 28 *Trullana Synodus.*

D. Ildep.

spectant

August. solens. Imprimis autem illud vulgare in hac thesi, rationem illam, qua Augustinus vsus est in ser. 4. de Assumptione, ad institutam quæstionem allicere: *Lex sicut honorē matris præcipit, ita inhonorationem damnat. Qui enim in vita præ cæteris illam gratia sui conceptus honorauit, pium est credere, singulari saluatione eam in morte, & speciali gratia honorasse. Potuit enim eam à putredine, & à puluere alienam facere, qui ex ea nascens potuit Virginem relinquere. Putredo namque, & vermis humanæ est opprobrium conditionis, à quo opprobrio cum Iesus sit alienus, natura Mariæ excipitur, quam Iesus de illa sumpsisse probatur: caro enim Iesu caro est Mariæ, & multo specialius, quam Ioseph, Iudæ, cæterorumque fratrum eius, quibus dicebat. Frater noster, & caro nostra est.* Hæc Augustinus: quibus non vnam virginei corporis à corruptione eximendi causam obseruat. Prima est honor, & obsequium filij erga parentem, qui hoc poscit, vt matrem, cum potest, ab omni vendicet iniuria, & opprobrio. Quapropter cum corruptio opprobriūquoddam naturæ sit, & Christus matrem suam ab hoc opprobrio liberam præstare posset: ita certè ab ipso præstitum inficiari non licet. Quam rationem ad præseruationem originalis culpæ traducere pronum valde est: hãc enim longè grauiorem naturæ contumeliam esse constat: atq; adeò à tali matre per amantissimum filium potiori ratione prohibendam. Secunda ratio est vnitas carnis, quę inter filium, & matrem intercedit. Quapropter si mater corruptioni, ac vermibus obnoxia fieret, filius eius Christus à corruptione prorsus liber non foret, nec omnino de ipso illud enunciari liceret. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quandoquidem caro eius, id est, mater ipsius, quæ in vnam cum ipso carnem coalescit, corruptelæ tradita fuisset. Hinc verò ad peccati originalis immunitatem gradus etiam procliuis sternitur eodem prorsus argumento. Quia si mater illo peccato vitiata fuisset, non esset etiam integrum dicere totum Christum ab eo vitio exortem fuisse; quandoquidem eius mater, quæ tanta illi carnis vnitate copulabatur, atque adeò maxima illius pars erat, eius peccati maculam non vitauerat.

32 *Blessens. Alex. 3.* Et quidem vtramque rationem attigit Petrus Blessensis in instructione Fidei Catholicæ ab Alexandro III. Pontifice ad Soldanum Iconij missa, vbi sic scribit: *Magna igitur, & omni laude dignissima fuit mater, & Virgo Maria Beatissima, quæ tantum Dei, atque hominis mundo edidit mediatorem, & nostrum parere voluit Saluatorem: quæ inter omnes, quas mundus habuit mulieres, nec primam, nec similem meruit, nec sequentem habere. Concepit nempè sine pudore, peperit sine dolore, & hinc migrauit sine corruptione, iuxta verbum Angeli, imò Dei per Angelum, vt plena, & non semiplena gratiæ esse probaretur, & Deus filius eius antiquum, quod pridem docuit, mandatum fideliter adimpleret: videlicet patrem, ac matrem honore præuenire, & ne caro Christi virginea, quæ de carne matris sumpta erat, à tota discreparet.* Hæc ille, quæ præmissas duas Augustini rationes continent. Sed pendenda imprimis illa verba: *Ne caro Christi virginea, quæ de carne Matris sumpta erat, à tota discreparet*: ex carne enim filij, & matris vnam carnem integram componi putauit Petrus, atque inde conficit vnam eius carnis partem à tota carne nequaquã dissidere debuisse: aliter enim affirmare nō possemus integram Christi carnem mundam, & illibatam non fuisse.

Duas item alias rationes verbis suis inclusit Blessens. Prima quidem sic habet. Oportuit sanè, vt qui matrem suam in conceptu, 34
atque partu integram, & inuiolatam à corruptione seruauerat, eandem in morte simili incorruptione donaret: quia aliter non satis apte gratia plena ab Angelo prædicaretur, cum gratiam illam incorruptionis non plenam, sed potius semiplenam adepta fuisset. Si ergo hæc ratio Blessensi, vel potius Pontifici idonea visa est, vt Virginem ab extrema labe, & corruptione corporis à Christo seruatam esse diceret: an non eadem ad ipsam à prima animi corruptione vendicandã magis idonea erit? Quia si Virgo posteriores alias gratias obtinuit: primam autem illam originalem gratiam, & iustitiam minimè indepta fuisset, non plena gratia, sed potius semiplena dici deberet. Sed de hac Marianæ gratiæ plenitudine infrà dicemus cap. 39.

Secundam aliam rationem offerunt verba illa. *Vt antiquum, quod docuit, mandatum fideliter adimpleret, videlicet patrem, ac matrem* 35
honore præuenire. Obserua illud verbum *præuenire*: quod certè significat filium hoc parentibus debere, ne moretur honorem, & obsequium, sed quoad fieri possit, præuertendo anticipet. Nam si alios Paulus honore præueniendos esse docet, potiori iure id obsequij parentibus impertiendum esse videtur. Nam cum ipsi nos primæ procreationis beneficio præuenerint, consonum rationi est, vt nos vicissim illos pro ea gratia honore præueniamus. Prætereà Deuteronom. 5. sic habes. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, &c.* in *Deut. 5.*
quibusdam autem Græcis codicibus pro illo verbo *honora* subest ὑπερτίμα, id est (liceat sic dicere) *super honora.* Huius autem verbi non vna significatio occurrit. Prima est huiusmodi. *Præ alijs honora patrem, & matrem.* Itaque mandatum Dei est, non solùm parentes honorare, sed maiorem illis, quam alijs honorem impartiri. Atqui Deus Angelos, sed & Adamum, & Euam originali gratia cohonestauit: hunc ergo honorem ei nequaquã denegasse putandus est, cui maiorem exhibebat. Aut certè verbum illud *super honora*, perinde est, atque honore illum præueni. Atque eo fortassis spectauit Blessensis, cum dixit,

bono-

honore præuenire. Itaque iubetur filius, quoad fieri possit, honorem parentis anteuertere. Absit ergo, vt dicamus Deum sui ipsius præcepti, aut transgressoré, aut morosum, & socordem executorem fuisse: ita vt cum posset matrem suam per quandam anticipationem peccatum præuertendo gratia originali cohonestare: id tamen distulerit, ac subinde postquam peccato iam infecta fuerat, illam mundare decreuerit. Denique alia occurrit germana magis, ac propria illius verbi *υπερτιμα* significatio *super honora*, id est, præcipuum, & maximum illi exhibe honorem. Parentibus enim maximus semper honor debetur, atque adeò præceptum hoc non satis explet filius, qui minimum honorem parenti impendit, cum potest maximum. Iam igitur rationem Blessensis ex præseruatione corporis à corruptione extrema ad animi præseruationem à corruptione prima transferre facile est: quia Christus matrem non tantum honorare, sed etiam super honorare tenetur: atque adeò huic pietatis officio non faceret satis, si minorem illi honorem exhibuisset, cum posset maximum eidem impendere: si videlicet corpus à sanie, & corruptione liberum præstaret: animũ verò culpæ corruptelam subire permitteret, à qua illũ eripere potis erat.

35 *Pet. Bless.* Sed vt ad primam rationẽ redeamus, subijcienda sunt alia valdè illustria eiusdem Petri Blessensis verba, qui in sermone 2. de Assumptione Virginis ita scribit. *Vir, & vxor duo sunt in carne vna, expressius autem mater, & filius sunt vna caro. Sanĉ Patres, qui Spiritu Sancto dictante, decreta promulgauerunt, ius hoc in coniugibus sanxerunt, vt si alter deserens sæculum adhæreat Deo, alter non remaneat in sæculo: vnius enim carnis partes tam violenter distrahi, ius non esse visum est eis. Sic & indecens videri debet, si altera pars carnis virginea sit in cœlo, & pars altera reddatur solo: si parti alteri datum sit non videre corruptionem, & altera soluatur in cinerem: Maria ergo à communi viri, & mulieris maledictione facta est immunis, qua dictum est, in cinerem ibis: vnde ab Angelo benedicta esse dicitur, quasi à primordiali maledicto liberata, &c.* Hæc ille, qui ex eo, quod Virginis corpus post mortem corruptelæ expers fuit, eam à primordiali maledictione, id est, à peccato originali libertatem adeptam perspicue depromit. Et quidem ratio illa, qua probat Blessensis minimè decorum fuisse, vt Virginis corpus in cineres abiret, longè efficacius adigit nos fateri, eam à peccato originali puram fuisse. Quia (vt nuper dixi) cum vnitate illa carnis, quæ inter filium, & matrem intercedit, animorum, & voluntatum longè arctior vnio cohæret. An non licebit etiam Christo illud in Virginem matrem iactare, quod in amicum cecinit Poeta, cui accinit etiam Diuus Augustinus: *Anima dimidium mea*? Si igitur violen- *August.*ta admodum vnius carnis distractio visa est Blessensi, vt altera parte, carne scilicet Christi corruptionem nesciente, altera pars scilicet caro Virginis corruptioni permitteretur. An non maior, & violentior diuisio, disiunctioque animorum erit, si Christum Dominum natura sua *anamartiton*, id est, impeccabilem id seriò enunciare posse dicamus, dimidiam scilicet animi sui partem aliquando à peccato non vacasse? Certè id longè indecentius Christo videtur, quam illud.

EX POTESTATE, quam vir in vxorem habet, alia ratio conformatur.

§. VI.

36. Potestas viri in vxorẽ effectus peccati fuit, & quo modo.
37. Ab hac potestate liberam præstitit Virginem immunitas ab originali.
38. Longè turpior Virginis nota fuisset peccato originali submitti, quàm viro subiacere.
39. Hæc turpitudo ex alio capite amplificatur.



AD Extremum vltima peccati originalis pœna, quam Deus fœminæ inflixit, est illa: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* 36
Cogita autem duplicẽ esse summissionẽ mulieris ad virum: alteram quidem ingenuam, & liberalem, quæ non est seruitus: imò tam longè à seruitute abest, vt vxor per illam viri libertatem, honores, & titulos ineat. Altera est degener, ac turpis, & inglotia, quæ seruitutem sapit, per quam vir abutens potestate sua, vxorem ita sibi substernit, vt illam sibi ancillari, & obseruire cogat. Puta ergo priorem illam fœminæ summissionem natura du ce ante peccatum futuram: posteriorem verò peccati mulctam esse. Vnde Diuus Augustinus de Genesi ad literam lib. 11, cap. 37. sic habet. *Hæc seruitus* (quæ scilicet à Deo fœminæ imponitur) *cuiusdam conditionis est potius, quam dilectionis, & maritum habere dominum meruit mulieris non natura, sed culpa.* Quasi dicat: si natura integra mansisset, mulier vtique virò ex dilectione tantum submitteretur: post peccatum verò veluti ex conditione seruiliter subditur, vt virum quasi *D. August.*

domini

domini loco habeat, ac colat. Eapropter idē Augustinus docet omnes illas leges humanas, quæ potestatem viris in vxores deferũt, quæque illas omni iure priuant, & maritis per omnia subijciunt, & subrogant, in prioris peccati pœnam ipsis irrogatas. Et sanè inficiari non licet etiam tunc, cum integritas naturæ vigeret, fœminam suapte natura viro inferiorem futuram: hæc tamen subiectio non esset alicuius iniuriæ, aut molestiæ causa. Nam cum virũ in eo statu rationi per omnia parere oporteret, vxori suę debitum amorem nunquam non impenderet, atque adeò in illam turpe, aut indecorum non tentaret: per peccatum verò effectum est, vt vir concupiscentiæ suæ obtemperans, plæraque à ratione aliena committat: atque adeo naturali illa fœminæ subiectione abutens, ipsam sibi ignominiose obseruire cogat. Ita vt liceat ita pronunciare, vxorem non tam viro, quam ipsius viri peccato obnoxiam, & subiectam esse.

Atqui ab huius pœnæ seruitute Virgo
37 Deipara, Deo indulgente, libera fuit. Ita do-
S. Thom. cet Sanctus Thomas 3. parte, quæst. 30. articulo 2. ad 2. Nam cum sibi obiecisset. *Videtur, quod Virgini debuerit annunciari mysteriũ incarnationis per virum.* Respondet his verbis. *Sicut Augustinus dicit in sermone de Assumptione: Virgo Maria vera æstimatione, à quibusdam generalibus excipitur, quia nec conceptus multiplicauit, nec sub viri, id est, mariti potestate fuit: & ideò non debuit mediante viro instrui de mysterio, sed mediante Angelo: propter quod ipsa est prius instructa, quam Ioseph: nam ipsa instructa est ante conceptum, Ioseph autem post conceptum.* Hanc autem exceptionem à lege communi, sicut alias omnes supra adscriptas, Virgini Deiparæ attulit innocentia, & puritas ab omni culpa: ita enim putandum, iniuriam illam sexus fœminei, quam peccatum induxerat, per immunitatem ab omni culpa declinatam, & vitatam fuisse. Nam quę peccato proprio in semetipsa carebat, non debuit certè viri sui peccato ignominiose subiacere, vt nuper dicebamus.

Sed rursus ex immunitate Mariæ ab hac
38 pœna eius libertatem à culpa originali hunc ad modum conficio. Ideò ab ea subiectione, & demissione, qua mulier viro ceu domino subditur, Virginem liberari oportuit, quia indecorum erat Dei matrem, & cœli, terræque reginam, ac dominam viro alicui illiberaliter mancipari. An non turpius, & indecentius erit eandem peccato aliquando subiectam, & culpæ seruiliter summissam dicere, quàm Iosephi viri sanctissimi, ac dignissimi dominio addictam? An non seuerius peccati originalis regnum, quam Iosephi dominium? De illo enim Paulus ad Romanos 5.
Ad Ro. 5. *Regnauit* (inquit) *peccatum in mortem.* An non deterior, & turpior seruitus, peccato obseruire, quam Iosepho? Audi etiam Paulum gratias Deo agentem, quod fideles à seruitute peccati ad libertatem iustitiæ traducti fuerant. *Gratias Deo, quod fuistis serui peccati, liberati autem à peccato serui facti estis iustitiæ, &c.* An non grauiores, & seueriores peccati originalis leges, quam illæ, quibus iura vxorem viro summittunt? Audi etiam Paulum sub altera peccati originalis lege ingemiscentem. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me sub lege peccati, &c.* An non denum leuius, & facilius est matrimonij iugum perferre, quam peccati originalis iugum portare? De quo Sapiens Ecclesiastici 40. *Graue iu-* Eccles. 40.
gum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, &c. Quæ verba de peccato originali exposuit Augustinus aliàs à me præscriptus. Denique si fœminam viri sui peccato subiectam esse eo modo, quo nuper dicebamus, summæ cuiusdam ignominię nota est, quæ à Virgine longius amoueri debuit: quantam quæso ignominiam, & turpitudinem continebit proprio sui ipsius peccato succumbere, ac demitti?

Quid plura? Si molestum, atque Virgine
Dei parente indignum visum est, ipsam com- 39
muni aliarum fœminarum iure marito mancipari, & supra illam demissionem, quam natura duce vxor viro suo præstare debet, maiorem illam subiectionem pati, quæ pœnæ, ac mulctæ nomine mulieribus imposita fuit: certè grauius, & Virgini indecentius existimari debet, ipsam originali peccato infici, atque adeò ex iure aliquid longè grauissimum, ac molestissimum pati. Nam cum iuxta Ambrosium libro 3. officiorum cap. 47. in- Ambros.
tra singulos homines quoddam rationis, & concupiscentiæ, animi, & carnis matrimonium sit, in quo animus ceu vir imperare, caro autem tanquam vxor parere, natura suadente, debet, originale peccatum hanc internam œconomiam perturbauit, & contra ius, fasque virum vxori, id est, animum carni mãcipauit, atque subiunxit. Si ergo indecorum putatur, vxorem viro, id est, Mariam Iosepho vltra naturæ ipsius metas exterius submitti: an non magis turpe, & obscurum erit, intra eandem Mariam ob peccatum originale virum vxori, id est, animum carni graui admodum perturbatione substerni? Ita profectò: longè turpior est ista subiectio, quam illa, longèque molestior. Quapropter hæc nobis certa, & constans sit sententia, eam, quæ omnes pœnas originalis peccati vitauit, ab eodem peccato liberam, & immunem fuisse.

EX

EX EO QVOD MARIA filia æterni Patris dicitur, eius immmunitas à peccato originali persuadetur.

CAP. XXIX.

1. *Virgo à Deo possessa ab initio tanquam filia.*
2. *Virgo æterni Patris filia speciali iure dicitur, quia ipsi perquam similis.*
3. *Ex hac similitudine immunitatem illius à peccato deprompsit Anselmus.*
4. *Gratia adoptionis, qua Virgo insignita fuit, naturalem Christi gratiam, & filiationem aliquando imitata est.*
5. *Sola Virgo vnica, & primogenita Dei filia dici potuit propter infusionem gratiæ originalis.*
6. *Filia quoque Dei æterna non incongruè dici potest.*
7. *Virgo ab æterno Patre accepit authoritatem in peccatum, & quo sensu.*

1 DOMINVS *Possedit me in initio viarum suarum.* Inest etiam pro sequēti ratione aliquid huic verbo *possedit*, quod euolui, ac replicari debeat. Nam vt supra in expositione literali huius loci animaduerti, verbum קנה *Kanah*, quod subest illi voci *possedit*, patriam parentum potestatem in filios adnotare solet. Genes. 4. statim atque Eua Cainum puerum enixa est, sic fertur elocuta. *Possedi hominem per Deum.* Id est, ex Dei beneficio filium habeo, qui in mea possessione, ac ditione est, in quem patriæ potestatis ius habeo. Ergo hunc ad sensum allicere integrum est illa verba: *Dominus possedit me* (qui satis benè in Virginem quadrat) id est, Deus me filiam speciali quodam iure sibi delegit, & patriam in me potestatem sortitur. *Genes. 4.*

2 Et quidem Virginem Deiparam æterni Patris amantissimam filiam Scriptores sacri passim appellitant. Quapropter id nominis cur ipsi accommodetur, videndum: satis enim compertum est, filiorum adoptionem per gratiam quemadmodum reliqua omnia opera, quæ ad extra sunt, à tota Trinitate indiuise prestari. Quid igitur causę est, ob quā specialis Virginis adoptio æterno Patri traditur, & adscribitur? Dicam quod sentio. Formalis ratio, quæ filium constituit, ac perficit, est ratio imaginis expressioris. Ideò enim secunda Trinitatis persona filij nomen fert, quia per intellectum tanquam imago procedit, & hic est proprius illius character, ac singularis nota inter alias diuinas personas. Propterea etiam gratia, & adoptio nos filios Dei præstat, quia per gratiam ipsi perquam similes efficimur. Nil certius. Ex his ergo deducere licet, non aliam ob causam Mariæ adoptionem æterno Patri singulari accommodatione adiudicatam fuisse, nisi quia per adoptionem ipsi æterno Patri speciali aliqua ratione similis euaserit. Imprimis ergo præstantissima huius similitudinis pars est, quod Maria filium habet vnum cum ipso æterno Patre communem. Audi Anselmum in libro de Excellentia Virginis Mariæ cap. 3. *Hunc igitur tibi, tam vnicum, quam dilectissimum, & in omnibus omnino æqualem non passus est remanere solummodo suum, sed eundem ipsum voluit in rei veritate esse Beatæ Mariæ vnicum, & dilectissimum, & naturalem filium: nec ita vt duo essent, vnus videlicet Dei filius, & alius filius Sanctæ Mariæ: sed vnus, & idem ipse, qui filius Dei est in vna persona, esset filius Sanctæ Mariæ, & qui filius Sanctæ Mariæ, vnus & idem ipse esset in vna persona filius Dei. Quis hæc audiens non obstupescat?* Magna profectò est similitudo Patris, atque matris. Nonne Patris æterni germanus, & propius character est filium generare? Quid igitur illi magis adsimile, quam illa, quę eūdem filium genuit? Et quidem (ni fallor) huc spectauit Diuus Augustinus in ser. de Assumptione, vbi postquam præmiserat hanc Mariæ, ac Patris æterni eiusdem filij cōmunionem, sic statim attexit: *Si formam Dei te appellem, digna existis.* Id est, si te in hac vna re æterno Patri quamsimillimam dicam, digna es hoc nomine. *Anselm.* *August.*

3 Sed quid inde? Licebit ne hinc Mariæ Virginis munditiem à peccato originali aucupari? Licebit sanè cum Anselmo in tractatu de Conceptione Virginis, & de Peccato Originali. *Decebat* (inquit) *vt illius hominis conceptio de matre purissima fieret: nempe decens,* *Anselm.*

erat,

erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus pater vnicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tanquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque communis Dei Patris, ac Virginis filius, &c. Huius autem decentiæ ratio in promptu est, quia omnino indecorum erat, vt ea, quæ æternæ Patri tot nominibus quamsimillima futura erat, originalis peccati latissimam dissimilitudinem vnquam haberet (quippe quod vt ex D. Dionysio alias notauimus: *Habitus est dissimilitudinis Dei ingenitus.*) Indecorum enim erat, illam, quæ futura erat forma Dei, prius per culpam, & labem illam impurissimam maximè deformem esse.

4 Ad hæc si Virgo Deipara æterni Patris ante alios filia merito dicitur, non modo ipsius patris, sed etiam filij similitudinem referre debet. Nam filios eodem patre satos inter se perquam adsimiles esse oportet. Sed qua in re? Certè in ipsa filiatione. Cogita ergo Christum Dominum, etiam in quantum homo erat, filium Dei naturalem fuisse, atque adeò natura sua, non adoptione sanctum. Ad hunc sanctitatis gradum Virgo certè peruenire non poterat, quia nulli puræ creaturæ sanctitas, & iustitia naturalis esse potest. Quid igitur fieri oportuit, vt Maria Christo Domino in sanctitate similis euaderet, ita vt hæc similitudo ipsos eodem parente satos ostenderet? Certè oportuit quandam iustitiam Virgini à Deo concedi, quæ licet supra naturam illius esset, nullo modo esset contra naturam: quæ quamuis re ipsa naturalis non esset, tamen naturalis videretur, & naturali adsimilis appareret. Quænam igitur hæc talis gratia, & iustitia? Non alia profectò nisi originalis, & inamissibilis: hæc enim quatenus cum homine ipso producitur, atque illum nunquam deserit, ea, quæ naturalia sunt, maximè imitatur. Gratia inquam originalis, quæ nullum peccati debitum adiunctum habuit, ratione cuius natura Virginis ex conditione sua gratiæ aduersari, & repugnare diceretur, vt proinde aliquo modo ipsi violenta censeri posset.

5 *Ioan. Damascen.* Audi Ioannem Damascenum in orat. 1. de Natiuit. Virginis, vbi hæc habet. *Si quidem oportebat eam primogenitam in lucem edi, quæ rerum omnium cōditarum primogenitum, in quo omnia coagmentata sunt, paritura erat.* Loquitur Damascenus de sterilitate Annæ. Quasi dicat: propterea Annæ à Deo sterilitas immissa fuit, vt pro Virgine tantisper fœcunda esset. Decens quippè erat, vt Maria vnica, & primogenita parentum suorum filia esset, quæ vnicum, ac primogenitum Dei filium decenter pareret: nimirum, vt mater à filio in ea primogenituræ dignitate non esset dissimilis. Si igitur ad hanc similitudinem, quam inter Christum, & Mariam intercedere oportebat, id à Deo de industria factum, vt Maria Annæ primogenita esset: an non maiori studio id à Deo præstitum putabimus, quod dignius est, vt nimirum eadem Maria gratiæ primogenita esset, atque in eo iustitiæ genere vnica, vt gratia, inquam, originali ornaretur: hæc enim illam, & primogenitam, & vnicam Dei filiam reddidit? Nam per illam ante omnes alios nata, scilicet ante ruinam, ideò primogenita: & in ea gratia socium habet neminem, ideò vnica. Et quidem (ni fallor) vtrumque complexus est Ioannes Damascenus præmissis verbis, Annæ scilicet, atque gratiæ primogenituram: nam contextus illius sic habet. *Quoniam itaque futurum erat, vt Dei genitrix, ac Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum anteuertere non est ausa: verum tantisper expectauit, donec gratia fructum suum produxisset, siquidem oportebat eam primogenitam in lucem edi:* & reliqua, vt supra. Quasi dicat, Annam sterilem esse maximè conueniens fuit, vt gratia naturam anteiret, nimirum vt hæc Mariæ non regeneratrix esset, id reficiens, quod natura vitiauerat: sed præter aliorum ordinem, ab initio sanctificata ipsius gratiæ filia primogenita euaderet. Et rursus, vt ipsius quoque Annæ olim sterilis vnica, & primogenita filia esset: vtrumque enim ex decentia requirebatur, vt mater digna fieret vnici, ac primogeniti æterni Parentis nati.

Attamen objiciet aliquis non tantum Mariæ Virginis adoptionem æterno Patri per accommodationem adscribi: sed etiam omnium aliorum, qui gratiam adoptionis consequuntur. Nam Christus ipse apud Ioannem sic ait: *Qui diligit me, diligetur à patre meo.* Et iterum: *Et pater meus diliget eum.* En qua ratione dilectionem, & gratiam iustorum, atque adeò eorum adoptionem Patri suo Christus accommodat. Id 6 *Ioan. 14.* sanè verum est: quia ita legibus ipsis cautum habetur, vt is tantum possit filios adoptiuos assumere, qui naturales habere valet. Atque adeò cum Patri æterno hoc propriū sit, quod naturalem filium procreare possit, ad ipsum potius per accommodationem adoptio spectauit. Rationē autem legis optimā reddunt iurisperiti, quia adoptio quædam est naturæ ipsius imitatio. Quapropter æquum non est, vt illi adoptent filios, qui illos à natura habere non possunt. Ita quidem fateor, sed tamen inde Virginem Deiparam speciali quadam ratione æterni Patris filiā fuisse conficio, quę nō sit illi cū alijs communis. Alios enim Pater adoptione sua: non tam filios sibi creat, quā recreat: non tam generat, quàm regenerat: atq; adeò eorum productio parū exactè æterni filij productionem, & generationem adumbrat, qua ipsum ab æterno primario, ac

per se gignit, & procreat: Virginem autem Deiparam Pater per gratiam originalem primo, ac per se genuit, non regenerauit, & filiam sibi ab initio creauit, non recreauit: atque adeò illius adoptio perfectissima ipsius naturæ imitatio fuit. Quia sicut Pater æternus filium ex primo naturæ ipsius motu ab æterno gignit, & filiatio illius æterna est: sic etiam Virginem à suæ conditionis initio per infusionem gratiæ quamprimum adoptauit, & Virgo, quam semel accepit adoptionem, & iustitiam, nunquam amisit. Ob quam rationem Mariam æternam quoque Dei filiam appellare fas est. Suadet hoc simi-
Hierony. lis loquendi modus apud Hieronymum in Ezechielem cap. 4. vbi Mariam propterea quod Virgo concepta,& Virgo nata virginitatem deinceps nunquam temerauit, *Virginem æternam* compellat: ergo simili iure, quæ gratia,& adoptione nunquam caruit, æterna Dei filia nuncupari potuit. Quorsum hæc? Id certè volo, quod vti Virgo Deipara speciali aliquo iure Patris æterni filia dicatur, fateri oportet ipsam originali gratia ab initio donatam fuisse: sic enim eius adoptio naturam exactius æmulatur.

7 Ergo cum constet Mariam speciali iure tanquam filiam æterno Patri adscribi debere, ipsius Patris fuisse putandum est, illam donis suis cumulare, & exornare. Ita sanè. Hinc Bernardus in sermone de Deipara Maria, cum tres Diuinas personas ad Mariam exornandam suas opes conferentes describat, de æterno Patre ad hunc modum ferit. *Pater* (inquit) *in consecratione Virginis exhibuit claritatem, filius humilitatem, Spiritus Sanctus charitatem: Pater authoritatem contra peccatum, filius humilitatem contra mundum, Spiritus Sanctus charitatem erga Deum, & proximum.* En qua ratione illa à Patre in Virginem, pro iure scilicet, quod habet pater in filiam, profectum dicit Bernardus, vt nimirum authoritatem contra peccatum haberet. Absit ergo (Virgo Sanctissima) vt in te peccatum originale fuisse dicamus, cui tanta contra peccatum ab æterno Patre authoritas collata est. Nonne peccato originali proprium regnare, atque imperare? Audi Paulum: *Regnauit mors ab Adam.* Et iterum: *Regnauit peccatum in morte.* Quis ergo dicat Virginem in peccatum authoritatem accepisse, si sub peccati regno, ac ditione fuit? Cessit profecto peccati regnum, & coram Virgine faces suas demisit, ab illius authoritate, & potestate victum, atque prostratum. Bernard.

EX DIGNITATE, ET POTESTATE MATRIS DEI IN FILIUM EADEM IMMUNITAS SUADETUR.

 CAP. XXX. 

1. *Virgo vera mater Christi fuit, patriam potestatem in ipsum habens.*
2. *De hac potestate optimè D. Ildephonsus.*
3. *Turpe esset Christo sub patria potestate illius esse, quæ pecati seruitutem aliquando sustinuisset.*
4. *Huius turpitudinis causæ, & rationes.*
5. *Christus Dominus matrem suam adoptauit.*
6. *Eandem iudicio suo quasi peperit.*
7. *Ex honore, quem filius matri debet, probatur præseruatio Virginis ab originali.*
8. *Hanc præseruationem Christus ex cruce pendens ante alia curauit, ac postulauit*
9. *Honoris ac bonorum communio, quæ inter matrem, & filium esse debet, probat immunitatem Virginis ab originali.*
10. *Christus in occursum Virgini processit in prædestinatione Dei.*



REDEANT etiam hic notissima illa verba. *Dominus possedit me in initio viarū suarum.* Nam vt supra in literali expositione huius loci signatissime obseruaui, Athanasius non semel Grecā translationē, quæ sic vulgò effertur. *Domin° creauit me initiū, &c.* ad hūc modū couertit. *Dominus præfecit me initiū.* Est autē *præficere*, potestatē, & authoritatē alicui dare. *Dominus* ergo, ait Maria, *præfecit me*, nō solum creaturis omnibus, quarū me Reginā, & Dominam 1

esse

esse iussit: sed quod caput est, sibi ipsi me præfecit, hoc est, potestatem, authoritatemque in se ipsum mihi indulsit, quam iure maternitatis obtinui. Ita enim sum Patris æterni filia sub illius patria potestate (vt nuper, dictum est) vt sim etiam æterni filij mater, patriam in ipsum potestatem obtinens, atque exercens.

2 Sanè in hoc loco non est mihi sermo faciendus de dignitate matris Dei in vniuersum, vt immaculatam Mariæ Conceptionem ex magnitudine huius dignitatis euincam: de hac enim re satis multa per totum istum tractatum hactenus sparsi, quia nulla ferme ratio solida pro conceptione pura efformari potest, quæ ad hanc dignitatem non reuocetur, & ex ea robur non accipiat. Erit igitur tantummodo oratio de authoritate matris in filium. Et quidem memoria nunc refricanda, & in mentem reuocanda est illa doctrina, quam in caput 8. Prouerbiorum vers. 16. circa finem non paucis disserui: scilicet diuinitatem ipsam, aut hypostaticam vnionem, quæ Christum Dominum ab omni alia potestate liberum reddebat, ac supremum rerum omnium Dominum, Regumque Regem efficiebat, à patria Virginis potestate eundem Christum minime excepisse, aut liberasse. Ad testimonia autem, quæ ibi adscripsi ex Patribus excepta, subscribere licet aliud ex Diuo Ildephonso de Virginitate Sanctæ Mariæ cap. 8. vbi inter magna, quæ Virgini Deus fecit, iuxta ipsiusmet Virginis præconium. *Fecit in me magna, qui potens est*, illud cum primis magnum, ac nobile esse dicit, quod subiectis verbis complectitur. *Vt per hanc Virginem Deus fieret homo, verbum fieret caro, & filius Dei factor omnium fieret filius matris, quam ipse formauerat, essetque dominator nascendo subditus ancillæ, quam ipse condiderat: sicque haberet ancilla in subdito Dominum, ancillam Dominus in prælato: vt haberet nascendi autricem, cui nascendi author extitit idem: semperque diuersa essent concordantia, dum pro humanis humiliantur diuina, & in diuinis subleuantur humana: dumque quod sublime est, cedit humili, & humile dirigitur in sublime: dum forte infirmatur in humili, & humile roboratur in forti.* Ildephon. Hæc Ildephonsus grauiter, & eleganter, quæ cum his, quæ citato in loco præscripsimus copulanda sunt, & ex vtrisque Virginis Deiparæ immunitas à peccato originali hunc ad modum comprobanda.

Absurdum profecto, & non parum ipsi filio indecorum esset, eam iure materno per
3 patriam potestatem sibi præfici, ac præferri, quæ aliquando miseram peccati seruitutem olim sustinere coacta, & (si fas est dicere) diaboli fœdissimum mancipium fuisset. Ego sanè si Virginem originalis peccati ream facere non dubitarem, patriam illi potestatem in Christum continuo auferrem, ac denegarem. Quia vt in eo loco supra citato ex Ambrosij sententia côfeci, ideò diuinitas, quæ suo cômercio Christũ Dominum ad eam extollebat dignitatem, vt ab omni alia Regum, ac Principum humanorum potestate liberum redderet, ipsum nihilominus à patria matris potestate non vendicauit, quia obsequium filij erga matrem, non est infirmitas aliqua, vel seruitus indigna, sed pietas, atque virtutis officium. Accipe verba Ambrosij. *Quid enim magister virtutis nisi officium pietatis impleret? Non vtique infirmitatis, sed pietatis ista subiectio est.* Ambros. Quod perinde est, ac si dicar, si ita constaret Mariæ potestatem, quam iure maternitatis in Christum habebat, infirmitatis, aut turpitudinis alicuius notam, & argumentum continere, asserendum profecto esset Christum Dominum ab ea potestate liberum, & immunem fuisse: sed quia huic potestati obnoxium esse, pietatis, ac virtutis obsequium erat, nec dedecoris, aut turpitudinis quidquam includebat, ideò Christus ab ea potestate exemptus non fuit. Hæc Ambrosius. Atqui si Virgo Deipara originalis peccati aliquando rea fuisset, filij ad ipsam subiectio infirmitatis, ac dedecoris plurimum haberet: cogeremur ergo fateri Christum in eo casu ex diuinitatis commercio à patria potestate omnino vẽdicandum.

Haberet profecto dedecoris plurimum: 4
quia vt dictum est, non parum Christo turpe esset ei subiacere, quæ aliquando peccati seruitutem portasset: esset præterea infirmitatis nota: possemus enim hoc ipsi exprobrare, quod ideò ex peccatrice matre procreatus fuisset, quia ipsam à peccato seruare minimè potuisset, vel quia aliam puram, & immaculatam sibi condere non fuisset potis. Adde etiam in mentem nostram venire posse, idem prorsus Christo accidisse, quod reliquis hominibus contingere solet: hi enim quia non possunt sibi parentes deligere, eos sustinent, qui sibi quasi fato suo à natura eueniunt: & ideò ex ignobilibus, obscuris, & turpibus nascuntur, quia nobiles, claros, & ingenuos sibi ipsis nec fingere, nec adoptare valent. Eadem igitur de Christo censura haberi posset, scilicet ipsum ex peccatrice matre quasi fato suo, & necessitate prognatum matris suæ opprobrium sustinere, quod ipsi declinare, & vitare non erat liberum. Absit tamen, vt hæc de præstantissimo illo numine vel suspicari liceat. Audi Ildephonsum in libro de Parturitione, & Virginitate Mariæ. *Sed quia solus inter omnes liber fuit à culpa, libere egit in nascendo ex Maria, libere & in omnibus, pro quibus venit.* Ildephon. Quasi dicat, in his, quæ ad matrem, & ad natiuitatem pertinent, nihil coactum, nihil necessarium in Christo fuit, sed libera

omnia, & spontanea. Ipse sibi matrem elegit, ipse sibi finxit, ipse suæ natiuitatis modum, & rationem, prout collibitum fuit, molitus est. Et quidem ob eam causam idem Ildephonsus supra, cum Christum Dominum sub patria potestate obnoxium seriò affirmasset, consulte adiecit, non cuicumque matri eum subditum fuisse, sed ei, quam ipse sibi formauit, ac talem formauit, vt illi subesse non esset turpe. Sic enim ait: *Vt filius Dei factor omnium fieret ex matre, quam ipse formauerat, essetque dominator nascendo subditus ancillæ, quam ipse condiderat, sicque haberet ancilla in subdito Dominum, ancillam Dominus in prælato, vt haberet nascendi nutricē, cui nascendi author extitit idem.* Quasi dicat, ideò non fuit indecorum Christo suæ matri subdi, atque illi ex debito pietatis parere, quia ipse illum condidit: atque adeò talem condidit, vt ne suspicari quidem liceat, eum illi coactè, aut ex infirmitate subiacere. Vnde idem *Ildephon.* Ildephonsus in sermone de Natiuitate Mariæ hæc verba ex Augustino ascita Virgini dedit. *Lacta Maria creatorem tuum: lacta eum, qui te fecit, & qui talem fecit te, vt ipse fieret ex te.*

5 *Chrysost.* Eleganter admodum obseruauit Chrysostomus in cap. 1. Math. inter Christum, & alios filios hoc interesse, quod alij filij parentes suos sustinent: *Christus verò parentes suos adoptauit.* Itaque cum parentum proprium sit, filios aut procreare, aut adoptare, Christus contrà, suorum parentum adoptator fuit: adde etiam, & procreator. Hæc Chrysostomus agens in vniuersum de Christi progenitoribus: quod longè melius in matrem, quam in alios cadere videtur. Alios enim parentes ex iam futuris sibi delegit: atque adeò saltem eorum productio sub illius electionem non cecidit: Mariæ verò creationem, & conditionem ipsam primam elegit, vt supra diximus à cap. 16. Huius ergo matris Christus Dominus adoptator fuit, non solùm quia illi gratiam adoptionis, & iustitiam promeruit, sed etiam quia vere ipsam ad maternitatem elegit, adoptauitque.

6 *Ambros.* Sed quid est adoptare? Accipe hoc ex Ambrosio in Epist. ad Sisinium. *Aut natura* (inquit) *filios suscipimus, aut electione: in natura casus est: in electione iudicium. Magisque sine consensu patris in adoptandis offendimus, quam in genitalibus filijs: quia genitales filios esse ad naturam refertur, in adoptione dedecoris esse, non nisi errori adscribimus.* Hinc ergo sic deducere integrum est. Quandoquidem certum est Christum sibi matrem adoptasse, profectò si in hac adoptione omnia illa, quæ sibi quomodolibet dedecori esse poterant, cautus, & prouidus non vitasset, errori hoc adscribendum esset. Absit autem, vt in ipsum error aliquis, aut erroris suspicio cadere potuerit. Ambrosio cohæreat Theodoricus Rex Gothorū apud Cassiodorum lib. 4. Epist. 2. qui adoptans in filium Regem Herulorum, inter alia sic scribit: *Non est dignus adoptari, nisi qui fortissimus meretur agnosci: ignaui autem esse nesciunt, quos iudicia pepererunt.* Quibus verbis innuit Theodoricus adoptionem quendam esse mentis, ac iudicij partum: naturales enim filios natura ipsa producit: adoptiuos autem ratio, & iudicium seligit, & quodammodo etiam parturit. Quid inde? Profectò inde fit, Deum, quem hactenus suæ matris adoptatorem fuisse diximus, suam etiam matrem, & parentem mente quodammodo, atque iudicio concepisse, ac parturijsse. Itane ergo vt dicamus ex hoc conceptu, atque partu monstrum turpissimum, hoc est, peccatricem fœminam prodijsse? Absit, nefas est dicere id Deo cum hominibus commune esse, peccatores vt cumque parere. Hunc ad sensum libet allicere verba illa Diui Isidori sæpè alias à me inculcata ex Mixtarabico Missali. *Talem multoque verè creditur mirabilem matrem creasse, qualem diuinitus per eam trāsiens decus virgineum non amisit, dum ab illo creari ita est, & ab eo concipi.* Quasi dicat, credendum certè est, Deum optimum maximum talem, ac tam mirabilem sibi matrem formasse, ac creasse, qualem esse illam decebat, quæ Deum pareret. Quia illam creare perinde fuit, atque illam mente, ac iudicio suo concipere, vt demum pareret: quia nimirum illam ex electione, & consultatione, non casu, & fato aliquo produxit. Ergo si quando nobis se se offert, vel ideò Mariæ Conceptionem impuram, & omnibus peccati originalis legibus obnoxiam fuisse, quia eam Anna humana solennitate concepit, ac peperit: hanc certè suspicionem excutere non erit difficile, si ad hanc diuini iudicij, ac mentis diuinæ conceptionem, & partum oculos referamus, per quam Maria fœlicissime producta, & procreata fuit, & in quam nihil peccati, aut sordis incidere potuit.

Cassiod. *Isidorus.*

7 Ex patria matris potestate deducitur filij subiectio, & obsequentia. Nam si Virgo iure maternitatis potestatem in Christum habebat, Christus illi obedientiam, & honorem præstare tenebatur. Et quidem ex hoc honore, quem filius parenti impendere debet, multi immunitatem Virginis à culpa originali comprobare conati sunt. De qua thesi supra cap. 28. circa finem non pauca diximus, cum ex incorruptione virginei corporis post obitum, eius animum ab omni peccati corruptela expertem fuisse demonstrare contendimus. Vbi etiam Augustini verba, quæ ad hanc probationem euocari solent, & protulimus, & expendimus. Accipe hic etiam Gersonē, qui non inuenuste hoc *Gerson.*

argu-

argumento vsus est, in sermone de Conceptione super illud: *Tota pulchra es amica mea.* vbi obedientiam virtutem pro Virgine loquentem inducens hunc ad modum scribit. *Cum tu summus Princeps velis habere matrem carnaliter in terra, illi certè debebis honorē, obedientiam, reuerentiam, seruitiū. Nunc autem apparet illam legem non bene adimpleri, si in huiusmodi abominatione, immunditia, & subiectione peccati originalis aliquo tempore permitteres illam, quæ esse debet habitaculum, templū, & palatium totius puritatis.*

8 Et sanè omnes fere Patres illud obseruāt, Christum Dominum in cruce iam iam animam agentem, ne huic pietatis debito erga suam matrem deesset, de ipsa tunc solicitum fuisse, atque illam Ioanni amantissimo discipulo propterea commendasse. Audi Ambrosium de hac Christi cura eleganter declamantem in Lucam lib. 10. cap. 23. Nam cum præmisisset Virginem iuxta crucem stantem id auidissimè affectasse, vt pro filio vulneribus multis saucia mortem oppeteret. Subinde filij de matre solicitudinem, & curam obseruans, sic attexuit: *Doceat lectio quid maternus debeat affectus imitari, quid sequi reuerentia filiorum, vt illæ* (scilicet matres) *se offerant in filiorum periculis, illis* (id est filijs) *amplius solicitudo materna, quam sua mortis mæstitia sit dolori.* Hinc ergo sic ratiocinari licet. Si Christus Dominus in cruce moribundus humanæ redemptioni clausulam extremam imponens, tunc cum salutem omnium à Patre tanta vocis cōtentione postulans exauditus est pro sua reuerentia, Matris suæ temporali solitudini, atque indigentiæ tanto studio subuenire curauit: cur non magis credemus eundem in eo ipso tempore, quo passionem suam Patri pro delictis omnium offerebat, & redemptionē consummabat, maiori, ac digniori solicitudine matri suæ originalem innocentiam, & orasse, atque exorasse? An æquum erat tantum filium minora matris suæ commoda curare, & maiora aspernari? Absit vt hoc, vel suspicari, nedum credere audeam: Quis enim credat Christum corporalis absentiæ suæ aliquod solatiū matri relinquere ex cruce tanto studio curasse, & absentiam Diuinitatis, quam peccatum efficit, vel ad momentum in Virginis anima fieri dissimulasse? Rursus idem Ambrosius Epistolarum libro. 10. cap. 79. postquam præmisit filij de matre curam, & solicitudinem ex cruce, ita demum subnectit. *Hoc testamentum filij est de matris integritate, hac Maria locuples integri pudoris hæreditas, hic totius finis consummationis. Denique hoc dixit, & emisit spiritum consummans omne mysterium bono fine pietatis.* Præmiserat autem Ambrosius Christum Dominum eo vel maximè Ioanni virginitatem colenti matrem suam commendasse, vt de virginitate eius testimonium perhiberet: ita enim inter alia ferit: *Testis est ergo idem arbiter, idem materni pudoris assertor, &c.* Atque adeò consectariè ad dicta subijcit Sanctus Doctor Christum Dominum vitæ suæ periodum clausisse optimo pietatis fine, matris virginitatem nobilissima illa significatione contestantē. Iā ergo sic conficere licet. Si Christus Dominus in cruce pendens, & salutis nostræ negotia denique absoluens tunc cum gratiam omnibus postulauit, atque obtinuit, eius virginitatis, quæ in integritate corporis consistit, solam opinionem tam studiose curauit, ne matri deesset: quanto putamus studio illam animi integritatem, quam peccatum originale violat, tunc contendisse, vt illam matri non tantum opinione, sed re ipsa pro meritis obtineret: sic enim longè meliori, ac digniori pietatis actione extremam vitæ suæ clausulam imponeret.

Ad hæc cum certum sit, ac ratum non modo per diuina præcepta, sed etiam per naturæ ipsius iura, filios parentibus honorem deferre debere: illud profecto cum naturæ iuribus, atque diuinis legibus maximè conforme est, vt filius parentes suos ad illius honoris societatem, & communionem euocet, cuius ipse compos est. Quod ius apprime callens Salomon, cum aliquando Bethsabe ad ipsum ingressa fuisse, vt loqueretur pro Adonia. 3. Regum. 2. huius pietatis partes omnes expleuit. Nam sic habet sacer textus: *Surrexit Rex in occursum eius, adorauitque eam, & sedit super thronum suum, positusque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius.* Ergone putandum erit huic officio erga digniorem parentem Christum defuisse? Minimè gentium. Nam si rem attentius inspicias, facile agnosces illum matrem suam Deiparam Virginem in plurimis, quibus ipse excelluit, honorum consortium asciuisse. Nam cum ipse supremus esset Rex, Princeps, ac Dominus rerum omnium, eam simili iure rerum omnium Reginam, ac Dominam esse iussit: cum ipse quoque mediator, redemptor, & author salutis nostræ esset, ad huius etiam muneris societatem, quoad fieri potuit, Virginem erexit: ita vt liceat etiam illam mediatricem, redemptricem, nostræque salutis autricem, cum Augustino compellare, quatenus ad hanc salutem cum Christo simul cooperata est. Qui igitur filiorum erga parentes suos debito obsequens, hæc sibi cum Maria matre communia esse voluit: cur non etiam ad innocentiæ communionem illam admitteret: vt nimirum ipsa id haberet ex gratia, quod ipsi competebat per naturam, scilicet omnimodam, & ab omni culpa expertem innocentiam? Ego sanè non minus hoc mihi persuadeo, quam illud.

Ambros. (margin, twice); 3. Reg. 2. (margin); 9 (margin)

10 Quod tibi vt etiam persuadeam, velim obseruес quid à Salomone præstitum fuerit, *Surrexit Rex in occursum eius.* Pende quid inter Mariam, atque alias animas intersit: de alijs enim Matth. 10. sub nomine, & vmbra decem virginum sic enunciatur: *Exierunt obuiam sponso, & sponsæ.* Itaque ipsæ obuiam Christo fieri, & in occursum eius procedere dicuntur: de Virgine autem, quia id honor matri debitus postulabat, vt à filio suo obsequio præueniretur, sub figura Bethsabe ita legis. *Surrexit Rex in occursum eius.* Repete igitur memoria ea, quæ supra statuimus à cap. 17. vbi inter Mariam, & alios homines id interesse diximus, quod alij ante Christum futuri præuidentur: nam eorum causa Christus descendit: atque adeò ipsi quodammodo obuiam Christo venire videntur, dum ipsi præcedunt, & Christus eosdem quasi respectat. Aliter Virgo, quæ cum propter Christum condita, & formata sit non ante futura: hoc quasi iure materno à filio suo obsequij refert, vt ipso præcedente, & quasi in occursum præcurrente, ipsa respectet: atque inde factum, vt nec originis peccatum, nec aliquam peccati legem, aut debitum subierit, vt inibi comprobauimus. Excurro ad alia.

Matt. 10.

VIRGO DEIPARA EST præcipua Dei sponsa: atque inde etiam præfata immunitas euincitur.

CAP. XXXI.

1. *Maria vera Dei sponsa, cætera animæ comparatione ipsius, ancillæ.*
2. *In illis verbis Matthæi*: Exierunt obuiam spõso, & sponsæ, *nomine sponsæ Maria intelligitur, & à decẽ virginibus excernitur.*
3. *Cur simul cum decem oleum præparasse, & obuiam processisse non dicitur.*
4. *Maria præcipua Christi sponsa ideò dicitur, quia in verbi nuptijs loco totius humanæ naturæ consensum præbuit.*
5. *De nobilitate istius consensus.*
6. *Ideò pro tota natura ipsam consentire oportuit, quia in ipsa tantum natura integra, & fides firma fuit.*
7. *Mariam Virginem fidei obsidem mundus effecit propter innocentiam originalem.*
8. *Ex illo verbo*, fiat, *quo Virgo in diuini verbi nuptijs consensum præbuit, eius immunitas à peccato persuadetur.*
9. *Sponsa in mariti familiam transit, eius originem, forum, & leges sequitur, non solùm nouo, sed etiam antiquo Hebræorum iure.*
10. *Hæc omnia Virgo sanctissima per Christi nuptias obtinuit, & ex his eius innocentia comprobatur.*
11. *Virgo Maria speciali quodam iure Spiritus Sancti sponsa fuit.*
12. *Pro arrhis, & antenuptialibus donis accepit gratiam originalem.*
13. *Confirmatur hoc Idiotæ, Chrysologi, & Gersonis testimonio.*
14. *Dignitas sponsæ, eiusq; dignitatis iura à conceptione Virginis deriuanda sunt.*



OMINVS Possedit me in initio viarum suarum. Nihil certè bonæ rationis pro immaculata Virginis Conceptione cõformare licet, cuius in hoc loco semẽ non delitescat. Nemini certè nota non est verbi illius קנה. quod hic subest, vis in nuptijs: nam vt supra c. 4. vers. 5. pluribus dixi ad illa verba: *Posside sapientiam, posside prudentiam:* hoc verbum, quod alias significat emere, aut acquirere, nuptias, & coniugia adsignificat, quæ olim per emptionem, & venditionem copulabãtur. Hinc est illud Oseæ 3. *Et fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei.* Vbi pro *fodi* subest præfatũ verbum קנה *Kanah*, id est, *possedi*, aut *emi*: despondi scilicet, aut connubio mihi adiunxi. Adi etiam, si libet, eum locum, & quæ in eum erudite contulerunt Ribera, & Castrus, vterq; ex nostris; & si vacat, eiusdem argumenti non pauca licebit tibi legere apud Pined. in Præuio Salom. in Isagoge expositionis in Psal. 44. Itaq; præmissa verba hoc sensu donare integrum est: *Dominus possedit me*, verba sunt Mariæ, id est, Dominus in sponsam me assumpsit sangui- I

Osea. 3.

Ribera.
Castrus.
Pineda.

nis

nis sui pretio emptam: cui adsimile est illud Pauli de tota Ecclesia verba facientis Actorum. 20. *In quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Neque enim dubium, quin ibi Paulus ex nuptiali emptione similitudinem petierit, vt in loco citato præfati sumus. Me igitur (inquit Maria) *possedit*, id est, nuptiali vinculo sibi obligauit, *in initio*, id est, ante alias animas. Quamuis enim alias animas sponsarum loco habeat: me tamen primam, & principem sponsam elegit, ac nuncupauit. Nam vt supra cap. 9. ad illa verba: *Simile est Regnum Cœlorum decem virginibus, quæ exierunt obuiam sponso, & sponsæ*: non paucis diximus: per hanc sponsam, cui Virgines obuiam progredi dicuntur, Virgo Deipara significatur, cum qua collatæ aliæ animæ virginum ancillantium, & pedissequarum admitar obtinent.

Act. 20.

Matth. 9.

2 Ergo apud Patres Virgo Deipara aliquando dicitur *sponsa Patris*, nonnunquam etiam *sponsa Trinitatis*: sed tamen frequentius, & aptius *sponsa Christi*, & *sponsa Spiritus Sancti* nuncupari consueuit. Frustrà huius rei testimonia proferam, cum sint obuia. Id ergo mihi sumens, vtriusque tituli rationem expendam. Est igitur Maria *Christi sponsa*. Ita licet colligere ex illis verbis: *Exierunt obuiam sponso, & sponsæ*. Vbi Christus sponsus, Maria sponsa. De sponsalitio, & coniugali hoc vinculo, quod inter Mariam, & Christum intercedit, alias non pauca dixi: subiciam nunc ea tantum, quæ sunt ad rem nostram. Imprimis autem illud rogo, quid causæ occurrit, propter quam Virgo Maria in decem virginum prudentium censum non refertur? Cur oleum ad nuptias comparasse non dicitur? Cur Christo obuiam ire non asseritur, sed cum ipso procedere, ac velut lateri eius adhærere perhibetur? Sic enim habes: *sponso, & sponsa*. Certè huius rei causa tota in promptu est. Ideò Virgo in aliarum animarum censum communi iure non venit, quia extra censum est: quia nihil in ea commune, ac vulgare existit, quod ipsam cum alijs permisceat: quia demũ leges, & iura vniuersalia illam minimè comprehendunt. Denarius ille virginum omnes Adami filios complectitur, vt docent eum in locum Patres, & Interpretes. Satis autem erudite ex his alter obseruauit inter numerum denarium, & septenarium id interesse, quod licet vterque in scriptura ad multitudinem notandam crebro assumatur: tamen denarius cum sit perfectus, & completus numerus, omnes adsignificat: septenarius verò impar, & imperfectus cum sit, multos, aut plures notat. Decem ergo Virgines omnes animas includũt: Virgo tamen Deipara extranumeraria est: neq; plurium, neque omnium censum ingreditur. Quapropter cum audis: *Omnes in Adam peccauerunt*: aut illud: *In omnes homines mors pertransijt*, vel aliquid aliud huic ad simile, cogitare debes Mariam in omnium numerum nequaquam venire, sed extra numerum cum Christo computari: *Exierunt obuiam sponso, & sponsa*.

3 Deinde Virgo oleum cum alijs comparasse non dicitur, quia vt in eum locum multi ex Patribus contemplantur, oleum diuinam misericordiam significat, quam omnes homines ad suorum peccatorum remissionem omni studio conquirere debent: Virgo autem non eget ea misericordia, quę miseriam subleuat, quia nullam peccati miseriam vnquam contraxit. Rursus non dicitur Maria in occursum venire sponso, quia eius est obuiam alicui ire, qui diffitus, ac auersus aliquando fuit. Quapropter cum reliquos homines peccatum à Deo aliquando auerterit, tum cum ad illum se se referunt, & conuertũt, obuiam ei procedere merito dicuntur: Mariam autem nullũ peccatũ à Deo auersam fecit, aut separauit: ideò nõ ipsi obuiam fieri, sed cum ipso esse, & alios venientes, obuiamque procedentes expectare meritò affirmatur. *Exierunt obuiam sponso, & sponsæ*.

4 Sed iam illud inuestigandum videtur, cur Virgo Maria prima, ac præcipua Christi spõsa nominetur. Huius rei (ni fallor) optima ratio petenda est ex comparatione cum secunda, & minus principali sponsa, quæ est Ecclesia. Illud igitur in nuptijs copulandis præcipuum, ac maximum, & quod, vt aiunt, rem, causamque continet, scilicet verus vtriusque coniugis consensus. Cum ergo ad Ecclesiam sibi connubio iungendam stabili, Dei verbũ iam iam veniret, certè sponsæ consensus ad nuptias istas copulãdas pernecessarius fuit. Hunc ergo totius Ecclesiæ nomine præstitit Maria. Audi Angelicum Doctorem 3. parte, q. 30. art. 1. *Congruum* (inquit) *fuit Beatæ Virgini annunciari, quod esset Christum conceptura, vt ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter filium Dei, & humanam naturã: & ideò per annunciationem expectabatur consensus Virginis, loco totius humanæ naturæ.* Itaque Virgo Maria suo, atque totius Ecclesiæ, imò potius naturę nomine assẽsum præbuit, & nuptias verbi cum natura humana eo assensu perfecit: tunc scilicet cum Angelo Paranymphum agenti ita respondit. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* S. Thom.

5 Eapropter de hoc Mariæ *fiat*, tanta, ac tam præclara à Patribus pronunciata sunt: perstringam nonnulla. D. August. ser. 17. de Natiuit. *Responde iam Virgo sacra assensum tuum, Angelus præstolatur, Deus in porta est, Angelum, quem moraris, expectat.* Et in Genes. c. 28. iterum sic August. *O Beata Maria, seculũ omne captiuum, tuum deprecatur assensum: te Deo mundus suæ fidei obsidem facit, per te parentum suorum iniurias abstergi deprecatur*: quæ verba in Diui Thomæ sententiam recedere August.

videntur : atque adeò significant Virginem pro tota humana natura, & spopondisse, & August. assensum dedisse. Rursus idem Augustinus: *Responde verbum, & suscipe filium, da fidem, & senti virtutem, pande sinus roseos Virgo, perpetua fides tua mundo aut aperit cœlum, aut claudit.* Et vt reliquos omittam: accedat Au- Bernar. gustino Bernardus homil. 4. super *Missus est. Expectat Angelus responsum, expectamus & nos, ò Domina, verbū miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis : in sempiterno Dei verbo facti sumus omnes, & ecce morimur, in tuo verbi responso sumus reficiendi, & ad vitam reuocandi, &c.* Itaq; Bernard. Mariæ *fiat*, cum illo cōponit, quo Deus omnia ab initio condidit, atque ita inter se confert, vt quemadmodum Deus per suum ipsius *fiat* reliquas creaturas, & hominem ab initio fecit : ita per illud Mariæ *fiat* eundem hominem culpa demortuum refecit, ac vitæ reddidit.

6 His ergo positis, quid quæso causæ fuit, cur totius naturæ authoritas, & fides ad vnā Mariam redacta fuerit : vt sola pro omnibus in diuini verbi nuptijs spoponderit, & sola pro omnibus pacisci potuerit ? Certè non alia esse potest, nisi quia in sola Virgine Maria natura integra, & incorrupta inueniebatur, quæ in reliquis per culpam vitiata, & violata erat: atque adeò in ipsa tantum totius naturæ fides, & dignitas residebat. Nulla enim alia, vel aptior, vel accommodatior illius authoritatis ratio afferri poterit. Et quidem ita decuit: nam omnis alia natura, quæ per peccatum semel corrupta fuit, tantam sibi inconstantiam inde accersiuit, vt illi maximè proprium sit fidem fallere, & promissionibus suis non stare : primus enim ille casus plurimarum ruinarum, & auersionum à Deo causa extitit. Oportuit ergo vnam aliquam ad perpetuas illas verbi diuini cum humana natura nuptias paciscendas seligi, in qua esset naturæ integritas, quę scilicet gratia originali prædita semper in bono, & in iustitia offirmata, & constans esset, fidemque datam violare, & præstitum assensum recantare non posset.

7 D. August. Sed ad trutinam vocanda sunt illa Augustini verba. *Te Deo mundus fidei suæ obsidem facit* : *Obses* enim, Festo authore, dictus est quasi *obsides*, quia ob fidem alicui seruandam datur : vt scilicet apud eum, cui fides obligata est, semper manens, eos, qui fidem suam obstrinxerunt, cogat, nequid contra sponsionem suam vnquam committant. Illud verò in obsidibus dandis cum primis animaduertendum est (vt Liuius monet lib. 10. decad. 1.) ne eos, quibus dantur, vnquam lęserint, ne forte timor eos aliquando in fugam compellat, atque fœdera disrumpantur: propterea suadet insontes puellos, aut Liuius. innocuas Virgines maximè aptas esse, vt pro obsidibus dentur. Vide ibi quæ de Cœlia virgine scribit, quæ obses facta fuit apud Regem Porsennam. Totus ergo mundus Mariam Deo suæ fidei obsidem fecit, ac dedit ; vt in ea vna Deus omnium fidem teneat. Quapropter ita oportuit, vt Virgo esset innocua, & insons, quæ nunquam Deum peccato suo læsisset, aut violasset, & quæ ab eo nunquam auerteretur, vt ea ratione fœdera nostra cum Deo inita, rata, ac firma essent.

Rursus illud etiam persuadet Virginem ab omni culpa prorsus vacasse, quia vt ait 8 Augustinus, per eius *fiat*, quo in diuini verbi nuptijs consensum prębuit, primorum parentum iniuriæ abstersæ sunt : & iterum dicit, per ipsius fiat cœlorum ianuas reseratas fuisse. Bernardus etiam addit, per Mariæ *fiat* omnia refecta fuisse. Ergone putabimus eam, quæ verbo suo parentum suorum detersit maculas, eorum ex sordibus infectam fuisse ? Ergone credemus eam, quæ per suum *fiat* omnia refecit, & ad vitam reuocauit, per culpam aliquando de mortuam, & refici, & vitæ restitui prius debuisse ? Ergone censebimus ei, quæ verbo suo cœlum patefecit, ipsum cœlum prius clausum omnino, & imperuium fuisse ? Denique nefas est fateri eam, quæ pro mundo vniuerso in nuptijs illis diuinissimis assensum præbuit, aliquando à Deo dissentire potuisse. Ex his liquet, Virgini Deiparæ speciali iure, quatenus præcipua fuit Christi sponsa, immunitatem à culpa originali deberi.

Sed rursus hanc immunitatem alio ex capite repetere libet. Leges enim ita de- 9 cernunt, vt sponsa in mariti sui familiam transeat. leg. Quicumque, C. de *Re milit ari.* Item vxor in causis omnibus sequitur leges, & forum viri, vt communis etiam fert iurisperitorum sententia cum Baldo Baldus. in cap. *Constitutis in præsentia nostra* ext. de testibus. Et quod caput est, sponsa eiusdem originis censetur cum marito, vt docet Glossa noua in leg. *originali*, C. de municipat. & origin. lib. 20. quam sequitur Bar- Bartol. tol. De his omnibus videndus Tiraquell. ad Tyraq. leg. 1. connubialem parte 1. à num. 25. vsque ad 34. Neque solum hæc hodie rata sunt iure humano, & prophano, sed etiam cauta erant iure diuino apud Hebræos, inter quos vxor in viri familiam migrabat. Atque eo spectat illud Psalmi 44. vbi ad eam Psal. 44. Virginem, & Reginam, quæ Deo desponderat, sic Psaltes. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Quia videlicet, ex quo nupsisti, in viri familiam cooptata, tuam iam obliuioni committere debes. Hęc autem familię mutatio tanti putabatur apud Hebræos, vt vxor in domū viri translata, spōsi parentes pro suis duceret, ac pro suis nominaret, vt obseruauimus in cap. 3. Cant vers. 5.

Erat

Erat etiam mutatio originis solennis apud Hebręos:atque inde factum Math. 1. vt in Genealogia Mariæ Ioseph sponsi sui parentes, aui,& ataui numerentur,non vero ipsius Mariæ: quia nimirum hæc statim atq; nupsit Ioseph,de ipsius familia,atq; origine censeri cœpit. Ad mutationem quoq; legum,ac fori pertinet illud,quod post illa verba. *Audi fi ia,& vide, &c.* statim attexit Psaltes. *Obliuiscere populum tuum* : Nam quod domum suam obliuioni tradere suadetur, ad familiæ mutationem spectat:quod vero populi etiam nequaquã meminisse videtur, ad legum vtiq; translationem pertinet.Sed ad Virginem redeamus.

10 Est igitur Maria sponsa Christi,atq; adeò hoc iure à suorum parentum familia desciscẽs,in nouam sponsi familiam transiuit. Sed *Leo Impe.* qua ratione à suorum parentum familia abstracta est? Audi Leonẽ sapientissimum Imperatorem in oratione illa de incarnatione, cuius verba suprà alio consilio dedimus: hæc enim ad versum illum Psalmi. *Audi filia, & vide,&c.* sic de Virgine scripsit. *Cum adhuc in lumbis paternis esses,progenitor tuus clamat. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum,& domum patris tui. Audisti vere filia commonitionem, & oblita es populi tui. & sortis, domusque paternæ. Sortis videlicet illius, quam Eua progenitrix tua toti generi distribuit, infinito illo affectuum,passionum,& animi perturbationum cumulo quasi hereditario relicto: at nihil horum tu in domum* *Chrysipp.* *tuam intulisti.* Cohęrent etiam cum his verba Chrysippi Hierosolimitæ,qui ipsissimum locum expendens in serm. de Sancta Maria Deipa. hæc habet. *Audi filia & vide, & obliuiscere populum tuum,&c. Populus enim,à quo cognitionem contraxisti, populus nequam est,ignominiã tibi affert, populus imprudens tibi irreprehensa natura, propaginis familiaritate iunctus est,& cultura spinarum ferax rosam tuam producit.Obliuiscere autem vna cum populo tuo ipsam domum paternam, &c.* Neque vero est animus loci huius penitiores sensus prerimari: erit enim illi infra in sæculorum cẽsu propria sedes. Sed ex vtroq; loco id sumo, Virginis scilicet immunitatem à peccato originali optime designari ex eo, quod ad nuptias Christi euocata suorum parentum familiam vertisse, & in sponsi familiam cooptata dicitur. Nam cum id vitij ex familia per traducem deriuetur,mutata familia,tradux excinditur. Hæc autem mutatio familiæ non deinceps successu temporis, sed in ipsis paternis lumbis facta est (inquit Leo)atq; adeò ex tũc ab his omnibus, quæ illi ex tam praua familia hæreditaria esse poterant, liberata, & asserta fuit: vt his gauderet, ac frueretur bonis, quæ ex sponsi familia in ipsam redundare poterãt. Mutauit etiam Virgo per nuptias supra dictas originem suum, & de origine sponsi censeri cœpit: abiecit nimirum vitiosam naturæ corruptæ originem, & puram, & incontaminatã sponsi sui originem accepit. (Luculentius dixerim) Peccatum originale cum gratia,& iustitia originali commutauit: nec iam illos, a quibus procreata est, parentes suos dicit: sed pro illis vnum Christi sponsi sui parentem æternum, patris loco habet,ac colit. Ac demum non leges, & forũ suorum progenitorum sequuta est, id est,non pactum,nõ legem transfusionis ingressa,atq; adeò debito contrahendi obærata, & obstricta fuit: sed ad sponsi sui leges, & forum ab initio pertinuit, & eius immunitates adepta fuit: vt quemadmodum ille ex natura, sic etiam illa ex gratia ab omni peccato, & peccati lege, ac debito libera fuerit. Hactenus de priori titulo, quo Virgo Christi Domini sponsa dicitur.

Appellatur etiam frequenti admodum Patrum vsu *sponsa Spiritus Sancti*, non quidem 11
communi iure, sicut aliæ etiam iustæ animæ, quæ huic spiritui per gratiam copulari dicuntur:sed speciali,ac proprio. Tunc enim sacer ille spiritus Mariam sibi despondit,cum obũbrans eius virtus illam texit. Nam vt supra dixi vers. 16. verbum illud *obumbro* maritale est,ac sponsale, vt pote vicinum verbis *nubo*, & *obnubo*. Quas nuptias optime depinxit An- *Anselm.*
selmus in lib. de excellentia Virginis cap. 4. *Ipse Spiritus Dei,ipse amor omnipotẽtis Patris, & filij, ipse per quem, & in quo amatur omne, quod bene amatur.* (Vide quam caste, ac purè rem delineat) *Ipse inquam corporaliter, vt bene dicam, venit in eam, singularique gratia præ omnibus, quæ creata sunt, siue in cœlo, siue in terra,in ipsa requieuit, & Reginam,& Imperatricem cœli, & terræ fecit sponsam suam.* Itaque singulare, ac proprium ius, quo Virgo Deipara Spiritus Sancti sponsa effecta fuit, illud est, quod vltra incomparabilem gratiæ affluẽtiam, qua ipsius animam affatim impleuit,ipsam obumbrauit ac texit, ac viri vices, partesque cõpensans, ex purissima illius carne, & substantia,Christo carnem, & substantiam dedit. O præclaras, & Deo ipso dignas nuptias!

Iam vero cõtemplare illa verba Anselmi. 12
Singulariq; gratia præ omnibus,quæ creata sũt, *Anselm.*
siue in cœlo, siue in terra, in ipsa requieuit. Eo enim nomine,quia Spiritus Sancti sponsa singulari iure, ac fœdere existebat, præfertur hominibus, præfertur Angelis Maria. Quis ergo æquo animo ferat, si audiat Adamum, & Euam in terra, & Angelos in cœlo gratia originali à suæ conditionis initio præditos fuisse, idque Mariæ denegari? Sed dices, Anselmum de tẽpore incarnationis loqui, tunc enim sponsa Spiritus Sancti esse cœpit: non autem de eo,quod incarnationem præcessit. Non assentior. Sed tamen nihil apud Anselmum occurrit, quo tuam in ea opinione obfirmatam mẽtem satis expugnare possim.Atq; adeò auxiliarem Anselmo euocare libet D.

Epiphs. Epiphanium, qui in serm. de laudibus Mariæ ita fatur. *Inuenitur Virgo esse cœlestis sponsa, & Mater, quæ donorum antenuptialium nomine Spiritum Sanctum accepit, dotis vero gratia cœlum, vnà cum paradiso.* Sanctum Spiritum appellat Spiritus Sancti gratiam, quam donorum antenuptialium nomine à Virgine, acceptam dicit. Virgo ergo etiam ante nuptias, id est, ante incarnationem Christi, Spiritus Sancti beneficio vberem gratiam accepit. Id quoque libenter mihi dabis: sed tamen negabis forcasse eam gratiam ab initio suæ Conceptionis Virgini fuisse concessam. Id ergo, mihi vt credas, obserua dona illa ante nuptialia, quę in iure spôsalitiæ largitatis nomen ferunt, vt docet Pollux, à Græcis appel-
Pollux. lari, ὀπτήρια à verbo ὀπτάω, id est, *video* vel θεώρητρα à verbo θεῶ, quod *videre* etiam adsignificat: quia nimirum tunc munera isthæc donabantur, cum primum sponso suam olim clausam, & obseratam videre, ac contéplari licebat sponsam. Haud aliter ergo de Spiritu Sancto censendum est, quem Virgini antenuptialia munera donasse affirmat Epiphanius, scilicet ea munera fuisse quidé ὀπτήρια, & θεώρητρα (liceat sic dicere *visoria*, neque enim aliud nomen aptius nunc occurrit, quod illorum nominum vim exprimat.) Dedit inquam *visoria*, quia cum primum illam intuitus est, gratia, & iustitia antenuptialium loco eam donauit. Quando autem ipsam primum viderit, tu nosti: vidit certe, & contemplatus est illam ab æterno, & in sua Conceptione, & animatione primum vidit: atque adeò gratiam, & iustitiam conceptioni ab æterno præparauit, & prædestinauit: atque in eadem Conceptione tandé aliquando donauit, vt esset iustitia illius originalis. Et quidem ita fateri necesse est, quomodo enim facer ille sponsus eã videre posset, quam sibi in sponsam amantissimã adoptauerat, quin illam mox, & subito moras omnes obrumpés suis muneribus condecoraret, ac cumularet?

13 Et quidem fas est hunc ad sensum allicere illa verba. *Spiritus Sanctus superueniet in te:* Nam *superuenire* perinde est, ac semel, & iterum deinceps venire, vulgo dicimus, *vna vez sobre otra.* Semel quidem in Conceptione, iterum in incarnatione. Id sibi voluit Idiota in contemplat. de Virgine Maria, cap. 2. *Nemo æqualis est tibi, nemo maior te nisi Deus,* *Idiota.*
Spiritus Sanctus superueniens in te, & virtus altissimi obumbrans tibi, quæ eras omnium virtutum, & gratiarum ornamentis prædecorata (alias prædotata) pulchritudinem, puritatem, sapientiã, & omnium virtutum gratiam adauxit. En qua ratione antenuptialia munera, & dotem distinxit Idiota, Spiritumq; Sanctum (liceat sic dicere) per antenuptialia dona in Virginem venisse, per dotem vero in eandé superuenisse non obscure significat. Accinit etiam Petrus Chrysologus serm. 140. de An- *Chrysol.*
nuntiatione. *Peruolat ad sponsam festinus interpres, vt à Dei sponsa humanæ desponsationis arceat, & suspendat affectum. Neque auferat à Ioseph Virginem, sed reddit Christo, cui est in vtero pignorata, cũ fieret.* Id est, in sua conditione, & Conceptione nuptiarum futurarum pignore donata. Quid illustrius? Sed huius loci exactam interpretationem habes infra in sæculorum censu sæculo 5. Accinit etiam Gerson super Magnif. Alphabe. 83. l. G. *Bea-* *Gerson.*
tam (inquit) respice primo modo, dum ab instanti suæ creationis initiatum est matrimonium cum æterno sponso Deo per arrhã fidei, spei, charitatis, & cæterarum virtutũ. Deniq; Maria est pulcherrima illa Esther, cui, cũ primũ ab Assuero visa fuit, præter aliarũ fœminarum solennem morem accelerare iussit mundum muliebrem, Esther 2. Alias enim animas per annum, id est, per totum vitæ curriculum *Esther. 2.*
ad extergendas faciei maculas, & næuos, id est, culpas contractas, vnguenta, & pigmenta adhibere voluit Deus: Mariã autem omni macula, ac nęuo carere maluit, vt pro Vasthi, id est, pro Eua sufficeretur. Quod si ne id quidem placet? Addo etiam id, quod infra cap. sequenti, & aliàs de maternitate Christi diximus, scilicet eam dignitatem, eiusque iura propter Dei electionem à Conceptione Virginis deriuanda esse, similem ad modum de dignitate, ac munere sponsæ Spiritus Sancti enunciari posse. Cui sententiæ adstipulatur sententia August. qui affirmat Sanctissimam Deiparam, sicut numquam non Virgo fuit, ita etiam numquam non Spiritus Sancti sponsam extitisse. Verba August. dabimus infra in sæculorum censu.

EX

EX MARIAE REGNO EAdem immunitas persuadetur



CAP. XXXII.



1. *Virginem Deus creaturis omnibus Reginã præfecit.*
2. *Regnum Mariæ in creaturas propter dignitatem Matris Dei, verum, ac proprium fuit.*
3. *Non minus latè patet Mariæ regnum, quàm regnum Christi, respectu aliarum creaturarum.*
4. *Imperat etiam ipsi Christo, & sibi.*
5. *Ex imperio Virginis in Christum, & in se ipsam, eius sanctitatẽ originalem suprà deprompsimus.*
6. *Virginis regnum in creaturas rationis expertes, eius originalem iustitiam probat.*
7. *Peccatum originale vitiauit esse, vitam, & sensum, quæ sunt propria creaturarum irrationalium.*
8. *Mariæ imperium creaturæ irrationales meritò detrectarent, si prima culpæ vitijs nõ caruisset.*
9. *Virgo propterea Regina est irrationabilium quia eorum reparatrix fuit, & inde eius innocentia comprobatur.*
10. *De imperio Angelorum, & hominum eadem ratio efformari potest.*
11. *Dignitas capitis, seu imperium Mariæ in homines, eius originalem iustitiam euincit.*
12. *Nec caro, nec ratio, ex quibus constat homo, Mariæ imperium sustinerent, si peccato originis immunda foret.*
13. *Maria Regina fuit Angelorum per gratiã, non per naturam.*
14. *Gratia, quæ illi regnum in Angelos detulit, debuit esse originalis.*
15. *Gratiæ maximus decor, ac splendor est, esse originalem.*
16. *Eo decore, quo prædita fuit gratia Angelorum, non debuit carere gratia Reginæ ipsorum.*
17. *Cum Patres Virginem Angelis præferunt, huius excessus causam puritatem assignant.*
18. *Virginis imperium Angeli meritò recusarent, si iustitiam originalem amisisset.*
19. *Angelorum immortalitas, & incorruptio idem imperium speciali quadam ratione refutarent.*
20. *Imperium in dæmones detulit Virgini gratia originalis.*
21. *Confirmatur testimonijs Patrum.*
22. *Summa Capituli.*



DOMINVS *Possedit me, &c.* Iterum huc accersenda est lectio illa Diui Athanasij. *Dominus præfecit me initium viarum suarum*: nam cum per *vias Dei* creaturas significari, nomenque illud *initium* prælationem, & principatum sonare alias dixerim, sensus erit: Dominus me creaturis omnibus præfecit, atque in illas principatum, & potestatem mihi dedit. Et quidem de Regno Virginis Deiparæ plura diximus in cap. 8. Prouerbiorum, ver. *16.* Rursus ex hoc etiam Regno pro immaculata Virginis Conceptione ductas rationes non paucas per superiora capita sparsimus. Sed illud in primis semel, atque iterum statuimus supra cap. *6.* & cap. *16.* videlicet huius regni iura, & conditiones ab ipsa Virginis Conceptione vigere cœpisse: quæ inibi diximus, hunc in locũ asciscere oportet pro his, quæ iam iam dicere paramus. 1 *Athanas.* *Prouer.* 8.

Est igitur Virgo Regina, quia Regis Christi parens. Id sibi voluit Athanasius. *Quemadmodum ipse Rex, qui natus est ex Virgine, ea propter Mater, quæ illum genuit, & Regina, & Domina, & Deipara propriè, & verè censetur.* Quæ verba ad citatum versum multis expendimus. Ex quibus etiam illud nunc deducere licet, Matris regnum non minus late patere, quam filij: atque adeò fas est præmissa verba sic conuertere. *Quemadmodum ipse, qui natus est ex Virgine, Rex & Dominus est Angelorum, hominum, & creaturarum omnium: ita etiam Virgo Deipara similem ad modum Angelorum, hominum, & creaturarum omnium Regina, & Domina existit.* 2 *Athanas.*

Huius etiam imperij late patentem magnitudinem descripsit Rupertus. *Ac proinde Regina constituta totum possedit filij regnum.* Expressius autem Diuus Bernardinus tom. 1 serm. 61. art. 3. cap. 6. *Tot enim creaturæ seruiunt gloriosæ Virgini, quot seruiunt Trinitati: omnes enim creaturæ, quẽcumq; gradum teneãt* 3 *Rupertus. D. Ber.*

in cre-

in creatis, siue spirituales, vt Angeli: siue rationales, vt homines, siue corporales, vt corpora cœlestia, vel elementa. Et omnia quæ sunt in cœlo, & in terra, siue damnati, siue beati, quæ omnia sunt diuino imperio subiugata: eadem gloriosæ Virgini sunt subiecta. Ille enim, qui filius Dei est, & Virginis benedictæ volens paterno principatui principatum æquiparare maternū, ipse, qui Deus erat, matri famulabatur in terra, & erat subditus illis. Propterea hæc est vera propositio. Diuino imperio omnia famulantur, etiam Virgo: & iterum hæc est vera: imperio Virginis omnia famulantur, etiam Deus.

4 Ac nequid esset, quod sub Virginis imperium non caderet, id etiam Virgini peculiare fuit inter alios homines, vt in semetipsam perfectum regnum haberet. Nā cum in alijs intestinum, & ciuile bellū semper grassetur, & appetitus rationem numquam non impugnet, sæpius expugnet, nihil eiusmodi in Virgine fuit: sed caro, & quę ex carne fluunt appetitiones, rationis imperium suscipientes, ad nutum illi obtemperabant. Itaque huius Mariani Regni iura multifariam diuiduntur, in filium, in seipsam, in Angelos, in homines, & in reliquas creaturas, & ex singulis huius imperij partibus immaculatam Conceptionem non inefficaciter depromere licet.

5 Aristotel. In primis ergo Mariæ Virginis potestatem in filium, Regiam appellare fas est. Ita docet Aristoteles lib 8. Ethi. cap. 11. *Societas Patris ad filios Regni præsefert effigiem, nati namque Patri sunt curæ*: id est, potestas parentum in filios regnum imitatur, non est enim potestas in seruos, sed in liberos, & ingenuos. Quomodo autē ex hac Materna Virginis potestate in Christum eius immunitas à peccato originali comprobetur, multa diximus supra cap. 30. Secunda Mariani Regni pars ea est, qua sibi ipsi imperauit, & per quam ipsa sui Regina, & Domina semper fuit, quatenus caro, & appetitus menti semper obtemperans legitimum rationis regnum constabiliuit. De hoc regno plura etiam diximus supra cap. 28. & ex eo, quod in Virgine fomes peccati extinctus, & suffocatus fuit, puram illius Conceptionem non insulsè confecimus. Vide ibi plura. Restant igitur tres huius Mariani regni partes, de quibus in hoc capite sermo futurus: videlicet in homines, in Angelos, & in reliquas rationis expertes creaturas.

6 Vt igitur ab infimis exordiar, Mariæ regnum in creaturas rationis expertes illā originali gratia præditam fuisse efficaciter probat. Quia si ad primum illud humanæ conditionis initium oculos referas, imperiū hoc in omnes creaturas rationis expertes simul cum gratia originali Adamo traditum est: nā

Genes. 1. Genes. 1. sic habet. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.* Et infra: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, &c.* Imperium autē hoc, quod cū originali iustitia simul acceperat primus homo, hac iustitia deperdita, simul etiam deperdidit. Illud igitur Maria cū iustitia etiam originali recuperare, ac recipere debuit: ita vt eo solo nomine omnium creaturarum regnum inierit, quia originali sanctitate prędita fuit.

Sed rationem istam vrgere libet. Sane creaturas rationis expertes trifariam partiri licet: aut enim esse corporeum tantummodo habent, vt elementa, & mixta: aut vita pollent, vt plantæ: aut sensu vigent, vt animantia. Itaque hæc regni pars tres omnino dignissimas res illius ditioni submittit: *Esse, vitam, & sensum.* Iā igitur mecum cogita, quāto detrimento culpa originalis affecerit hæc tria. Primum enim id, quod dicimus *esse*, nēpe *el ser*, quod homini commune est cum elementis, culpa originalis tantopere vitiauit, vt non immerito Iob huius vitij pertæsus lōge melius dixerit non esse, quam eo modo sub peccati originalis nota, & labe concipi, & procreari: nam cap. 3. ea mente in Conceptionis suæ horam inuectus ait. *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo.* Iob. 3. Secundo peccatum originale vitę, quam homo communem habet cum plātis, præsentissimum venenum fuit. Nam (liceat sic dicere) quatuor mortes aduersus vnā vitam produxit: nempe ciuilem mortem per exiliū à paradiso voluptatis, quæ propria, & naturalis hominis patria erat: naturalē mortem sublata arbore vitæ, quam ad vitam in æuum seruandam homini Deus indulserat: spiritualem mortem expulsa gratia, quæ vitam animę ipsi inspirat: & æternam mortem perpetuis pœnis apud inferos hominem adiudicans. Tertio, sensus à peccato originali grauissime violatus est. Nam cum is suapte natura ad id effectus, conditusque fuisset, vt voluptatibus indulgeret, & omnes licitas, & honestas delectationes captaret (ideo enim *in paradiso voluptatis* collocatus dicitur, quia puras, & ab omni angore vacuas delectationes inibi percepturus erat) originalis culpa eum valitudini, morbis, doloribus, & cruciatibus innumeris addixit.

Sed ad Virginē Deiparam veniamus. Ego quidem ita reor, Marię imperium, si ipsa originalis culpæ labe infecta fuisset, atque adeò originalis culpæ vitia omnia sibi accumulasset, omnes ad vnā creaturas merito detrectare posse. Nam elementa, & alia corpora vitæ expertia ita obijcere possent, sibi indecorum videri suum *esse* ei demittere, cui melius, ac opportunius fuisset, non esse tunc, cum cœpit existere. Deinde plantæ, & in vniuersum ea omnia, quæ vita pollent, illud causare possent, valde sibi turpe videri vitam suam ei subijcere, cuius vita ad eum modum

qua-

quatuor mortibus obstricta, & deuincta fuisset. Ac demum animantia, & ea omnia, quæ sensu vigent, ita obijcere, & causare possent, sibi prorsus inglorium, & humile esse, nobiliorem illum sentiendi gradum ei substernere, cuius omnes sensus culpa violati, langoribus, doloribus, molestijs, & cruciatibus turpiter, adiudicati, & dānati fuerant: atque adeò omnibus creaturis Mariani imperij detrectandi, & refellendi propriè, ac singulis singulæ rationes amplæ suppeterent.

9 At inquies exploratum satis esse, Virginē re ipsa cum gratia originali dominiū creaturarum adeptam fuisse: atque adeò ex gratia originali apte, & consequenter Regnum illius confici, non tamen ex Regno euinci, eam tali gratia ornatam fuisse. Certe huius argumenti vim facile agnosces, si modum inspexeris, quo Virgini Regnum istud adire cōcessum est. Audi Anselmum de excellentia Virginis cap. 11. *Vtique cuncta, quæ Deus bona, & vtiliter fecit, in eo statu, in quo condita fuerunt, sicut diximus, esse destiterunt, & per hanc Virginem in pristinum statū reuocata sunt, ac restituta: sicut ergo Deus sua potentia parando cuncta Pater est, ac Dominus omnium: ita beata Dei genitrix suis meritis cuncta reparando mater est, ac domina rerum: Deus enim est Dominus omnium singula in sua natura propria iussione constituendo: & Maria est domina rerum omnium, singula congenitæ dignitati per eā, quam meruit, gratiam restituendo.* Hactenus Anselmus: ex quibus constat, Virginem creaturarum omnium caput, Reginam, & Dominam propterea constitutam, quia illas creaturas, quæ per peccatum primi hominis à suæ conditionis gloria exciderant, refecit, & antiquæ dignitati restituit. Quia cum capitis propriū sit in membra influere, & aliquid deriuare, non aliter Virgo irrationabilium caput, & Regina concipi posset, nisi aliquid dignitatis, aut boni in eadem ex illa deflueret: inde autē aperte colligitur ipsam originalis peccati minime consortem fuisse. Si enim in eius peccati, quod bonum creaturarum statum euertit, consortium venisset Maria, non esset vtique reparationis causa, sed euersionis socia. Ergo quia regnum hoc, & dominiū creaturarum per earum reparationē Virgo vsurpauit, ideo ex illo eius immunitas aptissime, atque efficacissime comprobatur.

Ansel.

10 Quam rationem ad homines quoque, & ad Angelos explicare, & extendere potiori iure integrum est: constat enim Mariam humani generis reparationem, & Angelorum instaurationem longe melius, ac dignius perfecisse, quam aliarum creaturarum rationis expertium, vt supra ex doctrina Patrum decreuimus. De Angelis quidem cap. 4. de hominibus vero cap. 21. Quapropter eo iure vtriusque naturæ imperium adepta, ab omni peccato prorsus immunis esse debuit. Nam cum homines cunctos, ex Angelisque, quamplures peccatum euerterit, ac vitiauerit, naturæ vtriusque reparatrix, atque adeò Regina, & domina ab omni peccato vacare debuit, ne si peccati consors esset, ad euersionem potius cum alijs conspirasse, quam ad reparationem profuisse diceretur. Sed obijcies, fieri quidem potuisse, vt Maria prius euersionis socia, deinde vero reparationis autrix, & causa fuerit. Apage, absurdissimum est hoc: quis enim sibi persuadeat Christum Dominum ad reparationem vtriusque creaturæ comitem, & adiutricem sibi adiunxisse, & ad regni cōsortium vocasse eam, quę prius cum alijs ad euersionem, & destructionem conspirauerat? Quis credat Deum optimum maximum (liceat ita fari) sic neglexisse, & exautorasse adeò nobiles creaturas, vt earū imperium ei addixerit, quę peccati prius regnum misera seruitute sustinuit?

Sed præter hanc rationē, quæ hominibus, Angelis, atque alijs creaturis communis est, suppetunt etiam aliæ speciales, quæ ex regno, & potestate Mariæ in omnes homines, & Angelos depromi possunt: singulæ quidem pro singulis. Ad homines ergo spectat illud: quia vt Deus Adamum primum hominem aliorum hominum caput constitueret, atque ius ad gratiam, & iustitiam in reliquos homines transfundendam illi conferret, originali gratia illum donandū censuit: alioqui principatus iste indigno prorsus demandatus videretur: atque adeò statim atque à gratia originali per peccatum excidit, reliquorum hominum caput, ac princeps esse desijt. Cum ergo Deus Mariæ longe nobilius regnum, & digniorem potestatem in omne genus humanum addixerit, & gratiæ etiam largioris, & vberioris in alios homines deriuandæ tantū ius, & facultatem illi indulserit, vt certum, ratumque sit, nihil gratiæ, aut iustitiæ a Deo in vniuersos homines proficisci, quod per Mariam non regatur, & ex illa redūdet. (Audi Bernardum in serm. de natiuitate Virginis. *Hæc est voluntas Dei, qui totum nos habere voluit per Mariā, vt proinde si quid spei, si quid gratiæ in nobis est, ab ea nouerimus redundare. Ideo enim gratia plena dicitur, vt ex plenitudine illius accipiant vniuersi, &c.*) Profecto inde fit, tantam potestatem, & authoritatem cum gratia simul originali Mariæ concessam fuisse, alioqui indignæ, ac prorsus demerenti delata videretur. Quod si rationem quæras, ob quam decuit primum hominem gratia originali adornari, vt aliorum hominum caput, ac dux pro dignitate existeret, in promptu quidem est. Quia nimirum cum illum propriæ naturæ conditio omnibus hominibus exæquaret, sola gratia eundē super alios homines extollere, & capitis dignitatem illi conferre potuit: gratia autem capitis, quæ videlicet hominem caput, ac principem aliorum constituebat, gratia vtique prima, atq; princeps esse debuit. Fuit etiam Maria pura

11

Bernard.

fœmi-

fœmina, & naturæ communis conditionem non excedens: illa ergo similem ad modum gratia ad regnum euexit, atque adeò prima, & omnium facile princeps gratia esse debuit illa, per quam ei tantam potestatem capesse re licuit. Talis autem est gratia originalis, & non alia. Hæc igitur ipsam reliquorum hominum Reginam, & principem præstitit. Deinde præmissam rationem sic vrgeo. Si peccatum originale ex Adamo in prolem deriuatum sufficiens causa fuit, vt omnes aliæ creaturæ rationis expertes, quæ suapte natura homine inferiores erant, imperium homi nis excuterent, & regnum illius detrectarent. Ergo potiori iure homines, qui Virgini secundum naturam per omnia compares, & æquales erant, ab eius imperio, & regno resilirent, si ita constaret illam originalis culpæ maculam contraxisse.

12 Sed vt hæc melius teneas, cogita hominē duplici parte constare, corpore nimirum, & anima, carne, & ratione. Aio igitur primo carnem humanam Virginis Regnum merito detrectaturam fuisse, si originali culpa nequaquam vacaret. Si enim naturale propriæ animæ, & rationis dominium caro statim excussit, cum primum ratio, & mens originali peccato violata fuit, ac sui iuris esse incipiens, nō iam dominanti parere, & obsequi, sed mage dominari, & imperare contendit: potiori certe iure alienę rationis simili delictoviciatæ regnum, imperiumq; subire eadē caro repugnaret. Rursus dignissima, ac nobilissima hominis portio est ratio, atq; mēs, quæ sponte sua elata, superba, & imperij, iugique impatiens est. Iam igitur illud mecum perpende, inter alia, quæ ab originali culpa vitiata fuerunt, rationem cum primis læsam, & violatam fuisse. In primis enim hæc carni, & appetitui degeneri seruitute mācipata, deinde crassissimi ignorantiæ, atque errorum nebulis offuscata, & obtenebrata fuit: si ergo Virgo Deipara originalem culpam, & cognata illi detrimenta experta fuisset, certe indecens, inordinatumque foret, homines se ipsos, illamque suam iugi alioqui impatientem mentem, & rationem ei demittere, cuius ratio, & mens carni ad condiendas, tēperandasque illicitas voluntates seruiliter ancillari coacta fuisset: mentem inquam excelsam, & suapte natura elatam illi mancipare, quę ignorātioni, & erroribus, quos peccatum induxit, cōmuni cum reliquis homini bus consortio foret obnoxia. Tum vel maxime, quia vt docet Aristoteles, ignoratio, & insipientia sola in causa est, vt homines sui ipsorum potestatem amittentes serui sint per

Arist. naturam eorum, qui scientia, & cognitione rerum pollent. Nam lib. 1. Polit cap. 3. de homine ignaro, & sapiente sic scribit. *Quicumq; igitur distant tantum, quantū animus à corpore, & homo à bestia per hunc modum se habent* (vt scilicet alter sit natura seruus, alter natura dominus. Ad hæc Seneca causam disquirens, propter quam corona, quæ regni præcipua, & maxime propria nota est, solenni omnium gentium ritu capiti imponi cōsueuit, subdit. *Reges, ac Principes mente alios pollere, ac iudicio reliquis præstare debent: ideo enim caput, quod mentis, ac iudicij sedes est, redimitur.* Quapropter vt Virginis imperium in reliquos homines ratum sit, vtque Regina sit coronata, cui omnis humana ratio sponte subdatur, originali peccato vacare, & cognatis peccato erroribus, & ignorationibus carere debuit: aliter enim non esset vera, & naturalis, sed ficta & emētita Regina. Sic enim exprobrat Chrisostomus illis Regibus, qui cum sapientia alijs superiores non sint, regnant nihilominus, & in alios ditionem habent: illos enim falsos, & velut in fabulis, & tragedijs ementitos Reges appellat, vt alibi me dixisse memini.

Ad Angelos excurramus, & ab his, quæ proxime diximus, ducamus exordium. Profecto si ad naturalem conditionem spectes, Virgo Deipara Angelis inferior fuit. Nam quod Epiphanius dixit in oratione illa de laudibus Virginis. *Solo Deo excepto, cunctis superior existis, natura formosior es ipsis Cherubim, & Seraphim, & omni exercitu Angelico.* non ita capiendum, vt Virginis naturalis conditio Angelorum naturis antecellat: sed per *naturam* natiuitas accipienda est, vt vberius dicemus infra in sæculorum censu, vbi proprius Epiphanio locus assignabitur: quæ *naturæ* acceptio non est insolens, vt inibi etiam demonstrabimus. Quanuis enim hoc fortasse dici queat, in cunctis Angelorum speciebus nullum indiuiduum intra suæ naturalis perfectionis cancellos ita elaboratum, & perfectum à Deo conditum fuisse, sicut intra humanā speciem, & genuinam huius speciei perfectionem Mariam expoliuit, atque perfecit: semper tamen verum est, naturalē Mariæ perfectionem Angelicæ perfectioni cedere. Nisi velis dignitatem Matris Dei inter naturæ perfectiones ab Epipha. numeratam fuisse: quamuis enim ad eam dignitatē gratis, ac liberaliter electa fuerit, & supra naturæ ordinem seruata Virginitate Christum genueris: ipsa tamen dignitatis substantia in naturæ ordine sita est, quandoquidem per illam naturalis Christi mater extitit. Sic autē licebit dicere, Virginem in eo sensu natura formosiorem esse, quàm Cherubim, & Seraphim, quia dignitatem quandam ordinis naturalis adepta fuit, quæ omnes alias Angelorum perfectiones naturales immenso interuallo superat. 13

Epiphan.

Sed tamen licet id verum foret, atque ea parte Virgo Angelis omnibus natura sua superior esset: tamē nisi huic dignitati, & perfectioni, quæ in ordine naturali sita est, gratiæ, & iustitiæ supernaturalis dignitas accederet, nequaquam illi regnum, & potesta- 14

tem

tē in Angelos, imo neque in alios homines iustos ex illa euenire certū esset. Quod Christus testimonio suo firmauit, cum his, qui illi (Mat. 12.) matrē, & fratres adesse denūciabāt, ita respōdit. *Quicūque fecerit volūtatē Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Quibus verbis iuxta cōmunē Patrū sententiam, gratiam, & iustitiam cum dignitate Matris Dei contulit, atque illi primas dedit, eoque nomine dignam, & beatam Matrem suam esse demōstrauit, quia cum maternitate Dei gratiam, & iustitiam coniunxit. Vnde fiebat, vt matris dignitati gratia, & gratiæ item matris dignitas splendori, atque decori maximo esset. Si tamē id accideret, vt maternitas à gratia separaretur, non equidem gratiam maternitas Dei, sed contra gratia maternitatem Dei sibi subijceret, ac substerneret. Quapropter ex his liquet, per gratiam, & iustitiam, Virgini principatum, & regnum in Angelos contigisse, quatenus hæc maternitati cohærebat. Si ergo (vt nuper dicebamus) vt Maria hominibus, & alijs creaturis imperaret, gratia illa prima, & omnium gratiarum principe, id est, gratia originali insigniri debuit: potiori ergo iure Angelorum Regina, & domina per eandem gratiam constitui debuit: tum vel maxime, quia omnes Angeli ea gratia præditi sunt, vt propterea ne suspicari liceat eam gratiam in eorum Regina desideratam fuisse.

15 Et quidē hinc fluit præcipua alia ratio, quę gratiā originalem in Virgine fuisse, ex eius in Angelos potestate, & regno efficacissime colligit. Quia omnino conueniens, ne dicam necessarium, fuit, vt Virgo, quam gratia, & iustitia, vt nuper dicebam, Angelorū Reginam, & dominam præstitit, in eo genere dignitatis nulli cederet ex his, qui eius imperio subditi erāt. Sed enim illud certum, atque exploratum est, gratiæ, & iustitiæ dignitatem, atque splendorem, ex eo plurimum augeri, quod originalis sit, & peccato nunquam locum fecerit. Quod firmari solet ex (Cyprian.) Cypriano in Epist. 3. *Primum fœlicitatis genus est non delinquere: secundum delicta cognoscere, & retractare.* Atque ob eam causam (D. Thom.) D. Thomas 2. 2. quæst. 106. artic. 2. maiores, & ampliores gratias Deo deberi dicit pro priori, quam pro posteriori beneficio. *Innocens* (ait) *tenetur ad maiores gratiarum actiones, quia maius donum ei datur à Deo, & magis continuum cæteris paribus absolute loquendo.* Est enim innocentia quidam gratiæ & iustitiæ, vt ita dicam, flos, quemadmodum in castitate virginitas, qui semel amissus recipi, & instaurari non potest. Et sane innocentiæ præstantiam vel ex eo licet agnoscere, quia quantumuis homo culpam admissam, recepta gratia, deinde deleuerit, semper tamen iuste seipsum reprehendit, atque incusat, semper etiam merito de perpetrato crimine dolet, ac mœret.

Cum ergo Angelorum omnium iustitia & sanctitas hac innocentiæ integritate vernet, ac floreat: nulla enim veteri delicti conscientia marcet, aut tabescit: ne in eo sanctitatis decore, ac splendore eorum Regina, & domina Maria Angelis cederet, operæ pretium fuit, illā originali gratia ab initio adornari, & excoli, vt Angelis per omnia imperitaret. Non alia fuit mens Anselmi in sermone de excellentia Virginis, cui authoritas est ex Romano quodā breuiario antiquiori, quod excusum est apud Iūtas anno 1550. vbi hæc habentur insignia verba (de quorum authoritate lege plura in sæculorum censu in Anselmo.) (Ansel.) *Angelos alijs peccantibus à peccato seruauit, & fœminam matrem suam futuram ab aliorum peccatis exortem seruare non potuit? In æternitate consilij sui eam dominatricem, & Reginam fore Angelorum, & nunc inferiorem gratiam Angeli, illi datam, & in consortium conceptam esse credemus hominum peccatorum? Existimet hoc, qui vult: his, quæ dicimus, aduersetur qui vult: ego, donec ostendat mihi Deus aliquid dignius excellentiæ Dominæ meæ posse dici, quæ dixi, dico, quæ scripsi, non muto.* Hactenus Anselmus. Fortasse etiam cò spectauit Ignatius (Ignatius.) in Epistola ad Ioannem Euangelistam, vbi peruulgata illa verba scribit. *In Maria humanæ naturæ, natura sanctitatis Angelicæ sociatur.* Non enim hoc ideo verum est, quia eius sanctitas Angelorum sanctitati par esse dicatur: est enim impar, ac immenso interuallo superior: sed Mariæ sanctitas eatenus sanctitati eorum adsimilis appellatur, quatenus eius conditiones, & proprietates habuit: quia nimirū originalis fuit, prima, & ab omni peccato aliena: hæc enim sunt conditiones propriæ Angelicæ iustitiæ. 16

17 Hinc etiam factum, vt Patres non semel, cum Mariam Angelis præferunt, quasi de industria illam omni macula, & sorde peccati caruisse animaduertant, ne vel in hoc Angelorum sanctitas Mariç sanctitati præponēda videatur. (Chrysost.) Chrysosthomus in lithurgia. *Vere dignum est* (inquit) *glorificare te Deiparam, & semper Beatissimam, & penitus immaculatam, matrem Dei nostri, honorabiliorem Cherubim, gloriosiorem incomparabiliter Seraphim, &c.* Depromptum hoc videtur ex Lithurgia (Lithurg. Iacob.) Diui Iacobi Apostoli, vbi sic Cantores respondent. *Dignum est, & te vere beatam, dominam, Deiparam, semper beatam, & omnibus modis irreprehensam, & matrem Dei nostri, honorabiliorem, quā Cherubim, & gloriosiorem quā Seraphim, &c.* Accedat his sanctus Ephren. (Ephrenus) *Intemerata, prorsusque pura Virgo Deipara, sublimior cælicolis, purior solis radijs, & splendoribus, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior.* Mitto alios. Itaq; hi omnes Patres quasi primum, & maxime solidam fundamentum præstantiæ, & Regni Mariani super omnes Angelicas acies puri-

tatem

tatem, innocentiam ab omni peccati suspicione expertem præmittunt. Cuius rationis vis ex sequenti §. amplius patebit.

18 Sed vlterius aliæ, atque aliæ rationes suppetunt, ex quibus Conceptionis Marianæ puritatem ex illius in Angelos imperio aucupari licet. Primã exhibet nobis Doctor subtilis [Scotus.] Scotus in 3. dist. 7. quæst. 3. & dist. 15. quæst. vnica, vbi excelsam Angelorum naturam contemplans ita decernit. In primo signo decretorum Dei ante omnes alias creaturas Christi animam ad præstantissimum gloriæ cumulum electam, & prædestinatam fuisse. In secundo verò signo Deum tum Angelos, tum homines cõdere apud se statuisse, & ex vtrisq; certum, statumq; numerum ad gloriam præordinasse, ac omnibus hanc legem indixisse, vt animæ illi Christi Domini se se demitterent. & illi ceu supremo principi, capitique deferrent. In tertio vero signo ne videretur (inquit) ordo præposterus, Angelicam naturam, quæ longe nobilior est, quam humana, inferiori cedere, ac procumbere, animam Christi ad Verbi suppositum assumere, & diuinitati agglutinare decreuit. Hæc ille iuxta scholæ suæ principia, quæ nos supra c. 14. latius persequuti sumus. Nimirum putabat subtilis Doctor, non aliter futurum, vt excelsæ illæ Angelorum mentes se se deijcerent, & Christo obsequium deferrent, nisi humanitas diuinitati coniungata esset, atque adeò naturali, & infinita sanctitate prædita foret. Quis ergo ex his, qui Virgini originalem gratiam denegant, & illam originali labe commaculatam asserunt, sibi persuadeat, eosdem Angelos Mariæ tanquam supremæ dominatrici, & Reginæ subdendos iri? Quod si visus fuit ordo præposterus, sublimem eorum naturam Christo tanquam Regi sine gratia vnionis demitti, ac substerni. An non potius inordinatissimum, & indecentissimum putabimus, eandem Angelorum naturam fœminæ aliquando peccatrici procumbere, & illam tanquam Reginam colere, atque vereri?

19 Ad hæc Angelos supra naturæ Angelicæ conditionem extollit immortalitas, & incorruptibilitas, quæ illis, quatenus spirituales [Genes. 2.] sunt, proprijssime conueniunt. Atqui peccatum [Genes. 3.] originale contraria illis dotibus vitia homini immisit: mortem quidem, iuxta illud *morte morieris*: & corruptionẽ, secundum illa verba: *& in puluerem reuerteris*. Quis ergo ex his, qui Deiparam originalis culpæ minime exortem faciunt, atque adeò eiusdem culpæ vitijs subijciunt, non videat, ac sentiat Dei prouidentiam extenuari, & Angelorum gloriã deprimi, si ita dicamus Angelos coactos fuisse, vt suam immortalitatem morti, & suam incorruptionem corruptelæ, & putredini summitterent? Quapropter aliter omnino à Deo prouisum credimus, vt nimirum Virgo Deipara originali gratia insignita corruptionem, tabem, & putredinem, quam peccatum alijs inuexerat, ipsa prorsus vitaret: mortem vero ea ex parte, qua naturæ indecora, & turpis censebatur, scilicet quatenus pœna peccati erat, minime incurreret. At inquies, Virgo communi hominum lege demortua est. Non inficior: sed tamen cum Richardo Victorino, Damasceno, & alijs aio mortem ipsi, non quidem in peccati pœnam irrogatam, sed ad meritum indultam fuisse: ad eum vero modum mortem meritoriam oppetere vsque adeò gloriosum est, vti Angelos ipsos ad inuidẽtiam prouocet. Ita visum est Augustino ad illa verba. *Spectaculum facti sumus Deo, & Angelis, &c.* [August.] Ait enim Angelos Martyrum certamina, & agones contemplãtes ex quadam æmulatione mortem pro Christo obitam Martyribus inuidere, atque hoc in semetipsis reprehendere, & accusare, quod immortales cum sint, pro Christo emori non possunt. Et sane hanc incorrupotionem extremam ab originali innocentia profectam ad Virginis Regnum in Angelos pertinuisse [Petrus. Blessen.] serio docet Petrus Blessen. grauissimus Archidiaconus in sermone de Assumptione Virginis, vbi sic fatur. *Sicut enim Beata Virgo à maledictione mulieris, cui dictum est: In dolore paries filios tuos: facta est immunis, quia peperit, sine dolore: sic & à communi viri, & mulieris maledictione facta est immunis, qua dictum est. In cinerem ibis: vnde & ab Angelo benedicta esse dicitur, quasi à primordiali maledicto liberata: & sic decor Carmeli, id est, integræ circumcisionis datus est ei, nihilominus etiam decor Saron, id est, principatus Angelorum, &c.*

Hic etiam ad extremum obseruare oportet, non in bonos tantum, & fœlices Angelos Virginem regnare, sed etiam in malos, 20
& infœlices, id est, in dæmones potestatem exercere: sic enim docet Bonauentura in speculo lect. 8. *Hoc etiam competit tantæ Imperatrici, quæ re vera domina est cœlestium, terrestrium, & infernorum, domina inquam Angelorum, domina hominum, & domina dæmonum.* [Bonauen.] Accinit Idiota in contemplat. Virginis c. 6. & Arnoldus Carnotensis in tractatu de laudibus Virginis. Ex quo regno Mariæ immunitatem à culpa originali depromere etiam licet. Nam Mariæ potestas in dæmones est seuera, violenta, coactiua: de qua Guillemus [Guillel.] Parisiensis in Cant. ad illa verba. *Terribilis, vt castrorum acies ordinata*: sic scribit. *Dilectus filius, vt piam matrem cunctis spiritibus malignis terribilem vehementer demonstraret, dixit de ea: Terribilis, vt castrorum acies ordinata. Quasi dicat, quia te sciũt aereæ potestates esse matrem meam, matrem triumphatoris sui, verentur te matrem terribilis, & eius qui aufert spiritum principum, id est, destruit superbiam malignorum spirituum. Tu quoque terribilis illis facta es, & non mediocriter, sed sicut est illis terribilis Angelicus exercitus ad coercendos eos diuinitus ordinatus.* Itaq; Guillelmus Vir-

ginem

g nem Deiparam per se solam ad coercendos, compescendosq; dæmones tantum posse dicit, quantum tota Angelorum cohors per suos ordines digesta. Habes inde non insulsam rationem ad Virginis puram Conceptionem comprobandam. Nam quid obsecro fœlicibus Angelis dæmones subiugauit? Quid rigidam, & indocilem Luciferi mentem edomuit, coegit, ac compulit, vt alijs natura inferioribus Angelis cederet, ac manus daret? Certe originalis gratiæ, & iustitiæ amissio malos Angelos depressit, & originalis iustitiæ conseruatio bonos Angelos euexit, & sublimes fecit. Si ergo Virgo vna, & sola dæmonum fastum non minus oppressit, ac sibi subiecit, quam tota simul cœlicolarum manus: non ergo debuit carere ea gloria, quæ Angelos supra dæmones extulit, scilicet gratia originali. Alioqui si iustitiam illam primã amisisset, dæmones imperium ipsius detrectantes ita causare, & obijcere possent, frustra imperium in ipsos affectare illam, quæ ob amissam similiter originalem iustitiam eorum potius ruinas, & iacturas subire deberet. Nec non grauiter ferrent sibi postmodum præfici eam, quam prius ipsis originalis culpa subdiderat. Atque ita demum addere possent, se quidem ab initio per culpam cum gratia, & iustitia originali, omnium quidem supernaturalium donorum iacturã fecisse, tamen naturę suæ præstãtiam asseruasse, & retinuisse. Quapropter si creaturæ aliæ natura, & conditione longe inferiores, vt iam inde supra ostendimus, Mariæ originali culpa aliquando infectæ imperium merito renuerent, ac detrectarent: ergo potiori iure eiusdem regnum dæmones natura sua digniores refutare possent, libertatem, & immunitatem inclamantes.

21 Quapropter apte admodum Hailgrinus ad ea Cant. verba. *Statura tua assimilata est palmæ*, Virginis in dæmones seuerum imperium ad ipsius originalem innocentiam retulit: sic enim ait. *Sicut palma, id est, arbor crucis terribilis est malignis spiritibus: ita beata Virgo merito suæ rectitudinis malignos spiritus terret, & expellit.* Rectitudinem autẽ appellat perpetuam Mariæ innocentiam, quam per *staturam* significari vult, quasi idem sit statura, quod status, seu statio ruinæ, & casus nescia. Accinit etiam Idiota in contemplat. de Virgine Maria, cap. 4. *Sed per te, ô superbenedicta Virgo Maria, vita Angelica reducitur, innocentia reparatur, diabolus vincitur, & conteritur, quia de te scribitur. Ipsa conteret caput tuum.* Quasi dicat: ideo diabolus à te victus, & sub iugum imperij tui missus est, quia innocentiam à protoplastis amissam recuperasti. Sed perpende illud: *Ipsa conteret caput tuum.* Nam vt supra non semel ex Augustino, & ex alijs Patribus adnotauimus, originale peccatum diaboli, ac serpentis caput appellatur, quia per illud in omnes Adami filios caput,

Hailgri.

Idiota.

Genes. 3.

& princeps initiatus est. Atque adeò cũ Virgo id caput pede suo pressisse, & contriuisse fertur, eo ictu originale peccatum vitasse, & vniuersum diaboli regnum sibi subiecisse mõstratur.

Ex dictis constat nullam Mariani imperij partem esse, quæ illam in originali gratia cõceptam fuisse non comprobet, imo euincat. Deinde etiam ex dictis liquidum manet, nullam vel in hominibus, vel Angelis gratiam vel gratiæ nobilẽ circunstantiã, & conditionem fuisse, quæ digniori, ac sublimiori modo in Virgine ponenda non sit, ne qua ex parte vel Angelis, vel hominibus immerito imperasse videatur. Quapropter iuxta ea, quæ hactenus præscripsimus, affirmare cogimur Virginem à culpa originali immunem, imo etiã à debito & obligatione culpæ liberam penitus fuisse: nec sit opus dicere, ac fateri, tantam dominam, & rerũ omnium Reginam in his, vel in eorũ aliquo Angelis cessisse, quos gratia originali insignitos fuisse, & omne culpæ debitum ignorasse certo certius est. At obijcies, ex his æqualem Virginis cum Angelis conditionem colligi, tamen excellentiam, & præstantiam eius supra Angelos non satis comprobari. Huic obiectioni libens in sequenti §. occurram. 22

VIRGINIS DEIPARÆ primam gratiam ab initio confirmatam fuisse, atq; inde eius regnum in vtramq; creaturam probatur.

§. II.

23. *In iustitia originali, qua Virgo donata fuit, aliquid agnoscere debemus, quod eius in vtrãq; creaturam imperij fundamentũ sit.*
24. *Vtrãq; integritatẽ corporis & animæ, qua Virgo excelluit, cũ Angelorũ gratia cõtulit Ildefonsus, & ex collatione prætulit.*
25. *Virginis iustitia originalis Angelorum gratiam firmitate vicit.*
26. *Victoriã istã agnouerũt Idio. & Sophron.*
27. *Confirmatio in gratia, quam Virgo obtinuit, imitatur firmitatem Beatorum.*
28. *Propter hanc firmitatem Angelos puritate Maria superauit.*
29. *Vacillatio in gratia quædam peccati seruitus est*
30. *Ab hac seruitute, quam homines, Angelique subierunt, Virgo libera fuit, & ideò omniũ Regina.*
31. *Præstantia gratiæ Marianæ declaratur ex illis verbis Psal. 44.* Myrrha, & gutta.
32. *Et ex illis.* Astitit Regina.
33. *Expẽdũtur etiã illa.* In vestitu deaurato.

23 AD Mariæ regnum in Angelos,&in homines constabiliendum vltra ea, quæ de originali iustitia, & de immunitate illius à debito,&seruitute peccati hactenus diximus(quæ probāt ipsam nulla ex parte Angelis inferiorē fuisse) aliquid vlterius vestigare oportet, quod eandem supra Angelos extollat, & sublimen ferat. Et sane illud statim in mentem venit, quod Virginis super Angelos gloriā prodit: quia nimirum longe maior,& intensior gratia ipsi à Deo collata fuerit, quam omnibus Angelis, & hominibus in vnum conglobatis, & collectis, vt in cap.30. Prouerb. latissime probauimus ad illa verba. *Tu supergressa es vniuersas.* Cæterum ius imperandi, ac regnandi sola gratiæ maior intensio tribuere non potest. Nam quidam Patres illud serio affirmant, Ioannem Baptistam, & alios quosdam sanctimonia præstantissimos viros longe maiorem gatiam,& gloriam adeptos fuisse, quàm supremos Angelos:& tamē non propterea licebit illos Angelorum Reges, ac Principes compellare. Ius ergo capitis hoc postulat, vt in membra sibi subiecta aliqua ratione influat. Quomodo autem Virgo in homines quidem omnem gratiam, in Angelos vero plures gratias,&bona regat, & deriuet, supra ostendimus. Illud nunc vestigandum censeo, quid speciale Deiparæ iustitia habuerit, vnde dignitas influendi in homines, inque Agelos ipsi accessit & accreuit. Luculentius dicam, illud inquiro: quodnam sit fundamentum illius influxus, quo Virgo vtramque irrigat,& infundit creaturam. Obijcies mihi dignitatem matris, atque in hac omnia Mariani Principatus, ac Regni iura fundari affirmabis. Ego vero ita quidē censeo, Regnū Virginis ex maternitate Dei tanquā ex radice defluere, quatenus huic dignitati ea omnia adhærere, & adiungi debēt, quæ per se ad regnandum necessaria sunt. (Nam, vt alias dixi, maternitas sine gratia regnādi iura nō habet) Gratiam igitur illam nunc inquiro, quæ causam, & fundamentum proximum huius regni continet: fundamentū inquā, quod in sola Virgine repertū, solam illā supra omnes Angelos extollere possit.

Prou.30.

24 Existimo ergo id quidquid est speciale, ac proprium in gratia Deiparæ, per quod Angelos infra se relinquit, & regni proximū fundamentum existit, à nostro Ildephonso petendum in libro de Virginitate Sanctæ Mariæ c. 10. vbi Gabrielis ad Mariam nuntium describens vniuersi Angelici exercitus incorruptionem cum Deiparæ virginitate componit, & hanc ex cōparatione præponit. Et sane verba Ildephonsi,& comparatio inita fortasse displicere incipient, nisi cogites id, quod re vera Ildephōsus sibi voluit, scilicet vtrāq; integritatem animi,& corporis à libidine,& à culpa liberā cū Angelis conferre. Ergo cū præmisisset Mariā Angelis imperare, inter-

Ildephō.

alias huius imperij rationes hanc enumerat. *Tu sancte Gabriel Angele Domini, qui mitteris ad Virginem, enarra quid incorruptius, quid sincerius, quid integrius, quid solidius inter virginitatem maternam, & conditionem Angelicam: inter virgineam fœcunditatem,& Angelicā formationē: inter incorruptibile virgineum decus, & Angelorum exordium: inter pudorem prole perauctum,& Angelicæ nobilitatis initiū? Virgo quæ fœcundatur, & non corrumpitur: an Angelica celsitudo, cuius pars in ruina prostratur? Decus Virgineum, quod & post partum enitet: an Angelica nobilitas, quæ post gloriam culminis damna sustentat in socijs? Integritas materna, quæ & post partum prolis concrescit in gloria Virginis: an conditio Angelica, quæ detrimentis læsa est in eiectis? Beatitudo matris, quæ inde fit genitrix Dei, vnde nescia corruptionis est: an Angelicæ plebis tuæ, quæ ante soliditatem diminutionē passa est multitudinis suæ? Certū est quod Angelorum castra superbia rupit, cunctos eorū præsumptio minorauit, plebes ipsorum prauitas diminuit, turmas eorū elatio collisit: Virginitatē Dominæ meæ genita proles nec introiēs, neq; exiens læsit, nec concepta, nec nata violauit, nec eā, cū hospitaretur in illa, tristauit, nec illā, cū egrederetur, incorruptione priuauit.* Hactenus Virginitatem cum Angelicæ naturæ conditione ita contulit, vt primo aspectu nō admodū apta cōparatio videatur. Nisi apud te cōstituas, id quod nuper dicebā, S. Præsulē de vtraq; Virginitate,& integritate animæ simul ac corporijs vnà simulq; verba facere.

Sed statim quo consilio id dixerit, aperit Ildephon. quasi non suæ mentis fuerit, nudā,& solā corporis Virginitatē cū Angelorū conditione cōponere, sed cū hac cohærētē,& omnino similem animi immaculatam integritatem, in qua Virgo ex prima sua conditione Angelos nō modo exæquauit, sed etiā superauit. Quia nimirū Angeli ita creati sunt in gratia,& iustitia, vt ea primū fragilis, caduca, & amissibilis fuerit, quamuis postea in his, qui lapsi non sunt, constantiā,& perpetuitatem ex Dei clara contēplatione acceperit. At Virgo à suæ Conceptionis, & primæ cōditionis initio gratia donata est constanti, offirmata, & perpetua. Id sibi vult Ildep. cū statim attexit. *Nā Angelica forma naturæ ante soliditatē fragilis, ante firmamētū labes, ante stabilitatē ruēs ante robur titubans, atq; nutans. Hæc fœmina sanctificationis vas est* (alij codices habent *sanctificationis basis est*) *Æternitas Virginitatis est. Mater Dei est, sacrariū Sācti Spiritus est, tēplū singulariter vnicū factoris sui est. Verū Angelicæ beata conditio naturæ post stabilitatē solida in bonis, post soliditatem indeficiens in amore diuinitatis, post firmamentum perennis in aspectu dominicæ visionis, post robur inseparabilis à consortio deitatis.* Et quidē nostri Præsulis ea mēs fuit, nō modo cōueniēs, sed etiam necessarium fuisse, vt ea, quæ tam hominibus, quàm Angelis Regina, & Imperatrix præfi-

25

Ildephons.

cieba-

crebatur, simili prorsus, nullaque ratione, aut consideratione inferiori gratia adornaretur: sed vlteriùs expediens, ac decens fuisse, vt primæ conditionis gratia in Maria superior esset, cui omnis tam Angelorum, quàm hominum prima, & originalis iustitia non magnitudine solùm, sed speciali aliqua naturæ suæ dote, proprietate, ac circunstantia cederet. Inuentum, factumque, vt gratia, & sanctitas, qua Maria in conceptione sua donata fuit, in eo Angelorum, & hominum primæ conditionis gratiam vinceret, quod hæc ab initio inconstans, labilis, titubans, nutans: illa verò stabilis, constans, solida, offirmata, inconcussa: ideò illam cum virginitate composuit, vt virginitati similem constantiam, & firmitatē habuisse monstraret. Ideò Mariam *sanctificationis basim* dixit, quia nimirum velut stabilis, immobilisque columna sanctitas in ipsa collocata, & offirmata est.

26 *Idiota.* Id ipsum docuit Idiota in contemplatione de Virgine Maria cap. 4. his verbis. *Nam in principio cum ceciderant Angeli, natura erat corrupta, Deus offensus, & diabolus victor: sed per te ô superbenedicta Virgo Maria vita Angelica reducitur:* nimirum in te Angelorum illa prior gratia instauratur, digniori tamen modo. Subdit enim. *Sed quia corrupta erant omnes, & peccato vacillauerant* (nimirum aliæ corruptæ fuerant, alię vacillauerant) *ideo te gloriosam Virginem Mariã ædificauit in domũ solidam, & fortem, quæ nullo modo vacillare posſit: ideo excidit columnas septẽ, ad te fortiter, & sublimiter sustentandam. Septem columnæ, quibus firma semper stetisti, sunt septem dona Spiritus Sancti, quæ requieuerunt in te, & nunquã te deseruerunt, per quæ stetisti firmiter, & perseueranter in omni gratia.* Hanc gratiæ firmitatẽ expressius tradidit D. Hieronimus, vel *Sophron.* Sophronius in Epistola de Assumptione, vbi sic habet. *Constat Beatã Virginem ampliora promeruisse virtutum priuilegia, & percepisse gratiam ab Angelis collaudatam. Vnde etsi mirabilis est eorum virtus, & firmitas perpetuitatis: mirabilior tamen in Maria, quam obumbrauit virtus altissimi, vt vltra omnem virtutem Angelicam sit, quod factum est, in ea admirabile, cunctis sæculis Sacramentum, ac per hoc illi maior Angelis præstatur gloria.* Quasi dicat: vel ex eo maior, atque excellentior, ac firmior Virgini debetur gratia, quam Angelis, quia per ipsam Christi incarnatio perfecta est, ex qua tanta in Angelos gratia redundauit: nam hoc iure Virgo omnia instaurasse perhibetur. Sic enim subdit. *Cũ instaurantur ab ea omnia, quæ venerantur, & adorãt super se Christum Regem, Dominum, natum ex eadem Virgine.*

27 *S. Thom.* Et sane istam gratiæ firmitatem, quã Virgini ab initio suæ cõditionis donatã dicimus, vt Angelos vinceret, agnouit S. Tho. 1. p. q. 100. art. 2. vbi sic scribit. *Ex hoc enim creatura rationalis in iustitia confirmatur, quod efficitur beata per apertam Dei visionem, cui visæ non potest non inhærere, cũ ipse sit ipsa essentia bonitatis, à qua nullus potest auerti, cũ nihil desideretur, & ametur, nisi sub ratione boni: & hoc dico secundũ legẽ cõmunẽ, quia ex aliquo priuilegio secus accidere videtur, sicut creditur de Virgine matre Dei.* Hæc D. Thom. quibus significat eã firmitatẽ in iustitia, quam Virgini soli tribuit, nõ esse illi cõmunẽ cum Apostolis, atq; alijs viris, qui in gratia confirmati feruntur: sed superiorẽ, & ei cognatã, qua beati Deum clare contẽplãtes immobiles in iustitia fiũt. Cuius firmitatis causam sequenti §. dabimus. Hoc tantũ dissidet à nobis, quod ipse tantũ gratiæ robur post Conceptionem Virgini cõtigisse dicit, nos à Conceptione inchoamus. De hac Marianæ gratiæ cõstãtia loquitur D. Gregor. Thauma. in sermo. 2. de Annuncia. B. Mariæ. *Hæc virtutis domicilium, hæc fons perẽnis, hæc iustitiæ munimẽtũ.* Græce ι χυρωμα quæ vox significat locũ natura sua munitum, & ab hostibus securum, ac tutum. Quasi dicat: gratia, & iustitia in Virgine ceu in munimẽto tutissima, & immobilissima fuit. Accinit Bernard. in sermone de B. Maria, vbi gratiæ istius firmitatẽ cũ ipsius terræ immobilitate cõposuit. *Prius enim altissimus sibi eam quasi mundũ specialissimũ condidit, quã (ceu terrã) in iustitia, & sanctitate corã ipso fundaret.* Et subinde accomodat alia tria elementa, aquã sapientiæ, aerẽ cœlestibus desiderijs, ignem dilectioni Dei. Quem Bernar. locum infra c. 38. iterum versabimus. *D. Grego.* *Bernar.*

28 Primum igitur ob hanc singularem, & sibi propriam gratiæ præstantiam Virgo Deipara purior Angelis prædicatur. Nam cum puritas, vt docet D. Tho. sæpè aliàs citatus, per *recessum à contrario* sit mensurãda, & eo quisq; purior dicatur, quo magis à peccato recedit, fateri oportet sanctitatẽ, & iustitiam, cui prædicta firmitas, & stabilitas accedit, maiorem puritatem continere, quàm eam, quæ suapte natura vacillat, & in ancipiti est: quandoquidem hæc vicinior est peccato, illa remotior. Quapropter cũ iuxta illud Anselmi effatum ea puritas deceat Matrem Dei, qua maior nulla sub Deo possit intelligi, ea certe puritatis excellẽtia, quam gratiæ immobilitas constituit, ei denegari non debet. Hãc certe in sanctissima Deipara agnouit, suspexitque Elias Cretẽ. ser. 2. de Marię dormitione, vbi ita scribit. *Maria est fons, qui non potest exhauriri diuinarũ illuminationũ potentia, quæ non potest labefactari, quatenus nequaquã vincebatur ab animi perturbationibus, vt quæ erat puritate omnibus superior.* Itaq; Elias propterea gratiã illã constantẽ, & immobilẽ in Virgine asserẽdã dicit, vt puritate omnibus superior esset: omnibus inquã, tã Angelis, quã hominibus, quorũ gratia, & iustitia ab initio vacillauit. Sed luculentius Alber. Mag. in suo Mar. c. 197. nã vbi multa Virginis priuilegia in cẽsũ redegit, inter alia numerauit *summã istam* *Ansel.* *Elias Creten.* *Albertus Marg.*

puritatem, quæ sub Deo potest intelligi. Et ad hanc reduxit immunitatem à peccato, & impossibilitatem peccandi, his verbis. *Ad summam puritatem, quæ sub Deo potest intelligi, reducitur immunitas peccati, impossibilitas etiam peccandi est summa appropinquatio ad puritatē Dei, & sic etiam ad puritatem in summo reducitur.* Eò etiam, ni fallor, spectauit Thaumaturgus, ad illa verba. *Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Deum.* quatenus dicit gratiam quandam à Virgine inuentam, quæ omnem iactarę metum arceret, atque inde eximiam illius puritatem deprehendi. Cui accinit etiam Chrisologus in sermone 2. de Annunciatione, vbi sic ait. *Quid timeat, quæ securitatem concepit?* Vide plura infra cap. 39. §. 5. vbi hæc Lucæ verba exactius expendemus.

Thaumat. Chrisolo.

29 Deinde hæc gratiæ, & iustitiæ constantia ad Regiam Mariæ dignitatem per se pertinet: quia vt præclare docet Paulus ad Rom. 8 quandiu salus vacillat, & in ancipiti est, tandiu homo in subiectione, & seruitute permanet. *Vanitati* (inquit) *creatura subiecta est, non volēs, sed propter eum, qui subiecit eam in spem.* Cum Augustino, Anselmo, & alijs pluribus sentio, qui per creaturam in hoc loco hominem ipsum accipi debere affirmant hoc sensu. *Vanitati*, id est, frustrationi, *subiecta est creatura*, id est, salus illius pēdet, & in æquilibrio est, ita vt sperato fine frustrari possit: quam subiectionem nequaquam spōte sustinet, sed coactè *non volens*, nam sponte sua securitatē affectat, atque adeò quandiu secura, & tuta non est, vis illi affertur. *Propter eum, qui subiecit eam in spem.* Quasi dicat, hanc subiectionē non hominis, sed Dei volūtas inducit, qui salutem hominis ea ratione pēdere voluit, vt spei locum faceret, quæ eorum, quæ needū tenentur, expectatio est. Subinde vero hanc subiectionē exaggerans Paul. seruitutē appellat. *Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatē gloriæ filiorū Dei. Seruitutem corruptionis* appellat Paul. eā subiectionem, qua quis in hac vita peccato, atque; adeò morti, & letho obnoxius est, quam tandiu sustinet, quandiu in hac vita permanet, & per solam Dei visionem demum excuti potest. Ac demum huius seruitutis miseram cōditionem explicans subdit. *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsq; adhuc, &c.* Itaque illam vacillationem, & gratiæ, salutisque inconstantiam, qua homines in ancipiti sunt, & in vtramuis partem pendēt, appellat Paulus subiectionem coactam, seruitutemq; miseram. Vbi illud magnopere obseruandum, hanc subiectionem non respectu Dei assignari, à quo salus hominis dependet, sed respectu vanitatis & peccati: sic enim ait. *Vanitati creatura subiecta est.* Et infra. *Liberabitur à seruitute corruptionis*, id est, peccati: his enim subesse, & seruire homo dicitur, quorum metu percellitur, & concutitur: ne; adeò cum homo, quandiu salus illius in alea posita est, *vanitatem*, id est, frustrationem finis sui, & *corruptionem*, id est, peccatum assiduo timeat, sub his esse, & his subiacere seruiliter existimatur.

Ad Ro. 8. Aug. Anselmus Ad Ro. 8.

Ex his ergo sic conficio: cum præfata vacillatio, & gratiæ acceptæ inconstantia, atq; salutis ambiguitas genus quoddam subiectionis, ac seruitutis sit, per quam homo quodāmodo sub ditione peccati existit: sed & Angelus etiam extitit per illud momētum, quo viator fuit, ratione cuius vterq;, tam homo, quam Angelus, peccato proxime obnoxij, & subiecti fuerunt: operæ pretiū fuit, vt ab hac seruitute prorsus immunis, ac libera esset Angelorū, & hominū Regina, ita vt ne breuissimo quidē spatio eius firmitas vacillaret, aut nutaret, sed ab initio suæ Conceptionis constantē, immobilemq; gratiam obtineret: Angelos ipsos ea ex parte peruincens, ac sibi substernens, qui primo suæ creationis momēto omnes quidem ad vnum cōcussi, & impulsi nutarunt, titubarunt. Ad quem sensum, ni fallor, referenda sunt illa verba Iob cap. 26. *Columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutū eius.* Vbi pleriq; ex Patrib⁹ per columnas Angelos accipiendos esse dixerunt. Nā tremor iste, ac pauor non ita accipiendus est, quasi nunc Deum videntes Angeli metu aliquo afficiantur, id enim alienum est à beatitudinis statu: sed de prætetito timore, ac tremore ruinæ suæ, quo mentes illæ sublimes non vacarunt per illud temporis momentum, quo salus eorum in æquilibrio fuit. Lōge aliter eorum Regina, quæ columna fuit ab initio immobilis, & *sanctificationis basis*, vt ait Ildephonsus. Non solum autem ad Regiam Mariæ dignitatem pertinet hæc gratiæ firmitas, quatenus illā Angelis puriorē effecit, & ab omni peccati subiectione, ac seruitute liberauit, quod per se ad Regnum necessariū videtur: sed etiā, quia cū ad regnū, & dignitatem capitis necessario requiratur ius illud influēdi in sibi subiecta mēbra, oportebat certe vt in ea, quæ in alios gratiā, & bona omniū regere, & deriuare debebat, gratia ipsa perēnis, & inexhausta esset. Huc spectat illud Thaumaturgi. *Hæc fōs perennis, & iustitiæ munimentū.* 30 Iob. 26.

Sed ad illustrandū hoc Mariæ regnū, & Marianæ gratiæ excellentiā, quā hactenus statuimus, subiūgere libet locū ex Psal. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate.* Conferenda in primis sunt verba isthæc cum superiori versu, vbi sic de alijs virginibus. *Myrrha, & gutta, & cassia à vestimentis tuis à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo.* Nā si mihi fidem habes, alludit Psaltes ad veterē Regum morē includendi Virgines in Gineceis, vt postquā ibi per annū excultę, & expolitæ essent, ad nuptias vocarentur. De quo more habes luculentā historiā Esth. 2. vbi, qui cultus adhiberi solit⁹, describitur his verbis. 31 Psal. 44. Esther. 2.

Ita

Ita duntaxat, vt sex mensibus oleo vngerentur myrrbino, & alijs sex quibusdam pigmentis, & aromatibus vterentur. Vsus aute myrrhini vnguenti erat ad exterendas cutis rugas, ad næuos, & sordes emaculandas: alia vero pigmẽta, & aromata subinde ad leuigãdas, molliẽdas, condiendasq; carnes adhibebantur. Vates ergo de Christo Domino verba faciens præmiserat primum illud. *Propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ, &c.* Oleum vero appellat diuinitatem, & deitatem, à qua Christus sanctificabatur. Subdit ergo nunc sanctitatem ex ipso in alios etiam redundare, atq; effluere. Id sibi vult illud. *Myrrha & gutta, & cassia à vestimentis tuis*: nõ enim significant hæc verba Christi vestimenta, id est, carnem eius, eorum aromatum odorem efflare, aut spirare, sed planè id sonant. Vestimenta tua (id est caro tua) myrrha perstillant, cassiam, & guttam effundunt: quod perinde est, ac si dicat, gratia & iustitia, & sanctitas ex te in alios effluit. *A domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo.* Quidam per domus eburneas intelligunt thecas vnguentarias, nã voci originali בית Beth, quæ in hoc loco reperitur, eã etiam significationẽ subesse putant. Et quidem per illas thecas septem Ecclesiæ Sacramenta haud ineptè capere licet: hæc enim non male vnguenti, id est, sanctitatis à Christo fluentis thecæ, atq; vrnæ appellari possent. Cæterum aptius est dicere per domos illas eas ædes significari, in quibus solenne erat Regibus Virgines ad nuptias vnguentis, & aromatibus excolere. Ita vt sensus, quod ad allegoriæ corticem attinet, hic sit. Ex vestimentis tuis vnguenta illa stillant, quibus Virgines domibus eburneis, id est, candidis, ac marmoreis inclusæ se se colunt, vt maculas obluant, rugas exterãt, næuos extergant, atque inde ad tuas nuptias veniant, ac te mirifice deliniant. Hæc igitur ad Christum translata significant ex illo omnem gratiam, & sanctitatem vnguenti in morem manare: gratiam inquam redemptionis, & expiationis, quam nostræ omniũ animæ in corporibus, ceu in quibusdã gynecęis, atque eburneis domibus inclusæ ad detergendas peccatorum sordes, & maculas adhibere debent, vt sanctæ prorsus, & immaculatæ ad ipsius connubia veniant. Hactenus de alijs. Quid de Maria? *Astitit Regina à dextris tuis*: non dixit, venit, seu accessit, sed subitum quid pronunciauit. *Astitit* Maria. Quasi dicat: nõ habuit vnquam maculas, sordes, næuos, aut rugas, quas in gynecæo abluere, ac detergere opus esset: sed dictum factum, statim atque condita est, subito ad Christi dexteram ipsi adstitit.

32 Sed magis ad rem nostram est illud. *Astitit Regina.* Chrisosthom. cum ab alijs restitutum dixisset στήκει. quod fluit à nomine στῦλος, id est, columna, perinde accipiendum dixit, atque offirmauit se se, vel si fas est dicere, *columnauit*, id est, columnę in morem immobilis constitit. Angelos ergo cœli columnas appellauit Iob 26. *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.* Quo nomine eorum stabilem constantiam apprimè significauit. Sed tamen, vt optime Ildephonsus: *Columnæ istæ ante firmitatem nutarunt, & vacillarunt*, sed Virgo sanctissima ab initio *adstitit*, vel potius *columnata est*: scil cet columnæ in morem offirmata, & ideo Angelorum, atque hominum Regina: hæc enim firmitas, & constantia in iustitia, illi regnum, & imperium addixit in omnes creaturas.

Chrisost.

Iob. 26.

33 Subdit statim apposite etiam ad dicta: *In vestitu deaurato.* Hieronimus conuertit, *in diademate aureo.* Symachus *in auro primo*: in Hebręo est *Chetemophir*. De significatione autem illius nominis כתם multa interpretes: sed illud maxime commune, eo nomine non significari aurum, quod arte defæcatur, & ad purum excoquitur, sed quod ab initio nulla alieni metalli adulteratum mixtione, ex ipsis fodinis purum legitur. Ergo sic ait Vates. *In diademate aureo.* Vel quod idem est, *in auro primo, puro, ac solido.* Quia illa gratia, quæ Virginem coronauit, atque illam Angelis, & hominibus præfecit, fuit vtique gratia originalis, quæ nullius culpæ fæcem vnquam admisit, gratia pura, prima, solida, & gratiarum omnium, quæ puræ creaturæ donari possunt, princeps. De hac firmitate, seu constantia, qua Virginis gratia ab initio excelluit, habes plura infra cap. 33. & 39.

Hieron. Symach.

CONFIRMATIO DEIparæ in gratia vnde acciderit.

§. III.

34. *Confirmatio in gratia B. Virginis, eius, qua Beati gaudent, æmula fuit.*
35. *Sola fomitis extinctio non potuit eam gratiæ firmitatem Virgini afferre.*
36. *Illæsa libertate perfecta fuit.*
37. *Externa Angelorum protectio Virginem seruauit ab omni pulsatione mali.*
38. *Interna quoque aspiratio Dei ipsam assiduo præueniens, omnem cogitationem ab illa arcebat.*
39. *Contemplationem assiduam per cognitionẽ tamen à sensibus pendentẽ Mariæ tribuunt aliqui Theologi.*
40. *Firmitas omnimoda Virginis in gratia cum ea cognitione cohærere potest.*
41. *Virginem naturalium omnium rerum etiã spiritualium cognitionem intuitiuam inde pendentem à sensibus adeptam, authoritate, & ratione probatur.*
42. *Nõ ita supernaturalium, vt locus esset fidei.*

43. *Cum hoc modo cognitionis plaraq; Virginis priuilegia melius coharent.*
44. *De constantissima illa firmitate in gratia, qua Virgo pradita fuit. facilius explicatur*
45. *Cognitio ista ab ipso instanti conceptionis incboata fuit.*
46. *Et firmitas etiam gratia inde auspicata.*

34 ÆC Gratiæ confirmatio, quam hactenus in Virgine asserui, vt ex Diuo Thoma nuper confeci, non est ei adsimilis, quā Apostoli per Spiritus Sancti illapsum, & forsan alij Dei beneficio acceperunt: hi enim quamuis ex singulari Dei prouidentia seruabantur, ne in lethale peccatum prolaberentur, & charitatē, gratiamq; amitterent: tamen leuiores culpas, per quas charitatis feruor intepescit, non excludebat, & peccati fomitē ad malū assiduo suadentē: atq; adeò tentamenta, & suggestiones tā extrinsecùs à dæmone immissas, quā intrinsecùs à propria coucupiscentia excitatas nequaquā arcebat. Sed per omnia similis fuit illi confirmationi, qua beati in patria Deū clare vidētes gaudere oportet: quia non modo Virginē à grauioribus criminibus continuit, sed leuissimas etiā noxas ab illa remouit, & peccati fomitē, tentationes, suggestionesq; omnes in ipsa restinxit, oppressitq;: ita vt nec charitas in ipsa deficere, nec quomodolibet deferuere vnquā potuerit. In sero hic iterū verba S.Tho. *Ex hoc* (inquit) *creatura rationalis in iustitia cōfirmatur, quod efficitur beata per apertam Dei visionē, cui viso n.n potest non inhærere, cum ipse sit ipsa essentia bonitatis, à qua nullus potest auerti, cum nihil desideretur, nec ametur nisi sub ratione boni: & hoc dico secundū legē communē, quia ex aliquo priuilegio secus accidere videtur: sicut creditur de Virgine matre Dei.* Hæc sanctus Doctor: ex quibus manifeste colligitur Deiparam Virginē gratiæ confirmationē adeptam fuisse per omnia similē illi, qua beati gaudēt in patria per contēplationem claram summi boni. In eo vero dissentio à sanctissimo Doctore, in quo plerīq; alij ipsius discipuli ab eo desciuerunt, quod nimirū ille hanc gratiæ confirmationē cum extinctione fomitis, Virgini, nō à primo Conceptionis instanti, sed in verbi incarnatione concessam affirmat: ego vero in ipso Conceptionis articulo hac firmitate donatā reor. Quam sententiam tradere consectarie debent omnes authores supra citati c. 28. qui docent fomitē ex tunc in Virgine nō ligatum modo, sed etiā restinctum. Hi sunt Tho. de Argentina in 3. dist. 3. q. vnica. art. 3. & 4. Marsilius in 3. quæst. 4. art. 1. part. 2. Corduba lib. 1. q. 49. pun. 2. opin. 2. Vazq. 3. par. disp. 118. Suar. quæst. 27. art. 3. disp. 4. sect. 5. Valencia q. 27. art. 3. Canis. lib. 2. de B. Virgine c. 4. Barradas. tom. 1. lib. 8. c. 3. & est communis hodie apud recentiores.

S.Thom. — Tho. Arg. Marsil. Corduba. Vazquez. P.Suarez Valentia. Canisius.

Obseruandum vero solam fomitis extinctionem non satis esse ad confirmationem prædictam in gratia, vt ex Adamo, & Eua constat, qui licet in statu innocentiæ fomitis incendium restinctum haberent, tamen in peccatum prolapsi sunt. Addo etiā nec satis esse ad eam confirmationem, si ad fomitis extinctionem accedat etiam remotio suggestionum externarum, quibus homo à dæmone incitatur, & acuitur ad malum: nam Angeli eo momento, quo viatores fuerunt, non sunt ab extrinseco pulsati, & incitati, & nihilominus eorum firmitas vacillauit, & quasi ab intrinseco nutauit. Ratio autem huius est, quia sublato fomite, & omni externa suggestione remota, rationalis creatura à philautia, idest, à proprio amore ad malum impelli potest: quemadmodū in Angelis euenisse certum est, quos ingenitus sui ipsorum amor ad fastum, & superbiam inflauit. Quapropter vt Virginem à suæ Conceptionis articulo in gratia confirmatam fuisse dicamus, aliquid in ipsa ponere oportet, quod fomitem restinguat, quod omnem prauam suggestionem arceat, & quod philautiam, & innatam cupiditatem opprimat. Nam cum ista gratiæ confirmatio, quam in Virgine asserimus, eius sit æmula, quam beati obtinent in patria, hæc omnia ad sui perfectionem requirit. Barrad. 35

Igitur vt eos omittam, qui dixerunt, hanc confirmationem in Virgine, extincta, aut impedita aliquatenus libertate, fuisse perfectā: his certe assentior, qui illa tria, videlicet extinctionem fomitis, remotionem suggestionum, & ingenitæ cupiditatis oppressionem per diuinam protectionem, & per contemplationis, & amoris Dei exercitium, illæsa libertate, causatam fuisse. Ita sentiunt ex nostris Pater Suarez, & Vazquez locis citatis, qui alios sibi auxiliares ibidem euocant. Quapropter videre oportet quonammodo hæc tria, videlicet protectio Dei, contemplatio, & amor summi boni, ad confirmationem Virginis in gratia tribus illis abolitis conducere possunt. Sed in primis constituendum, quo in gradu singula in Virgine fuerint. 36 P.Suarez Vazquez.

37 Primò Dei prouidentia erga Deiparam partim in protectione extrinseca posita fuit, per quam omnem illi externam diaboli suggestionem, & quidquid exterius ad eius animum pulsandum contendere, & conari poterat, iugi Angelorum custodia, & ministerio remouit, ac propulsauit. Ita docet Bernardus in sermone illo, qui inscribitur laus Mariæ. *Sed & innumerabilium beatorum spirituum militiam ad ministerium tantæ Principis delegatam nullatenus ambigimus, vt pote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimū ac prouiderent ne preparatum æterno Regi hospitium alienus hospes inuaderet.* Accinit Bernardo Anselmus. *Nec dubium castissimum corpus, & sanctissimam animam funditus ab* Bernard. Anselmus

omni

omni fuisse macula peccati Angelorum custodia protectam. Hanc vero protectionem extrinsecã ab ipso Cõceptionis momento inchoat Fulbert. Carnot. Fulbertus Carnotensis Episcopus in serm. de Virginis natiuitate his verbis. *Quanta putamus prouisio Angelorum circa tam Deo gratissimos parentes ab initio suæ procreationis, & excubatio super tam ingentem symbolũ: nulli profecto dubium est, quod circa eam iã tunc omnis frequentia cœlestiũ agminũ inuigilabat, vt pote quã supra se exaltãdã minime ambigebant.* Hæc ille.

38 Ad externã protectionem accedebat etiã Damasce. ex Dei prouidẽtia interna adspiratio, de qua sic Damascenus in orat. 1. de natiuitate Deiparæ. *Sanctam omnem, & cum animi vtilitate coniunctam cogitationẽ habes: contra superuacaneam omnem, & animis exitiosam antequam gustes, eijcis.* Quod perinde est ac si diceret: hoc tibi ac soli proprium (ò sanctissima Virgo) vt sanctis, & congruis cogitationibus nunquam non præuenta omnem aliam prauam, & malesuadam cogitationem procul auertas.

39 Secundo contemplatio rerum diuinarum in Virgine erat assidua. Sed quis istius contemplationis gradus? Duplex se se offert hac de re authorum censura: alij enim affirmant, sanctissimam Deiparam tam creaturarum, quam ipsius Dei maiorem, & clariorem cognitionem habuisse, quàm omnem aliam purã creaturam, tamen in contemplatione Dei modum naturalem cognitionis humanæ seruasse: ita nimirum, vt aliorum hominum more insensibiles spiritualium rerũ formas per sensibilium species conciperet. Atque adeò excellentiam Marianæ contemplationis in eo ponunt, quod in eo genere cognitionis maiori attentione, & contentione animi, & clariori, & apertiori modo Deum agnouerit. P. Vazq. Ita docet Vazquez 3. par. tom. 2. disp. 119. c. 4. & 1. par. disputa. 134. cap. 3. Rationem vero talem offert: primo, quia altius modus cognitionis in Virgine sine vtilitate, & absq; vllo fundamento asseritur. Deinde quia eius generis contemplatio vsque adeò intendi potest, vt mens per illam Deo affixa totum hominem ad se transferat, ita vt omnes appetitus illecebras, omnesque concupiscentiæ ardores consopiat, & restinguat. Aliqui vero in hanc sententiam ex eo inuehuntur, quia non satis assequuntur, quonammodo fieri possit, vt cognitio aliqua eius generis tam sit intenta in Deum, vt animam ab omni appetitus motu sequestrans fomitem omnino restinguat, & tamen extasim, & alienationẽ à sensibus non faciat. Quia si talis (inquiũt) cõtemplatio sensuum exercitio locum dedisset, non posset mens ab externis non infestari, & impelli, atque adeò incitari, & tentari. Absurdum autem putant Virginem in extasim actã, & à sensuũ vsu abalienatã semper fuisse, id enim illã à cõsortio hominũ prorsus auocaret. Cæterũ hæc obiectio inanis est, quia in Adamo peccati fomes fuit restinctus per id tempus, quo innocens perdurat, sed tamen non vetuit, quominus sensibus suis perfectissime vteretur.

40 Dico igitur iuxta hanc sententiam extinctionẽ fomitis, & inconcussam, immobilẽq; iustitiæ firmitatem ab omni tentatione, & pulsatione malitiæ liberã rectè defẽdi posse, dũmodo dicamus sanctissimã Deiparã congruis, & victricibus boni cogitationibus assiduo præuentã in ea intensione, quæ mentẽ ad bonũ traductã, ab attenta mali cognitione prorsus auocaret. Dixi quidẽ ab attenta mali, cognitione: quia vt libertatem in Virgine defendamus, in electione boni, & refutatione mali vtriusque tam boni, quam mali cognitionem in ea fateri necesse est. Neq; vero inde sequitur ipsam à malo tentatam, & pulsatam: non enim qualibet mali cognitio tentatio dicitur, sed illa, quæ intentior, & attentior cum sit, pugnam inducit, & oppositæ cogitationi bellum mouet. Itaque dicendum est in Virgine cogitationes mali cogitationibus boni contrarias nequaquam defuisse, tamen ita remissas, & lentas, vt ipsam nullo modo ab exercitio virtutum vel auocarent, vel retardarent. Idque sibi voluit Damascenus supra, cum de Virgine ita fatur. *Superuacaneam omnem, & animis exitiosam cogitationem antequam gustes, eijcis.* Quasi dicat: habes quidem illam, sed tamen antequam voluntatem vel alliciat, vel inficet, illam retundis, ac refellis. Damasce.

41 Verum enim vero quanuis ad hunc modũ per cognitionem, & contẽplationem Dei à sensibus pendentem præfatam iustitiæ & gratiæ firmitatem in Virgine constitutari liceat; nihilominus tamen in alteram sententiam mente pendeo, quæ superiorem altum cognitionis, & contemplationis modum in Virgine ponit: sunt enim grauissimi Doctores, qui Virgini scientiam per se infusam tribuẽdam esse censent, qua res spirituales, & à sensibus remotas per species proprias independenter à phantasmatibus agnoscebat. Ita plane sentit Albertus Magnus in Mariali c. 98. 99. 100. & 102. sed absolutissime c. 132. & 149. D. Bernardus de Sena tom. 2. serm. 51. art. 1. cap. 2. Gerson. super Magnificat. Alphabet. 79. lit. Q. Pater Franciscus Suarez 3. p. q. 37. art. 3. disp. 19. sect. 3. Insinuat etiam D. Bonauentura in speculo. Dionysius Carthusianus c. 5. Cant. & alij non pauci. Sed inter præfatos authores conclusionem istam solide admodum, ac dilucide tradit Alber. Mag. locis citatis in eo c. 132. vbi omnes colligit rationes, propter quas eiusmodi scientia per se infusa Virgini concedi debeat, nõ quidẽ semel aut iterũ, sed assiduo, & ex habitu. Deinde vero in eo capite, & infra c. 149. ea colligit, quæ Virgo cognitione sua cõplectebatur: *Cognoscebat* (inquit) *perfecte & intuitiue animam suam, & animæ suæ motus, & actiones: cognoscebat itẽ per proprias species Angelos, dæmones, & corporũ substãtias, & essentias, ac demũ omnia* Albertus Mag. D. Berna. Gerson. P. Suarez. D. Bona. Dionysi.

in creatis, siue spirituales, vt Angeli: siue rationales, vt homines, siue corporales, vt corpora cœlestia, vel elementa. Et omnia quæ sunt in cœlo, & in terra, siue damnati, siue beati, quæ omnia sunt diuino imperio subiugata: eadem gloriosæ Virgini sunt subiecta. Ille enim, qui filius Dei est, & Virginis benedictæ volens paterno principatui principatum æquiparare maternũ, ipse, qui Deus erat, matri famulabatur in terra, & erat subditus illis. Propterea hæc est vera propositio. Diuino imperio omnia famulantur, etiam Virgo: & iterum hæc est vera: imperio Virginis omnia famulantur, etiam Deus.

4 Ac nequid esset, quod sub Virginis imperium non caderet, id etiam Virgini peculiare fuit inter alios homines, vt in semetipsam perfectum regnum haberet. Nã cum in alijs intestinum, & ciuile bellũ semper grassetur, & appetitus rationem numquam non impugnet, sæpius expugnet, nihil eiusmodi in Virgine fuit: sed caro, & quę ex carne fluunt appetitiones, rationis imperium suscipientes, ad nutum illi obtemperabant. Itaque huius Mariani Regni iura multifariam diuiduntur, in filium, in seipsam, in Angelos, in homines, & in reliquas creaturas, & ex singulis huius imperij partibus immaculatam Conceptionem non inefficaciter depromere licet.

5 *Aristotel.* In primis ergo Mariæ Virginis potestatem in filium, Regiam appellare fas est. Ita docet Aristoteles lib 8. Ethi. cap. 11. *Societas Patris ad filios Regni præsefert effigiem, nati namque Patri sunt curæ*: id est, potestas parentum in filios regnum imitatur, non est enim potestas in seruos, sed in liberos, & ingenuos. Quomodo autẽ ex hac Materna Virginis potestate in Christum eius immunitas à peccato originali comprobetur, multa diximus supra cap. 30. Secunda Mariani Regni pars ea est, qua sibi ipsi imperauit, & per quam ipsa sui Regina, & Domina semper fuit, quatenus caro, & appetitus menti semper obtemperans legitimum rationis regnum constabiliuit. De hoc regno plura etiam diximus supra cap. 28. & ex eo, quod in Virgine fomes peccati extinctus, & suffocatus fuit, puram illius Conceptionem non insalsẽ confecimus. Vide ibi plura. Restant igitur tres huius Mariani regni partes, de quibus in hoc capite sermo futurus: videlicet in homines, in Angelos, & in reliquas rationis expertes creaturas.

6 Vt igitur ab infimis exordiar, Mariæ regnum in creaturas rationis expertes illã originali gratia præditam fuisse efficaciter probat. Quia si ad primum illud humanæ conditionis initium oculos referas, imperiũ hoc in omnes creaturas rationis expertes simul cum gratia originali Adamo traditum est: nã *Genes. 1.* Genes. 1. sic habet. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.* Et infra: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, &c.* Imperium autẽ hoc, quod cũ originali iustitia simul acceperat primus homo, hac iustitia deperdita, simul etiam deperdidit. Illud igitur Maria cũ iustitia etiam originali recuperare, ac recipere debuit: ita vt eo solo nomine omnium creaturarum regnum inierit, quia originali sanctitate prędita fuit.

Sed rationem istam vrgere libet. Sane creaturas rationis expertes trifariam partiri licet: aut enim esse corporeum tantummodo habent, vt elementa, & mixta: aut vita pollent, vt plantæ: aut sensu vigent, vt animantia. Itaque hæc regni pars tres omnino dignissimas res illius ditioni submittit: *Esse, vitam, & sensum.* Iã igitur mecum cogita, quãto detrimento culpa originalis affecerit hæc tria. Primum enim id, quod dicimus *esse*, nẽpe *el ser*, quod homini commune est cum elementis, culpa originalis tantopere vitiauit, vt non immerito Iob huius vitij pertæsus lõge melius duxerit non esse, quam eo modo sub peccati originalis nota, & labe concipi, & procreari: nam cap. 3. ea mente in Conceptionis suæ horam inuectus ait. *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo.* *Iob. 3.* Secundo peccatum originale vitę, quam homo communem habet cum plãtis, præsentissimum venenum fuit. Nam (liceat sic dicere) quatuor mortes aduersus vnã vitam produxit: nempe ciuilem mortem per exiliũ à paradiso voluptatis, quæ propria, & naturalis hominis patria erat: naturalẽ mortem sublata arbore vitæ, quam ad vitam in æuum seruandam homini Deus indulserat: spiritualem mortem expulsa gratia, quæ vitam animę ipsi inspirat: & æternam mortem perpetuis pœnis apud inferos hominem adiudicans. Tertio, sensus à peccato originali grauissime violatus est. Nam cum is suapte natura ad id effectus, conditusque fuisset, vt voluptatibus indulgeret, & omnes licitas, & honestas delectationes captaret (ideo enim *in paradiso voluptatis* collocatus dicitur, quia puras, & ab omni angore vacuas delectationes inibi percepturus erat) originalis culpa eum valitudini, morbis, doloribus, & cruciatibus innumeris addixit. 7

Sed ad Virginẽ Deiparam veniamus. Ego quidem ita reor, Marię imperium, si ipsa originalis culpæ labe infecta fuisset, atque adeò originalis culpæ vitia omnia sibi accumulasset, omnes ad vnã creaturas merito detrectare posse. Nam elementa, & alia corpora vitæ expertia ita obijcere possent, sibi indecorum videri suum *esse* ei demittere, cui melius, ac opportunius fuisset, non esse tunc, cum cœpit existere. Deinde plantæ, & in vniuersum ea omnia, quæ vita pollent, illud causare possent, valde sibi turpe videri vitam suam ei subijcere, cuius vita ad eum modum 8

qua-

quatuor mortibus obstricta, & deuincta fuisset. Ac demum animantia, & ea omnia, quæ sensu vigent, ita obijcere, & causare possent, sibi prorsus inglorium, & humile esse, nobiliorem illum sentiendi gradum ei substernere, cuius omnes sensus culpa violati, langoribus, doloribus, molestijs, & cruciatibus turpiter, adiudicati, & dānati fuerant: atque adeò omnibus creaturis Mariani imperij detrectandi, & refellendi propriç, ac singulis singulæ rationes amplæ suppeterent.

9 At inquies exploratum satis esse, Virginē re ipsa cum gratia originali dominiū creaturarum adeptam fuisse: atque adeò ex gratia originali apte, & consequenter Regnum illius confici, non tamen ex Regno euinci, eam tali gratia ornatam fuisse. Certe huius argumenti vim facile agnosces, si modum inspexeris, quo Virgini Regnum istud adire cōcessum est. Audi Anselmum de excellentia Virginis cap. 11. *Vtique cuncta, quæ Deus bona, & vtiliter fecit, in eo statu, in quo condita fuerunt, sicut diximus, esse destiterunt, & per hanc Virginem in pristinum statū reuocata sunt, ac restituta: sicut ergo Deus sua potentia parando cuncta Pater est, ac Dominus omnium: ita beata Dei genitrix suis meritis cuncta reparando mater est, ac domina rerum: Deus enim est Dominus omnium singula in sua natura propria iussione constituendo: & Maria est domina rerum omnium, singula congenitæ dignitati per eā, quam meruit, gratiam restituendo*. Hactenus Anselmus: ex quibus constat, Virginem creaturarum omnium caput, Reginam, & Domipropterea constitutam, quia illas creaturas, quæ per peccatum primi hominis à suæ conditionis gloria exciderant, refecit, & antiquæ dignitati restituit. Quia cum capitis propriū sit in membra influere, & aliquid deriuare, non aliter Virgo irrationabilium caput, & Regina concipi posset, nisi aliquid dignitatis, aut boni in eadem ex illa deflueret: inde autē aperte colligitur ipsam originalis peccati minime consortem fuisse. Si enim in eius peccati, quod bonum creaturarum statum euertit, consortium venisset Maria, non esset vtique reparationis causa, sed euersionis socia. Ergo quia regnum hoc, & dominiū creaturarum per earum reparationē Virgo vsurpauit, ideo ex illo eius immunitas aptissime, atque efficacissime comprobatur.

Ansel.

10 Quam rationem ad homines quoque, & ad Angelos explicare, & extendere potiori iure integrum est: constat enim Mariam humani generis reparationem, & Angelorum instaurationem longe melius, ac dignius perfecisse, quam aliarum creaturarum rationis expertium, vt supra ex doctrina Patrum decreuimus. De Angelis quidem cap. 4. de hominibus vero cap. 21. Quapropter eo iure vtriusque naturæ imperium adepta, ab omni peccato prorsus immunis esse debuit. Nam cum homines cunctos, ex Angelisque, quamplures peccatum euerterit, ac vitiauerit, naturæ vtriusque reparatrix, atque adeò Regina, & domina ab omni peccato vacare debuit, ne si peccati consors esset, ad euersionem potius cum alijs conspirasse, quam ad reparationem profuisse diceretur. Sed obijcies, fieri quidem potuisse, vt Maria prius euersionis socia, deinde vero reparationis autrix, & causa fuerit. Apage, absurdissimum est hoc: quis enim sibi persuadeat Christum Dominum ad reparationem vtriusque creaturæ comitem, & adiutricem sibi adiunxisse, & ad regni cōsortium vocasse eam, quę prius cum alijs ad euersionem, & destructionem conspirauerat? Quis credat Deum optimum maximum (liceat ita fari) sic neglexisse, & exautorasse adeò nobiles creaturas, vt earū imperium ei addixerit, quę peccati prius regnum misera seruitute sustinuit?

Sed præter hanc rationē, quæ hominibus, Angelis, atque alijs creaturis communis est, suppetunt etiam aliæ speciales, quæ ex regno, & potestate Mariæ in omnes homines, & Angelos depromi possunt: singulæ quidem pro singulis. Ad homines ergo spectat illud: quia vt Deus Adamum primum hominem aliorum hominum caput constitueret, atque ius ad gratiam, & iustitiam in reliquos homines transfundendam illi conferret, originali gratia illum donandū censuit: alioqui principatus iste indigno prorsus demai datus videretur: atque adeò statim atque à gratia originali per peccatum excidit, reliquorum hominum caput, ac princeps esse desijt. Cum ergo Deus Mariæ longe nobilius regnum, & digniorem potestatem in omne genus humanum addixerit, & gratiæ etiam largioris, & vberioris in alios homines deriuandæ tantū ius, & facultatem illi indulserit, vt certum, ratumque sit, nihil gratiæ, aut iustitiæ a Deo in vniuersos homines proficisci, quod per Mariam non regatur, & ex illa redūdet. (Audi Bernardum in serm. de natiuitate Virginis. *Hæc est voluntas Dei, qua totum nos habere voluit per Mariā, vt proinde si quid spei, si quid gratiæ in nobis est, ab ea nouerimus redundare. Ideo enim gratia plena dicitur, vt ex plenitudine illius accipiant vniuersi, &c.*) Profecto inde fit, tantam potestatem, & authoritatem cum gratia simul originali Mariæ concessam fuisse, alioqui indignæ, ac prorsus demerenti delata videretur. Quod si rationem quæras, ob quam decuit primum hominem gratia originali adornari, vt aliorum hominum caput, ac dux pro dignitate existeret, in promptu quidem est. Quia nimirum cum illum propriæ naturæ conditio omnibus hominibus exæquaret, sola gratia eundē super alios homines extollere, & capitis dignitatem illi conferre potuit: gratia autem capitis, quæ videlicet hominem caput, ac principem aliorum constituebat, gratia vtique prima, atq; princeps esse debuit. Fuit etiam Maria pura

11

Bernard.

fœmi-

fœmina, & naturæ communis conditionem non excedens: illa ergo similem ad modum gratia ad regnum euexit, atque adeò prima, & omnium facile princeps gratia esse debuit illa, per quam ei tantam potestatem capesse re licuit. Talis autem est gratia originalis, & non alia. Hæc igitur ipsam reliquorum hominum Reginam, & principem præstitit. Deinde præmissam rationem sic vrgeo. Si peccatum originale ex Adamo in prolem deriuatum sufficiens causa fuit, vt omnes aliæ creaturæ rationis expertes, quæ suapte natura homine inferiores erant, imperium homi nis excuterent, & regnum illius detrectarent. Ergo potiori iure homines, qui Virgini secundum naturam per omnia compares, & æquales erant, ab eius imperio, & regno resilirent, si ita constaret illam originalis culpæ maculam contraxisse.

12 Sed vt hæc melius teneas, cogita hominē duplici parte constare, corpore nimirum, & anima, carne, & ratione. Aio igitur primo carnem humanam Virginis Regnum merito detrectaturam fuisse, si originali culpa nequaquam vacaret. Si enim naturale propriæ animæ, & rationis dominium caro statim excussit, cum primum ratio, & mens originali peccato violata fuit, ac sui iuris esse incipiens, nō iam dominanti parere, & obsequi, sed mage dominari, & imperare contendit: potiori certe iure alienę rationis simili delictovitiatæ regnum, imperiumq; subire eadē caro repugnaret. Rursus dignissima, ac nobilissima hominis portio est ratio, atq; mēs, quæ sponte sua elata, superba, & imperij, iugique impatiens est. Iam igitur illud mecum perpende, inter alia, quæ ab originali culpa vitiata fuerunt, rationem cum primis læsam, & violatam fuisse. In primis enim hæc carni, & appetitui degeneri seruitute mācipata, deinde crassissimi ignorantiæ, atque errorum nebulis offuscata, & obtenebrata fuit: si ergo Virgo Deipara originalem culpam, & cognata illi detrimenta experta fuisset, certe indecens, inordinatumque foret, homines se ipsos, illamque suam iugi alioqui impatientem mentem, & rationem ei demittere, cuius ratio, & mens carni ad condiendas, tēperandasque illicitas voluntates seruiliter ancillari coacta fuisset: mentem inquam excelsam, & suapte natura elatam illi mancipare, quę ignorātioni, & erroribus, quos peccatum induxit, cōmuni cum reliquis hominibus consortio foret obnoxia. Tum vel maxime, quia vt docet Aristoteles, ignoratio, & insipientia sola in causa est, vt homines sui ipsorum potestatem amittentes serui sint per

Arist. naturam eorum, qui scientia, & cognitione rerum pollent. Nam lib. 1. Polit cap. 3. de homine ignaro, & sapiente sic scribit. *Quicunq; igitur distant tantum, quantū animus à corpore, & homo à bestia per hunc modum se habent* (vt scilicet alter sit natura seruus, alter natura dominus. Ad hæc Seneca causam disquirens, propter quam corona, quæ regni præcipua, & maxime propria nota est, solenni omnium gentium ritu capiti imponi cōsueuit, subdit. *Reges, ac Principes mente alios pollere, ac iudicio reliquis præstare debent: ideo enim caput, quod mentis, ac iudicij sedes est, redimitur.* Quapropter vt Virginis imperium in reliquos homines ratum sit, vtque Regina sit coronata, cui omnis humana ratio sponte subdatur, originali peccato vacare, & cognatis peccato erroribus, & ignorationibus carere debuit: aliter enim non esset vera, & naturalis, sed ficta & emētita Regina. Sic enim exprobrat Chrisostomus illis Regibus, qui cum sapientia alijs superiores non sint, regnant nihilominus, & in alios ditionem habent: illos enim falsos, & velut in fabulis, & tragedijs ementitos Reges appellat, vt alibi me dixisse memini.

Ad Angelos excurramus, & ab his, quæ proxime diximus, ducamus exordium. Profecto si ad naturalem conditionem spectes, Virgo Deipara Angelis inferior fuit. Nam quod Epiphanius dixit in oratione illa de laudibus Virginis. *Solo Deo excepto, cunctis superior existis, natura formosior es ipsis Cherubim, & Seraphim, & omni exercitu Angelico.* non ita capiendum, vt Virginis naturalis conditio Angelorum naturis antecellat: sed per *naturam* natiuitas accipienda est, vt vberius dicemus infra in sæculorum censu, vbi proprius Epiphanio locus assignabitur: quæ *natura* acceptio non est insolens, vt inibi etiam demonstrabimus. Quanuis enim hoc fortasse dici queat, in cunctis Angelorum speciebus nullum indiuiduum intra suæ naturalis perfectionis cancellos ita elaboratum, & perfectum à Deo conditum fuisse, sicut intra humanā speciem, & genuinam huius speciei perfectionem Mariam expoliuit, atque perfecit: semper tamen verum est, naturalē Mariæ perfectionem Angelicæ perfectioni cedere. Nisi velis dignitatem Matris Dei inter naturæ perfectiones ab Epipha. numeratam fuisse: quamuis enim ad eam dignitatē gratis, ac liberaliter electa fuerit, & supra naturæ ordinem seruata Virginitate Christum genueris: ipsa tamen dignitatis substantia in naturæ ordine sita est, quandoquidem per illam naturalis Christi mater extitit. Sic autē licebit dicere, Virginem in eo sensu natura formosiorem esse, quàm Cherubim, & Seraphim, quia dignitatem quandam ordinis naturalis adepta fuit, quæ omnes alias Angelorum perfectiones naturales immenso interuallo superat. 13 Epiphan.

Sed tamen licet id verum foret, atque ea parte Virgo Angelis omnibus natura sua superior esset: tamē nisi huic dignitati, & perfectioni, quæ in ordine naturali sita est, gratiæ, & iustitiæ supernaturalis dignitas accederet, nequaquam illi regnum, & potesta- 14

tem

tē in Angelos, imo neque in alios homines iustos ex illa euenire certū esset. Quod Christus testimonio suo firmauit, cum his, qui illi *Mat. 12.* matrē, & fratres adesse denūciabāt, ita respōdit. *Quicūque fecerit volūtatē Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Quibus verbis iuxta cōmunē Patrū sententiam, gratiam, & iustitiam cum dignitate Matris Dei contulit, atque illi primas dedit, eoque nomine dignam, & beatam Matrem suam esse demōstrauit, quia cum maternitate Dei gratiam, & iustitiam coniunxit. Vnde fiebat, vt matris dignitati gratia, & gratiæ item matris dignitas splendori, atque decori maximo esset. Si tamē id accideret, vt maternitas à gratia separaretur, non equidem gratiam maternitas Dei, sed contra gratia maternitatem Dei sibi subijceret, ac substerneret. Quapropter ex his liquet, per gratiam, & iustitiam, Virgini principatum, & regnum in Angelos contigisse, quatenus hæc maternitati cohærebat. Si ergo (vt nuper dicebamus) vt Maria hominibus, & alijs creaturis imperaret, gratia illa prima, & omnium gratiarum principe, id est, gratia originali insigniri debuit: potiori ergo iure Angelorum Regina, & domina per eandem gratiam constitui debuit: tum vel maxime, quia omnes Angeli ea gratia præditi sunt, vt propterea ne suspicari liceat eam gratiam in eorum Regina desideratam fuisse.

15 Et quidē hinc fluit præcipua alia ratio, quę gratiā originalem in Virgine fuisse, ex eius in Angelos potestate, & regno efficacissime colligit. Quia omnino conueniens, ne dicam necessarium, fuit, vt Virgo, quam gratia, & iustitia, vt nuper dicebam, Angelorū Reginam, & dominam præstitit, in eo genere dignitatis nulli cederet ex his, qui eius imperio subditi erāt. Sed enim illud certum, atque exploratum est, gratiæ, & iustitiæ dignitatem, atque splendorem, ex eo plurimum augeri, quod originalis sit, & peccato nunquam locum fecerit. Quod firmari solet ex *Cyprian.* Cypriano in Epist. 3. *Primum fœlicitatis genus est non delinquere: secundum delicta cognoscere, & retractare.* Atque ob eam causam D. *D. Thom.* Thomas 2. 2. quæst. 106. artic. 2. maiores, & ampliores gratias Deo deberi dicit pro priori, quam pro posteriori beneficio. *Innocens* (ait) *tenetur ad maiores gratiarum actiones, quia maius donum ei datur à Deo, & magis continuum cæteris paribus absolute loquendo.* Est enim innocentia quidam gratiæ & iustitiæ, vt ita dicam, flos, quemadmodum in castitate virginitas, qui semel amissus recipi, & instaurari non potest. Et sane innocentiæ præstantiam vel ex eo licet agnoscere, quia quantumuis homo culpam admissam, recepta gratia, deinde deleuerit, semper tamen iuste seipsum reprehendit, atque incusat, semper etiam merito de perpetrato crimine dolet, ac mœret.

16 Cum ergo Angelorum omnium iustitia & sanctitas hac innocentiæ integritate vernet, ac floreat: nulla enim veteri delicti conscientia marcet, aut tabescit: ne in eo sanctitatis decore, ac splendore eorum Regina, & domina Maria Angelis cederet, operæ pretium fuit, illā originali gratia ab initio adornari, & excoli, vt Angelis per omnia imperitaret. Non alia fuit mens Anselmi in sermone de excellentia Virginis, cui authoritas est ex Romano quodā breuiario antiquiori, quod excusum est apud Iūctas anno 1550. vbi hæc habentur insignia verba (de quorum authoritate lege plura in sæculorum censu in Anselmo.) *Angelos alijs peccantibus à peccato seruauit, & fœminam matrem suam futuram ab aliorum peccatis exortem seruare non potuit?* *Ansel.* *In æternitate consilij sui eam dominatricem, & Reginam fore Angelorum, & nunc inferiorem gratiam Angeli, illi datam, & in consortium conceptam esse credemus hominum peccatorum? Existimet hoc, qui vult: his, quæ dicimus, aduersetur qui vult: ego, donec ostendat mihi Deus aliquid dignius excellentiæ Dominæ meæ posse dici, quæ dixi, dico, quæ scripsi, non muto.* Hactenus Anselmus. Fortasse etiam eò spectauit Ignatius in Epistola ad Ioannem Euangelistam, *Ignatius.* vbi peruulgata illa verba scribit. *In Maria humanæ naturæ, natura sanctitatis Angelicæ sociatur.* Non enim hoc ideo verum est, quia eius sanctitas Angelorum sanctitati par esse dicatur: est enim impar, ac immenso interuallo superior: sed Mariæ sanctitas eatenus sanctitati eorum adsimilis appellatur, quatenus eius conditiones, & proprietates habuit: quia nimirū originalis fuit, prima, & ab omni peccato aliena: hæc enim sunt conditiones propriæ Angelicæ iustitiæ.

17 Hinc etiam factum, vt Patres non semel, cum Mariam Angelis præferunt, quasi de industria illam omni macula, & sorde peccati caruisse animaduertant, ne vel in hoc Angelorum sanctitas Marię sanctitati præponēda videatur. Chrysosthomus in lithurgia. *Chrysost.* *Vere dignum est* (inquit) *glorificare te Deiparam, & semper Beatissimam, & penitus immaculatam, matrem Dei nostri, honorabiliorem Cherubim, gloriosiorem incomparabiliter Seraphim, &c.* Depromptum hoc videtur ex Lithurgia *Lithurg. Iacob.* Diui Iacobi Apostoli, vbi sic Cantores respondent. *Dignum est, & te vere beatam, dominam, Deiparam, semper beatam, & omnibus modis irreprehensam, & matrem Dei nostri, honorabiliorem, quā Cherubim, & gloriosiorem quā Seraphim, &c.* Accedat his sanctus Ephren. *Ephrenus* *Intemerata, prorsusque pura Virgo Deipara, sublimior cælicolis, purior solis radijs, & splendoribus, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior.* Mitto alios. Itaq; hi omnes Patres quasi primum, & maxime solidam fundamentum præstantiæ, & Regni Mariani super omnes Angelicas acies puri-

tatem

tatem, innocentiam ab omni peccati suspicione expertem præmittunt. Cuius rationis vis ex sequenti §. amplius patebit.

18 Sed vlterius aliæ, atque aliæ rationes suppetunt, ex quibus Conceptionis Marianæ puritatem ex illius in Angelos imperio aucupari licet. Primã exhibet nobis Doctor subtilis Scotus in 3. dist. 7. quæst. 3. & dist. 15. quæst. vnica, vbi excelsam Angelorum naturam contemplans ita decernit. In primo signo decretorum Dei ante omnes alias creaturas Christi animam ad præstantissimum gloriæ cumulum electam, & prædestinatam fuisse. In secundo verò signo Deum tum Angelos, tum homines cõdere apud se statuisse, & ex vtrisq; certum, statumq; numerum ad gloriam præordinasse, ac omnibus hanc legem indixisse, vt animæ illi Christi Domini se se demitterent, & illi ceu supremo principi, capitique deferrent. In tertio vero signo ne videretur (inquit) ordo præposterus, Angelicam naturam, quæ longe nobilior est, quam humana, inferiori cedere, ac procumbere, animam Christi ad Verbi suppositum assumere, & diuinitati agglutinare decreuit. Hæc ille iuxta scholæ suæ principia, quæ nos supra c. 14. latius persequuti sumus. Nimirum putabat subtilis Doctor, non aliter futurum, vt excelsæ illæ Angelorum mentes se se deijcerent, & Christo obsequium deferrent, nisi humanitas diuinitati coniungata esset, atque adeò naturali, & infinita sanctitate prædita foret. Quis ergo ex his, qui Virgini originalem gratiam denegant, & illam originali labe commaculatam asserunt, sibi persuadeat, eosdem Angelos Mariæ tanquam supremæ dominatrici, & Reginæ subdendos iri? Quod si visus fuit ordo præposterus, sublimem eorum naturam Christo tanquam Regi sine gratia vnionis demitti, ac substerni. An non potius inordinatissimum, & indecentissimum putabimus, eandem Angelorum naturam fœminæ aliquando peccatrici procumbere, & illam tanquam Reginam colere, atque vereri?

19 Ad hæc Angelos supra naturæ Angelicæ conditionem extollit immortalitas, & incorruptibilitas, quæ illis, quatenus spirituales sunt, proprijssime conueniunt. Atqui peccatum originale contraria illis dotibus vitia homini immisit: mortem quidem, iuxta illud *morte morieris*: & corruptionẽ, secundum illa verba: *& in puluerem reuerteris.* Quis ergo ex his, qui Deiparam originalis culpæ minime exortem faciunt, atque adeò eiusdem culpæ vitijs subijciunt, non videat, ac sentiat Dei prouidentiam extenuari, & Angelorum gloriã deprimi, si ita dicamus Angelos coactos fuisse, vt suam immortalitatem morti, & suam incorruptionem corruptelæ, & putredini summitterent? Quapropter aliter omnino à Deo prouisum credimus, vt nimirum Virgo Deipara originali gratia insignita corruptionem, tabem, & putredinem, quam peccatum alijs inuexerat, ipsa prorsus vitaret: mortem vero ea ex parte, qua naturæ indecora, & turpis censebatur, scilicet quatenus pœna peccati erat, minime incurreret. At inquies, Virgo communi hominum lege demortua est. Non inficior: sed tamen cum Richardo Victorino, Damasceno, & alijs aio mortem ipsi, non quidem in peccati pœnam irrogatam, sed ad meritum indultam fuisse: ad eum vero modum mortem meritoriam oppetere vsque adeò gloriosum est, vti Angelos ipsos ad inuidẽtiam prouocet. Ita visum est Augustino ad illa verba. *Spectaculum facti sumus Deo, & Angelis, &c.* Ait enim Angelos Martyrum certamina, & agones contemplãtes ex quadam æmulatione mortem pro Christo obitam Martyribus inuidere, atque hoc in semetipsis reprehendere, & accusare, quod immortales cum sint, pro Christo emori non possunt. Et sane hanc incorrupotionem extremam ab originali innocentia profectam ad Virginis Regnum in Angelos pertinuisse serio docet Petrus Blessen. grauissimus Archidiaconus in sermone de Assumptione Virginis, vbi sic fatur. *Sicut enim Beata Virgo à maledictione mulieris, cui dictum est: In dolore paries filios tuos: facta est immunis, quia peperit, sine dolore: sic & à communi viri, & mulieris maledictione facta est immunis, qua dictum est. In cinerem ibis: vnde & ab Angelo benedicta esse dicitur, quasi à primordiali maledicto liberata: & sic decor Carmeli, id est, integra circumcisionis datus est ei, nihilominus etiam decor Saron, id est, principatus Angelorum, &c.*

Hic etiam ad extremum obseruare oportet, non in bonos tantum, & fœlices Angelos Virginem regnare, sed etiam in malos, & infœlices, id est, in dæmones potestatem exercere: sic enim docet Bonauentura in speculo lect. 8. *Hoc etiam competit tantæ Imperatrici, quæ re vera domina est cœlestium, terrestrium, & infernorum, domina inquam Angelorum, domina hominum, & domina dæmonum.* Accinit Idiota in contemplat. Virginis c. 6. & Arnoldus Carnotensis in tractatu de laudibus Virginis. Ex quo regno Mariæ immunitatem à culpa originali depromere etiam licet. Nam Mariæ potestas in dæmones est seuera, violenta, coactiua: de qua Guillemus Parisiensis in Cant. ad illa verba. *Terribilis, vt castrorum acies ordinata*: sic scribit. *Dilectus filius, vt piam matrem cunctis spiritibus malignis terribilem vehementer demonstraret, dixit de ea: Terribilis, vt castrorum acies ordinata. Quasi dicat, quia te sciũt aereæ potestates esse matrem meam, matrem triumphatoris sui, verentur te matrem terribilis, & eius qui aufert spiritum principum, id est, destruit superbiam malignorum spirituum. Tu quoque terribilis illis facta es, & non mediocriter, sed sicut est illis terribilis Angelicus exercitus ad coercendos eos diuinitus ordinatus.* Itaq; Guillelmus Virginem

Marginalia: Scotus. — Genes. 2. — Genes. 3. — August. — Petrus Blessen. — 20 (beside "Hic etiam ad extremum") — Bonauen. — Guillel.

gnem Deiparam per se solam ad coercendos, compescendosq; dæmones tantum posse dicit, quantum tota Angelorum cohors per suos ordines digesta. Habes inde non insulsam rationem ad Virginis puram Conceptionem comprobandam. Nam quid obsecro fœlicibus Angelis dæmones subiugauit? Quid rigidam, & indocilem Luciferi mentem edomuit, coegit, ac compulit, vt alijs natura inferioribus Angelis cederet, ac manus daret? Certe originalis gratiæ, & iustitiæ amissio malos Angelos depressit, & originalis iustitiæ conseruatio bonos Angelos euexit, & sublimes fecit. Si ergo Virgo vna, & sola dæmonum fastum non minus oppressit, ac sibi subiecit, quam tota simul cœlicolarum manus: non ergo debuit carere ea gloria, quæ Angelos supra dæmones extulit, scilicet gratia originali. Alioqui si iustitiam illam primã amisisset, dæmones imperium ipsius detrectantes ita causare, & obijcere possent, frustra imperium in ipsos affectare illam, quæ ob amissam similiter originalem iustitiam eorum potius ruinas, & iacturas subire deberet. Nec non grauiter ferrent sibi postmodum præfici eam, quam prius ipsis originalis culpa subdiderat. Atque ita demum addere possent, se quidem ab initio per culpam cum gratia, & iustitia originali, omnium quidem supernaturalium donorum iacturã fecisse, tamen naturę suæ præstãtiam asseruasse, & retinuisse. Quapropter si creaturæ aliæ natura, & conditione longe inferiores, vt iam inde supra ostendimus, Mariæ originali culpa aliquando infectæ imperium merito renuerent, ac detrectarent: ergo potiori iure eiusdem regnu dæmones natura sua digniores refutare possent, libertatem, & immunitatem inclamantes.

21 Quapropter apte admodum Hailgrinus ad ea Cant. verba. *Statura tua assimilata est palmæ*, Virginis in dæmones seuerum imperium ad ipsius originalem innocentiam retulit: sic enim ait. *Sicut palma, id est, arbor crucis terribilis est malignis spiritibus: ita beata Virgo merito suæ rectitudinis malignos spiritus terret, & expellit.* Rectitudinem autẽ appellat perpetuam Mariæ innocentiam, quam per *staturam* significari vult, quasi idem sit statura, quod status, seu statio ruinæ, & casus nescia. Accinit etiam Idiota in contemplat. de Virgine Maria, cap. 4. *Sed per te, ô superbenedicta Virgo Maria, vita Angelica reducitur, innocentia reparatur, diabolus vincitur, & conteritur, quia de te scribitur. Ipsa conteret caput tuum.* Quasi dicat: ideo diabolus à te victus, & sub iugum imperij tui missus est, quia innocentiam à protoplastis amissam recuperasti. Sed pende illud: *Ipsa conteret caput tuum.* Nam vt supra non semel ex Augustino, & ex alijs Patribus adnotauimus, originale peccatum diaboli, ac serpentis caput appellatur, quia per illud in omnes Adami filios caput, & princeps initiatus est. Atque adeò cũ Virgo id caput pede suo pressisse, & contriuisse fertur, eo ictu originale peccatum vitasse, & vniuersum diaboli regnum sibi subiecisse mõstratur.

Hailgri. *Idiota.* *Genes. 3.*

Ex dictis constat nullam Mariani imperij partem esse, quæ illam in originali gratia cõceptam fuisse non comprobet, imo euincat. Deinde etiam ex dictis liquidum manet, nullam vel in hominibus, vel Angelis gratiam vel gratiæ nobilẽ circumstantiã, & conditionem fuisse, quæ digniori, ac sublimiori modo in Virgine ponenda non sit, ne qua ex parte vel Angelis, vel hominibus immerito imperasse videatur. Quapropter iuxta ea, quæ hactenus præscripsimus, affirmare cogimur Virginem à culpa originali immunem, imo etiã à debito & obligatione culpæ liberam penitus fuisse: nec sit opus dicere, ac fateri, tantam dominam, & rerũ omnium Reginam in his, vel in eorũ aliquo Angelis cessisse, quos gratia originali insignitos fuisse, & omne culpæ debitum ignorasse certo certius est. At obijcies, ex his æqualem Virginis cum Angelis conditionem colligi, tamen excellentiam, & præstantiam eius supra Angelos non satis comprobari. Huic obiectioni libens in sequenti §. occurram. 22

VIRGINIS DEIPARÆ primam gratiam ab initio confirmatam fuisse, atq; inde eius regnum in vtramq; creaturam probatur.

§. II.

23. *In iustitia originali, qua Virgo donata fuit, aliquid agnoscere debemus, quod eius in vtrãq; creaturam imperij fundamentũ sit.*
24. *Vtrãq; integritatẽ corporis & animæ, qua Virgo excelluit, cũ Angelorũ gratia cõtulit Ildefonsus, & ex collatione prætulit.*
25. *Virginis iustitia originalis Angelorum gratiam firmitate vicit.*
26. *Victoriã istã agnouerũt Idio. & Sophron.*
27. *Confirmatio in gratia, quam Virgo obtinuit, imitatur firmitatem Beatorum.*
28. *Propter hanc firmitatem Angelos puritate Maria superauit.*
29. *Vacillatio in gratia quædam peccati seruitus est*
30. *Ab hac seruitute, quam homines, Angelique subierunt, Virgo libera fuit, & ideò omniũ Regina.*
31. *Præstantia gratiæ Marianæ declaratur ex illis verbis Psal. 44.* Myrrha, & gutta.
32. *Et ex illis.* Astitit Regina.
33. *Expẽdũtur etiã illa.* In vestitu deaurato.

23 D Mariæ regnum in Angelos,&in homines constabiliendum vltra ea, quæ de originali iustitia, & de immunitate illius à debito,&seruitute peccati hactenus diximus(quæ probāt ipsam nulla ex parte Angelis inferiorē fuisse) aliquid vlterius vestigare oportet, quod eandem supra Angelos extollat, & sublimen ferat. Et sane illud statim in mentem venit, quod Virginis super Angelos gloriā prodit: quia nimirum longe maior,& intensior gratia ipsi à Deo collata fuerit, quam omnibus Angelis, & hominibus in vnum con-
Prou.30. globatis, & collectis, vt in cap.30. Prouerb. latissime probauimus ad illa verba. *Tu supergressa es vniuersas.* Cæterum ius imperandi, ac regnandi sola gratiæ maior intensio tribuere non potest. Nam quidam Patres illud serio affirmant, Ioannem Baptistam, & alios quosdam sanctimonia præstantissimos viros longe maiorem gatiam,& gloriam adeptos fuisse, quàm supremos Angelos: & tamē non propterea licebit illos Angelorum Reges, ac Principes compellare. Ius ergo capitis hoc postulat, vt in membra sibi subiecta aliqua ratione influat. Quomodo autem Virgo in homines quidem omnem gratiam, in Angelos vero plures gratias,&bona regat, & deriuet, supra ostendimus. Illud nunc vestigandum censeo,quid speciale Deiparæ iustitia habuerit,vnde dignitas influendi in homines, inque Agelos ipsi accessit & accreuit. Luculentius dicam, illud inquiro: quodnam sit fundamentum illius influxus, quo Virgo vtramque irrigat,& infundit creaturam. Obijcies mihi dignitatem matris, atque in hac omnia Mariani Principatus, ac Regni iura fundari affirmabis. Ego vero ita quidē censeo, Regnū Virginis ex maternitate Dei tanquā ex radice defluere,quatenus huic dignitati ea omnia adhærere, & adiungi debēt, quæ per se ad regnandum necessaria sunt. (Nam, vt alias dixi, maternitas sine gratia regnādi iura nō habet) Gratiam igitur illam nunc inquiro, quæ causam, & fundamentum proximum huius regni continet: fundamentū inquā,quod in sola Virgine repertū solam illā supra omnes Angelos extollere possit.

24 Existimo ergo id quidquid est speciale,ac proprium in gratia Deiparæ,per quod Angelos infra se relinquit, & regni proximū fundamentum existit,à nostro Ildephonso petendum in libro de Virginitate Sanctæ Mariæ c. 10. vbi Gabrielis ad Mariam nuntium describens vniuersi Angelici exercitus incorruptionem cum Deiparæ virginitate componit, & hanc ex cōparatione præponit. Et sane verba Ildephonsi,& comparatio inita fortas-
Ildephs. se displicere incipient, nisi cogites id, quod re vera Ildephōsus sibi voluit, scilicet vtrāq; integritatem animi,& corporis à libidine,& à culpa liberā cū Angelis conferre. Ergo cū præmisisset Mariā Angelis imperare, inter alias huius imperij rationes hanc enumerat. *Tu sancte Gabriel Angele Domini,qui mitteris ad Virginem,enarra quid incorruptius,quid sincerius,quid integrius, quid solidius inter virginitatem maternam, & conditionem Angelicam: inter virgineam fœcunditatem,& Angelicā formationē: inter incorruptibile virgineum decus, & Angelorum exordium: inter pudorem prole perauctum,& Angelicæ nobilitatis initiū? Virgo quæ fecundatur,& non corrumpitur: an Angelica celsitudo, cuius pars in ruina prostratur? Decus Virgineum, quod & post partum enitet: an Angelica nobilitas, quæ post gloriam culminis damna sustentat in socijs? Integritas materna,quæ & post partum prolis concrescit in gloria Virginis: an conditio Angelica,quæ detrimentis læsa est in eiectis? Beatitudo matris,quæ inde fit genitrix Dei,vnde nescia corruptionis est: an Angelicæ plebis tuæ, quæ ante soliditatem diminutionē passa est multitudinis suæ? Certū est quod Angelorum castra superbia rupit, cuneos eorū præsumptio minorauit, plebes ipsorum prauitas diminuit, turmas eorū elatio collisit: Virginitatē Dominæ meæ genita proles nec introiēs, neq; exiens læsit,nec concepta, nec nata violauit, nec eā,cū hospitaretur in illa, tristauit,nec illā, cū egrederetur, incorruptione priuauit.* Hactenus Virginitatem cum Angelicæ naturæ conditione ita contulit, vt primo aspectu nō admodū apta cōparatio videatur. Nisi apud te cōstituas, id quod nuper dicebā, S.Præsulē de vtraq; Virginitate,&integritate animæ simul ac corporijs vnà simulq; verba facere.

Sed statim quo consilio id dixerit, aperit Il 25
dephon. quasi non suæ mentis fuerit,nudā,& solā corporis Virginitatē cū Angelorū conditione cōponere, sed cū hac cohærētē,& omnino similem animi immaculatam integritatem, in qua Virgo ex prima sua conditione Angelos nō modo exęquauit, sed etiā superauit. Quia nimirū Angeli ita creati sunt in gratia,& iustitia,vt ea primū fragilis,caduca, & amissibilis fuerit, quamuis postea in his,qui lapsi non sunt,constantiā,&perpetuitatem ex Dei clara contēplatione acceperit. At Virgo à suæ Conceptionis, & primæ cōditionis initio gratia donata est constanti, offirmata, &
perpetua. Id sibi vult Ildep. cū statim attexit. Idephons.
Nā Angelica forma naturæ ante soliditatē fragilis, ante firmamētū labēs, ante stabilitatē ruēs ante robur titubans, atq; nutans. Hæc fœmina sanctificationis vas est (alij codices habent *sanctificationis basis est*) *Æternitas Virginitatis est. Mater Dei est, sacrariū Sācti Spiritus est, tēplū singulariter vnicū factoris sui est. Verū Angelicæ beata conditio naturæ post stabilitatē solida in bonis, post soliditatem indeficiens in amore diuinitatis, post firmamentum perennis in aspectu dominicæ visionis, post robur inseparabilis à consortio deitatis.* Et quidē nostri Præsulis ea mēs fuit, nō modo cōueniēs, sed etiam necessarium fuisse, vt ea, quæ tam hominibus, quàm Angelis Regina, & Imperatrix præfi-

ciebatur, simili prorsus, nullaque ratione, aut consideratione inferiori gratia adornaretur: sed vlteriùs expediens, ac decens fuisse, vt primæ conditionis gratia in Maria superior esset, cui omnis tam Angelorum, quàm hominum prima, & originalis iustitia non magnitudine solùm, sed speciali aliqua naturæ suæ dote, proprietate, ac circunstantia cederet. Inuentum, factumque, vt gratia, & sanctitas, qua Maria in conceptione sua donata fuit, in eo Angelorum, & hominum primæ conditionis gratiam vinceret, quod hæc ab initio inconstans, labilis, titubans, nutans: illa verò stabilis, constans, solida, offirmata, inconcussa: ideô illam cum virginitate composuit, vt virginitati similem constantiam, & firmitatē habuisse monstraret. Ideò Mariam *sanctificationis basim* dixit, quia nimirum velut stabilis, immobilisque columna sanctitas in ipsa collocata, & offirmata est.

26 *Idiota.* Id ipsum docuit Idiota in contemplatione de Virgine Maria cap. 4. his verbis. *Nam in principio cum ceciderant Angeli, natura erat corrupta, Deus offensus, & diabolus victor: sed per te ò superbenedicta Virgo Maria vita Angelica reducitur:* nimirum in te Angelorum illa prior gratia instauratur, digniori tamen modo. Subdit enim. *Sed quia corrupta erant omnes, & peccato vacillauerant* (nimirum aliæ corruptæ fuerant, alię vacillauerant) *ideo te gloriosam Virginem Mariã ædificauit in domũ solidam, & fortem, qua nullo modo vacillare possit: ideo excidit columnas septẽ, ad te fortiter, & sublimiter sustentandam. Septem columnæ, quibus firma semper stetisti, sunt septem dona Spiritus Sancti, quæ requieuerunt in te, & nunquã te deseruerunt, perquæ stetisti firmiter, & perseueranter in omni gratia.* Hanc gratiæ firmitatē expressius tradidit D. Hieronimus, vel *Sophron.* Sophronius in Epistola de Assumptione, vbi sic habet. *Constat Beatã Virginem ampliora promeruisse virtutum priuilegia, & percepisse gratiam ab Angelis collaudatam Vnde etsi mirabilis est eorum virtus, & firmitas perpetuitatis: mirabilior tamen in Maria, quam obumbrauit virtus altissimi, vt vltra omnem virtutem Angelicam sit, quod factum est, in ea admirabile, cunctis sæculis Sacramentum, ac per hoc illi maior Angelis præstatur gloria.* Quasi dicat: vel ex eo maior, atque excellentior, ac firmior Virgini debetur gratia, quam Angelis, quia per ipsam Christi incarnatio perfecta est, ex qua tanta in Angelos gratia redundauit: nam hoc iure Virgo omnia instaurasse perhibetur. Sic enim subdit. *Cũ instaurantur ab ea omnia, quæ venerantur, & adorãt super se Christum Regem, Dominum, natum ex eadem Virgine.*

27 *S. Thom.* Et sane istam gratiæ firmitatem, quã Virgini ab initio suæ cõditionis donatã dicimus, vt Angelos vinceret, agnouit S. Tho. 1. p. q. 100. art. 2. vbi sic scribit. *Ex hoc enim creatura rationalis in iustitia confirmatur, quod efficitur beata per apertam Dei visionem, cui visæ non potest non inhærere, cũ ipse sit ipsa essentia bonitatis, à qua nullus potest auerti, cũ nihil desideretur, & ametur, nisi sub ratione boni: & hæc dico secundũ legẽ cõmunẽ, quia ex aliquo priuilegio secus accidere videtur, sicut creditur de Virgine matre Dei.* Hæc D. Thom. quibus significat eã firmitatẽ in iustitia, quam Virgini soli tribuit, nõ esse illi cõmunẽ cum Apostolis, atq; alijs viris, qui in gratia confirmati feruntur: sed superiorẽ, & ei cognatã, qua beati Deum clare contẽplãtes immobiles in iustitia fiũt. Cuius firmitatis causam sequenti §. dabimus. Hoc tantũ dissidet à nobis, quod ipse tantũ gratiæ robur post Conceptionem Virgini cõtigisse dicit, nos à Conceptione inchoamus. De hac Marianæ gratiæ cõstãtia loquitur D. *D. Grego.* Gregor. Thauma. in sermo. 2. de Annuncia. B. Mariæ. *Hæc virtutis domiciliũ, hæc fons perẽnis, hæc iustitiæ munimẽtũ.* Græcè ὀχύρωμα quæ vox significat locũ natura sua munitum, & ab hostibus securum, ac tutum. Quasi dicat: gratia, & iustitia in Virgine ceu in munimẽto tutissima, & immobilissima fuit. Accinit Bernard. in sermone de B. Maria, vbi gratiæ illius firmitatẽ cũ ipsius terrę immobilitate *Bernar.* cõposuit. *Prius enim altissimus sibi eam quasi mundũ specialissimũ condidit, quã* (ceu terrã) *in iustitia, & sanctitate corã ipso fundaret.* Et subinde accomodat alia tria elementa, aquã sapientiæ, aerẽ cœlestibus desiderijs, ignem dilectioni Dei. Quem Bernar. locum infra c. 38. iterum versabimus.

28 Primum igitur ob hanc singularem, & sibi propriam gratiæ præstantiam Virgo Deipara purior Angelis prædicatur. Nam cum puritas, vt docet D. Tho. sæpè aliàs citatus, per *recessum à contrario* sit mensurãda, & eo quisq; purior dicatur, quo magis à peccato recedit, fateri oportet sanctitatẽ, & iustitiam, cui prædicta firmitas, & stabilitas accedit, maiorem puritatem continere, quàm eam, quæ suapte natura vacillat, & in ancipiti est: quandoquidem hæc vicinior est peccato, illa remotior. Quapropter cũ iuxta illud Anselmi effatum ea puritas deceat Matrem Dei, qua maior *Ansel.* nulla sub Deo possit intelligi, ea certe puritatis excellẽtia, quam gratiæ immobilitas constituit, ei denegari non debet. Hãc certe in sanctissima Deipara agnonit, suspexitque *Elias Creten.* Elias Cretẽ. ser. 2. de Marię dormitione, vbi ita scribit. *Maria est fons, qui non potest exhauriri diuinarũ illuminationũ: potentia, quæ non potest labefactari, quatenus nequaquã vincebatur ab animi perturbationibus, vt quæ erat puritate omnibus superior.* Itaq; Elias propterea gratiã illã constantẽ, & immobilẽ in Virgine asserẽdã dicit, vt puritate omnibus superior esset: omnibus inquã, tã Angelis, quã hominibus, quorũ gratia, & iustitia ab initio vacillauit. Sed luculentius Alber. Mag. in suo Mar. *Albertus Marg.* c. 197. nã vbi multa Virginis priuilegia in cẽsũ redegit, inter alia numerauit *summã istam*

puritatem, quæ sub Deo potest intelligi. Et ad hanc reduxit immunitatem à peccato, & impossibilitatem peccandi, his verbis. *Ad summam puritatem, quæ sub Deo potest intelligi, reducitur immunitas peccati, impossibilitas etiam peccandi est summa appropinquatio ad puritatē Dei, & sic etiam ad puritatem in summo reducitur.* *Thaumat.* Eo etiam, ni fallor, spectauit Thaumaturgus, ad illa verba. *Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Deum.* quatenus dicit gratiam quandam à Virgine inuentam, quæ omnem iacturę metum arceret, atque inde eximiam illius puritatem deprehendi. *Chrisolo.* Cui accinit etiam Chrisologus in sermone 2. de Annunciatione, vbi sic ait. *Quid timeat, quæ securitatem concepit?* Vide plura infra cap. 39. §. 5. vbi hæc Lucæ verba exactius expendemus.

29 Deinde hæc gratiæ, & iustitiæ constantia ad Regiam Mariæ dignitatem per se pertinet: quia vt præclare docet Paulus ad Rom. 8 *Ad Ro. 8.* quandiu salus vacillat, & in ancipiti est, tandiu homo in subiectione, & seruitute permanet. *Vanitati* (inquit) *creatura subiecta est, non volēs, sed propter eum, qui subiecit eam in spem.* *August.* *Anselmus* Cum Augustino, Anselmo, & alijs pluribus sentio, qui per creaturam in, hoc loco hominem ipsum accipi debere affirmant hoc sensu. *Vanitati*, id est, frustrationi, *subiecta est creatura*, id est, salus illius pēdet, & in æquilibrio est, ita vt sperato fine frustrari possit: quam subiectionem nequaquam spōte sustinet, sed coactè *non volens*, nam sponte sua securitatē affectat, atque adeò quandiu secura, & tuta non est, vis illi affertur. *Propter eum, qui subiecit eam in spem.* Quasi dicat, hanc subiectionē non hominis, sed Dei volūtas inducit, qui salutem hominis ea ratione pēdere voluit, vt spei locum faceret, quæ eorum, quæ necdū tenentur, expectatio est. Subinde vero hanc subiectionē exaggerans Paul. seruitutē appellat. *Ad Ro. 8.* *Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatē gloriæ filiorū Dei. Seruitutem corruptionis* appellat Paul. eā subiectionem, qua quis in hac vita peccato, atq; adeò morti, & letho obnoxius est, quam tandiu sustinet, quandiu in hac vita permanet, & per solam Dei visionem demum excuti potest. Ac demum huius seruitutis miseram cōditionem explicans subdit. *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsq; adhuc, &c.* Itaque illam vacillationem, & gratiæ, salutisque inconstantiam, qua homines in ancipiti sunt, & in vtramuis partem pendēt, appellat Paulus subiectionem coactam, seruitutemq; miseram. Vbi illud magnopere obseruandum, hanc subiectionem non respectu Dei assignari, à quo salus hominis dependet, sed respectu vanitatis & peccati: sic enim ait. *Vanitati creatura subiecta est.* Et intra. *Liberabitur à seruitute corruptionis*, id est, peccati: his enim subesse, & seruire homo dicitur quorum metu percellitur, & concutitur: ideo; adeò cum homo, quandiu salus illius in alea posita est, *vanitatem*, id est, frustrationem finis sui, & *corruptionem*, id est, peccatum assiduo timeat, sub his esse, & his subiacere seruiliter existimatur.

30 Ex his ergo sic conficio: cum præfata vacillatio, & gratiæ acceptæ inconstantia, atq; salutis ambiguitas genus quoddam subiectionis, ac seruitutis sit, per quam homo quodāmodo sub ditione peccati existit: sed & Angelus etiam extitit per illud momētum, quo viator fuit, ratione cuius vterq;, tam homo, quam Angelus, peccato proxime obnoxij, & subiecti fuerunt: operæ pretiū fuit, vt ab hac seruitute prorsus immunis, ac libera esset Angelorū, & hominū Regina, ita vt ne breuissimo quidē spatio eius firmitas vacillaret, aut nutaret, sed ab initio suæ Conceptionis constantē, immobilemq; gratiam obtineret: Angelos ipsos ea ex parte peruincens, ac sibi substernens, qui primo suæ creationis momēto omnes quidem ad vnum cōcussi, & impulsi nutarunt, titubarunt. Ad quem sensum, ni fallor, referenda sunt illa verba Iob cap. 26. *Iob. 26.* *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutū eius.* Vbi pleriq; ex Patrib⁹ per columnas Angelos accipiendos esse dixerunt. Nā tremor iste, ac pauor non ita accipiendus est, quasi nunc Deum videntes Angeli metu aliquo afficiantur, id enim alienum est à beatitudinis statu: sed de præterito timore, ac tremore ruinæ suæ, quo mentes illæ sublimes non vacarunt per illud temporis momentum, quo salus eorum in æquilibrio fuit. Lōge aliter eorum Regina, quæ columna fuit ab initio immobilis, & *sanctificationis basis*, vt ait Ildephonsus. Non solum autem ad Regiam Mariæ dignitatem pertinet hæc gratiæ firmitas, quatenus illā Angelis puriorē effecit, & ab omni peccati subiectione, ac seruitute liberauit, quod per se ad Regnum necessariū videtur: sed etiā, quia cū ad regnū, & dignitatem capitis necessario requiratur ius illud influēdi in sibi subiecta mēbra, oportebat certe vt in ea, quæ in alios gratiā, & bona omniū regere, & deriuare debebat, gratia ipsa perēnis, & inexhausta esset. Huc spectat illud Thaumaturgi. *Hæc fōs perennis, & iustitiæ munimentū.*

31 *Psal. 44.* Sed ad illustrandū hoc Mariæ regnū, & Marianæ gratiæ excellentiā, quā hactenus statuimus, subiūgere libet locū ex Psal. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate.* Conferenda in primis sunt verba isthæc cum superiori versu, vbi sic de alijs virginibus. *Myrrha, & gutta, & cassia à vestimentis tuis à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo.* Nā si mihi fidem habes, alludit Psaltes ad veterē Regum morē includendi Virgines in Gineceis, vt postquā ibi per annū excultę, & expolitæ essent, ad nuptias vocarentur. De quo more habes luculentā historiā Esth. 2. vbi, qui *Esther. 2.* cultus adhiberi solit⁹, describitur his verbis.

Ita

Ita duntaxat, vt sex mensibus oleo vngerentur myrrhino, & alijs sex quibusdam pigmentis, & aromatibus vterentur. Vsus autē myrrhini vnguenti erat ad extergendas cutis rugas, ad næuos, & sordes emaculandas: alia vero pigmē ta, & aromata subinde ad lenigādas, molliē das, condiendasq; carnes adhibebantur. Vates ergo de Christo Domino verba faciens præmiserat primum illud. *Propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ, &c.* Oleum vero appellat diuinitatem, & deitatem, à qua Christus sanctificabatur. Subdit ergo nunc sanctitatem ex ipso in alios etiam redundare, atq; effluere. Id sibi vult illud. *Myrrha & gutta, & cassia à vestimentis tuis*: nō enim significant hæc verba Christi vestimenta, id est, carnem eius, eorum aromatum odorem efflare, aut spirare, sed planè id sonant. Vestimenta tua (id est caro tua) myrrha perstillant, cassiam, & guttam effundunt: quod perinde est, ac si dicat, gratia & iustitia, & sanctitas ex te in alios efflait. *A domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filia Regum in honore tuo.* Quidam per domus eburneas intelligunt thecas vnguentarias, nā voci originali בית Beth, quæ in hoc loco reperitur, eā etiam significationē subesse putant. Et quidem per illas thecas septem Ecclesiæ Sacramenta haud ineptè capere licet: hæc enim non male vnguenti, id est, sanctitatis à Christo fluentis thecæ, atq; vrnæ appellari possent. Cæterum aptius est dicere per domos illas eas ædes significari, in quibus solenne erat Regibus Virgines ad nuptias vnguentis, & aromatibus excolere. Ita vt sensus, quod ad allegoriæ corticem attinet, hic sit. Ex vestimentis tuis vnguenta illa stillant, quibus Virgines domibus eburneis, id est, candidis, ac marmoreis inclusæ se colunt, vt maculas obluant, rugas exterāt, næuos extergant, atque inde ad tuas nuptias veniant, ac te mirifice deliniant. Hæc igitur ad Christum translata significant ex illo omnem gratiam, & sanctitatem vnguenti in morem manare: gratiam inquam redemptionis, & expiationis, quam nostræ omniū animæ in corporibus, ceu in quibusdā gynecęis, atque eburneis domibus inclusæ ad detergendas peccatorum sordes, & maculas adhibere debent, vt sanctæ prorsus, & immaculatæ ad ipsius connubia veniant. Hactenus de alijs. Quid de Maria? *Astitit Regina à dextris tuis*: non dixit, venit, seu accessit, sed subitum quid pronunciauit. *Astitit* Maria. Quasi dicat: nō habuit vnquam maculas, sordes, næuos, aut rugas, quas in gynecæo abluere, ac detergere opus esset: sed dictum factum, statim atque condita est, subito ad Christi dexteram ipsi adstitit.

32 Sed magis ad rem nostram est illud. *Adstitit Regina.* Chrisosthom. cum ab alijs restitutum dixisset ἑστηκεν. quod fluit à nomine στῦλος, id est, columna, perinde accipiendum dixit, atque offirmauit se se, vel si fas est dicere, *columnauit*, id est, columnę in morem immobilis constitit. Angelos ergo cœli columnas appellauit Iob 26. *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.* Quo nomine eorum stabilem constantiam apprimè significauit. Sed tamen, vt optime Ildephonsus: *Columnæ istæ ante firmitatem nutarunt, & vacillarunt*, sed Virgo sanctissima ab initio *adstitit*, vel potius *columnata est*: scil cet columnæ in morem offirmata, & ideo Angelorum, atque hominum Regina: hæc enim firmitas, & constantia in iustitia, illi regnum, & imperium addixit in omnes creaturas.

Chrisost. — Iob. 26.

Subdit statim apposite etiam ad dicta: *In vestitu deaurato.* Hieronimus conuertit, *in diademate aureo.* Symachus *in auro primo*: in Hebręo est *Chetemophir.* De significatione autem illius nominis כתם multa interpretes: sed illud maxime commune, eo nomine non significari aurum, quod arte defæcatur, & ad purum excoquitur, sed quod ab initio nullā alieni metalli adulteratum mixtione, ex ipsis fodinis putum legitur. Ergo sic ait Vates. *In diademate aureo.* Vel quod idem est, *in auro primo, puro, ac solido.* Quia illa gratia, quæ Virginem coronauit, atque illam Angelis, & hominibus præfecit, fuit vtique gratia originalis, quæ nullius culpæ fæcem vnquam admisit, gratia pura, prima, solida, & gratiarum omnium, quæ puræ creaturæ donari possunt, princeps. De hac firmitate, & constantia, qua Virginis gratia ab initio excelluit, habes plura infra cap. 33. & 39. 33

Hieron. — Symach.

CONFIRMATIO DEIparæ in gratia vnde acciderit.

§. III.

34. *Confirmatio in gratia B. Virginis, eius, qua Beati gaudent, æmula fuit.*
35. *Sola fomitis extinctio non potuit eam gratiæ firmitatem Virgini afferre.*
36. *Illæsa libertate perfecta fuit.*
37. *Externa Angelorum protectio Virginem seruauit ab omni pulsatione mali.*
38. *Interna quoque aspiratio Dei ipsam assiduo præueniens, omnem cogitationem ab illa arcebat.*
39. *Contemplationem assiduam per cognitionē tamen à sensibus pendentē Mariæ tribuunt aliqui Theologi.*
40. *Firmitas omnimoda Virginis in gratia cum ea cognitione cohærere potest.*
41. *Virginem naturalium omnium rerum etiā spiritualium cognitionem intuitiuam inde pendentem à sensibus adeptam, authoritate, & ratione probatur.*
42. *Nō ita supernaturalium, vt locus esset fidei.*

omni fuisse macula peccati Angelorum custodia protectam. Hanc vero protectionem extrinsecã ab ipso Cõceptionis momento inchoat Fulbertus Carnotensis Episcopus in serm. de Virginis natiuitate his verbis. *Quanta putamus prouisio Angelorum circa tam Deo gratissimos parentes ab initio suæ procreationis, & excubatio super tam ingentem sobolẽ: nulli profecto dubium est, quod circa eam iã tunc omnis frequentia cœlestiũ agminũ inuigilabat, vt pote quã supra se exaltãdã minime ambigebant.* Hæc ille. *Fulbert. Carnot.*

38 Ad externã protectionem accedebat etiã ex Dei prouidẽtia interna adspiratio, de qua sic Damascenus in orat. 1. de natiuitate Deiparæ. *Sanctam omnem, & cum animi vtilitate coniunctam cogitationẽ habes: contra superuacaneam omnem, & animis exitiosam antequam gustes, eijcis.* Quod perinde est ac si diceret: hoc tibi ac soli proprium (ò sanctissima Virgo) vt sanctis, & congruis cogitationibus nunquam non præuenta omnem aliam prauam, & malesuadam cogitationem procul auertas. *Damasce.*

39 Secundo contemplatio rerum diuinarum in Virgine erat assidua. Sed quis istius contemplationis gradus? Duplex se se offert hac de re authorum censura: alij enim affirmant, sanctissimam Deiparam tam creaturarum, quam ipsius Dei maiorem, & clariorem cognitionem habuisse, quàm omnem aliam purã creaturam, tamen in contemplatione Dei modum naturalem cognitionis humanæ seruasse: ita nimirum, vt aliorum hominum more insensibiles spiritualium rerũ formas per sensibilium species conciperet. Atque adeò excellentiam Marianæ contemplationis in eo ponunt, quod in eo genere cognitionis maiori attentione, & contentione animi, & clariori, & apertiori modo Deum agnouerit. Ita docet Vazquez 3. par. tom. 2. disp. 119. c. 4. & 1. par. disputa. 134. cap. 3. Rationem vero talem offert: primo, quia alius modus cognitionis in Virgine sine vtilitate, & absq; vllo fundamento asseritur. Deinde quia eius generis contemplatio vsque adeò intendi potest, vt mens per illam Deo affixa totum hominem ad se transferat, ita vt omnes appetitus illecebras, omnesque concupiscentiæ ardores consopiat, & restinguat. Aliqui vero in hanc sententiam ex eo inuehuntur, quia non satis assequuntur, quonammodo fieri possit, vt cognitio aliqua eius generis tam sit intenta in Deum, vt animam ab omni appetitus motu sequestrans fomitem omnino restinguat, & tamen extasim, & alienationẽ à sensibus non faciat. Quia si talis (inquiũt) cõtẽplatio sensuum exercitio locum dedisset, non posset mens ab externis non infestari, & impelli, atque adeò incitari, & tentari. Absurdum autem putant Virginem in extasim actã, & a sensuũ vsu abalienatã semper fuisse, id enim illã à cõuictu hominũ prorsus auocaret. Cæterũ hæc obiectio inanis est, quia in Adamo peccati fomes fuit restinctus per id tempus, quo innocens perstitit, id tamen non vetuit, quominus sensibus suis perfectissime vteretur. *P. Vazq.*

Dico igitur iuxta hanc sententiam extinctionẽ fomitis, & inconcussam, immobilẽq; iustitiæ firmitatem ab omni tentatione, & pulsatione malitiæ liberã recte defẽdi posse, dũmodo dicamus sanctissimã Deiparã congruis, & victricibus boni cogitationibus assiduo præuentã in ea intensione, quæ necesse ad bonũ traductã, ab attenta mali cognitione prorsus auocaret. Dixi quidẽ ab attenta mali cognitione: quia vt libertatem in Virgine defendamus, in electione boni, & refutatione mali vtriusque tam boni, quam mali cognitionem in ea fateri necesse est. Neq; vero inde sequitur ipsam à malo tentatam, & pulsatam: non enim quælibet mali cogitatio tentatio dicitur, sed illa, quæ intensior, & attentior cum sit, pugnam inducit, & oppositæ cogitationi bellum mouet. Itaque dicendum est in Virgine cogitationes mali cogitationibus boni contrarias nequaquam defuisse, tamen ita remissas, & lentas, vt ipsam nullo modo ab exercitio virtutum vel auocarent, vel retardarent. Idque sibi voluit Damascenus supra, cum de Virgine ita fatur. *Superuacaneam omnem, & animis exitiosam cogitationem antequam gustes, eijcis.* Quasi dicat: habes quidem illam, sed tamen antequam voluntatem vel alliciat, vel inficeet, illam retundis, ac refellis. 40 *Damasce.*

Verum enim vero quamuis ad hunc modũ per cognitionem, & contẽplationem Dei à sensibus pendentem præfatam iustitiæ & gratiæ firmitatem in Virgine contueri liceat: nihilominus tamen in alteram sententiam mente pendeo, quæ superiorem alium cognitionis, & contemplationis modum in Virgine ponit: sunt enim grauissimi Doctores, qui Virgini scientiam per se infusam tribuẽdam esse censent, qua res spirituales, & à sensibus remotas per species proprias independenter à phantasmatibus agnoscebat. Ita plane sentit Albertus Magnus in Mariali c. 98. 99. 100. & 102. sed absolutissime c. 132. & 149. D. Bernardus de Sena tom. 2. serm. 51. art. 1. cap. 2. Gerson. super Magnificat. Alphabet. 79. lit. Q. Pater Franciscus Suarez 3. p. q. 37. art. 3. disp. 19. sect. 3. Insinuat etiam D. Bonauentura in speculo. Dionysius Carthusianus c. 5. Cant. & alij non pauci. Sed inter præfatos authores conclusionem istam solide admodum, ac dilucide tradit Alber. Mag. locis citatis in eo c. 132. vbi omnes colligit rationes, propter quas eiusmodi scientia per se infusa Virgini concedi debeat, nõ quidẽ semel aut iterũ, sed assiduo, & ex habitu. Deinde vero in eo capite, & infra c. 149. ea colligit, quæ Virgo cognitione sua cõplectebatur: *Cognoscebat* (inquit) *perfecte & intuitiue animam suam, & animæ suæ motus, & actiones: cognoscebat itẽ per proprias species Angelos, dæmones, & corporũ substãtias, & essentias, ac denũ omnia* 41 *Albertus Mag. D. Berna. Gerson. P. Suarez. D. Bona. Dionysi.*

Vazquez. Deum clare vidisse in via, vel noster Vazq. qui Moysi, Paulo, atque alijs id nusquam concessum seriò affirmauit, pie admodum, & religiose sustineri posse dicit. Suarez. Suarez verò, qui Moysi, Paulo, fortasse etiam & alijs id donatum affirmat, vt aliquando Deum clare intuerentur, de Virgine Deipara velut à fortiori longe certiùs hoc tenendum asseuerat. Cum Rupert. his sentiunt Rupert. lib. 3. in Cant. D. Anton. D. Anton 4. p. tit. 15. c. 17. §. 1. qui hanc sententiam tribuit Bernard. Bernar. hom. 4. super *Missus est*, vbi ait: *Illi datum est nosse, cui datum est experiri.* Sed luculentius id docuit Bernard. in ser. de Verbis Apocalyp. & in serm. 3. de Ascens. Domini, cuius verba paulò post dabo. Idem docet Albertus Magn. Albertus Magnus in Mariali c. 132. & 149. & sæpè alias. D. Bern. Senens. D. Bernardin. Senens. tom. 2. ser. 51. art. 1. c. 2. & Villanou. Villanoua Archiepisc. Valentinus in ser. de Resurrectione. Dionys. Carth. Dionys. Carthusian. in Dionysium de cœlesti Hierarchia art. 18. Gerson. Gerson etiam non semel eandem sententiam tradidit super *Magnificat*: nimirum Alphab. 82. litera R. & Alphab. 83. litera E. & Alphab. 88. lit. Z. & alibi non semel idem inculcat. Vbertin. Vbertinus Cassalius lib. 1. arboris Medina. vitæ cap. 9. circa finem. Medina q. 27. art. 5. & alij non pauci.

50 Cæterum de tempore, quo Virgo Deipara Deum clare viderit, non vna mens Doctorũ, nec vna sententia. Villanou. Archiepiscopus Valentin. in Resurrectione Christi, tunc cum matri filius se se visendum obtulit, mentem Virginis Dei visione inclaruisse eo argumẽto persuadet, quia rationi consonum erat, vt quæ tantos in passione filij labores exhauserat, beatitudinis delitias in resurrectione eiusdem, ad modicum tempus delibaret. Non repugno.

51 D. Anton. Diuus Antonius sub disiunctione loquitur: *Forte* (inquit) *in ipso conceptu, vel partu illi datum est ad horam, vt videret mysterium huiusmodi, vt in patria, sicut Moyses vidit Deũ in raptu.* Et sanè Deum à Virgine incarnationis tempore clare visum perspicuè innuit Bernar. Bernard. in serm. 3. de Ascensione Domini. *Vnde virtus altissimi obumbrauit Virgini, ne nimio splendore perstricta, diuinitatis fulgur illa singularis aquila tolerare non posset.* Quidam etiam ad eum sensum transferunt illa Cyprian. Cypriani verba in serm. de Natiuit. Christi. *Vere & matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis, & mẽtis integritate insignis spirituali, & corporali, intus, & extra Christi præsentia frueretur.* Sed tamen hæc verba coactè ad istam sententiam trahuntur. Eam tamen luculenter traD. Bern. Senens. dit D. Bernard. Senensis tom. 4. serm. 36. p. 3. his verbis. *Dico secundo, quod Angelus facit eam attentam laudando eam à plenitudine omnis gratiæ singularis, quam dare potuit vni creaturæ Deus omnipotens secundum suum posse ordinatũ, & secundum intelligentiam ipsi Virgini datam: quia verè cognouit tunc Deum creatorem suum, & Angelos, & omnes alias creaturas propter excessum gratiæ suo intellectui diuinitatis attributæ: ideò merito gratia plena in contemplãdo Deum, & cuncta creata, plusquam Paulus Apostolus raptus in tertium cœlum, sine comparatione: quia si essent tot Pauli, quot sunt creaturæ, non attingerent suũ contemplari. Nam Paulus fuit vas electionis: Virgo verò Maria fuit vas diuinitatis.* Hæc ille. Et in vniuersum omnes illi, qui docent Virginem incarnationis opus perfecte, vt in se erat, tunc intuitã fuisse, fateri debent Deum ab ipsa clare visum: neque enim fas illi erat vnionem duarum naturarum aperte conspicere, nisi etiam naturas ipsas clarè contueri liceret.

Rursus in partu ipsius Christi claram Dei visionem donatam Mariæ docet Antoninus, 52 D. Anton. cui adstipulatur etiam Vbertin. loco citato, Vbertin. qui ad hunc sensum allicit illa verba Lucæ. *Maria autem seruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Putat enim his verbis notari clarissimam eorum, quæ tunc peragebantur, notitiam, quam Virgo ex vi visionis essentię diuinæ eo tempore adepta fuerit. Hęc etiam videtur mens Petri Damiani, qui de partu Petr. Damian. Virginis agens in ser. 1. de Natiuit. eiusdem ita scribit: *Considera quia ipsa est, quæ in contemplatiuæ dignitatis superuecta dulcedinem, in ipsius Dei substantiam lucidiores defixit obtutus.*

Quæres etiam, an Virgo Deipara in sua Natiuitate Deum clare viderit. Certè nullus est, qui aliquid hac super re expresse pronunciauerit: tamen per id etiam tempus ipsi claram Dei notitiam ad horam exhibitam qui diceret, fidem mereretur. Quia decens erat, vt tunc, cum in hanc lucem edebatur, splendidiori lumine mens illius inclaresceret, & cunctum late mundum, & omnes creaturas, quibus præficiebatur, in Deo contemplaretur.

Albertus Magnus locis citatis nullũ tempus definit, quo Virgo Deum clare viderit, 53 Albertus Magn. tamen frequenter admodum repetitis vicibus Mariam clara Dei visione perfusam innuit: nam in cap. 32. sic habet. *Ipsa enim videre potuit, imò & vidit spiritum increatum per speciem propriam: ergo & quemlibet alium spiritum creatum.* Et in fine capitis: *Ex his sequitur, quod Beatissima Virgo in sua contemplatione poterat videre Deum, & Angelos, & damones, & animam propriam, & substantias rerum corporalium per se ipsas.* Et cap. 140. quærit, vtrum Virgo habuerit in hac vita cognitionem matutinam, & vespertinam creaturarũ, ita vt creaturas in Deo, prout in Deo sunt, & rursus, prout in se ipsis subsistunt, clare cõspexerit. Huic verò quæstioni respondet. *Virgo in cognitione sua plura habuit priuilegia: primum est perfecta cognitio Trinitatis sine medio, quam habuit in via per specialissimam gratiam.* Et postquam alias res percurrit, quas Virgo cognitione sua attingebat, sic tandem concludit:

Vazquez. Deum clare vidisse in via, vel noster Vazq. qui Moysi, Paulo, atque alijs id nusquam concessum seriò affimauit, pie admodum, & religiose sustineri posse dicit. *Suarez.* Suarez verò, qui Moysi, Paulo, fortasse etiam & alijs id donatum affirmat, vt aliquando Deum clare intuerentur, de Virgine Deipara velut à fortiori longe certiùs hoc tenendum asseuerat. Cum his sentiunt *Rupert.* Rupert. lib. 3. in Cant. *D. Anton.* D. Anton. 4. p. tit. 15. c. 17. §. 1. qui hanc sententiam tribuit *Bernard.* Bernar. hom. 4. super *Missus est*, vbi ait: *Illi datum est nosse, cui datum est experiri.* Sed luculentius id docuit Bernard. in ser. de Verbis Apocalyp. & in serm. 3. de Ascens. Domini, cuius verba paulò post dabo. Idem docet *Albertus Magn.* Albertus Magnus in Mariali c. 132. & 149. & sepè alias. *D. Bern. Senens.* D. Bernardin. Senens. tom. 2. ser. 51. art. 1. c. 2. & *Villanou.* Villanoua Archiepisc. Valentinus in ser. de Resurrectione. *Dionys. Carth.* Dionys. Carthusian. in Dionysium de cœlesti Hierarchia art. 18. *Gerson.* Gerson etiam non semel eandem sententiam tradidit super *Magnificat*: nimirum Alphab. 82. litera R. & Alphab. 83. litera E. & Alphab. 88. lit. Z. & alibi non semel idem inculcat. *Vbertin.* Vbertinus Cassalius l. b. 1. arboris vitæ cap. 9. circa finem. *Medina.* Medina q. 27. art. 5. & alij non pauci.

50 Cæterum de tempore, quo Virgo Deipara Deum clare viderit, non vna mens Doctorũ, nec vna sententia. *Villanou.* Archiepiscopus Valentin. in Resurrectione Christi, tunc cum matri filius se se visendum obtulit, mentem Virginis Dei visione inclaruisse eo argumẽto persuadet, quia rationi consonum erat, vt quæ tantos in passione filij labores exhausera, beatitudinis delitias in resurrectione eiusdem, ad modicum tempus delibaret. Non repugno.

51 *D. Anton.* Diuus Antonius sub disiunctione loquitur: *Forte (inquit) in ipso conceptu, vel partu illi datum est ad horam, vt videret mysterium huiusmodi, vt in patria, sicut Moyses vidit Deũ in raptu.* Et sanè Deum à Virgine incarnationis tempore clare visum perspicuè innuit *Bernar.* Bernard. in serm. 3. de Ascensione Domini. *Vnde virtus altissimi obumbrauit Virgini, ne nimio splendore perstricta, diuinitatis fulgur illa singularis aquila tolerare non posset.* Quidam etiam ad eum sensum transferunt illa *Cyprian.* Cypriani verba in serm. de Natiuit. Christi. *Vere & matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis, & mẽtis integritate insignis spirituali, & corporali, intus, & extra Christi præsentia frueretur.* Sed tamen hæc verba coacte ad istam sententiam trahuntur. Eam tamen luculenter tradit *D. Bern. Senens.* D. Bernard. Senensis tom. 4. serm. 36. p. 3. his verbis. *Dico secundo, quod Angelus facit eam attentam laudando eam à plenitudine omnis gratiæ singularis, quam dare potuit vni creaturæ Deus omnipotens secundum suum posse ordinatũ, & secundum intelligentiam ipsi Virgini datam: quia verè cognouit tunc Deum creatorem suum, & Angelos, & omnes alias creaturas propter excessum gratiæ suo intellectui diuinitatis attributæ: ideò merito gratia plena in contemplãdo Deum, & cuncta creata, plusquam Paulus Apostolus raptus in tertium cœlum, sine comparatione: quia si essent tot Pauli, quot sunt creaturæ, non attingerent suũ contemplari. Nam Paulus fuit vas electionis: Virgo verò Maria fuit vas diuinitatis.* Hæc ille. Et in vniuersum omnes illi, qui docent Virginem incarnationis opus perfecte, vt in se erat, tunc intuitã fuisse, fateri debent Deum ab ipsa clare visum: neque enim fas illi erat vnionem duarum naturarum aperte conspicere, nisi etiam naturas ipsas clarè contueri liceret.

Rursus in partu ipsius Christi claram Dei visionem donatam Mariæ docet Antoninus, 52 *D. Anton.* cui adstipulatur etiam Vbertin. loco citato, *Vbertin.* qui ad hunc sensum allicit illa verba Lucæ. *Maria autem seruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Putat enim his verbis notari clarissimam eorum, quæ tunc peragebantur, notitiam, quam Virgo ex vi visionis essentię diuinæ eo tempore adepta fuerit. Hęc etiam videtur mens Petri Damiani, *Petr. Damian.* qui de partu Virginis agens in ser. 1. de Natiuit. eiusdem ita scribit: *Considera quia ipsa est, quæ in contemplatiuæ dignitatis superuecta dulcedinem, in ipsius Dei substantiam lucidiores defixit obtutus.*

Quæres etiam, an Virgo Deipara in sua Natiuitate Deum clare viderit. Certè nullus est, qui aliquid hac super re expresse pronunciauerit: tamen per id etiam tempus ipsi claram Dei notitiam ad horam exhibitam qui diceret, fidem mereretur. Quia decens erat, vt tunc, cum in hanc lucem edebatur, splendidiori lumine mens illius inclaresceret, & cunctum late mundum, & omnes creaturas, quibus præficiebatur, in Deo contemplaretur.

Albertus Magnus locis citatis nullũ tempus definit, quo Virgo Deum clare viderit, 53 *Albertus Magn.* tamen frequenter admodum repetitis vicibus Mariam clara Dei visione perfusam innuit: nam in cap. 32. sic habet. *Ipsa enim videre potuit, imò & vidit spiritum increatum per speciem propriam: ergo & quemlibet alium spiritum creatum.* Et in fine capitis: *Ex his sequitur, quod Beatissima Virgo in sua contemplatione poterat videre Deum, & Angelos, & dæmones, & animam propriam, & substantias rerum corporalium per se ipsas.* Et cap. 140. quærit, verum Virgo habuerit in hac vita cognitionem matutinam, & vespertinam creaturarũ, ita vt creaturas in Deo, prout in Deo sunt, & rursus, prout in se ipsis subsistunt, clare cõspexerit. Huic verò quæstioni respondet. *Virgo in cognitione sua plura habuit priuilegia: primum est perfecta cognitio Trinitatis sine medio, quam habuit in via per specialissimam gratiam.* Et postquam alias res percurrit, quas Virgo cognitione sua attingebat, sic tandem concludit:

tione quantū ad rationem, & intellectum tanta illi claritas super infusa est, quod hæc septem perfectè intelligebat secundum quasdam. Primò naturā creatam irrationabilem. Secundo naturā creatam rationalem. Tertio naturam creatā spiritualem. Quartò naturam increatam diuinalē, &c. Postquam inquam hæc dixit, paucis intercalatis ita concludit. *A quarta quippe, quæ erat cognitio creatoris, & tres consequentes, & tres præcedentes cognitiones habebant originem, sicut Propheta testatur dicens: In lumine tuo videbimus lumen.* Quasi dicat, ex vi cognitionis, & visionis creatoris in eo momento reliquas creaturas agnoscebat, & videbat. Sed ne fugiat te huius testimonij energia, aliqua pensanda sunt. Primò circa illa priora verba, *Quod hæc septem perfectè intelligebat, &c.* obserua D. Bernardinum loqui de cognitione intuitiua: nam planè sensit sanctissimam Virginem in primo suæ conceptionis instanti creaturas omnes per proprias species intuitiua contemplatione attigisse, vt in superiori §. ostendimus: eam enim appellat cognitionem perfectam. Quapropter cum idem prorsus de creatore pronunciet, putandum omnino est ipsum de intuitiua etiam, & clara creatoris visione sermonem facere. Rursus id etiam comprobant extrema illa verba, quæ D. Bernardinus produxit ex Psalmo. *D.Bern.* *In lumine tuo videbimus lumen*: ex quibus Theologi Scholastici cum Diuo Thoma necessitatem luminis gloriæ ad Deum clare videndum conficere solent: & de eo lumine secundum literalem sensum esse accipienda affirmat seriò Cardinalis Bellarm. *Bellarm.* in eum locum. Ad hæc modus ille cognoscendi creaturas ex cognitione Dei, & dependentia vnius cognitionis creaturarū à cognitione creatoris, in visionem tantum claram quadrare videtur: nulla enim alia Dei cognitio est, cui obstricta, & annexa sit creaturarū cognitio, nisi clara, & aperta visio Dei. Atq; hæc est matutina Dei cognitio, quam Virgini familiarem asserit Magnus Albertus, & quam illi in primo conceptionis instanti donandam esse paulò post demonstrabimus.

56 *Petr. Damian.* Aliqui etiam ad hanc sententiam allicere voluerunt Petrum Damianum in serm. de Assumpt. vbi hæc scribit verba. *Caro enim Virginis ex Adam sumpta maculas Adæ non admisit: sed singularis continentiæ puritas in candorē lucis æternæ conuersa est.* Sensum enim horum verborum eum esse dicunt: Virgo sanctissima in suæ conceptionis primo momēto non admisit, aut contraxit eas maculas, aut labes, quas Adamus in prolem deriuauit, quin potius in eo ipso momento, & instanti eximia illa puritas, & innocentia, quæ inerat illi per gratiam, versa est in candorem lucis æternæ per gloriam: quid enim aliud (inquiunt) candor æternæ lucis, nisi gloriæ lumen, aut verbum Dei (quod *æternæ lucis candor* appellatur Sap. 6. *Sapien. 6.* & Paulus ad Hebræos 5. *splendorem Patris* nominauit) in quo beati, & alij clare videntes Deum reliqua omnia speculari dicuntur? Cæterum huic testimonio non multum tribuo. Existimo enim Petrum Damianum in posterioribus verbis non de carne Virginis propria, sed de carne Christi ab ipsa desumpta eloquutum, vt sensus sit. Caro Virginis quamuis ex Adamo per humanam propagationem exorta fuit, nihilominus tamen singulari iure eius maculas, & labes non traxit: hinc factum, vt, quæ ab illa desumpta est caro Christi, in lucis æternæ cādorem versa fuerit per vnionē illius factam in verbo diuino, quod est candor æternæ lucis, & Patris æterni splendor, &c. Magis mihi persuadent sententiam istam verba Sanctæ Brigittæ in quadam reuelatione, in qua Virginem Deiparā eiusmodi ad eam verba dedisse affirmat: *Cum anima mea sanctificabatur, & corpori suo coniungebatur, tanta dulcedine repleta sū, vt impossibile sit effatu.* Quænā igitur est ista tanta dulcedo, quam vel ipsa Virginis lingua exprimere non potuit, quia mens verba apposita ad eam significandā non suppeditabat? Certè nō alia excogitari potest tam ineffabilis dulcedo, nisi ea, quæ ex Dei clara visione oboritur delectatio, de qua Paulus 1. ad Corinth. 2. *Oculus non vidit, neq; auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se*: *1. Cor. 2.* quod enim auris non potest audire, lingua etiam effari non valet. Et sanè cum perfectam beatitudinem, non solùm in actione intellectus, sed etiam in actione voluntatis plærique ponāt, nequid pro illo instanti in Virginis anima desiderari posset ex his, quæ perfectam beatitudinem complent, præter solam perpetuitatem: inter ea quæ in eo sanctificationis momēto in Virgine conspirarunt, numerat quoque S. Brigitta delectationem ineffabilem, qualem ex clara Dei visione manare oportebat.

57 *Petr. Damian.* *P. Suarez.* Sed tamen quia Petrum Damianū exclusimus, pro Petro Damiano, sed & pro alijs, quos antiquitas commendat, vnus nobis suppetit, ac suppeditat P. Francisc. Suarez magnum huius ætatis nostræ incrementum, cuius gloria, & sapientia illustratum nostrum sæculum, non inuidet antiquis ætatibus Alexandros, Albertos, Thomas, Bonauenturas, & Scotos. Hic ergo cum per literas quæsitus esset à P. Hieronymo de Florentia (cuius nuper meminimus) vt de præfata assertione sententiā diceret, ita rescripsit: *Hierony. de Florentia.* *Videtur mihi erudita, pia, & probabilis sententia.* Huic etiam annumerare fas est doctissimum, atque ornatissimum virum Magistrum Fratrem Antolini *Fra. Antolini.* in Academia Salmāticensi primariæ Cathedræ moderatorem, & inter primos huius sæculi Theologos verè primarium, qui cum eundem Hieronymum è suggestu præfatam assertionem fundentem accepisset, ita prolocutus est, gaudere se plurimū, ac gestire, quia

viderat eum fœtum à nostro Hieronymo in lucem editum, quem iam dudum ipse conceperat, ac parturierat: proxime verò parere iam iam parabat.

58 Accedit etiam ad confirmationem huius doctrinæ aliquis consensus Ecclesiæ, quæ Virginis Conceptionem mulieris sole amictę simulachro adũbrare solet: atqui per amictum illum gloriæ lumen, & Dei claram visionem accipit Gerson supra ab illis verbis. *Si erat vt mulier amicta Sole iustitiæ, cuius sub pedibus Luna totius mutabilitatis creaturarum. Quid inde colligi potest? Nonne lumen illud immensum scintillabat aliquoties ad oculũ mentis intuendum se inde præbens, qualiter in via vidisse Moyses, & Paulus æstimantur.* Et quidem nullũ appositius simulachrum excogitari poterat ad significandam illam iustitiæ, & gratiæ constantiam, & firmitatem, qua Virgo in conceptione donata fuit, quam mulier ista ad eum modum sole vestita, hoc est, visionis Dei claræ fulgoribus irradiata: atq; adeò lunam, id est, omnem creaturarum mobilitatem, & inconstantiam infra se habens. De quo symbolo infra cap. 40. pluribus agemus. Hæret etiam Gersoni, Bernardus, qui per solis amictum claram Dei visionem accepisse videtur in sermone de Verbis Apocalypsis. *Iure (inquit) Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam diuinæ sapientiæ, vltra quam credi potest, penetrauit abyssum, vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videretur immersa.* Quæ verba de nulla alia cognitione apte interpretari possunt, nisi de clara Dei visione. Quapropter si aliquo tempore Deum à Virgine clare visum adsignificant, maximè in pura cõceptione, quam mulieris sole perfusæ imago signatissime delineat.

Gerson.

Bernar.

59 Ad hæc Virgo Deipara in conceptione, & prima sanctificatione aurora dicitur. Ita docent Bernardus in sermone, qui inscribitur Deprecatio Mariæ. Bonauent. in specul. lect. 11. Petr. Damian. in serm. de Assump. Virg. & alij quamplures. Audi Bonauent. *Quædam fœlix aurora est Maria propter fœlicem abscessum noctis in eius sanctificatione: vnde Iob maledicens nocti, in qua dictum est: Conceptus est homo, subdit: Obtenebrẽtur stellæ eius caligine, expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ.* Accinit etiam Petrus Damian. *Hæc est (inquit) aurora, quam ille non vidit, qui vidit omne sublime, & orat Beatus Iob, vt illi multa suppressione claudatur, dicens: Nõ videat ortum surgentis auroræ. Sicut aurora terminum noctis, & diei principium adesse testatur, sic & Virgo noctem expulit sempiternam, &c.* Sed quonam lumine irradiata fuit isthæc aurora, vt nocti terminum imponeret, & diem clarissimum mundo aperiret? Certè non alia aptior, & accommodatior lux ad auroram istam illustrandam se se offert, quam matutina illa cognitio Dei, vt in se est, & creaturarum in Deo, quam Virgini in vniuersum dedit Albertus Magnus, & conceptioni, primæq; sanctificationi adaptandam sensit D. Bernard. Albertus enim in Mariali cap. 149. primo sic inquirit. *Item quæritur, an Beatissima Virgo habuerit cognitionem vespertinam, & matutinam.* Et subinde ita respondet. *Nonum priuilegium est, quod habuit matutinam, & vespertinam cognitionem: matutinam per gratiam: vespertinam verò per naturam.* Ne igitur matutinã hanc cognitionem in vitæ vesperam differre velimus: meliùs enim in ipsummet manè, hoc est, in conceptionem quadrat. Rursus de luce splendidissima exponi potest etiam D. Bernardus loco citato, vbi hæc infert. *Sicut aurora valde rutilans in mundo progressa es, ô Maria, quando veri solis splendorem tanta claritatis iubare præcurristi, vt verè diem salutis dixerim, diẽ propitiationis, diem, quem fecit Dominus, quem tuæ charitati (vel potius) tua charitate initiari dignũ fuit,* id est, qui à tua sanctificatione duxit initiũ. Subdit cõsectariè. *Fœlix aurora fœlicis diei extitisti nuntia, talis dies talem auroram diei decuit, & rectè quidem auroræ implesti officium: ipse enim Sol Iustitiæ de te processurus ortum suum quadam matutina irradiatione præueniens in te lucis suæ radios copiosissime transfudit.* Nos igitur irradiationem istam matutinam, & vsque adeò copiosam, vberemq; lucis effusionem nequaquam extenuemus: sed ita sentiamus eã nihil aliud fuisse, nisi gloriæ splendores, & matutinam illam lucem, seu cognitionem, qua Virgo Deũ in se ipso, & creaturas reliquas in Deo clare conspexit.

Bonauen.

Petr. Damian.

Albertus Magn.

D. Bern.

Rursus Dei essentiam in ipso conceptionis momento à Virgine clare cõtemplatam eædem omnino rationes suadent, quæ probant aliquando, vel semel, vel pluries ab ipsa conspectam. Altera enim ratio, qua vtitur Gerson, Vbertinus, Cassalius, Suarez, Medina, & alij, ea est: quia cum constet, id Moysi Paulo, forsan & alijs indultum fuisse, vt ad horam Deum clare viderent, cum adhuc in via agerent, id Virgini quasi à fortiori concessum fateri cogimur: omnes enim gratias, & dona, quæ à Deo in alios homines profecta sunt, Virgini continuo probantur impensa, iuxta Bernardi Canonem ab omnibus celebratum in epistola ad Lugdunenses. *Quod itaque, vel paucis mortalium constat esse collatum, fas certè non est suspicari tanta Virgini esse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad lucem.* Quin imò ex eo, quod aliquibus hominibus datum fuerit, vt Dei essentiam semel adspectarent, hoc priuilegium in Virgine amplificandum censent præfati authores: ita vt ipsa non semel tantum, sed aliquoties repetitis vicibus claram Dei visionem, remotis ænigmatibus, obierit. Huic ergo principio, vel axiomati aliud æque notum adiungo, scilicet sanctissimam Deiparam in primo suæ sanctificationis instanti tot gratijs, & 60

Gerson. Vbertin. Suarez. Medin.

Bernar.

donis

donis adornatam, vt iam tunc cunctos non tantum homines, sed etiam Angelos in omni gratia, ac dono, quod cum eo tempore cōponi, & cohærere potuit, longo interuallo superaret: quod nos Prouerb. 31. ver. 29. authoritate, & ratione latius confirmauimus. Ex hoc argumento positio nostra fulcitur ad hūc modum: Virginem aliquando Deum clare adspectasse probat eius super omnes homines præstantia: sed ex primo suæ conceptionis momento in cunctis gratiarum, & donorum differentijs, quæ cum illo statu non pugnabant, hanc supra omnes homines præstantiam habuit: ergo Moysem etiam, & Paulum, quibus datum est ad horam Deum clare cōtemplari, iam tunc in ea gratia vincere debuit: ita vt in eo momento longè clarius Deum viderit, quam illi (siquidem exploratum est, id nullam cum eo instanti repugnantiam continere.)

16 Deinde sic ex dictis argumētor. Hæc Virginis supra omnes homines præstantia non tantum probat illam semel clara Dei visione perfusam, sed aliquoties, vt Doctores supra adscripti seriò affirmarunt. Præterea illud omnibus in confesso est, duo fuisse tempora, in quibus largius, atque vberius præstātissimæ gratiæ, & dona Virgini à Deo collata fuerunt: hæc sunt prima sanctificatio, & verbi diuini incarnatio. Itaq; in vita Deiparæ duo momenta numerantur fœliciora, & digniora, in quibus vberioribus, & affluentioribus donis à Deo ditata, & cumulata est: hæc sunt conceptio, & incarnatio (mortem excludo: huic enim per se adiungitur clara Dei visio.) Ergo si dicamus cum præscriptis authoribus, non quidem aliquoties, aut pluries, sed semel, & iterum tantum in via ad Deum clare videndum ad momentum Mariam exceptam fuisse: fateri certè adigemur, id quidem semel in conceptione, & iterum in incarnatione præstitum fuisse: nam cum hoc donum omnium præstantissimum, ac fœlicissimum sit, debuit vtique fœlicissimis, ac dignissimis Mariæ temporibus, seu momentis adaptari.

62 Altera ratio, quæ probat Virginem aliquando Deum in via clare intuitam fuisse, ex illius regno petitur. Quam eleganter conformat Gerson super Magnificat Alph. 83. lit. E. *Maria* (inquit) *iuxta Hierarchicam Dionysij legem, continet eminenter omnem perfectionem creaturarum tanquam inferiorum, vt iure dicatur Regina mundi, & Domina. Vis ergo breui compendio Mariæ beatitudinem notam tibi fieri, da illi per eminentiam quidquid in creaturis videris melius ipsum, quam non ipsum, & quoniam particeps fuit in via vtriusque beatitudinis, viæ scilicet, & patriæ, &c.* Itaque Gerson ex eo, quod Virgo cum adhuc in via esset, regina fuit, ac domina non modo hominum, sed etiam Angelorum, colligit in illam, cum adhuc in via existeret, omnes non modo

Gerson.

hominum, sed Angelorum etiam digniores excellentias confluxisse: ne qua ex parte, aut hominibus, aut Angelis inferior esset. Atq; inde deducit claram etiam Dei visionē, quæ Angelos beatos reddit, in via ab ipsa delibatam, ac prægustatam fuisse: ne vel in hac gratia Angelis ipsis tunc cedere cogeretur. Quā rationem attigit etiam Albert. Mag. loco citato, qui Virgini in hac vita matutinam, & vespertinam Dei scilicet, ac creaturarum cognitionem ideò tribuendam esse dixit, vt in Angelos merito imperaret. Cum ergo, vt iam inde supra decreui cap. 15. Mariæ imperium in Angelos ex ipso conceptionis primo instanti auspicatum sit, ex tunc profecto talis, ac tanta Virgo esse debuit, cui merito Angeli se se demitterent: atque adeò nulla in re ipsis inferior esset. Ex tunc Deum ab illa clare videri oportuit, ne vel tunc in re non vulgari, sed nobilissima, & præstantissima ipsis Angelis concedere cogeretur. Tunc denique Deum, sicuti est, adspectare debuit, vt etiam in hac re tanquam cœli suprema Regina Angelos infrà se relinqueret: quippe quæ sola in primo suæ conditionis instanti Deum clare viderit, cum Angelis fœlicissimis non in primo formationis, & creationis momento (hoc enim ipsis pro via fuit) sed deinceps Deum intueri licuerit.

Albertus Magnus.

63 Ad extremum, ratio etiam non inefficax peti potest ex alijs creaturis, quibus etiam Virgo ab initio suæ cōceptionis Regina præfecta est. Nam vt docent communiter Theologi cum D. Thoma 3. par. q. 16. ea propter Adamo in suæ creationis initio omniū creaturarum inferiorum species infusæ sunt, quia cum illum omnibus præesse oporteret, operæpretium erat, vt imperij sui amplissimos terminos, ex tunc agnosceret, omnesq; res sibi subditas mente teneret. Ergo cum Virgo Deipara sublimiori modo ex primo suæ formationis momento creaturarum omniū imperiū, regnumq; capesseret, debuit etiam sui regni amplitudinem mente concipere: atq; ideò creaturas omnes eo perfectius agnoscere, quo regnum ipsius præstantius, ac dignius erat. Sic enim ait Albert. Magn. loco supra citato. *In perfectè ordinatis ad maiorem potentiam sequitur maior scientia, ad maiorem scientiam maior operatio.* Vnde conficit Virginem maiori, quam Angelos, creaturarum scientia insignitam fuisse, quia dignius imperium in creaturas nacta est: reliqua verba habes supra. Acquiescit etiam huic illationi D. Bernardinus Senensis in serm. illo citato, vbi sic habet. *In prima sanctificatione quantum ad rationem, & intellectum tanta claritas Mariæ superinfusa est, quod hæc septem perfectè intelligebat: primo naturam creatam irrationalem: secundo naturam creatam rationabilem: tertio naturam creatam spiritualem: quarto naturam increatam diuinalem*: & reliqua vt habes etiā in superiori §. Vt ergo Virgo creaturas omnes

S. Thom.

D. Bern. Senens.

ues sibi subiectas ex tunc velut omnium Regina mente obiret, nulla certè magis accommodatior ratio se se dabat, quam vt eas in Deo ipso, aut ex vi visionis Dei contueretur, vt idem D. Bernar. subiectis verbis declarauit. *D.Bern.* *A quarta quippe, quæ erat cognitio creatoris, tres antecedentes habebant originem, sicut Propheta testatur dicens: In lumine tuo videbimus lumen.* Nam cum perfectiori creaturarũ imperio perfectior cognitio adiũcta sit, perfectissimum vtiq; imperium perfectissimam cognitionem exigit. Cogita ergo eiusmodi tres gradus cognitionis, & imperij. Adami imperium in creaturas corporeas infimum fuit: atq; adeò creaturarum infimam cognitionem cum imperio illo accepit, quippequi earum substantias, & naturas per alienas sensibilium species tantummodo agnoscebat. Angeli digniorem principatum in corpora adepti sunt: atque adeò cum hoc principatu clariorem eorundem corporum cognitionẽ naturalem sortiti sunt, scilicet per proprias, & genuinas ipsorum species. Virgo Deipara longè nobilissimum, ac præstantissimũ regnum in creaturas corporeas obtinuit: atque adeò in initio imperij sui easdem perfectiori modo cognoscere debuit, quam Angeli, cum illas per naturalẽ tantum cognitionẽ obeât: nullus autem perfectior, nisi is, quem nuper asseruimus: vt nimirum illas in Deo, & ex vi cognitionis Dei clarissime, & candidissime cognosceret. Mitto alias rationes, quæ ad probandam hanc thesim efformari possunt ex comparatione Conceptionis cũ alijs temporibus. Contra tamen argumentari libet.

64 Imprimis enim omnes quotquot fatentur Virginem aliquando Deum clarè vidisse, asserunt eam visionem sine dubio in incarnatione Verbi diuini fuisse concessam: sed quo iure? Non alio sanè, nisi quia tunc incipiebat esse mater Dei, atque adeò primordia illius dignitatis hoc ineffabili beneficio consecrari debuerunt: sed dignitas matris Dei, & huius dignitatis iura, & priuilegia (vt sæpe aliàs diximus) ratione electionis diuinæ ab ipso conceptionis momento inchoata sunt: ergo debuit etiam hoc clara Dei visione auspicari, & consecrari. Vide quę diximus supra c.5. & cap.15. vbi probauimus sanctissimam Virginem nunquã non fuisse matrem Dei. Prætereà si primo illo tempore, quo Virgo sanctissima carne, ac ventre Christum concipere orsa est, operę pretium fuit, vt clara Dei visione perfrueretur: ergo decentissimum quoque fuit, vt in primo momento, quo eundem mẽte, animoq; concepit, facie ad faciem intueretur. An fœlicior, aut diuinior fuit conceptus ventris, quam mentis? Minimè vero: imò conceptio mentis, ei quæ per ventrem, & carnem perfecta est, fœlicitate, atq; gloria superior fuit. *Leo.* Ita suadent illa Magni Leonis verba, sæpè alias vsurpata: *Quæ diuinam, humanamq; prolem prius conciperet mente, quam corpore:* vbi illud *prius*, non solùm temporis, sed dignitatis ordinem adsignificat. De huius conceptionis præstantia lege plura infra cap.40.§.2.

Alij asseuerant sanctissimam Virginem in natiuitate Christi Domini ad horã Deum clare inspexisse. *Cassal.* Rationẽ autem obtulit Cassalius: quia ita expediebat, vt quæ Deum pariebat, non modo careret his doloribus, & molestijs, quas pro peccato alijs puerperis partus afferre solet, sed etiam summo cũ gaudio fœtum suum in lucem ederet, cum gaudio inquam fruitionis Dei, quæ visionem claram comitatur: vt vel sic testatum esset, quam longe Maria recedebat à culpa, quæ tam longe abfuerat à pœna, vt molestiæ, ac dolores partus illi in fruitionem patriæ verterentur. Iam ergo mecum cogitate, quam expediens fuerit, Virginem Deiparam in Conceptione Deum facie ad faciem videre. An nõ melius testabatur longissimũ eius à culpa recessum eo tempore ad visionem Dei claram admitti, quam in filij natiuitate? Ita profectò. Si ad effectus peccati, eorumq; suspicionem arcendam æquum fuit, vt tunc Deo clare viso perfrueretur: longè conuenientius fuit, vt ad ipsummet peccatũ prohibendum, tunc cum animã primo culpa occupare solet, & ad omnem peccati vmbram remouendã visio Dei aperta eidem Virgini concederetur.

Rursus alijs visum est, Virgini in sua natiuitate datum, vt per moram aliquã breuem 65 Deum clare intueretur: nimirũ vt tunc cum huius solis lucem externam oculis corporeis obire incipiebat, simul etiam oculorum interiorum aciem in iustitiæ solem Deũ aquilæ in morem defigeret. Adde etiam, vt tunc cum alij infantes pro vetere peccato primã vocem emittunt plorantes, vt de se ipso testatur Sapiens, Sap.7. *Sapien. 7.* *Et primam vocem similem omnibus emisi plorans:* tunc inquã Virgo, quæ nullius peccati rea erat, pro lachrymis cœlestis patriæ gaudia delibaret, suam innocentiam eo argumento manifestans. Iam ergo quis non videat rationes istas efficacius persuadere sanctissimam Deiparam in sua conceptione Deũ aperte intueri debuisse. Nam si æquum fuit, vt quæ hanc lucem exteriorem oculis corporeis haurire incipiebat, non careret lumine gloriæ: an non longè conueniẽtius fuit, vt quæ in primo suæ conceptionis momento rationis lumen, & vsum habere cœpit (vt communis fert Theologorum sententia) quod meridianę lucis splendores dignitate sua immenso interuallo superat, luminis gloriæ radios vnà, simulq; exciperet? Ita profectò. Rursus si fruitio Dei clarè visi Virgini in sua natiuitate apte tribuitur, vt nimirum lachrymæ, & fletus, quos pro veteri peccato omnes committimus, ad documentum, & testimonium innocentiæ restingueret: ergo magis expediens fuit, vt ad cauendam fletus, ac lachrymarum causam certiori argu-

mento innocentiæ,ac puritatis illibatę eundem Deũ in sua Conceptione clare videret. Deniq; si tunc,cũ Mariam peperit Anna, Deũ clare videre ipsi licuit,cur non potius tũc videret,cum ipsam parturiuit gratia,quã priorem,ac nobiliorem Virginis matrẽ fuisse affirmat Damasc.in orat.1. de Natiuit. Atqui partus iste gratiæ fœlicior,ac dignior in Cõceptione perfectus est.

67 Deniq; nonnulli fuerunt, vt ex supra dictis constat, qui seriò affirmarũt Deiparam Virginem ad claram Dei visionẽ in resurrectione Christi exceptam fuisse: quia nimirũ ita res ipsa postulabat,vt quæ cũ Christo passionem subierat, cum eodẽ etiam regnante cœlestis regni gaudia prægustaret. Inde etiam argumentum trahere licet non leue ad probãdum Sanctissimam Virginem in Conceptione simili beneficio donari debuisse. Sicut enim conueniens fuit, vt pro exanthlatis, exhaustisq; in passione filij doloribus Virgo refectionis, ac præmij loco beatitudinis solatia ad horam experiretur in Resurrectione Christi:ita etiam valdè expediens mihi fuisse videtur, vt Virgo in suæ Conceptionis momẽto,in quo ipsi concessũm est,vt iam tunc cognosceret multos labores, atque dolores sibi pro Deo deinde vita comite tolerãdos fore, beatitudinis æternæ aliquã delibationẽ perciperet: vt ex prægustatione præmij ad eos perferendos audacius se se ab eo instãti deuoueret. Quod autẽ in eo momento Virgini ea laborum,ac dolorum suorũ notitia donata fuerit,aperte docet S. Bernardin. loco infra citando,vbi asserit Mariã ex primo suæ sanctificationis articulo *ad omnia laboriosa pro Deo perferenda se se impendisse, ac superimpendisse*. Itaq; putat sanctissimus vir in eo instãti Mariæ omnia Martyrũ tormẽta, & diros cruciatus, & fortasse etiã cunctã Christi passionẽ,& mortem, doloresq; illius acerbissimos fuisse à Deo propositos, ipsamq; ad hæc omnia perferẽda audacter animũ obtulisse. Quid igitur obsecro melius hanc talẽ, ac tantã audaciam fortissimæ viragini inspirare potuit, quam illa,quã asserimus,cœlestiũ gaudiorum prægustatio,&delibatio? Nihil profecto. Imò potius tantũ, tamq; audax propositũ ab alia minus forti,atq; efficaci cogitatione vix effici,ac causari potuisse videtur. Repete illa verba, *sese impendisse, ac superimpendisse*: propterea enim tunc (me iudice) Maria non solum se se impendit, sed superimpendit: quia cognitio summi boni,quę ipsi eum animum comparab at, fuit super omnem cognitionem.

D. Bern.

68 Contra hanc nostrã positionẽ vnica tãtum ratio militare videtur: quia nimirũ inde sequitur Virginẽ in primo Cõceptionis suæ instãti Deũ ardentissime amãdo nihil promeruisse: nam cũ hi,qui Deũ clare vident, nõ libere, sed necessariò eũ diligant,per dilectionis suę actũ nihil mereri possunt: libertas enim necessariũ meriti fundamentũ existit. Hæc obiectio cõmunem cõtinet difficultatẽ cũ quæstione illa, quam Scholastici versare solent. An Christus per actũ dilectionis Dei meruerit: atq; adeò, si eorum adhæreamus sententiæ, qui affirmant actum dilectionis Dei in Christo meritorium fuisse, paria de Virgine sentiemus. Nam si cum Scoto dicamus actũ dilectionis Dei in Christo bifariam posse cõcipi, vel quatenus ferebatur in Deum, vel quatenus in creaturas tendebat:& iuxta priorem quidem relationem non fuisse meritorium: iuxta posteriorem verò merito non caruisse. Idem etiam de Virgine enunciare licebit: putamus enim Virginem in primo sanctificationis momento non Deũ modo, sed homines etiã, eorumq; salutẽ impensius adamasse, vt ex D. Bernard. Senensi constat, qui to.2.ser.51.art.1.c.3. sic habet. *Ex charitatis quoq; ardore etiã humanæ saluationis, toto affectu desiderabat incarnationẽ filij Dei. Nam & totus impetus primæ sanctificationis mentẽ huius sacratissimæ Virginis impellebat ad hoc desiderandũ pro salute omnium electorum. Proinde omnes virtutes eius ardentissimæ mentis in id, quod postea factum fuit in ea, toto conamine inflammabãt animã eius. Ipsa enim fuit fœlix clausula totius expectationis, & desiderij, ac postulationis aduentus filij Dei, in qua sicut in cuno.i.in angulo omnia desideria præcedentium electorũ, atq; Sanctorum consummata, & terminata, fuerunt, &c.* Sin vero dicamus cũ Ferrar. Caiet. & P. Francisc. Suar. in Christo duplicẽ actum amoris Dei fuisse, quorum alter sequebatur beatificam visionẽ: alter verò scientiam infusam: ex his verò priorem necessariũ, & minime meritoriũ: posteriorem verò liberũ esse, atq; merito non carere. Idem quoq; de Virgine sanctissima decernere integrũ erit: nam cũ in ea pro hoc momẽto vtrãq; etiã notitiã ponamus, beatificam,& per se inf. sam, vt ex dictis constat, vtrumq; amorẽ similem ad modum eidẽ tribuere licebit. Quod si cũ nostro Gabr. Vazq. atq; eius discipulis asseramus Christũ per actũ dilectionis Dei nequaquam promeruisse: benè tamen per actus aliarũ virtutũ, sed cũ maximè per actus amoris humani generis, cuius ab instãti Incarnationis suæ salutẽ saltem quoad exercitiũ libere omnino desiderauit. Ita etiã de Virgine Deipara pronunciabimus: illam quidẽ pro eo instanti primo suæ cõditionis per actum dilectionis Dei nõ meruisse: benè tamẽ per dilectionẽ humani generis: cuius etiã salutẽ ab eo instãti ardẽtissime, atq; libere prorsus exoptauit. Hac super re vidẽdus Vazq.3.p.disp.74. c.2. & 3. & Suar.q.19.art.4.disp.1. Quidquid enim grauissimi isti Doctores de Christo sentiunt, id ipsum Virgini accommodare licet.

Scotus.

D. Bern. Senens.

Ferrar. Caiet. Suarez.

Vazquez.

Nostra igitur mens hæc est, primo sanctissimam Virginem non modo ab originali labe mundam, sed etiam à debito illius contrahendæ immunem esse asserendam: ne aliqua in re Angelis inferior sit. Vlterius etiam dici 69

T mus

mus Angelos ab ipsa vincitum quia à primo suæ conditionis momento gratiam minimè vacillantem, vel nutantem, sed constantẽ, & firmam sortita fuerit: tum etiam quia in eodem suæ formationis primo instanti Deum, vt in se est, clarè viderit (quod satis probabiliter sustineri posse monstrauimus.) Angeli enim non in primo suæ creationis momento, in quo viatores fuerũt, sed in alio posteriori Deum viderunt. Ex quo fit, Virginem pro eo instanti trinam sanctitatem accepisse. Nam sancta quidem effecta est per habitum gratiæ eius animæ infusum: & per actum dilectionis Dei, quem suapte natura formaliter etiam animã sanctificare probabilius duco: & per ipsam visionẽ beatificã, quã formalẽ quoq; sanctitatem esse censeo. Quapropter ita apud te constitue omnẽ sanctitatẽ Virgini tunc donatã: neq; enim plures inuenire licet sanctitatis modos. Deinde etiã cogita ad trinam sanctitatẽ donandam Trinitatem conspirasse; ita nimirum vt Pater gratiam, Spiritus Sanctus amorem, Filius claram Dei visionem indulserit.

ALIA RATIO, QVAE EX ANnuo Immaculatæ Conceptionis festo ducitur.

 CAP. XXXIII. 

1. *Deus Virginis Deiparæ possessionem non sine solemnitate captauit.*
2. *Ecclesia festũ sub titulo* Conceptionis *agit.*
3. *Aduersarij de Conceptione spirituali explicant.*
4. *Hæc explicatio damnata est à Sixto IIII. tanquam erronea.*
5. *Hanc censuram non effugiunt, qui docent celebrari Conceptionem naturalem cum ordine ad sanctitatem futuram.*
6. *Neque illi, qui in solam gratiarum actionem exhiberi affirmant.*
7. *Non eludunt huius argumenti vim, qui dicũt nullum esse præceptum Ecclesiæ scriptum de celebratione huius festi.*
8. *Enucleatur huius argumenti efficacia per collationem cum festo Natiuitatis.*
9. *Premitur amplius dicta collatio.*
10. *Festum Natiuitatis probat Virginem etiam ante Natiuitatem sanctam, & cur?*
11. *Festum Conceptionis à fortiori sanctitatem ipsius Conceptionis suadet: & quodammodo etiam ante Conceptionem, dum probat ipsam non peccasse in Adam.*
12. *Quodammodo etiam efficaciùs probat Conceptionis festum Conceptionem sanctã, quàm festum Natiuitatis, Natiuitatem.*
13. *De certitudine, quam piæ sententiæ affert hoc argumentum, alibi dicendum.*

1 OMINVS *Possedit me in initio viarum suarum.* Verba ista iterum ad incudem redeant. In omni legitima possessionis vsurpatione illud potissimum spectari solet, vt iuris solennitate non careat. Dicitur autem solennitas in iure quædam obseruatio certa, & consueta verborum, personarum, aut etiam actionum, quæ in contractibus adhiberi solet, vt rati sint, & constantes: qua sublata, irriti, ac nulli redduntur. Eiusmodi sunt prædij aditio, traditio clauiũ, aut similes alij ritus, quibus possessiones adiudicari consueuerũt. Cũ ergo Deus ab initio Conceptionis per iustitiam originalem Mariam possedisset: vt huic possessioni solennitas non deesset, quæ illam ratam magis, ac certam pręstaret: voluit quidem solenne illius festũ quotannis in Ecclesia agi. Cumq; Virginem Deiparã nõ aliter, ac domũ quandam luculentam sibi ad inhabitãdum vsurpauerit, atq; ceperit, in possessionis solennitatem claues intercedere voluit, claues inquam Petri Apostolorum principis. Nam Sixt. IIII. Petri successor, & Christi Vicarius Cõstitutione sua Conceptionis solenne festum per vniuersam late Ecclesiam agitari boni consuluit, vel potius demandauit: & claues in Ecclesiæ thesauros immittens, eos, qui festum hoc celebrauerint, pluribus indulgentijs, & peccatorum remissionibus prosequutus est: de qua Constitutione plura subinde verba faciam.

Illud igitur imprimis certum, ac ratum sit, hoc solenne festum non quidem sub nomine sanctificationis, sed sub nomine Conceptionis hactenus in Ecclesia semper actum. Quod facilè admodum probari potest: ita testatur Sixtus IIII. Pontifex Maximus in sua Extrauagante, quæ incipit, *Graue nimis*, vbi inter alia sic ait. *Cum Sancta Romana Ecclesia de intemerata semper Virginis Mariæ Conceptione publice festum solenniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc Officium ordinauerit.* Et in Romano Martyrologio festũ hoc hisce verbis proponitur: *Conceptio beatissimæ Virginis Mariæ genitricis Dei, & Domini nostri Iesu Christi.* Acci-

2

Sixtus 4.

Martyrolog. Rom.

nant alia Martyrologia, quæ eodem modo sub Conceptionis nomine festum illud indicunt. Consonant etiam Græci cum Latinis: hi enim in suo Menologio præfatum festum hac verborum complexione proponunt. *Conceptio Annæ Dei, & Domini auiæ.* Sic enim ex Græcis efferendum esse docet Genebrardus: de qua translatione posteà dicemus. Accedat etiam Anselmi testimoniū, qui in epistola illa ad Angliæ Episcopos ostē tum illud Helsimo Abbati exhibitum narrās, Angelum hunc ad modum alloquentem inducit. *Promitte Deo, & mihi, quod diem Conceptionis, & creationis matris Domini nostri Iesu Christi solenniter celebrabis, & celebrandum prædicabis.* Et infrà in posteriori alia apparitione, quam ibidem refert, Virginem ipsam ad Clericum illum Hungariæ Regis germanum nuptias meditantem hæc verba fecisse scribit. *Si Conceptionis meæ festum annuatim sexto idus Decembris solemniter celebrabis, & celebrandum prædicaueris, mecum in Regno filij mei laureatus eris.* Adstipulantur etiam omnia Missalia, & Breuiaria recentia, & antiqua, in quibus, & Missa de Conceptione Virginis facienda, & Officium etiam pro Conceptione persoluendum demandatur. Neque solùm id videre est in Missalibus, & Breuiarijs à Pio V. Pontifice maximo editis, & Clementis VIII. industria recognitis, & emaculatis, sed etiam in antiquiori Missali, & Breuiario Romano. Quibus adde etiam Mediolanense, Lingonense, Vicense, Carthaginense, Placentinū, Toletanū: hos enim mihi videre licuit, & de reliquorū cū his concordia minimè dubito.

Menolog. Græcorū. *Anselm.* *Clem. 8.* *Pius 5.* *Breuiar. Roman.* *Mediolanense.* *Vicense.* *Lingonië.* *Cartaginense.* *Placentinum.* *Toletanū.*

3 Sed ne aduersarij hoc argumento premi, & vrgeri se finerent, de nomine huius festi alij alia commenti sunt. Illud cum primis celebre apud antiquos Thomistas, qui solennitatem istam eo vocabulo censeri affirmant, non ad naturalem, sed spiritualem Conceptionem significandam: per Conceptionem autem spiritualem, sanctificationem intelligunt, in qua veluti parens quædam Dei gratia animam ipsam concipit, & Dei filiam constituit. Hanc explicatione ex D. Thoma 3. parte, quæst. 27. art. 2. ad 3. desumptam celebrauit copiosus quidam Thomistarum numerus, quos difficile esset enumerando percensere: quibus adde Richardum in 3. dist. 3. art. 1. quæst. 1. & D. Bonauenturam art. 2, quæst. 1. nu. 14.

S. Thom. *Richar.* *Bonauen.*

4 Sed tamen hæc Conceptionis interpretatio damnata, & reprobata fuit sub excommunicationis anathemate, à Sixto IIII. in secūda editione illius Extrauagantis *Graue nimis*, quæ habetur in Fasciculo Fratrum Minorum. Hîc autem adnotare oportet hāc constitutionem fuisse confirmatam deinde in Trident. sess. 1. in Decreto de peccato origin. vbi non vnius tantum Constitutionis meminit: ait enim: *Sed obseruandas esse Constitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ. 4. &c.* Fuerunt igitur istæ Cōstitutiones Sixtianæ, vt minimum duæ: non potest autem ad hunc numerum redigi illa Constitutio, qua Sixtus Officium Conceptionis approbauit, & illud recitantibus, festumque agentibus gratias indulsit: in hac enim nullas inobediē tibus interminat pœnas. Ergo dicendum est Concilium loqui de vna, & altera editione illius Constitutionis *Graue nimis.* Pontifex igitur in posteriori editione sic habet. *Nos igitur eiusmodi temerarijs ausibus, & peruersis à veritate penitus alienis assertionibus, & scandalis, quæ exinde in Ecclesia Dei oriri possent, quantum nobis ex alto conceditur, obuiare volentes motu proprio, &c. Huiusmodi assertiones Prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent eandem Sanctam Romanam Ecclesiam de spirituali duntaxat Conceptione, & sanctificatione eiusdem Virginis gloriosæ festum celebrare, & eos, qui crederent, & tenerent eandem Dei genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præseruatam fuisse, propterea alicuius hæresis labe pollutos fore, vtpote falsas, & erroneas, & à veritate alienas, edit. sq; desuper libros id continentes, authoritate Apostolica, tenore præsentiū reprobamus, & damnamus, &c.* Et subinde attexit excommunicationis censuram, & alias pœnas. Ex quo decreto aperte colligitur assertionem eorum, qui affirmant Ecclesiam celebrare spiritualem Conceptionē, esse falsam, & erroneam: hac enim censura illam cōfixit Pontifex: & eos, qui hodie post latam istam Constitutionem in eodem dogmate perseuerant, ab excommunicationis sententia non aliter nisi per ignorationem liberari posse credo. Norint ergo illam, ne amplius ignorationem causari possint, maneatque omnino sartus, tectusque communis Ecclesiæ sensus, cuius mens semper fuit, ipsummet Conceptionis primum momentum, vtpote sanctum, atque impollutum concelebrare.

Cōc. Trid. *Sixtus. 4.*

Alij rursus, ne ipsos premat robustissimū hoc argumentum, quod ex istius festi nomine ducitur: fatentur planè celebrari ab Ecclesia materialem Virginis Conceptionem: non quia sancta, atque munda fuerit, sed in ordine ad futuram sanctitatem, & munditiem. Ita Ægidius Rom. quodl. 6. q. 20. §. *Distinguemus ergo:* Eiusq; explicationem probat, & cōmendat Bandel. Rationem vterq; subnectit satis insulsam. Cæterum hæc expositio, & declaratio recidit planè in priorem: quatenus sentit, primū instans Conceptionis Marianæ non celebrari tanquam sanctū: atq; adeò, neq; cēsuram, neq; pœnas illius Extrauagātis declinat. Sensum autē Pontificis facilè aucupari licet ex Bulla confirmationis Officij, quam per idē tempus edidit, quę inscribitur, *Cum præexcelsa*, vbi inter alia hæc Pontifex adnectit: *Dignum, quin potius debitum reputamus* 5

Ægid.

vniuersos Christi fideles, vt omnipotenti Deo de ipsius immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias, & laudes referant, & institutam in Dei Ecclesia Missam, & alia Officia dicant, &c. Quibus verbis asserit Pontifex eam Conceptionem, quam Ecclesia celebri ritu prosequitur, esse *miram*: nimirum propter nouitatem, & insolentiam, quia sola munda, & sine peccato: admiratio enim ex nouis, atque insolitis concipi solet. Adde etiam illud Officium, quod Pôtifex authoritate Apostolica probauit, munditiam, & puritatem Virginis à peccato, & iustitiam eius primã, & originalem passim confiteri. Nam in Oratione sunt illa verba: *Vt sicut ex morte filij tui præuisa, eam ab omni labe præseruasti, &c.* Et in primis vesperis: *Tota pulchra es, & macula originalis non est in te.* Et in secundis: *Virga, in qua nec nodus originalis culpæ fuit.* Et in Missa: *Vt sicut ipsa, tua gratia praueniente, mundo hodie immunis apparuit, &c.* Mitto alia.

6 Multo plures ex Thomistis sunt, qui fatentur etiam illud momentum, & instans materialis Côceptionis ab Ecclesia celebriter agi, non quia sanctũ fuerit, sed in gratiarum actionem: quia nimirum ex Dei beneficio tunc ea Virgo sanctissima concepta, & procreata fuit, quam Deus sibi in matrẽ ab æterno adoptarat, vt ex illa ad humani generis salutem homo factus prodiret: ea nimirũ ratione, qua solet Ecclesia celebrare victorias ab hostibus fidei partas: & plurimæ vrbes, ac pagi eos dies solenniter agunt, in quibus nobile aliquod beneficiũ à Deo Opt. Max. receperunt. Hanc interpretationẽ tradunt Palud. Ioannes de Neapoli, Capreolus, & Diuus Antoninus omnes Dominicani. Affigit

AEgidius Augustinianus. etiam illam Ægidius Augustinianus Cardinali Bellarminio tom. 2. lib. 8. de Sanctorum cultu cap. 16. ad 2. Additque eundem sui ipsius oblitum perbreui interstitio à priori sententia labasse: quandoquidem subiecit illa verba. *Et nos ex eo, quod Ecclesia celebrat festum Conceptionis, nihil dubitamus Conceptionem illam fuisse sanctam.* Veruntamen nescio, quo suo fato nostris Doctoribus semper iniurius est Ægidius. Sed nunquam sine vulnere suo in illos impingit. Parco nunc, quia sæpè aliàs acceptas iniurias remensus sum. Illud tantum ab hoc doctissimo viro exquiro, vndenam deduxerit Illustrissimum Bellarminium in ea sententia fuisse? An quia dixit Ecclesiam Conceptionis festum in gratiarum actionem actitare? O ineptam illationem! An non maiores, & vberiores Deo gratias debebit Ecclesia, quod Virginem communem Dei, atque hominum parẽtem sanctam, & puram, quam quod peccatricem procrearit? Ergo ex eo, quod dixerit sapientissimus, atque grauissimus vir festum Conceptionis pro gratiarum actione ab Ecclesia institutum esse, non licet colligere sanctitatem illius momenti ab ipso exclusam fuisse. Non fuit Bellarminius obliuiosus, sed attentus: eam enim festiuę institutionis rationem offerre voluit, quam Sixtus Quartus in illa Constitutione, *Cum præexcelsa* complexus est verbis nuper adscriptis: *Dignum, quin potius debitum reputamus, &c.* Permittat ergo Ægidius suas habere expositiones Thomistis, qui quantumuis id maxime contendant, declarationem istam à censura supra dicta Sixti Quarti vendicare non poterunt.

Alij demum alia valde futilia, & insulsa ad eludendam huius argumenti vim excogitarunt, in quibus est Turrecremata, qui audacter illud asseruit festum Conceptionis agitari quidem à priuatis Ecclesijs: non tamen à Romana, & vniuersali. Qui vt præfatum dogma tueri posset, semetipsum, ac nos ad Bernardi tempora transtulit, & ex epist. illius ad Lugdunenses testimonium petiuit. 7 *Turrecremata.* Audiui etiam ex Neotericis quempiam hãc aliquando vsurpasse solutionem, eamque inde comprobasse, quia nulla est constitutio, quæ festum Conceptionis expresse fidelibus demandet. Nam in Extrauaganti illa, *Cum præexcelsa* Pontifex non præcipit celebritatem istam agitari: sed ad eam celebrandam adhortatur. Sed demus hoc aduersarijs, nullum de Conceptionis festo hactenus editum præceptum, nullamque legem latam fuisse. An non consuetudo diuturnitate temporis confirmata in legem transit? Et licet nulla esset lex, aut consuetudo, ad eam, quam intendimus thesim probandam satis erat illa, quam ipsi vltro concedunt, summi Pontificis ad illud festum sub Conceptionis titulo agendum adhortatio, vt inde eodem modo argumentum duceretur. Adde etiam illud, quod vltro nobis dant, scilicet à priuatis Ecclesijs festum Conceptionis celebrari, ad eandem probationem sufficere: quandoquidem constat id, Apostolica Sede annuente, & acquiescente, fieri. Nihil ergo solidum afferunt, nihil afferre possunt: atque adeò, manet inconcussa prior illa positio: Ecclesia festum sub Conceptionis titulo agit. Ad probationes excurro.

His ergo præmissis, ex eo, quod festũ Conceptionis in Ecclesia solenniter agitur, robustissimum argumentum suppetit ad Virginis immunitatem à peccato originali comprobandam ad hunc modum. Virginis Conceptio ab Ecclesia solenniter peragitur: sancta igitur est, atque immaculata. Huius rationis vim vt calleas, refricanda tibi est antiquitatis memoria: est enim peruetus huius argumẽti forma. D. Ildeph. in lib. de Virginit. & Parturitione Mariæ, hoc argumento Virginẽ ante Natiuitatẽ in vtero matris sanctificatam fuisse euincit: ait enim: *Sic & B. Virgo nisi in vtero sanctificata esset, minime eius Natiuitas colenda esset: nunc autem, quia ex authoritate totius Ecclesiæ veneratur, constat eã ab* 8 *Ildeph.*

omni

omni originali peccato immunem fuisse, &c. Quomodo autem ex hac celebritate primæ etiam Conceptionis puritatem deprompserit Ildephonsus, partim diximus suprà cap. 22. partim etiam dicemus infrà c. 36. Idem argumentum conficit Bernardus in epistola *Bernard.* illa 173. ad Lugdunenses Canonicos. *Fuit* (inquit) *procul dubio mater Domini ante sancta, quam nata, nec fallitur omnino sancta Ecclesia sanctum reputans ipsum Natiuitatis eius diem, & omni anno cum exultatione vniuersa terra votiua celebritate suscipiens, &c.* Id verò argumenti deinde à grauissimis, ac locupletissimis Theologis in scholis celebratum, & vsurpatum est. Meminit illius Magister sen- *Magister* tentiarum in 3. dist. 3. & illius interpretes recolunt. Hi sunt Magnus Albertus, Alexander *Albertus. Alexan.* Alensis, Diuus Thomas, qui iterum illud *D. Thom.* inculcat 3. parte quęst. 25. ar. 3. Diuus Bona- *D. Bonauentura.* uentura, Thomas de Argentina, Richardus, *Thomas Argent. Richard.* Gabriel, Nicolaus de Nisa, Capreolus, Palu- *Gabriel. Nicolaus Nisa. Capreol. Paludan.* danus, Gregorius de Arimino, Herbeus, & *Gre. Ari. Herbæus.* passim alij in præscriptam distinctionē, quibus adde Henricum Gandau. Quodlib. 15. *Henricus Gandau.* quęst. 13. qui de hac thesi quæstionem integram compleuit.

Sed tamen vt rationem istam à Natiuitate Virginis ad eius Conceptionem transferamus, operæ pretium est vim eius perscrutari. Ergo rationis istius vim adiecit Diuus Illephonsus, qui post præscripta verba sic *Ildephon.* asserit. *Tamen dies, quando inchoata est Mariæ natiuitas, beata pronunciatur, & colitur religiose*
9 *satis. Quod si in peccato esset, iure maledicta diceretur, & gemebunda potius quam benedicta, quando nunciatum est patri eius, quod nata esset in sæculo.* Cæterum posset quispiam sic obijcere. Ecclesiam quidem Natiuitatem Virginis propterea solennem ducere, quia tunc cum primū nata, & in hanc lucem edita est, sanctificata subinde fuit, quamuis prius sancta non fuerit: quemadmodum eadem Ecclesia Pauli conuersionem solenniter agit, quia eo die ex culpa ad gratiam vocatus, & in ea confirmatus est. Hanc tamen obiectionem ipsum festi ipsius nomen eludit (vt ait Henric. loc. citat.) quia cū festū hoc *Natiuitas Mariæ* vocetur, Natiuitatē ipsam, ortumq; Marię sanctum esse oportet: natiuitas autem, & ortus in ipso fætus de ventre matris exitu consistit: atque adeò totum illud tempus à quo infans ad exeundum moueri incipit, vsque dum denique in lucem prodit, natiuitatis tempus appellatur: subinde verò puer iam non nasci, sed natus dicitur. Quapropter vt Mariæ natiuitas sancta esset, atque adeò sub eo nomine celebris haberi posset, necessum fuit eius sanctitatem ab vtero matris inchoari. Et quidem mens Henrici hæc est, ex eo, quod Ecclesia Virginis natiuitatem festiue celebrat, id saltem colligi efficaciter, ipsam in eo instanti sanctificatam fuisse, à quo motus ipsius ad prodeundum ex vtero materno extrinsece incepit; aliter enim non posset dici tota eius Natiuitas sancta. Quamuis alijs rationibus adductus ipse credat Virginis sanctitatē multo ante, breuissima scilicet post Conceptionem mora, fuisse inchoatam.

Sed tamen (ni fallor) huius argumenti vis maior est, quam vt in eas angustias con- 10
ijci debeat: nam primum ex eo quod Natiuitas eius celebrari perhibetur, planè euincitur per totam illam temporis intercapedinem, qua Natiuitas perficitur, Virginem sanctam, & puram fuisse. Deinde vero cum nulla sit ratio, quæ suadeat hanc Virginis iustitiam proximè ante illud tempus, quo Natiuitas peracta est, cœptam fuisse, quæ non probet etiam eandem retro ab omni alio anteriori tempore inchoati debuisse; cumque per totos nouem menses, quibus Virgo in Annæ vtero perstitit, nullus sit destinatus, & certus temporis articulus, in quo eius sanctitatem initium sumpsisse singulari aliquo documento, aut indicio suspicari liceat; (vt in Ioanne, qui sexto post Conceptionem mense ex Christi Domini ipsum inuisentis præsentia sanctus exilijt.) Profecto res ipsa postulat, vt huius sanctitatis inchoatio, quoad fieri posit, anteponatur, & præmittatur. Hinc ergo factum, vt Bernardus, & grauiores Theologi, ip- *Bernar.* sum insequuti ex festo Natiuitatis, quod Ecclesia quotannis celebrat, ita Virginis sanctitatem deprompserint, vt illam non modo in ipsa Natiuitate sanctam fuisse conficiant: sed etiam olim sub ipsum primæ conditionis articulum quamprimum sanctitate donatam fuisse omnes ad vnum colligant. Sanctus verò Ildephonsus longè meliùs, ac cohærentius ijsdem rationibus inductus ex eodem festo Virginem ab ipso Conceptionis instanti sanctam fuisse decreuit. Quia si rationes præfatæ Virginis sanctitatem, quoad fieri possit, anteponendam, & præmittendam esse euincunt, non satis consequenter senserunt illi, qui vel per vnicum instans illam moratam, & dilatam fuisse putarunt, cum potuerit etiam ab illo instanti inchoari. Sed de mente Ildephonsi plura infrà dicemus cap. 36.

Ex his liquet quam validum argumentum
ad immunitatem Virginis à peccato ori- 11
ginali probandam solenne Conceptionis festum suppeditet. Nam ex eo Deiparam non modo in ipsa Natiuitate: sed quod maius est, longè ante ipsam natiuitatem, sanctam fuisse grauissimi illi Patres, & Theologi pręfati colligunt, quia Ecclesia festum eius sub *Natiuitatis* nomine agit. Ex eo ergo quod eadem Ecclesia eiusdē Virginis festū sub *Cōceptionis* nomine agitat, illā in ipsa Conceptione sanctā fuisse eodem modo colligere integrum est. Nam sicut Ecclesia Natiuitatem

Virginis sub eo nomine celebrans, toto illo tempore, quo natiuitas eius peracta est, sanctam fuisse Virginem profitetur: ita etiã Ecclesia Conceptionem eiusdem Virginis sub hoc nomine solennem ducens, per instans illud, quo conceptio perfecta fuit, sanctam, & immaculatam fuisse sentit, ac prædicat. Nam si ita sentiret, statim post Conceptionem Virginem sanctificatam fuisse, non Conceptionem Mariæ, sed conceptam Mariam se celebrare diceret. Et quidem hoc fundamento nixi quidam Theologi nostro hoc sæculo huius festi nomen demutarunt, & non Conceptionem Mariæ, sed Conceptam Mariam appellandum esse dicunt, atque non sine Virginis iniuria eam vocem passim vsurpant. Quos ipsius Ecclesiæ vsus, *Sixt. 4. Pius V,* Sixti IIII. & Pij V. necnon etiam Martyrologiorum, Missalium, & Breuiariorum omnium concordia prorsus reuincit. Deinde si authores illi præfati ex eo, quod Ecclesia Natiuitatem Mariæ concelebrat, etiam ante Natiuitatem sanctam fuisse decerpunt: quid ni nos ex festo Conceptionis eandem in Cõceptione ipsa sanctitate donatam afferamus? Profecto ex illorum argumento, non solum hoc fortissime euincimus, sed nobis etiam ius quoddam suppetit, vt si aliquod etiam ante conceptionem tempus excogitari posset, Virginem quidem in illo, nedum in Conceptione, sanctam fuisse diceremus. Et sanè aliquid etiam ante Conceptionem eius considerare licet, vnde sanctitatem ipsius trahere, ac deriuare possimus: si nimirum id dicamus, quod sæpè, ac multis in hoc libro contutati sumus, scilicet Mariam non modo in se ipsa peccatũ originale non contraxisse, sed neq; in communi omnium parente Adamo tanquam in capite peccasse. Denique si Beatus Ildephonsus festum Natiuitatis Marianæ tanti fecit, vt ex illo Conceptionis sanctitatem venari non dubitauerit: nonne parce admodum agimus, dum id ipsum ex ipsissimæ Conceptionis festo nos aucupamur? Ita sanè.

12 Aliquid etiam audacter dico, scilicet fortius, atque robustius ex Conceptionis festo, ipsius Conceptionis innocentiam, quam ex festo Natiuitatis, eiusdem sanctitatem deprehendi. Ratio autem mihi suppetit ex his, quæ nuper ex Gandauensi Henrico præmisimus. Quia natiuitas motus quidam est infantis ex vtero in hanc lucem: atque adeò aliquam temporis moram, & latitudinem sibi vendicat. Quapropter fieri poterat, vt Virgo per priores illius moræ partes in peccato esset, & subinde proxime ante ipsius Natiuitatis finem sanctitate donaretur. Ex quo fieret, vt eius natiuitas partim sancta, & insons; partim etiam sons, & peccati rea esset: atq; adeò liceret dicere ipsã in peccato, & in gratia natã fuisse, quod pro diuersis illius moræ partibus verum foret. Quapropter ex hoc capite, nisi alia subessent, non omnimoda Natiuitatis sanctitas deprehenderetur, cum posset ita posterior pars sanctæ Natiuitatis celebrari, vt prior alia pars eiusdem Natiuitatis non sanctæ minimè celebranda, sed potius propter culpam execranda dimitteretur. Cæterum in Conceptione id non licet: nam cum conceptio fœtus, & animatio illius in vtero matris sit tota simul, atque in instanti vno impartibiliter peragatur, non licet aliquid illius sanctum eligere, & aliquid non sanctum dimittere. Nec fas est dicere Virginem in eodem instanti, & peccato originali infectam, & gratia donatam fuisse: quamuis enim hæc sententia nescio quos cascos valdè Theologos imbuerit, qui asseruerunt Virginem in primo Conceptionis momento peccatricem simul, ac sanctam extitisse: tamen ab omnibus alijs tanquam absurda, & impossibilis merito exploditur. Cum autem dixi fortius, ac robustius esse hoc argumentum, quod ex Conceptionis festo depromitur, non est animus hanc veritatem alteri præferre: nam Virginem in vtero matris sanctificatam fuisse ad fidem pertinet: & ratio illa in hac Natiuitate tantum momenti habet, vt planè erroris oppositum conuincat: pro Conceptione autem maiorem tantummodo probabilitatem ostendit, vt optime notauit noster Vazquez 3. parte disput. 117. *Vazquez.* cap. 1. qui quasdam aduersariorum solutiones, quibus præfati argumenti neruos elidere contendunt, præclare admodum ipse elidit: atque adeo, ne actum agerem, ad ipsum lectorem referre placuit.

Hoc verò argumentum ex festo ductum omnes conficiunt, qui immaculatam Virginis Conceptionem tuentur, & in id tempus inciderunt, quo festum hoc celebrius haberi cœpit. Hi sunt cuncti ferme Scholastici, qui post Bachonem in Magistrum scripserunt, quibus accedit etiam Recentiorum magna vis, quos non vacat enumerando percensere. At inquies, quanta est certitudo, quæ ex hoc tam robusto argumento deducitur? Satis profecto magna est: sed quia sub finem huius Defensionis de statu veritatis, ac certitudinis, quem hac nostra ætate habet pia sententia, plura dicturi sumus: huius etiam probationis efficaciam in posterum examinandam, explorandamque de industria distulimus in c. vltimum. 13



DE FESTI HVIVS DIGNITATE, & excellentia.

CAP. XXXIIII.

1. *Festum Conceptionis nunquam expressè demandatum, sed consuetudo iam in legem migrauit: & inde eius excellentia probatur.*
2. *Hoc festum celebrantibus meritò easdem indulgentias, & gratias impertiuit Sixtus Pontifex, quæ impensæ sunt agentibus festum corporis Christi.*
3. *Ideò festum Conceptionis solemnius agere debemus, quia hæc fuit incoatio nostræ salutis.*
4. *Festum Conceptionis reliqua Virginis festa commendat, & exornat.*
5. *Natiuitatem eiusdem, gloria, & decore præcedit.*

1 ONCEPTIONIS Immaculatæ festum nobile esse nō pauca suadēt: sed imprimis illud notandū, quod docet noster Francis. Suar. de Relig. to. 1. in tract. de festis diebus lib. 2. c. 8. n. 2. scilicet de festo Cōceptionis celebrando nullū hactenus præceptum in Ecclesia latū fuisse. Constat enim ante Sixt. IIII. nullam de hoc festo legē editam fuisse. Sixtus verò eius celebrationem non quidē demandat, sed eos, qui illam solenniter agunt, cōmendat, & ad eam indies celebrius peragendam indulgētiarum, atq; gratiarū profusis largitionibus excitat, & exacuit. Vnde in Conc. Oxoniensi sub Stephano PP. omnia festa Beatæ Virginis obseruari præcipiuntur, & festum Conceptionis excipitur his verbis. *Præter festum conceptionis, cuius celebrationis nō imponitur necessitas.* Itaq; festum hoc non necessitas, non imperiū, sed fideliū erga Mariam studium in Ecclesiā inuexit. Vnde illius nobilitatem, & excellentiam non leui argumento deprehendere mihi videor. Quia cum ad alia Virginis festa celebranda fideles Conciliorum, aut Pontificum decretis compelli oportuerit, Conceptionis festum tanti apud omnes momenti habuit, vt ipsius obseruatio per se, sine præcepto aliquo adeò percrebuerit, vt dubitari iam non possit hoc tempore consuetudinem, atque vsum in legem demigrasse. Aristot. quidem lib. 2. Polyticorum quasdam esse dicit dignioris, & maioris momenti res, quæ non debeant legibus caueri. Subdit autem rationem. *Quia ipsarum magnitudo satis per se cogit, illas enim, aut natura ipsa suadet, aut consuetudo, vsusque sancit.* Eiusmodi hactenus in Ecclesia fuit conceptionis festū, quod quia dignissimum, ac nobilissimū erat, non debuit quidem aliqua lege, aut præcepto demandari, sed fidelium deuotioni, studioque permitti. Et sanè magnitudo ipsa, & dignitas huius festi in causa fuit, vt per consuetudinem, & vsum ita in mores abierit, vt hic vsus hodie legis vim habeat, quam violare nefas sit.

Suarez. — Concilii Oxoniens. — Aristot.

Rursus huius festi magnitudinem, & dignitatem colligere licet ex constitutione Sixti 4. quæ incipit, *Cum præexcelsa.* vbi Pontifex illi octauas ferias assignat, & omnes Christi fideles, qui institutas ab Ecclesia de pura Conceptione Missas, & alia diuina officia, vel dixerint, vel audierint, cunctis illis gratijs, atq; indulgentijs communit, quas Vrbanus IIII. in Conc. Vienen. illis indulsit, qui festum corporis Christi pari deuotione agitassent, & missas, horasq; canonicas in ea solennitate, & per illius octauas, vel recitassent, vel à recitantibus accepissent. Et sanè prudētiadmodum cōsilio actū, vt gratiæ illæ, quas pro festo corporis Christi Pōtificia largitas concesserat, ad Marianæ conceptionis festū ornandum euocarentur: tū quia caro, & corpus Christi, iam tunc in corpore, & carne matris consecrabatur: tum etiam vt inde ostenderetur propterea Virginem in suæ Conceptionis primo instanti à peccato seruatam, quia ex corpore, & morte Christi, cuius memoria in eo sacramento recolitur, gratia, & iustitia in ipsam refluxerat, & redundauerat: tum demū quia nostri temporis hæretici hęc duo festa coniungunt, & ea compari odio prosequūtur. Hinc factum, vt ille Antimarianus Lutherus insignem illam inter alias blasphemiam impuro ex ore vomuerit: *Nullum festum magis odi, quam festum corporis Christi, & conceptionis Beatæ Virginis.* Quapropter æquum fuit, vt illas festiuitates, quas hæretici paribus odijs prosequuntur, Ecclesia paribus gratijs exornaret. 2

Luther.

Ad hæc, festi huius gloriam depromere licet ex perantiquo Breuiario Ecclesiæ Segouiēsis, in quo pro lectionibus alterius nocturni est sermo S. Anselmi Episcopi, vbi sic inter alia. *Quæ enim festiuitas huic est præponenda, per quam omnium festiuitatum est exorta deuotio?* id est, ex qua omnis alia festiuitas initium, & omen bonis (vt ita dicam) auibus cępit. Quæ verba duplici sensu donari possunt. Alter est communis, ita vt Anselmus velit ab hoc festo omnia alia Ecclesiæ festa auspicium sumpsisse, quatenus Virginis cōceptio 3

Anselm.

DE FESTI HVIVS antiquitate.



CAP. XXXV.



1. *Non est animus alijs scriptoribus repugnare.*
2. *Apud Syros Conceptionis festum à D. Marci Euangelistæ temporibus celebratum, ex Syriaci codicis sectionibus aliqui confirmant.*
3. *Omnia Deiparæ Virginis festa, si vnam Natiuitatem excludas, in dictis sectionibus se nactos putant.*
4. *In his numerant festum Conceptionis.*
5. *Argumentum, quo id probant à sufficienti enumeratione festorum, exclusa Natiuitate, infirmum est.*
6. *Tituli sectionum codicis Syriaci parum aptè festis singulis ab illis accommodati.*
7. *Titulus sectionis, qui tribuitur Conceptioni, meliùs aptatur Præsentationi, aut Natiuitati.*
8. *Argumentum desumptum ab Ethymologia nominis* Ghidah, *leuissimum est.*
9. *Et quod ducitur ex lectione illius Euangelij:* Extollens vocem quædam mulier, &c. *valde debile.*

1 

CONCEPTIONIS Festum etiã antiquitas exornat: de qua prolixiorem tractatum redordiri volens, lectorem monitum velim, non esse mentis meæ ea, quę alij de hac antiquitate cõmenti sunt, argumentis labefactare: absit enim, vt qui pro Mariæ immaculata Conceptione depugnare hactenus decreui, commilitones meos exarmare velim. Sed tamen difficultates quasdam objiciam, quas ipsi postmodum diluere possint: & hanc illis nobilem exercitationem parabo, vt me illos lacessentem, & ad pugnam inuitantem nullo negotio vincant, & satis gloriosum ducã ipsis vincentibus dare manus, eorumq; trophæa meis exuuijs adornare. In hoc argumento fœlicissimè operas suas nauauit sapientissimus P. Petr. de Oxeda ex nostra societate in Prouincia Bætica Sacrarum Litterarum nobilis interpres, qui in libello, quem inscripsit *Informacion Ecclesiast.* de festi huius vetustate tam multa contulit, vt cunctam pene antiquitatis memoriam mihi expilasse videatur: atque adeo eius copiæ reliquos scriptores depauperarunt. Quapropter nostrarum partium erit, eius assectari vestigia, ac spicas, quas ipse de industria fortasse missas fecit, legere, atque ex illis nouum fasciculum concinnare. *(margin: P. Petr. de Oxeda.)*

2 Commendandi ergo, vel potius in cœlum vsque laudibus vehendi nobiles huius doctissimi viri, & aliorũ, qui ipsum assectati sunt, ausus, qui festi huius antiquitatem ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio auspicari volentes, libere affirmant, Conceptionis Marianæ celebrandæ authores primos reliquis Christianis ipsosmet Apostolos fuisse: id vero quibusdã coniecturis ostẽdunt. Illud ergo in primis suadere contendunt, apud Syros huius festi celebritatem ex Diui Marci Euangelistæ tẽporibus viguisse. Et quidem in constantissimis, atq; certissimis rebus hoc ponunt, Beatum Marcum Euangelistam nouum testamentum in Syriacam linguam conuertisse: tum quia apud Syros perpetua huius rei traditio ad hæc vsque tempora seruata est: tum etiam, quia cum constet eã translationem antiquissimam esse, & locupletissimam authoritatem semper in Ecclesia habuisse, digna est, quæ tali interpreti adscribatur. Et sane Syriacæ trãslationis antiquitatem nullus nõ agnoscit (lege Salmeronem Prolog. 35. & Genebrardum lib. 4. Chronographiæ) Et alias subinde rationes attexunt, quibus id sibi euincere videntur. Deinde subijciunt noui testamenti totũ corpus in translatione Syriaca in plura membra concidi, ac partiri eo modo, quo lectiones, Euangelia, & Epistolæ per annum in illis Ecclesijs occinebantur, ac singulis membris, feriarum, ac festorum nomina inscribi, in quibus illa legi ac recitari oporteret, vt videre est in Regijs Biblijs. Hanc vero partitionem minime nouam esse dicunt, sed magna ex parte cum ipsamet translatione Syriaca natam, quamuis deinde succedentibus sæculis aliquid ipsi accesserit. Hæc omnia tradit Boderianus Fabricius in Epistola ad lectorem, quam nouæ translationi codicis Syriaci præscribit his verbis. *Syri (inquit) constanter asserunt Sanctum Marcũ lingua patria, hoc est Galilæa, Syrae, transtulisse non modo Euangelium suum, sed etiam cæteros omnes noui testamenti libros. Id mihi litteris significauit Guillielmus Postellus, affirmauitque se ita à Sy-* *(margins: D. Marc. Euange.; Salmeron Geneb.; Boderian. Fabri.)*

ris ipsis accepisse, dum in oriente praestantissimos linguae Syriacae, & Arabicae thesauros conquireret. Illi vero ita se habere ex auita traditione affirmabant. Deinde vero de illis capitulorum sectionibus, quae pro singulis ferijs, ac festis conciduntur, sic attexit. *Porrò nonnullis interiectis saeculis Alexandrini Patriarchae beati Marci successores capita sectionibus quibusdam distinxerunt, eisque titulos, qui nunc in ipsis leguntur, addiderunt, in quibus Ecclesiarum orientis cum Romana Principis Apostolorum consensus aperte conspicitur.* Itaq; in eo tantum supradicti authores à Boderiano dissidere videntur, quòd praefatas sectiones pro ferijs, ac festis ad ipsum Marcum Euangelistam magna ex parte reuocādas esse censent: aut fatendum putant Alexandrinos Patriarchas Marci successores iuxta acceptam ab ipso Marco festorum obseruationem praefatas sectiones, non solum distribuisse, sed etiam festis, ac ferijs singulis accommodasse.

3 Ergo Doctores isti quòd inter dictas inscriptiones, ac titulos immaculatae Conceptionis festum nacti fuerint, gratulari sibi volunt, & sane si ita res habet, grates merentur. Aiunt ergo omnia Virginis festa, si vnā Natiuitatem adimas, in his sectionibus reperiri. Et quidem Natiuitatis festum non esse inibi quaerendum ex eo conficiunt, quia haec festiuitas postmodum voluentibus saeculis, post Augustini tempora exordium habuit.

Extat ergo, inquiunt, festum Assumptionis apud Marcum cap. 3. à num. 31. cum hac inscriptione. *Commemoratio Deiparae Mariae.* cuius etiam vespera, seu vigilia ponitur, Mathaei 12. à num. 38. cum hac inscriptione: *Ad vesperam in commemoratione Deiparae.*

Quia vero iterum apud Lucam cap. 8. n. 16. alius occurrit titulus superiori adsimilis ad hunc modum. *In commemoratione Deiparae Mariae*: putant quidem sub eo titulo festum Praesentationis praescribi. Adducuntur vero ad id existimandum, quia festum hoc olim accensis luminibus agebatur: quem morem colligit Baronius ex perantiquis sermonibus Germani Constantinopoli, & Georgij Nicomediensis (qui hac de re consulendus erit) Euangelium vero incipit. *Nemo accendit lucernam, & operit eam vase, &c.* *Baroni.*

Ad haec festum Annuntiationis habetur Lucae 1. à num. 28. cum hac inscriptione. *Ad annuntiationem Deiparae.*

Item Purificationis solennitas occurrit apud eundem Lucam c. 2. sub hoc titulo. *Introitus Domini nostri in templum.*

Quid plura? Visitationis festiuitas est apud eundem Lucam cap. 1. à num. 31. sub hac inscriptione. *Profectio ipsius Mariae ad Elisabeth.*

4 Restat nunc Cōceptionis immaculatae festum: hoc ergo nactos se gloriantur authores isti Lucae 11. à num. 23. sub hac inscriptione. *Lectio in festo Deiparae Mariae.* Quod sic potius efferendum esset. *Lectio in Conceptione Deiparae Mariae.* Et quidem hoc primo ex sufficienti festorum enumeratione confici putant: deinde ex voce illa, quae pro festo in Syriacis codicibus subijcitur, est enim עאדא Gbida ex radice: עדא, id est, *concepit*: atque adeò Conceptionem vtique sonat. Genes. 3. *Multiplicabo aerumnas tuas, & conceptus tuos.* Vbi Rabi Onkelos Syrus pro conceptibus subijcit *Gbids*, ex qua etiam radice fluxit fortasse vox עדים pro qua noster vulgatus *menstruatam* conuertit Isaiae 64. *Et sicut pannus mēstruatae.* Sym. *& sicut pannus parietium.* Siue quia thema illud *Gbada* olim etiam apud Hebraeos in vsu fuit: siue quia ea vox, sicut alias plures ex Chaldeis Hebraei mutuati sunt. Accedit etiam tertia ratio, quia Euangeliū, quod sub ea inscriptione ponitur, est illud. *Extollēs vocē quadā mulier de turba dixit, Beatus venter, qui te portauit, &c.* Quod olim ante Pium quintum in omnibus ferme Ecclesijs in festo Conceptionis occinebatur, vt constat ex plaerisque tam Breuiarijs, quam Missalibus antiquis. *Rabi Onkelos.*

Haec igitur, quae satis apte ab his Doctoribus excogitata vidētur, nunc mihi ad trutinam vocanda sunt. Imprimis autem illud quidquid ad Syriacae translationis vetustatē pertinet, libens credo, & suspicio. Rursus sectiones illas capitulorum, earumque titulos non esse nouos, & recentes, sed perantiquos, & vel à Marco Euangelista, vel ab eius successoribus Alexandrinis Patriarchis iuxta acceptam magna ex parte ab ipso Marco festorum obseruandorum rationem praescriptos fuisse, non aegrè fero. Sed tamen tria illa argumenta, quibus probatur festum Conceptionis latere sub illa inscriptione. *Lectio in festo Deiparae Mariae.* aliquid difficultatis mihi ingerunt. Imprimis enim illud, quod sumitur à sufficienti enumeratione festorum, non est valde robustum: nam id, quod praemittunt, scilicet Natiuitatis Marianae festum ab hoc numero arcendum esse, non satis liquet. Quamuis enim haec celebritas in Ecclesia Latina post Augustini tempora occeperit, tamen in Graeca Ecclesia antiquiorem Augustino fuisse suadet id, quod docet Baronius in Martyrologio, nimirum in Biblioteca Sfortiana de hac solennitate sermones legi, primum quidem Procli Episcopi Cyzici, qui Synchronos Augustino fuit, deinde Ioannis Chrisosthomi, qui Augustino facile antiquior extitit. Quapropter cum Augustinus serm. 21. de Sanctis docet nullius Natiuitatem in Ecclesia celebrem esse, nisi Christi, & Ioannis Baptistae, ita accipiendus est, vt loquatur tantum de Ecclesia Latina. Et quidē Augustinus non negauit festum Natiuitatis Marianae iam tunc in aliquibus Ecclesijs agi, sed vniuersale esse abnuit: sic enim scribit in eo serm. 21. *Natalem Sancti Ioannis Fratres charissimi hodie celebramus, quod nulli vnquam* 5 *Marcus Euange.* *Baronius. Proclus Cyzicus. Chrisost.* *August.*

sancto-

Sanctorum legimus fuisse concessum: solius enim Domini, & beati Ioannis Baptistæ dies natalis in vniuerso mundo celebratur, & colitur. Itaq; id tantummodo abnegare videtur alterius Natiuitatem in vniuerso mundo solenniter agi. Atque eodem modo exponendus est au thor alius incertus in sermone illo, qui legi tur apud Augustinũ tom.10. in Appẽdice. sermone 76. vbi paria scribit. Et quidem hoc Natiuitatis Marianæ festum non ab omnibus etiam Latinis Ecclesijs eodem tempore receptum fuisse colligere ex eo licet, quia Gallicana Ecclesia tempore Magni Caroli, & Ludouici Pij nondum id nouerat, vt constat ex Concilio Maguntino, sub eodem *Concil. Magunt.* Imperatore celebrato anno Domini 813. Can. 36. & ex capitularibus eiusdem Imperatoris, & Ludouici Pij lib. 1. c. 164. & lib. 2. *Ludouic. Pius Im.* cap. 35. & lib. 6. cap. 186. Cum tamen constet Hispanicam Ecclesiam ante id tempus hoc festum egisse: eius enim meminit Diuus Ildephon. Toletanus, qui floruit anno 630. in lib. de Parturitione, & Virginitate Ma- *Ildephon.* riæ, de quo infra pluribus agemus. Quapropter non video cur isthæc celebritas in illis Syrorum sectionibus reperiri etiam non potuerit, ita vt vel à Diuo Petro, vel à Sancto Cyrillo Alexãdrinis Patriarchis, vel ab alijs eorum maioribus, aut minoribus præfigi potuerit, cum constet id festum eo tempore in *Proclus Cyzicus. Chrisost.* Græca Ecclesia satis celebre fuisse, vt ex illis Procli Cyzici, Chrisosthomi Constantinopolitani sermonibus iam præmissis euinci videtur. Deinde si de Latina Ecclesia exemplum transferre licet ad Græcam, cur non etiam ob eandem causam, qua Authores isti excluserunt festum Natiuitatis Beatæ Virginis: festum quoque Visitationis, & Præsentationis similem ad modum excludẽdum non censuerunt, cum vtrumque festum in Ecclesia Latina nouum magis sit, ac recens, quam festum Natiuitatis?

6 Rursus illam enumerationem festorum, & titulorum accõmodationem non valde probo. Imprimis ergo illud bene, & apposite dictum Assumptionis festum signari Marci 7. sub inscriptione illa. *Cõmemoratio Deiparæ Mariæ.* Tamen id, quod subiungitur, Præsentationis solennia latere sub alio titulo Luc. 8. qui sic habet. *In cõmemoratione Deiparæ Mariæ*, nisi fallor, gratis dicitur. Imprimis enim quisquis illas Syriaci codicis inscriptiones attẽte lustrauerit, facile agnoscet inter dies celebres, & solennes id discriminis versari, quod ille dies in quo alicuius sancti obitus, aut transitus colebatur דוכרנא. *Dochedana*, id est, *cõmemoratio* sẽper inscribitur: is vero dies, in quo aliud quidpiam celebratur עאדא *Guida*, id est: *Festum* aut *solennitas* titum loco habet. Sic enim prioris generis plura legere licet. *Commemoratio Apostolorũ, Cõmemoratio Martyrum, Cõmemoratio Magni Antonij, Cõmemoratio Doctorũ.* & id genus alia. Posterioris vero generis sunt *Festũ Natiuitatis Iesu Christi*, *Festum Epiphaniæ*, *Festũ Sanctæ Crucis*, *Festum Pentecostes*, *Festum Tabernaculorũ*, pro Transfiguratione, & his similia. Quodsi semel legas apud Mathæum *Festũ Sancti Petri*, putandum est, illud Euangelij pro ipsius Cathedra Alexãdrina, aut pro Catenis recitari: nam vincula Sancti Petri etiã Græci solenniter agũt 16. Ianuarij hoc titulo, *Catena Petri Apostoli.* Quodsi occurrit Lucæ 9. eiusmodi inscriptio. *In Festo Apostolorum.* Euangelium autem continet examen illud, quo fidem Petri, & Discipulorum explorauit Christus, cum scilicet Christo quærẽti. *Vos autem quem me esse dicitis?* Sic occurrit Petrus. *Tu es Christus filius Dei viui.* Dicendum est, eo Euangelio sub vna solennitate Apostolorum omnium conuersionem celebrari: nam hoc festum agitur etiã hodie apud Græcos in extrema die Iunij hoc titulo, *Collectio duodecim Apostolorum*: vt videre est in ipsorum Menologio. Ex his colligo vtramque illã sectionẽ, & inscriptionẽ, siue quæ habet: *Commemoratio Deiparæ Mariæ*, siue illa, quæ legitur. *In Commemoratione sanctissimæ Deiparæ*, ad Festum Assumptionis pertinere: nã obitus, & transitus Sanctissimæ Virginis sub illo Cõmemorationis nomine signatur, quẽ eo die celebramus. Nec mirum si pro vna solennitate duplex Euangelium præscribatur. Videas enim hoc in his codicibus Syriacis passim fieri pro alijs festis. Exemplo sit Festum Tabernaculorum, seu Transfigurationis, pro quo præter Euangelium vigiliæ, quod habetur Mathæi 12. est etiam duplex aliud ad diem pertinens, alterum Lucæ 9. in matutinis legendum: alterum etiam Marci 9. ad missam: vtrumque vero transfigurationis Christi historiam continet à duplici Euangelista perscriptam. Eodem modo videas in codice Syriaco pro alijs festis duplex Euangelium simile præscribi ex duplice Euangelista desumptum. Quod in Assumptionis festo similiter factum puta: assignatur enim ei duplex Euangelium, aliud quidem Marci 3. aliud etiam Lucæ 8. prorsus adsimile: vtrũq; enim continet illam turbæ ad Christum proclamationem. *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te, &c.* Et quidem Marci Euangelium est pro matutinis: sic enim inscribitur, *In matutinis Commemorationis Deiparæ Mariæ.* Euangelium Lucæ canebatur interdiu ad missam: sic habet titulus. *In commemoratione Deiparæ Mariæ.* Hæc mihi certe exploratissima sunt.

7 Quapropter ex his liquet enumerationẽ illam festorum à præfatis authoribus factam non esse accõmodatam: atque adeò si duplex illud Euangelium Assumptioni tribuatur, vt certe tribui debet, & Annunciationis, Præsentationis, Visitationisque festa excipiantur, quæ proprios habẽt titulos, & sectiones, vt ex supra dictis constat, triplex omnino

Vir-

Virginis festum relinquitur, cui possit accõmodari illa inscriptio, quæ reperitur *Luca.11.* Lucæ 11. sub his verbis. *Lectio in festo Deiparæ Mariæ*: videlicet *Natiuitas, Præsentatio, Conceptio.* Et sane exploratum est Præsentationem Virginis in Græca Ecclesia ex antiquissimo tempore agi, cuius scilicet extant perantiqui sermones duo: alter *German. Constant.* Germani Episcopi Constantinopolitani, qui floruit anno salutis 720. alter *Georgius. Nicomed.* Georgij Nicomediensis, de cuius ætate postea dicemus. Habentur hi sermones apud Surium, atque illos Græce scriptos se legisse in Bibliotheca Sfotciana profitetur *Photius.* Baronius, qui alia etiam antiqua monimenta cogit, quibus probat hoc festũ in Ecclesia Græca ex pluribus retro sæculis agi cæptũ: videndus *Baronius* in Martyrologio. 21. Nouembris. Consulendus etiam noster *Canisius.* Canisius lib. 1. de Beata Virgine cap. 12. qui festũ hoc ad Euodij, atq; Nilleni tempora transfert. Ergo cum ex dictis supra satis constet Natiuitatis Marianæ festũ in Græca Ecclesia (ad quam Syriaca referenda est) antiquissimum esse, & ratum quoque sit, Præsentationis festum in eadem Ecclesia multis ab hinc sęculis celebrari: cur Conceptioni potius quam Natiuitati, aut Præsentationi illud Euangelium tribuendum erit?

8 Dices quidem id euinci ex secunda ratione, quæ ab Ethimologia nominis sumitur. Quia nimirum vox illa עאדא *Gbida*, quæ pro *Festo* subest, *Conceptionem* adsignificat. Debilis sane est ista coniectura, tum quia apud Syros Conceptio non est *Gbida*, sed עאדוי *Guidui*, nam *Gbida* propriè *ritum, solemnitatem*, & *morem* sonat, vt in Syro Chaldaicis lexicis videre est: tum etiam quia vox illa in omnibus alijs Syriaci codicis titulis, & inscriptionibus reperitur loco *Festi*, nam cum ibi legis *Festũ Natiuitatis, Festum Epiphaniæ, Festum Sanctæ Crucis, Festum Tabernaculorum*, & alia id genus, semper pro *Festo* subijcitur vox illa *Gbida*. Quapropter non facile crediderim eam vocem, quæ in omnibus alijs titulis pro *Festo* sumitur, in vna tantum inscriptione Cõceptionem notare.

9 Reliquum ergo est, vt authores isti ad tertium argumentum se recipiant, quod ex Euãgelio desumitur: quia nimirum sub illo titulo *Lectio in commemoratione Deiparæ* subtexitur Euangelium illud. *Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, &c.* Quod constat in festo Conceptionis ex longo tempore à pluribus Ecclesijs vsurpatum. Sed tamen accõmodatio eius Euangelij ad Conceptionis festum, ni fallor, non admodum antiqua est. Constat enim, quod tunc, cum primum hoc festum agi cœpit, idem omnino Euangelium dicebatur, quod in festo Natiuitatis legi cõsueuerat, vt colligi *Anselmus* re licet ex illa Epist. Ansel. vbi sic Angelus ad Helsimũ. *Omne officiũ, quod dicitur in eius Natiuitate, dicetur in eius Conceptione.* Atq; illud satis compertũ est, in Natiuitate Virginis ab heroicis temporibus legi cœptum illud Mathæi Euangeliũ. *Liber generationis Iesu Christi.* vt constat satis ex Ioanne Damasceno in *Damas.* Orat. 2. de Natiuitate Deigenitricis, vbi seriem generationis Christi euoluit. Et quidẽ hoc Euangelium tempore Anselmi in die Cõceptionis dici solitum ex eo licet colligere, quia idem Anselmus in eo sermone (qui, vt *Ansel.* alias non semel dixi, legitur in Breuiario Segouiẽsi, cuius verba citant Ioan. Bachon. Bustos, Gerson, & alij) hæc habet verba. *Hæc est Virgo puerpera domicilium castum, receptaculũ Dei omnipotentis dignissimum, cuius Reginæ generationem ex Dauidica stirpe sanctorum Euangelistarum ordo nobis descripsit: vnus enim illorum per Regiam stirpem descendens de huius Virginis Conceptione sic est exordiens. Liber generationis Iesu Cristi filij Dauid, filij Abrahã, &c.* Quæ verba aperte significant eo die lectum illud Euangelium. *Liber generationis Iesu Christi:* Et ni fallor, hac inductus ratione Pius V. *Pius.5.* morem illum, qui à Syxto IIII. in pluribus Ecclesijs percrebuerat, vsurpandi illud Euãgelium. *Extollens vocem quædam mulier, &c.* & diuersum de hoc festo officiũ agendi abolendum curauit, vt Ecclesiam ad veterẽ vsum reuocaret. Itaque vsus illius Euangelij in festo Conceptionis non est adeò antiquus, vt propterea suspicari liceat sub præfato titulo in codice Syriaco festum Conceptionis latere. Antiquior est, ni fallor, illius Euangelicæ lectionis vsus in festo Præsentationis apud Græcos: ita enim putandum est Latinam Ecclesiam, quæ hoc festum à Græcis exhausit, Euangelium etiam, quod in eo ab ipsis recitari consueuit, cũ ipso etiam festo accepisse. Quapropter vt dicam quod sentio, in hanc profectò sententiam pendet animus, vt magis credam sub eo titulo festum Præsentationis latere: vel si id non placet, malim festũ Natiuitatis Marianæ, quàm Conceptionis ipsius solennia eisdem subijci. Nam duo illa festa Præsentationis, & Natiuitatis in Ecclesia Græca perantiqua esse ex dictis constat: atque adeò in Syriacos codices quodlibet eorum à longo tempore referri potuit: de festo autem Conceptionis nullum ita vetus apud Græcos monimentum extat, vt infrà dicemus.

§. II.

10. *Festum Conceptionis ab Apostolorum tempore in Hispania agi cœptũ suadent aliqui testimonijs Flauij, Dextri, & Orosij.*

11. *Confirmãt authoritate Missalis D. Isidori, & Poemate antiquo Marci Maximi.*

12. *Festum Conceptionis tẽpore S. Ildephonsi necdum in Hispania celebrari cœptum verisimilius est.*

13. Nati-

13. *Natiuitatis etiam Mariana festum tempore S. Ildephonsi non erat vniuersale.*
14. *Hispani illud à Græcis primi arripuerunt.*
15. *Flauius Dexter, Orosius, & Marcus Maximus non de Festo Conceptionis, sed de Festo Incarnationis locuti sunt.*
16. *Nomine Conceptionis Mariæ familiare est Patribus antiquis Christi Incarnationem notare.*
17. *Quæ præfati authores de Conceptione enunciant, aptiùs cadunt in Incarnationem.*
18. *Argumentum, quod ducitur, ex Missali D. Isidori, debile, atque infirmum est.*

10 DVRSVS Animi ad difficilia quæque audēda prompti, vt festi huius antiquitatem ad Apostolorum tempora reuocent, producūt nobile testimonium Flauij Dextri Barcinonensis, in Sacro Theodosij Imperatoris Consilio Cancellarij maximi, qui floruit anno 392. quem etiam inter illustres Ecclesiæ scriptores retulit Diuus Hieronimus. Cuius meminere Honorius de Ecclesiæ scriptoribus cap. 132. Tarapha de Regibus Hispan. in Alarico, & Baronius Cæsar tom. 4. sub præscriptum annum. Et quidem de Flauio nostro sic Hieronimus. *Flauius Dexter Patiani filius clarus apud sæculum, & fidei deditus fertur ad me omnimodam historiam texuisse, quam nondum legi.* Aiunt ergo huius historiæ locuples exemplar inuentum hoc sæculo apud Germanos in Bibliotheca Monasterij Fuldensis, quod nimirum longo abhinc tempore per Monachos Benedictinos ex Monasterio illo nobilissimo agri Toletani, quod *Cisla* vulgo dicitur, Fuldam translatum fuerat Gothicis characteribus exaratum. Huius autem exemplaris excepta fragmenta ad eruditum quendam nostræ societatis virum Hieronimum de Higuera (cuius locupletem rerum Hispanicarum historiam, quam iam texebat, fatum nobis inuidit) è Germania adducta dicunt grauioribus testimonijs munita, quæ hodie in domo nostra Toletana, vbi Hieronymus obijt diem, adseruantur, & leguntur. Igitur ex hac historia, seu Chronico Flauij Dextri eiusmodi verba proferuntur. *A Iacobi prædicatione celebratur in Hispania festū Immaculatæ, & illibatæ Conceptionis Deigenitricis Mariæ.* Et iterum. *A tempore Apostolorum celebratur in Hispania Festum Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ.* Ex quibus cōstat non solum hoc Festum Apostolorum sæculo celebratum in Hispania, sed etiam eius solennem celebrationem Dextri tempore viguisse. Cui rei fidem facit aliud testimonium Pauli Orosij, qui sub Flauij Dextri tempus apud nostrates Hispanos floruit anno 425. hic enim in Epistola ad Eustochium, vt citat Frater Mauritius de Villaprobata in corona Mariæ serm. 16. vel ad Heliodorum, vt citat Bernardinus de Bustos serm. 8. de Conceptione sic scribit. *Coram Deo noui, & in veritate comperi, quod nulla mulier in partu periclitatur, super quam deuotæ Mariæ gratia imploratur, & dies Conceptionis eius celebratur.* Ex quo constat per dictum salutis nostræ Annum. 425. festi illius celebrandi morem apud Hispanos à suo vigore nondum excidisse.

Flauius Dexter. *Hierony.* *Honorius* *Tarapha.* *Baronius* *Hierony. de Higue.* *Flauius Dexter.* *Paulus Orosius.* *Maurit. de Villap.*

11 Quin potius eum morem sartum, tectūq; ad vsque Isidori tempora perstitisse ex eo sibi aucupari videntur isti authores, quia hic in suo Missali Mixtarabico, quod iussu Cōcilij Toletani 4. reformandum, emaculandumque suscepit, peculiare Officium de Conceptionis festo constauit, in quo recitatur Euangelium illud. *Extollens vocem quædam mulier.* Et prima lectio sumitur ex c. 8. Prouerbiorum. *Dominus possedit me, &c.* & in Præfatione hæc habētur verba. *Dignū, & iustum est, omnipotens Pater, tibi in honorem Conceptionis gloriosæ Virginis Mariæ, &c.* & infra. *Cum multiplex illa Angelorum legio, cæteraque Sanctorum omnium, Virginum, Martyrumque concio, siue terrestris beatorum multitudo in hoc Cōceptionis gloriosæ Virginis Festo non cessant clamare, &c.* Altera vero oratio, quæ est inter extremas, sic habet. *Domine Iesu Christe, qui sic Matrem honorificasti, quousque Conceptionis eius gratia eam coram te suffragatricem incomparabilem inuenimus, &c.* Quapropter cū hoc Missale Mixtarabicum editum fuerit ab Isidoro, quasi per annum 630. efficaciter inde colligitur, festi huius celebritatē ab Apostolorum temporibus ductam, ad illa vsque tempora minime interpolatam, vel abruptā fuisse. Accedat etiā grauissimum aliud testimonium Sanctissimi, atque eruditissimi viri Marci Maximi Historici, atque Poetæ Christiani, qui ex Monacho S. Benedicti Cæsaraugustanus Archiepiscopus creatus, floruit sub annum sexcentisimum, Imperante Heraclio, & Sisebuto in Hispania regnante. Cuius præclarum elogium exhibet D. Isidorus in Catalogo virorum illustriū. Hic ergo inter alia Poemata luculentum, & elegantem Hymnum dedit. Vbi de apparitione, illa in qua Virgo Deipara Cæsaraugustæ D. Iacobo Apostolo visendam se se dedit, verba faciens, sic scribit.

Isidori.

Ostendit illi se hilarem,
Suoque Natalitio,
Conceptionis aureæ
Templo manent encomia.
Conceptionis hinc diem
Iacobus Hispanos docet,
Et prædicat ceu cæteri
Ab omni labe liberam.
Hinc mos habet principium,
Hunc celebrandi iugiter
Populis Iberis diem,
Qui durat vsque hodie.

Profecto hæc omnia tam apte videntur cō-

12 texta, vt dociles animos facile ad credendum alliciant. Sed si penitius inspiciantur, non admodum firma sunt. Et quidem, vt ab Isidoro exordium sumam, illud certum, atq compertum est, Ildephonsum Toletanuum Archiepiscopum Isidori auditorem fuisse, & sub idem tempus non longo interuallo librũ illum aureum de Parturitione, & Virginitate Mariæ scripsisse. Hic ergo, vt probaret Deiparam Virginem in vtero sanctificatam, aut etiam ab omni originis macula prorsus immunem fuisse, argumentum ducit ex Natiuitatis Marianæ festo, quod iam tunc in Ecclesia celebre erat: ait enim. *Sic & beata Virgo nisi in vtero sanctificata fuisset, minime eius*

Ildephon. *Natiuitas colenda esset: nunc autem, quia ex authoritate totius Ecclesiæ veneratur, constat illam ab omni originali peccato fuisse immunem.* Si ergo iam tunc Immaculatæ Conceptionis festum perpetua traditione ab Apostolorum sæculo in Hispania adeò celebre erat, vt Doctores isti contendũt, cur non potius id festũ ad thesim suam probandam assumeret, cum ex illo, tum fortius, tum etiam clarius, & luculentius id euinceret, quod volebat? Sane hoc argumentum adeò mihi difficile visum est, vt ei traditioni, etiamsi hoc impense vellem, non omnino possim acquiescere.

13 Obijciet quispiam Ildephonsum ex festo Natiuitatis propterea argumentũ duxisse, quia illud iam tunc vniuersa Ecclesia venerabatur: sic enim ait. *Nunc autem, quia ex authoritate totius Ecclesiæ veneratur.* Festum autem Conceptionis priuatim in Hispania agebatur. Sed tamen cum isti authores alias doceant, per illud tempus apud Græcos Conceptionis immaculatæ festum coli, idque ex eorum Menologio deducant, quod à Ioanne

Menolog. Græcorũ. Damasceno in eum ordinem redactum volunt, quo nunc à Græcis seruatur: cumque alias sentiant idem festum in Hieronymi, vel potius Eusebij, nec non etiam in Bedæ Martyrologio iã tunc expressum fuisse: profectò id satis erat, vt Diuus Ildephonsus ab illius festi celebratione argumentum peteret, Latinorum cum Græcis concordiã aduersarijs obijciens. Tum vel maxime, quia si rem attentius inspicias, Ildephonsi tempore Natiuitatis Marianæ festum nondum à tota Ecclesia receptum erat. Nam vt in superiori §. ostendimus, Caroli Magni, ac Ludouici Pij sęculo, postquam centum, & amplius anni ab Ildephonso abierant, Ecclesia Gallica illud prorsus ignorabat, & quod caput est, ne tunc quidẽ cum beatus Ildephonsus librum illum conscripsit, Natiuitatis Marianæ festũ à Romana Ecclesia agebatur, vt docere vide

Baroni. tur Baronius in Martyrologio, vbi postquam aliorum sententiam præscripserat, qui affirmabant illud festum post Concilium Ephesinum à Græcis ad Latinos translatum, & ab Ecclesia Romana probatum, & receptũ fuisse, subdit quidem in hunc modum. *Quantum autem ex Ecclesiasticis historijs compertum habemus, à Concilij Ephesini temporibus Beatissimæ Virginis cultum in dies toto orbe auctum, amplificatumque fuisse animaduertimus. Non tamen dicere præsumimus eo tempore institutam fuisse præsentem solemnitatem* (puta in Ecclesia Romana) *cum constet Gallicanam Ecclesiam etiam temporibus Caroli Magni, Ludouici Pij eam ignorasse.* Hæc ille probabiliter satis decernens, atque impossibile ducens, vt tam nobile festum ex tam longo tempore in Romana Ecclesia celebratum, ad Gallias non irrumperet.

Quapropter ego ita reor, hoc natiuitatis 14 Marianæ festũ, quemadmodũ alia non pauca à Græcis ad Latinos sensim manasse, atq; Hispanicam Ecclesiam ante alias, pro veteri suo in Virginem studio, illud fuisse amplexatam. Quapropter illa beati Ildephon. verba. *Nunc autem ex authoritate totius Ecclesiæ Natiuitas Mariæ veneratur*, non ita accipienda sunt, quasi tota iam Ecclesia illud festum obseruaret, sed quia pluribus in locis iã tunc festum hoc agentes toleraret, atq; ipsa toleratione, & permissione annueret, ac confirmaret. Id vero satis duxit Toletanus Præsul, vt robustum inde argumentum sumeret ad Sanctificationem Virginis in vtero, imo ad immunitatem ipsius à peccato originali valide comprobandam, vt infra capite sequẽti dicemus. Quod si illo etiam tempore Hispanica Ecclesia cum Græca similiter concordans Festum Conceptionis Immaculatæ ab Apostolorum temporibus, Ecclesia Romana hoc vidente, ac tolerante, agebat: cur non potius ab eo festo argumentum traheret noster Ildephonsus, hoc enim thesim ab ipso susceptam longe melius, ac firmius stabilire poterat? At dices fortasse Ildephonsum Græcorum consensum in celebrando Conceptionis festo ignorasse. Obijciam ego fieri etiam potuisse, vt eorundem concordiam in agenda Natiuitatis solennitate non agnouerit. Quapropter si alterum illi notum fuit, cur alterum ignotum eidem fuisse dicamus? vel si vtrunq; æque notum, aut ignotum dicimus, cur ex vno, & non ex altero argumentum produxit?

Ildephon.

Quid ergo de superioribus testimonijs iudicij tandem ferendum erit? Imprimis illa 15 duo testimonia ex Flauio Dextro, & ex Paulo Orosio petita aliquis parum credulus facile abnegaret, & supposititia esse diceret. Nã quod ad Paulum Orosiũ attinet, nullus, quod sciã, ex his, qui de illo scripserunt, eius Epistolæ, vel ad Eustochium, vel ad Heliodorum meminit: & stili etiam inelegantia à grauissimo illo viro abhorrere prorsus videtur. Ea vero, quæ de Flauio circumferuntur, ipsa etiam stili gracilitate nouitatẽ præseferunt, & hactenus in schedis, & in chartis habentur. Denique Marci Maximi Hymnus supra citatus nuper etiam productus, nescio,

an sa-

an satis locupletem authoritaté habeat: nam per illud tempus, quo sanctissimus ille vir floruit, artis Poeticæ (sed tum maxime apud Iberos) vigebat splendor, & nitor: atq; adeò non facile crediderim inelegantes illos, & inconditos versus aliquando etiam in quantitate syllabica deerrantes eo tempore conscriptos fuisse à viro, quem inter nobiles Poetas recenset D. Isidorus. Sed tamē, quia credulus esse malo, quam indocilis, testimonia quidē libens admitto: tamen authores istos grauissimos non de Conceptione Virginis sāctissimę locutos existimo (liceat sic dicere) passiue, quatenus significat illibatum ipsius in visceribus Annæ conceptum: sed actiue, quatenus Christi Domini in ipsius Mariæ vtero intemeratum itidem conceptum sonat. Luculētius dicam, per *Conceptionē Virginis Mariæ*, ipsam Verbi diuini Incarnationem accipiendam esse autumo. Nouum hoc fortasse videatur. Sed tamen si illa testimonia authoritatis aliquid habent, hoc sensu donari debere prorsus reor.

16 Imprimis enim vocem illam Latinā, *Conceptio*, vtramque significationē, tam actiuam, quam passiuam sortiri nemo nescit, quemadmodum Græca συλλήψις. Vnde Græci vt hanc vocis ancipitis amphibologiam tollerent, in suo Menologio festum hoc, non Conceptionem Virginis, sed Annæ Conceptionem appellant: sic enim inscribunt. *Conceptio Annæ Dei, & Domini nostri auiæ.* Deinde præfatus illius nominis vsus, vt scilicet ConceptioVirginis pro Verbi diuini Incarnatione sumeretur, apud veteres tam Græcos, quā Latinos, admodum solemnis fuit. Cyprian. in serm. de Natiuitate. *Quoniam sine tormento peperit, quæ in Conceptione caruit voluptate.* Et iterum: *O Virgo iusta, & omni iustitia plenissima, cuius Conceptio singularis.* Quæ verba aliqui etiam perperam passiue accipiunt, cum sint prorsus actiue capienda, vt ex contextu patet. Sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus de Incarnatione etiam agens. *Quæ* (inquit) *oratio imperuium Sacrosanctæ, castæq; Conceptionis Mariæ pelagus penetrare queat?* Egesippus Hierosolimitanus Presbiter in serm. 2. de laudibus Deiparæ *Tecum est* (inquit) *conditor omnium, tecum inquam, vt ex te gignatur, tecum Conceptione, vt ex partu tuo generetur.* Et infra etiam non semel eodem nomine, haud dispari sensu vtitur. D. August. in serm. 2. de Annuntia. Angelum sic loquentem inducit. *Ne terrearis Vater Domini mei, ego Conceptionis tuæ minister adueni.* D. Anselm. librum integrum scripsit sub hac inscriptione. *De Conceptione Virginis Mariæ, & de peccato originali*: nimirum de Conceptione actiua. Mitto Chrisologum in serm. 2. & 3. de Annuntiatione, qui Verbi Incarnationem *Virginis conceptum* crebro admodum appellitat. Quinimo illud affirmare audeo, ante Athanasium, & Nazianzenum, qui nomen Incarnationis maxime celebrarunt, reliquos Patres Christi in carnem aduentum Virginis Conceptionem crebrius appellare solitos. Sed quod caput est, in veteri Kalendario Romano, quod Genebrardus sub initium Commentariorum in Dauidicos Psalmos adscribit, Festū Incarnationis sub hac verborum complexione scriptū erat, *Maria Conceptio, & Filij Dei Annunciatio.*

Menolog. Græcorū. — Cyprian. — Basilius Seleuciæ. — Egesippus — August. — Anselmus — Chrisolo. — Martyr. Rom.

17 Illud etiam interpretationem istam non parum commendat, quod iuxta præfatā Conceptionis Virgineæ acceptionem, ea, quæ authores illi testimonijs suis affirmant, veritatem continent cum antiquis traditionibus maxime cohærentem. Imprimis enim Annunciationis, seu Incarnationis festū ab Apostolo Iacobo acceptum, mirifice semper ab Hispanis obseruatum, & cultum, constantissima nostræ nationis traditio est: quæ huic festo tantundem semper detulit, vt ipsi concelebrando opportunitatem quærens, præter eum, in quo vniuersa illum Ecclesia colit diē mense Martio, aliū ipsi consecrauerit decimosexto Decembris sub hoc nomine. *Expectatio partus Deiparæ Mariæ*: ita enim cautū in 10. Synodo Toletana Can. 1. Nec solum apud Hispanos huius festi Apostolica traditio semper fuit, sed etiam apud alios. Nam Diuus Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 5. hæc habet. *Sicut à maioribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit authoritas, octauo kalendas Aprilis conceptus creditur.* (En quoque Conceptionis vocabulum.) Extant etiam Gregor. Thaumaturgi, qui ab illis Apostolorum temporibus non longe abfuit, tres homiliæ in hac festiuitate habitæ, quas in suo antiquarum lectionum libro nobis dedit Henricus Canisius ab Illustrissimo Cardinali Syrleto ex antiquis Græcorum promptuarijs primum productas, & à Vuilielmo Lyndano latinitate donatas. Deinde id, quod Paulus Orosius de puerperis dicit, quod scilicet implorata Virginis gratia, *& dies Conceptionis eius* super easdem actus, ipsis mirifice subueniant, ne in partu periclitentur: satis cohæret cum solenni vsu, qui ad hæc vsque tempora viget. Est enim etiā his sæculis prægnantibus admodum solenne, Missas de Incarnatione ante partum præmittere, & super easdem initium Euangelij secundum Ioannem, & ex Luca Euangelium. *Missus est Angelus Gabriel*, recitare etiam vsus fert: ita vt hæc videatur antiqua multorū sæculorum persuasio. Id etiam quod Maximus de Conceptione enuntiat, scilicet *auream* appellans, *& ab omni labe liberam*, non satis me mouet: nihil enim magis tritum apud Patres, quam Virginis cōceptū, & partum illibatū, & immaculatū dicere. Sed quid quod *Natalitiū* vsurpat? Id certe argumentum minoris est apud me. Nā ex veteri Ecclesiæ vsu quodlibet festum Natalitium appellari consueuit. Mitto innumera Patrum exempla, quia sunt obuia. D.

Concil. Tolet. 10. — Augusti. — Gregor. Thauma. — Henricus Canisius. Lynda. — Paulus Orosius. — Maxim.

Leo Papa *Natalem* cathedræ S. Petri dixit, & D. Augustinus *Natalem* Sanctæ Crucis, & alij passim hoc nomine vti solent.

18 Illud vero argumentum, quod ex Missali Mixtarabico Diui Isidori depromitur, facile admodũ diluitur. Respondeo enim, Missam illam, quæ pro Conceptionis festo inibi habetur, subinde temporum decursu additã fuisse. Reperitur etiam Missa de Conceptione in Missali Ambrosiano, quod Mediolani olim in vsu fuit: an propterea licebit etiam dicere eã Missam ab Ambrosio primũ inuentam? Minime vero. Sed instant illi, qui hoc argumento vsi sunt, & obijciunt nobis testimonium Ambrosij de Morales, qui omnium optime de authoritate Mixtarabici Missalis agit lib. 2. cap. 19. vbi docet illud ad nostra vsque sęcula ea puritate perductum, qua fuit primum ab Isidoro conscriptum: quanuis enim lapsu temporis aliqua eidem addita, & denuo suffecta sint, tamen ea priorum integritatem non vitiarunt. Addunt etiã ex propria obseruatione in illius Missalis Kalendario aliquos sanctos reperiri ex his, qui post Isidorum floruerunt, tamen nullum esse, qui propriam Missam inibi habeat, sed omnes ad cõmunia reuocari. Cæterum præterquam vix credibile est, ex tam longo tempore, ex quo præfatũ Missale in Hispania legi cœpit, nullã denuo Missam illi insertam fuisse, idq; incuriæ quodãmodo gentem nostram arguit. Oppositum expresius tradit Eugenius de Robles in vita Illustrissimi Card. Francisci Ximenez de Zisneros, qui semel quidem ita scribit. *Notandum est in impressione, quam fieri iussit Illustrissimus Cardinal. Franciscus Ximenez, & in translatione Gothici textus in Latinum, plerosque è sanctis Officij Toletani veteris eũ addidisse, & cũ Sanctis Gothicis miscuisse.* Deinde aliquot festa enumerat, quę in Mixtarabico integrum Officium, & Missam habent, & in his Conceptionis festum censens, ita fatur. *Primo Natiuitas Domini nostri, Circuncisio, Epiphania, Festum Corporis Christi, Paschatis dies, Ascensionis, & Pentecostes, Natiuitas Beatæ Mariæ, eius Cõceptio, & Annunciatio vocata D. Maria de O. Purificatio, & Assumptio. Quædam ex his festis desumpta sunt ex antiquo Officio Toletano.* Hæc ille ad verbum ex Hispano restituta, vt exhibentur in extrema editione Bibliothecæ Patrum tom. 2. Auctarij. Quod si roges, quænam ex præfatis festis ex antiquo Toletano Officio in Isidori Missale relata fuerint, in promptu quidem illa sunt. Scilicet Festum Corporis Christi, & Festum Conceptionis Beatę Mariæ. Nam reliqua antiquiora sunt. Vbi illud adnota, Festũ Corporis Christi, quod longo tempore post Isidori ætatem in Ecclesia peragi cæpit, nunc etiã in Missali Mixtarabico plenum Officium habere. Adhæc, in pręfato Missali pro festo Conceptionis legitur Euangelium illud. *Extollens vocẽ quædam mulier, &c.* quod ex solenni superiorum temporũ vsu ante Pium V. assumptum videtur. Ita vt vel ex eo suspicer Missam illam satis nouam esse, quia vt §. superiori diximus, vsus illius Euangelij in Festo Conceptionis non est valde antiquus. Quapropter eũ, qui præfatũ festũ in Missale Mixtarabicũ retulit, siue is fuerit Cardinalis Franciscus Ximenez, qui pro sui ordinis in Cõceptionẽ Virginis Immaculatam studio fortasse hoc præstitit: siue alius aliquis, eũ certè non valde antiquum esse constat. Suppetit autem mihi exemplum per omnia simile ex Missali Ambrosiano, cuius exemplar satis vetus Episcopus Dominus Arias Gallego in collegio Murtiano reliquit, in quo id ipsum videre licet, seruato etiã Natiuitatis Euangelio. *Liber generationis Iesu Christi*, vt vel ex hoc censeam, Missam illam antiquiorem esse, quam eam, quæ in Mixtarabico modò est.

Ambrosij Missale. *Moral.* *Eugenius Robles. Cardin. Francis. Ximenez.*

§. III.

19. *Martyrologium D. Hieronymi non est diuersum à Romano.*
20. *Præfati authores ex Martyrologio S. Hieronymi antiquitatem festi Conceptionis nõ solidè probant.*
21. *Assumunt etiam probationem ex Menologio Græcorum, quod à Damasceno conditũ volunt.*
22. *Hoc Menologium festum Conceptionis ne Damasceni quidẽ tẽpore celebratũ probat.*
23. *Hoc festum apud Græcos non esse immemoriale, nec valde antiquum, ex eorum monimentis suadetur.*
24. *Quæ sit prima huius festi mentio apud Græcos.*
25. *Non ideò à Græcis Conceptionem Virginis olim celebratam fuisse, quia ipsam Immaculatam sentirent, aliqui asserunt.*
26. *Confutatur illorum assertum.*



HIS Igitur exclusis, ad ea, quæ sequuntur tempora faciamus gradum. Qui festi huius antiquitatem vestigant, illud audacter dicunt, Conceptionem Virginis in Martyrologiũ Hieronymi olim adscriptam fuisse. Et quidem Hieronymus vel Martyrologiũ ipse scripsit, vel, quod ab Euseb. Cæsari. prius conscriptum fuerat, partim conuertit, partim auxit. Vide Molanum in Vsuardo, Petrum Galesinum, & Baronium in annotationibus ad Romanum Martyrologium. Baronius enim in eã sententiã discedit, vt putet Martyrologium Romanum ipsissimũ esse Hieronymi Martyrologium, quod subinde laben- 19

Hierony. Martyr. *Molanus Galesin. Baronius*

tibus

tibus sæculis relatis in ipsum pluribus Sanctis auctum, locupletatumq; fuerit: existimat enim id accidisse, quod Molanus in tract. de Martyrologijs c. 2. sibi obijcit in hunc modū. *Quæres quidem an recte Vsuardi Martyrologium titulo Sancti Hieronymi citari possit, cur non? Nam sicut Latinæ linguæ dictionarium quantumcunque aucta Calepini sibi nomen retinent. Ita etiam Martyrologium istud quidem in citando decorari possit titulo Sancti Hieronymi.* Quod longe melius de Romano Martyrologio enunciari poterit: nam quis credat tam nobile Hieronymi opus prorsus interijsse, cum alia minus digna ab interitu fuerint vendicata? Sane rationi admodum consentaneū est hoc credere, Ecclesiam Romanam tanti Doctoris opus prætulisse alijs: atque adeò illud in suis Officijs vsurpare cœpisse, & subinde temporum decursu relatis in illum alijs tunc sanctis, tunc festis, auctius, & locupletius redditum fuisse. Hæc sane omnia nemo non credat, & amplectatur: quæ sequuntur, difficiliora sunt.

20 Subijciunt ergo, Hieronymum Conceptionis festum in suum Martyrologiū coniecisse, quod aliquibus suspicionibus fulciri posse dicunt: sed tamen præcipua, ac verosimilior ea est. Quia D. Hieronymus Martyrologium scripsit in Syria: apud Syros autem festum Conceptionis ab ipso Apostolorū tempore celebre fuisse pro certo habent, atque adeò id festū ab ipso in Martyrologium suum relatum haud dubitandū esse dicunt: tū vel maxime, quia probabile est Hieronymū Martyrologiū suum pro ipsismet Syris, apud quos degebat, scripsisse, vt ab illis legeretur, & obseruaretur: atq; adeò non potuit non eorum festa, & solennitates eo volumine complecti. Cæterum cum ex dictis sup. §. 1. satis constet non satis probari Conceptionis Marianæ festum à Syris olim obseruatum, & cultū, tota hæc suspicio, & coiectura prorsus euanescit. Alias vero rationes, aut congruitates, quibus præmissam coniecturam fulcire conantur, libens prætereo, quia leuiores sunt, & subruto principali fundamento, suopte nutu cōcidūt.

21 Post Hieronymū ad festi huius vetustatem demonstrandā solidiori fundamento euocari solet Græcorū Menologiū, in quo non eo die, quo à nobis colitur, sed postridie, scilicet, quinto idus Decēbris Conceptionis Marianæ festū hoc verborū cōplexione proponitur. *Conceptio Annæ, Dei, & Domini auiæ.* Sic conuertit Genebrardus: sed tamen Galatinus 7. de Arcanis c. 5. & ex illo noster Gabr. Vazq. loco supra citato, ita in Græcis haberi dicit. προ τῆς συλλήψεως ἁγνῆς. Quod sic conuertit Galatinus. *Ante Conceptionem pura.* Sed tamen, ni fallor, mendose citatur hic locus à Galatino, quia modus ille loquendi non satis aptus videtur ad notandum festum in Kalendario: & si priora verba sic efferantur, non bene cohærent cum sequentibus illis. *Dei, ac Domini nostri auiæ.* Neq; licet etiā dicere illud προσυλληψις, tanquam vocē vnam decompositā accipi debere: quia cū sit in gignendi casu, cum sequenti voce ἁγνῆς, necti non potest. Quapropter cum Græca exemplaria nobis non suppetant, & Genebrardus in Græcis eruditior, & locuplerior testis sit, illi potius fidem habendam puto: tum vel maxime, quia in Menologio alio, quod est apud Henricum Canisium hoc festum sincerius inscribitur hoc modo. *Commemoratio Conceptionis Sanctæ Annæ Matris Deiparæ Mariæ.* Quod si antiquitatem huius Kalendarij, quo Græci vtuntur, discere cupis, certe præmissus Galatinus Damasceno tribuendum putat, cui alij plures subscribunt. Nullum alium comperi huius rei authorem, nisi paucos alios, qui Galatinum citant: sed tamen facile his acquiesco: constat enim aliunde Ioannem Damascenum Officiorum Ecclesiasticorum bonum suo tempore formatorem fuisse: atq; adeò fieri potuit, vt præfatum Kalendarium, vel primus cōflauerit, vel saltē correxerit, ac repurgauerit. Nihil tamē se præstitisse putāt suprad. cti authores, si Damasceni tēpore hoc festū purissimæ Cōceptionis inchoatū ex hoc Kalendario euincāt: dicūt enim sanctissimū illū Doctorē id in Kalendariū retulisse, non quod ipse primus inuenerat, sed quod à maiorib⁹ acceperat. Nā cū ipse etiā Damasc. Syrus esset, & KalendariūSyris daret, nō potuit nō antiquū Syriæ festū in aliorū censum referre.

Profecto authores isti nunquam non ad ardua, & difficilia adspirare nituntur. Imprimis ergo coniecturæ illius, quæ à Syriacis codicibus petitur, leuitatem supra dedimus §. 1. atque adeò nihil ex ea robustum satis confici potest. Quinimo affirmare ausim, ne id quidem ex præmisso Græcorum Menologio ostendi, quod Damasceni tempore Conceptionis festum agitari cœperit, quia nemini non exploratum est, quadam festa in Menologio legi, quæ post Damascenum celebrari cœpta sunt: nam vndecima die Octobris proponitur celebritas quædam his verbis. *Septima Synodi Nizenæ aduersus Iconomachos Copronimum, & Episcopos ei fauentes execrabili quodam conciliabulo.* Hæc autem Synodus iam tunc post Damasceni obitum celebrata fuit, vt ex temporum rationibus colligit Baronius tom. 8. & eodem die inscribitur Theophanes Episcopus Nizeę qui cæsus est flagellis, Theophilo imperante, & deinceps sublato Theophilo, creatus est Episcopus Nizeæ sub obitum etiam Sancti Ioannis Damasceni. Et tertio item die Aprilis exhibetur Nizetas Abbas, & hic etiam Damasceno minor, qui sub Leone Armeno passus est. Prætereo alios non paucos, qui simili modo, post Damascenum floruerunt, & tamen deinceps lapsu temporis in Menologium Græcorum relati sunt. Quemadmodum ergo hos, atque illorum solen- 22

V nia

Molan. *Henri.* *Menolo. Græc.* *Galatin.* *Vazq.* *Genebr.* *Hen. Ca.* *Damasce.* *Baronius*

nia, tam Græci, quam Syri suis Kalendarijs post Damasceni tempora inscripserunt: ita etiam Conceptionis festum similem ad modum inserere potuisse exploratum est.

23 Instabit tamen aliquis sic. In Latina Ecclesia certa aliqua occasio, certumque tempus præscribi potest, à quo festum Conceptionis repetere liceat: nimirum id, quo Normando Helsino ab Angelo primum id celebrare serio demandatum fuit: quod suo calculo probauit Anselmus in Epistola ad Angliæ Episcopos rescripta. At inter Græcos nullum eiusmodi, vel tempus statum, vel occasio certa assignari potest, in qua denuo occæperit. Quapropter immemoriale prorsus censeri debet, atque adeò perpetuus, & ab antiquissimis sæculis acceptum. Sane si coniecturis indulgere etiam mihi fas est, festum hoc apud Græcos non esse ita antiquum, vt ad veteres illos Patres pertinuerit, ex eo comprobari posse credo: quia de reliquis sanctissimæ Deiparæ solennijs, quæ constat eorum tempore acta fuisse, extant quidem illorum grauissimæ Orationes, & Homiliæ. Nam de Natiuitate Virginis leguntur Homiliæ Ioannis Chrisostomi, Procli, Ioannis Damasceni, Iacobi Monachi, & Andreæ Cretensis. De Præsentatione eiusdem suppetunt etiam sermones Germani Episcopi Constantinopolitani, & Georgij Episcopi Nicomediensis: atque eius etiam meminerunt Euodius, Gregorius Nissenus, Simeon Metaphrastes, & alij Græci. De Annuntiatione extant quoque sermones Gregorijs Taumaturgi, Magni Athanasij, Andreę Hierosolimitani, Chrysippi, Hesichij. De Purificatione, quæ à Græcis sic inscribitur *Hipapante Domini nostri Iesu Christi*. habemus elegantem orationem Diui Gregorij Nazianzeni, quę inscribitur. *Ad sancta Lumina*, & aliam Timothei Hierosolimitani. De assumptione quoque non desideres nitidas valde orationes Sanctorum Athanasij, Epiphanij, Hisichij, Chrysippi, & Andreæ Hierosolimitani, Ephren Syri, Ioannis item Damasceni, ac Metaphrastis. Atqui de Immaculata Conceptione nullus apud veteres illos Patres inuenitur sermo, nulla oratio, imo nulla vel leuis mentio. Non leue igitur inde indicium quæritur ad probandum illos hoc festum prorsus ignorasse. Nefas enim est dicere agnitum neglexisse, aut præ despectu missum fecisse. Et quidem malo id fateri, festum hoc Immaculatæ Conceptionis per illud tempus non fuisse obseruatum, nec cultum, quam ita à Patribus illis prætermissum, & neglectum, vt nihil de ipso scribendum censuerint. At (inquies) scripsere etiam de hoc festo non pauca, sed hæc, quemadmodum alia plura, temporum iniurijs perierunt. Ita ne vt inter alia Deiparæ festa soli Conceptioni purissimæ acciderit, vt cuncta illius monumenta succedens tempus aboleuerit? Seruauit reliquorum festorum memorias Dei prouidentia, & huius festi omnem antiquam memoriam obruit? Fateor me adduci non posse, vt hoc credam.

Quid igitur sentiendum, inquies, de tempore quo festum hoc apud Græcos solenne haberi cœpit? Sane antiquior huius festi memoria apud Græcos, qua certo deprehendere liceat id ab ipsis seruatum, & cultum, ea est, quam exhibet Baronius in Martyrologio. Quod nimirum in manuscriptis Bibliothecæ Sfortianæ extat Leonis Imperatoris sermo de Conceptione num.65. & item alius Georgij Episcopi Nicomediensis: est etiam Constitutio Emanuelis Imperatoris, quam recitat Theodorus Balsamon in Nomocan. Photij tract. 7. ca. 1. vbi Imperator colendorũ festorum rationem, & numerum præscribens inter alia sic scrit. *Nono Decembris vt pote quod in eo peragatur Conceptio castissimæ Matris Dei nostri.* Sed enim Emanuel imperium Orientis tenuit per annum salutis 1143. vsque ad 1180. Illius item Georgij Nicomediensis nulla apud veteres scriptores mentio occurrit, vt propterea suspicari liceat illum recentiorem esse. Rursus de Leone illo satis liquet, non fuisse Isauricum, non Armenium Ecclesiæ, nec non etiam ipsius Mariæ hostes accerrimos. Fuit igitur inter cognomines suos sextus, qui Sapientis Imperatoris nomen indeptus est, floruitque apud Orientales circa annũ nongentesimum salutis nostræ: & hoc quidem, ni fallor, antiquissimũ est huius festi monumentum apud Græcos. Ex his vero, quæ statim subijciam §.5. satis constabit sub iisdem temporibus, pauló ante apud Latinos, Carolo Crasso in Gallia imperante, hoc festum inchoatum fuisse: vt propterea suspicari liceat Græcos simul, atque Latinos eodem tempore illud agere cœpisse, vt ex infra dicendis latius constabit.

Sunt tamen qui velint, Græcos Conceptionem Virginis non ideo coluisse, quia ipsam puram, & Immaculatam esse sentirent: ijdem enim in suo Menologio 24. die Septembris festum eiusmodi appingunt *Conceptio Ioannis Baptistæ*. & tamen Ioannes in peccato humana solennitate conceptus est. Itaque Græci sub eo nomine nihil aliud (inquiunt) celebrare videntur, nisi prolis denunciationem ab Angelo Zachariæ factam, & miraculum illud sterilitatis abolitæ: atq; adeò idem ipsum sub verbis illis. *Conceptio Annæ Dei, & Domini nostri auiæ.* concelebrasse purandi sunt: scilicet denuntiationem Angeli ad Ioachin, & Annæ sterilitatem sublatam. Nam in his per omnia similis fuit Ioannis, atque Mariæ Conceptio.

Occurrunt aliqui proferentes illud effatum Galatini προσυλληψιος αγνη, id est, *in Conceptione pura*, afferentes eam esse ger-

Marginalia: 24 — *Baron.* *Leo Impe.* *Geor. Nicomed.* — *Emanuel. Impe.* — 25 — *Menolog. Græcor.* — 26

se germanam illius inscriptionis lectionem: sed vt nuper dixi, non satis æquum reor Genebrardum in Græcis eruditiorem Galatino postponere: præterquamquod ipsiusmet textus incohærentia id etiam suadet, vt nuper dicebã. Quapropter inscriptiones per omnia similes esse non abnuo, sed tamen aio vnius, & alterius non eundẽ sensum apud Græcos. *Leo Imp.* Colligere vero id licet ex Leone Imperatore, quem nemini dubium esse debet, in concione illa de Virginis Conceptione, quæ seruatur in Bibliotheca Sfottiona, puritatem illius asseruisse, cum idem in alia de eiusdem Virginis Annuntiatione, quã noster Grethserus in lucem produxit, Immaculatæ Conceptionis nobilis assertor sit, cuius verba supra dedimus cap. 31. Itaque pro personarum diuersitate diuersa est eiusdem tituli sententia. Simile quid inuenire licet in Syriacis codicibus: nam Lucæ 1. Conceptio Ioannis Baptistæ sic inscribitur *Annuntiatio Zachariæ*, & infra, Conceptio Christi Domini sub hoc titulo simili exhibetur. *Ad Annuntiationem Deiparæ*. Sed personarum diuersitas vtriusque annunciationis diuersitatẽ, & dissimilitudinem arguit.

§. IIII.

27. Antiquitatẽ festi Cõceptionis ex Bedæ Martyrologio præfati Doctores aucupantur.
28. Verius est dictum festum à Beda agnitum non fuisse.
29. Idem de Vsuardi Martyrologio iudiciũ est.

27 *Beda.* DAMASCENO quidem fuit synchronos apud Latinos Beda venerabilis, ex quo etiam antiquitas huius festi peti solet. Quia nimirũ in eius Martyrologio legitur eodem die, quo ab Ecclesia celebrari solet. Sed vnde id accepit? *Hierony. Isidorus.* Excepit, inquiunt, vel ex Martyrologio Hieronymi, quem se nactum Beda ipse in prooemio testatur: aut ex Kalendario Diui Isidori; id enim sicut alia scripta Isidori, quorum maxime studiosus lector fuit, vidisse, & euoluisse putandus est: aut ex Græcorum Menologijs, quæ viro illi ad miraculum docto haud incomperta fuisse credibile est: vel si placet, potuit Beda id addiscere ex vsu Ecclesiæ Romanæ. *Vin. Bell. Guilliel. Halmes. Baronius Anton. de Yepes.* Nã sunt etiam, qui dicunt illum à Sergio primum, deinde à Gregorio 2. Pontifice Romã euocatũ. Consulendi hac de re Vincent. Belluacen. lib. 23. speculi c. 133. Guilliel. Halmesberiensis, & Baronius anno 731. & Anton. de Yepes tom. 3. Cent. 3. anno 731.

28 Cæterum vt dicam etiã, quod sentio, optarem potius aliquem Bedæ sermonem, vel Homiliam de hoc festo inter ipsius opera reperiri, quemadmodum de alijs Deiparæ festis, quæ sapientissimis concionibus prosequutus est. Sed quod mirari possis, cũ ex alijs sanctis ad comprobandam Virginis immunitatem à culpa originali non pauca testimonia mihi producere integrum fuerit: in vno Beda nihil occurrit, quod pro Immaculata Conceptione darẽ. Quin imo facilius apud Bandelum c. 10. quatuor, quinque ve testimonia contra puritatem Conceptionis reperias, quam vel vnum apud alium aliquem pro eadẽ puritate productũ. Itane ergo vt qui Conceptionem puram ex tot haustam monumentis in Martyrologium suum retulit, per tot volumina nunquam aliquid de Conceptione sparserit, vbi tot illi ad hanc rem natæ occasiones sese obtulere? Et sane ex his, quæ diximus per superiores Paragraphos, satis cõstat Bedam venerabilem hoc festum neque ex Hieronymi Martyrologio, neque ex Kalendario Isidori, neque ex Græcorum Menologijs excipere potuisse, cum in his nequaquam olim inscriptum fuisse non leuibus argumentis à nobis probatum sit. Idem ergo de Bedæ Martyrologio iudicium ferendum est, quod nuper in superiori §. de Græcorum Menologio censuimus. Nam cum hoc Martyrologium per plura sæcula in Anglicanis Ecclesijs legi, recitarique solitum constet, multa deinde in ipsum, annis labẽtibus, suffecta fuisse, certo certius est. Nam ipsummet Bedam inibi adscriptum, Thomam Cantuariensem, & alios minores per Martyrologium sparsos vbique videas. Et quidem ob hanc rationem, tam Galesinus, quam Baronius in Annotationibus ad Martyrologium, non solum cum de antiquitate huius festi satagunt, sed neque alibi, quod sciam, festi alicuius vetustatem ex Martyrologio Bedæ sibi petendam existimarunt.

Nec dispar ratio est de Martyrologio Vsuardi, quod Caroli Imperatoris Magni tẽpore editum fuit, & in Galliarum Ecclesijs 29 *Vsuardi Marty.*
ad hæc vsque tempora legitur, vbi similẽ admodum legere integrum est Sanctum Ludouicum Galliæ Regem, Sanctum Franciscum, Sanctum Dominicum, & alios innumeros Vsuardo posteriores, imo & festum Visitationis Sanctissimæ Deiparæ, quod in Basiliensi Concilio primũ demandatũ fuit, & deinde ab Vrbano sexto probatũ, & eiusmodi alia sexcenta noua prorsus, & recentia, vt propterea mirari non desinam aliquod antiquitatis argumẽtũ ex hoc Martyrologio deprõptum.

§. V.

30. Authoritas, & fides Epistolæ S. Anselmi ad Episcopos Angliæ valdè locupl es est.

31. *Exemplar illius Epistolæ de reuelatione facta Helsimo circa festum Conceptionis.*
32. *De tempore huius reuelationis.*
33. *Narrat Anselmus aliam reuelationem factam Episcopo Aquileæ de eodem festo.*
34. *Festum Conceptionis agi cœpit apud Latinos ab anno octingentesimo quadragesimo, vsque ad nongentesimum.*
35. *Sub idem tempus celebrari cœptum apud Græcos verisimilius est.*
36. *Absoluitur Epistola Anselmi, & narratur alia reuelatio facta cuidam Canonico circa idem festum.*
37 *De tempore huius reuelationis non constat.*



AM Igitur discere cupis, quonam tempore in Latina Ecclesia
30 Conceptionis Festum audiri cœperit. Profecto postquam omnia sedulus euolui, nihil vel antiquum magis, vel magis locuples occurrit, quam quod
Anselmus Anselmus in Epistola illa ad Episcopos Angliæ rescripsit. Sed operæ pretium est, vt de illius
Henricus Gand. Epistolæ authoritate aliquid initio præmittamus. Eius certe meminerunt Henricus de Gandauo, quodlib. 15. quæst. 23. sub annum
Bachon. salutis 1290. Ioannes Bachon anno 1340.
Thomas Argent. Thomas de Argenti. qui floruit anno 1350.
Caprolus. Ioannes item Capreolus anno 1410. & Pe-
Paludan. trus Paludanus, qui vixit anno 1330. om-
Gerson. nes quidem in 3. dist. 3. Adde etiam Gersonem in sermo. de Conceptione, qui floruit anno 1430. nullus autem ex his grauissimis Theologis de illius Epistolæ authoritate dubitauit. Accedit maior quidam consensus Breuiariorũ antiquorum in Hispania. Nam antequam Officium nouum secundum morem Ecclesiæ Romanæ exciperet nostra Hispania, nulla ferme erat Diœcesis, quæ proprium Breuiarium non haberet. Et cum alia satis dissimilia in tot Breuiarijs dispicere liceat, omnium hac in re erat mira consensio, vt lectiones, quæ in matutinis dicuntur, ex prædicta Anselmi Epistola depromerent. Vidi ego nonnulla, quorum mihi copia fuit: scilicet Carthaginense editum anno 1484. & aliud eiusdem Diœcesis purgatius excusum anno 1519. Vicense anno 1520. Placentinum anno 1500. Alij etiam referunt Hispalense, Cordubense, atque Segouiense. Quid plura? Prædictam Epistolã etiam libenter ad
Botius. mittunt Botius lib. 9. de signis Ecclesiæ
Baronius. cap. 8. & acerrimus antiquitatis censor, &
Concil. Cantuar. expensor Baronius in notis Martyrologij Romani. Sed quod caput est. Huius Epistolæ meminit Concilium Cantuariense celebratum anno 1320. Cuius verba infra dabo §. 6. & illam facile admittit: atq; adeò de illius fide ambigere non licet.

Ergo Diuus Anselmus Cantuariæ Archie- 31
piscopus vixit per annum 1081. tempore Vrbani secundi Pontificis. Hic ergo in sua illa Epistola triplex miraculum rescribit, quod huic festiuitati initium dederit. Primum quidem narrat his verbis. *Conceptio venerandæ Deigenitricis perpetuæ Virginis Mariæ, dilectissimi fratres, quemadmodum per multa signorum experimenta in Anglia, & in Francia, cæterisque climatibus mundi celebranda sit declarata, me narrante, audiat dilectio vestra. Tempore namque illo, quo diuinæ placuit pietati Anglorum gentem de malis suis corrigere, suæque seruitutis officijs arctius adstringere, gloriosissimo Normanorum Duci Guillielmo eandem patriam debellando subegit. Qui videlicet Guillielmus tunc temporis Anglorum, Dei virtute, & industria sua, totius Ecclesiæ dignitatis honores in melius reformauit. Cuius piæ intentionis operibus inuidens ille bonorum omnium inimicus Diabolus, tum familiarium fraudibus, tum extraneorum incursibus, multoties conatus est eius obsistere successibus. Sed Domino protegente, & timentem se Regem glorificante, ad nihilum deductus est malignus. Audientes autem Dacij, Angliam esse subiectam Normanis, grauiter sunt indignati, & suo quasi hæreditario iure priuati, arma parant, classem aptant, vt eos adeuntes, à data sibi diuinitus Patria expellant. Hoc comperto, prudentissimus Guillielmus Helsimum quendam religiosum Abbatem Remensis Cœnobij accersiuit, & in Daciam direxit, vt inquirat huius rei veritatem. At ille, vt vir admodum sagacis ingenij, strenuè Regis negotium exequitur: quo fideliter peracto, ad Angliam reuerti cupiens, mare ingreditur: Et cum iam maximam partem maris prospero cursu transijsset, subito densis surgentibus vndique ventis, horrida tempestas mare commouit, & vndas. Fatigatis igitur nautis, nec vltra iam obniti valentibus, fractis remis, funibusque ruptis, cadentibus velis, spes salutis amittitur, & nihil sibi, nisi subuersionis exitus miserabiliter expectatur. Cumque de salute corporum essent desperati, animarum solummodo magnis clamoribus salutem creatori suo commendabant, & beatissimam Virginem Mariam Deigenitricem, miserorum refugium, & desperatorum spem deuotissimè reclamabant. Et ecce subito conspiciunt quendam venerandæ habitudinis virum Pontificali infula decoratum, quasi inter medias vndas naui proximum. Qui vocans ad se Helsimum Abbatem his verbis alloquitur eum. Vis (inquit) periculum maris euadere? Vis in patriam tuam sanus redire? Cumque cum fletu id toto corde desiderare, & hoc solum expectare responderet. Sic ille: Scias me ad te à Domina nostra Deigenitrice Maria directum esse, ad quam dulciter reclamasti: & si dictis meis obtemperare volueris, sanus cum comitibus tuis euades imminens periculum maris.*

Ille

Ille vero illico spondet se ei in omnibus obtemperaturum, si hoc euadat naufragium. Promitte, inquit ille, Deo, & mihi, quod diem Conceptionis, & creationis Matris Domini nostri Iesu Christi solenniter celebrabis, & celebrandum prædicabis. At ille vt prudentissimus vir ait: Et quis dies in hoc festo celebrandus erit? Sexto, ait, idus Decembris hoc festum solennizandum tenebis. Et quo, inquit Abbas, Officio vtamur in Ecclesiastico obsequio? Omne, inquit, Officium, quod dicitur in eius Natiuitate, dicetur in eius Conceptione: excepto, quod nomen Natiuitatis mutabis in nomen Conceptionis. His dictis ille disparuit: & cito, sedata tempestate, Abbas incolumis concito flatu applicuit littoribus maris Anglicani: & quod viderat, & audierat, quibus potuit, notificauit. Statuit autem idem festum in Remensiensi Cœnobio celebrari, & ipse quandiu vixit, deuotis obsequijs celebrauit. Et nos igitur, fratres dilectissimi, si portum salutis volumus apprehendere, Deigenitricis Conceptionem dignis obsequijs, & officijs celebremus, vt ab eius filio digna mercede remuneremur. Hæc ille.

32 Si ergo fastos consulamus, præfatus Guillielmus Normandorum Dux accepto à Pontifice vexillo, susceptaque expeditione in Angliam, Regem occidit, & hac memorabili victoria totam sibi subiecit Angliam, vt scribit Polydorus Virg. quasi per 1066. Ex quo liquet eo primum tempore festum Conceptionis Immaculatę tã apud Normandos, quàm apud Anglos peragi cœptum, proxime ante illud tempus, quo epistolam illam scripsit Anselmus, qui statim subinfert secundum miraculum subiectis verbis.

Polydor. Vir.

33 *Rursũ hæc solemnitas alibi alio modo declaratur. Tẽpore nãq; Caroli Regis Francorũ Illustrissimi, Clericus quidã ordine Hungriæ Regis germanus, matrẽ Iesu toto corde diligens, eius horas solicitius decantabat. Parentum autem suorum consilio nubere volens, cum quadam adolescentula valde pulcherrima, accepta à Presbytero nuptiali benedictione, quadam die, Missa etiam celebrata, recordatus, quod eiusdem Beatissimæ Virginis horas illa die iuxta morem solitum non cantauerat, sponsam domum mittens, omnes ab Ecclesia exire coegit, & ipse iuxta altare Virginis solus remansit. Cumque horas Dominicæ matris decantaret: & hanc antiphonam, Pulchra es & decora filia Hierusalem, diceret: subito apparuit ei Virgo Maria cum duobus Angelis, dexteram ei manum, & lauam tenentibus, dicens ei. Si ego sum pulchra, & decora, quid est, quod dimittis me, & sponsam aliam accipis? Nunquid ego sum optime formosa? Nunquid ego sum pulchrior illa? Vbi vidisti tam pulchram? Cui ille stupefactus ait. Domina mea dulcissima, claritudo tua omnem mundi pulchritudinem excellit, & clarificat, quoniam tu es super omnes choros Angelorum exaltata, & super cœlos cœlorum eleuata. Quid vis Domina, vt faciam? Ait illa: Si sponsam carnalẽ, cui adhærere vis, amore mei dimiseris, me sponsam in cœlesti Regno habebis: & si Conceptionis meæ festum annuatim sexto idus Decembris solenniter celebraueris & celebrandum prædicaueris, mecũ in Regno filij mei laureatus eris. His dictis Beata Virgo disparuit: Clericus vero domum adire renuit, & absque parentum suorum consilio, ad Abbatiam quandam extra patriam illam perrexit, & ibidẽ monachali habitu decoratus est: & post tempus exiguum, meritis Beatæ Mariæ Virginis, Aquileiæ Episcopus Patriarcha factus festum Conceptionis B. Virginis die præfato, quandiu vixit, annuatim cum proprijs octauis diligenter celebrauit, & vbique celebrandum prædicauit.*

Anselm.

Nunc ergo nodus quidam se se offert explicandus: quis nimirum is Carolus fuerit, quo in Gallia regnante, pręscriptum miraculum contigit, à quo Conceptionis festum initium cepit. Profectò ante Anselmi ætatem prioribus sęculis quinque Caroli Gallis imperarunt. Primus quidẽ Carolus Martellus, per annũ salutis 720. Secundus Carolus Magnus, qui anno 800. Imperator renunciatus est, decessit 813. Tertius Carolus Caluus, qui Galliæ imperium obtinuit ab anno 840. vsq; ad 876. Quartus Carolus Crassus, qui regnabat ab anno 885. Quintus Carolus Simplex, qui regnum Francorum inijt anno 892. omnes isti ante Anselmum: reliqui enim Francorum Caroli, qui non pauci subinde fuerunt, Anselmo minores extitere. Videndum igitur de quo Carolo loquutus fuerit Anselmus. Imprimis ergo illud mihi exploratum videtur, neque de primo, neque de secundo Carolo ipsum loqui. Nam tempore secundi Caroli, qui Magnus inter alios fuit, tantum abest, vt Conceptionis festum iam tunc ageretur, vt Natiuitatis etiam Marianæ solennitas, ipso imperante, necdum celebrari cœpta fuisset, vt supra §. 2. præfati sumus. Quapropter ex alijs tribus Carolis alterum esse illum, de quo Anselmus loquitur, affifirmare oportet. Nec magna certe inter illos temporum dissimilitudo: omnes enim regnarunt ab anno 840. vsque ad annum 900. intra sexaginta videlicet annos. Et quidem non satis audeo ex his tribus aliquem ita præferre vt alium excludam: nullum enim mihi argumentum pro vnó occurrit, quod ad alium facile deflecti non queat. Cæterũ ex his vnum fuisse ex eo coniectari licet, quia sub idẽ tempus Conceptionis Immaculatę clari assertores esse cœperunt: nam eo tẽpore vixit eruditissimus, ac sanctissimus vir Idiota, qui suppresso nomine pia quædam opera scripsit, cuius inter alia extant Contemplationes luculentæ de Virgine Deipara. In his autẽ apertissimè Virginis immunitatẽ à peccato originali tradit, ita vt mihi persuadeã, Cõtẽplationes illas pro renata ab ipso cõpositas fuisse ad augendũ purissimæ Cõceptionis studium. 34

mas, & supremus in rebus sacris illius nationis arbiter, post maturam deliberationem præscriptas litteras ad omnes sibi subiectos Episcopos dedit, non suadens modo, sed, ni fallor, etiam præcipiens, vt festum Conceptionis in suis omnes Ecclesijs solẽniter agerent. Paruerunt omnes, neque enim fas est credere tanti viri vel consilium, vel præceptum aliquem detrectasse. Aucta est deinde temporis decursu apud Anglos in purã Virginis Conceptionem studiosa deuotio: atq; adeò in Concilio Oxoniensi, quod celebratum est, anno 1200. Festum Conceptionis denuo probatum, & inter alia relatum est Canon. 1. his verbis. *Et Festum Conceptionis B. Mariæ licet adhuc celebre non fuerit per vniuersum orbem.* Hic est Canonis tenor apud Crespicium in summa fidei Catholicæ. Sed aliter habetur apud Briniũ, & Suarium nostrum, scilicet in hunc modum. *Quod festa subscripta sub omni veneratione seruentur, videlicet omnes dies Dominici, quinq; dies natalitij, Circuncisio, Epiphania Domini, & omnia festa Beatæ Mariæ præter festum Conceptionis, cuius celebrationis non imponitur necessitas.* Sic Suarez in tom. 1. de Religione lib. 2. de obseruatione festorum. Rursus anno 1320. coactum fuit denuo in Anglia Cantuariense Concilium, & festum Conceptionis iterum grauissimis verbis probatum, & commendatum, quæ Ioan. Bachon quodlib. 3. quæst. 13. exhibet his verbis. *Quia in omnes sanctos memoria Beatissimæ Virginis, & matris Domini eo frequentius agitur, atque festiuius, quo maiorem gratiam apud Deum, qui eius Conceptionem prædestinatam ad vnigeniti sui temporalem originem veraciter ordinauit, creditur inuenisse venerabilis Anselmus, &c.* Ex his satis liquet vniuersam Angliam tantundem suo Anselmo detulisse, vt demandatum ab ipso festum numquam non tenuerit, ac religiose coluerit.

Concil. Oxonien.

P. Suarez

Conciliũ Cantuar.

Bachon.

41 At quid de Gallia dicendum? Imprimis missas facio coniecturas illorum, qui festum Conceptionis apud Gallos antiquissimum esse colligunt, vel ex Hieronymi Martyrologio, vel ex Isidori Missali, & Officio, quod in Narbonensi Gallia iam inde à priscis tẽporibus seruatum putant: quia horum, atque similium suspicionũ fundamenta supra euertimus §. 1. 2. & 3. Ad ea, quæ certiora sunt, contendo. Sane illud miraculum, quod in sua Epistola tertio loco narrat Anselmus, ad Galliam spectat: atque adeò cum asserat Canonicum illum ab inferis reducem Conceptionis festum solenniter, ac deuotè celebrasse, & celebrandam prædicasse, satis inde constat in Gallia ante Anselmum id festum agitari cœptũ ab his, quibus id miraculi fama, & præfati Canonici prædicatio persuasisset. Fortasse etiam ex illa Aquileiana scintilla aliquid etiam antiquius in Galliam redundauerat. Illud mihi exploratum est, principes Galliæ Ecclesias non facile ad hoc Festum celebrandum inductas fuisse. Nam tempore labente, postquam quinquaginta anni effluxerant, ex quo præmissam Epistolam Anselmus perscripserat (id enim spatij, aut interstitij inter Anselmum, & Bernardum intercessit) cum Canonici Ecclesiæ Lugdunensis, quæ inter alias Galliæ Ecclesias valde nobilis est, Conceptionis Immaculatæ festũ agere cœpissent, Beatus Bernardus seueram admodum Epistolam ad illos dedit, temeritati hoc vertens, quod id festi, non expectata Ecclesiæ Romanæ censura, ex propria authoritate, & marte ipsi actitarent. Sed hoc opus, hic labor est, quia de fide huius Epistolæ hac nostra ætate à quibusdam addubitari cępitũ: sane id ipse vellem, vt præclarum suæ opinionis fundamentũ aduersarijs eriperemus. Dicam tamen, quod sentio.

Bernard.

Proponam primum ea, quæ suadent eam Epistolam esse Bernardi, ac tandem siquid in ipsa difficile est, libræ committam. 42
Imprimis illud certum in omnibus etiam antiquissimis Bernardi editionibus hanc Epistolam inter eas referri, quæ ipsius propriæ, ac germanæ sunt. Item Guillotius Parisiensis, qui opera Sancti Bernardi acri admodum censura examinauit, cum alia tanquam spuria, & notha repudiauerit, de Epistola prædicta nihil statuit. Post Guillotium Posseuinus noster in Apparatu sacro, & Cardinalis Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis, Bernardi codices examinarunt, de hac Epistola ad Lugdunenses ne addubitarunt quidem. Deinde si ad antiquitatem lustrandam conuertamus oculos, mirum est, quanta consensione præfatam Epistolam Bernardi omnes exceperint, & coluerint. Albertus Magnus, Alexander Alensis, D. Thomas, Sanctus Bonauentura, Richard. & post illos omnes Scholastici Theologi ad vnũ eam citant in 3. dist. 3. Et Bernardo absq; vlla hęsitatione deferunt, non solum hi, qui Virginis Conceptionem puram fuisse abnuunt, sed etiã illi, qui illius puritatem studiosissime tuentur. Hi sunt Scotus, Gabriel, Holcot. Thomas de Argentina, Capreolus, Nicolaus de Nisa, Bartholomeus de Pisis, Dionysius Carthusianus, Ioannes Bachon. Franciscus de Mayron, Franciscus de Marchia, Landulphus, Borriton, & Borrillon, & alij quamplures in 3. dist. 3. quos difficile esset enumerando percensere. Hi enim omnes, quanuis immaculatam Virginis Conceptionem sibi pro suo quisque marte defensandam acceperint, nullus ausus est Bernardi testimonium infitiari, cũ tamen nihil æque forte aduersarij eo tẽpore producerent. Quin imo ex vetustis illis Scholæ Parisiensis Theologis Albertus in 3. sententiarum dist. 3. quest. 1. arti. 2. tradit in cætu, & consessu Doctorum Parisiensium paucis ante ipsum annis eam sententiam, quæ Virginis Immaculatam Con-

Guillot.

Posseuin.

Albertus Magnus. Alexand. D. Thom. D. Bona. Richard. Scotus. Gab. Hol. Tho. Arg. Capreol. Nicolaus Bachon. Bartholo. Dionysi. Carthu. Mayro. March. Landul. Borriton. Borrillon. Albertus Magnus.

ceptio-

ceptionem asserit, communi omnium calculo, & suffragio damnatam, & explosam fuisse. Ex quo etiam licet colligere præcipuũ eius censuræ fundamentum fuisse authoritatem Bernardi in ea Epistola, cui omnes tantum eo tempore deferebant, vt ei reluctari nefas ducerent.

43 Hæc sunt, quæ illius Epistolæ fidem, & authoritatem commendant. Cæterum sunt nostro tempore nonnulli, qui eam spuriam esse, & notham, nõ leuibus inducti rationibus asseuerant, quas libet per excursum examinare. Et quidem illud certum D. Bernardũ multo tempore à secretis vsum Nicolao quodam astutissimo simulatore, & falsitatum architecto peritissimo, qui videlicet Bernardi sigillum adulterauit, & non paucas literas falsas eius nomine ad grauissimos viros dedit. De quo ipsemet Bernardus in epist. 284. ad Eugenium PP. sic scribit. *Periclitati sumus in falsis fratribus, & multæ literæ falsatæ sub falsato sigillo nostro in manus multorum exierunt, & quod magis vereor, etiam vsque ad vos dicitur falsitas peruolasse. Hac necessitate abiecto illo, & nouello, quod cernetis de nouo, vtimur cõtinente & imaginem nostram, & nomen.* Nec propterea Nicolai dolos declinauit Bernardus: Nam in epistol. 298. nomen huius impostoris aperit, mores illius, & nouos astus describit, atque inter alia sic ferit: *Præter libros, denarios, & aureos multos, in ipso exitu eius inuenta sunt apud ipsum sigilla tria, vnum eius proprium, alterum Prioris, tertium nostrũ, ipsumque non antiquum, sed nouellum, quod & ob ipsius dolos, & furtiuas surreptiones mutare nuper coactus fueram. Hoc enim est, quod vobis tacito nomine scripsisse me memini, quia videlicet periclitati sumus in falsis fratribus. Quis possit dicere ad quammultas personas sub nomine meo, quæ voluit, scripsit? Quis mihi det, vt ipsa vestr Curia ad purum purgetur fæce mendaciorum eius?* Et alia attexit non pauca eiusdem argumenti. Quem statim cum Arnaldo de Brixia componit, & facile illi præponit: vt propterea Baron. tomo. 12. anno 1146. vbi has Nicolai fraudes narrat, illum virum fuisse apprime doctum conficiat, & qui scribendi stylum Diui Bernardi æmula imitatione ad amussim simularet.

Bernar.

Baron.

44 Hæc cum certa sint, an propterea licebit de Bernardi epistolis, & de ipsarum fide minus apte sentire, quasi liceat suspicari inter illas, aliquas Nicolai commentitias, & falsas esse inferras? Certè suspicioni huic si indulgere integrum sit, nulla manebit satis certa Bernardi epistola: cuilibet enim æquum erit super hac, vel illa, cum libitum fuerit, alias, & alias rationes comminisci, & Bernardo ademptas impostori tribuere. Nec satis erit agnoscere in ipsis Bernardi stylum, & phrasim, cum Nicolaus styli etiam præclarus æmulator fuerit. Minimè verò. Credendum enim est antiquos illos epistolarũ Bernardi collectores, aut selectores, tunc cũ erat recens rerum notitia, non parum operæ posuisse, vt germanas ab spurijs, & adulterinis secernerent, vt ipsas repurgatas, atque puras nobis darent. Quapropter graues admodum rationes (me iudice) afferre debet ille, qui post tot sæcula in tanta illorum temporum ignoratione aliquam epistolam Bernardo auferendam esse contenderit, ex his, quas veteres illi selectores, tanquam propriam ipsius receperunt, & ad nos transmiserunt. Præsertim quia, vt plerisque videtur, harum epistolarũ collector fuit Gotfridus Monachus Claræualẽsis, qui tertium de vita illius volumen edidit, & ipsi Bernardo viuenti affuit per tredecim annos: sic enim ipse scribit in prologo illius lib. 3. *Quem ab eius vberibus post annos circiter tredecim sola tandem, quæ sola potuit, mors auulsit.* Vel si ipse harum epistolarum conflator non fuit, saltem ex his, quæ dicit capite vltimo illius libri, constat suo tempore iam epistolas esse coactas, & conflatas. Nam inter alia Diui Bernardi opera numerat eius epistolas, & ex his maximè sanctissimi Abbatis vitam, moresque adumbrari affirmat. Cum ergo constet primos illos Diui Bernardi discipulos, qui illi multo tempore adfuerunt: & quibus Nicolai illius technæ, atque fraudes perspectæ fuerant, primos epistolarum compilatores extitisse, credendum est ab illis ex ipsismet Bernardi autographis, & exemplaribus productas, & ab alijs adulterinis, ac nothis singulari studio separatas. Hinc factum, vt cum alia quædam Bernardi opera in suspicionem venerint, ne de vna quidem illius epistola vnquam ab aliquo addubitatum fuerit. Quin imò Critici omnes, qui de operibus Bernardi hactenus censuerunt, cum tres classes operum efficiant, Epistolas ad primam, & maximè incorruptam reuocant, & Parisienses ipsi in Bernardi epistolis nihil à se mutatum asserunt. Nec verò ignoro in extremis editionibus additas fuisse 41. epistolas, quæ dicuntur ex antiquis Claræuallis originibus expromptæ. Hæ tamen reliquis ad calcem adiectæ sunt, vt propterea de prioribus nihil suspicari integrum sit.

Gotfrid.

Sed rationes expendamus, quibus præfatæ epistolę authoritas adimitur: non quidem omnes, neque enim omnes vim habent, sed præcipuas, & maximè robustas. Prima ergo, ac facile princeps est, quia hæc epistola in fronte hæc verba præmittit. *Vnde miramur, quod visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum mutare voluisse colorem optimum, nouam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.* Quibus verbis Bernardus festi huius, de quo agimus, vsum, & traditionem abnuit. Atqui, inquiunt, ignorare non potuit Bernardus vsum illius festi in tota Gallia satis celebrem: nec enim comperta ipsi esse non poterant Bedæ, Adonis, & Vsuardi Mar- 45

tyrologia, in quibus legebatur festum Conceptionis Immaculatæ, sed tum maximè Vsuardi à Caroli Magni temporibus in Gallicanis Ecclesijs recitari solitum. Ignorare etiam non potuit Galliæ Narbonensis morem, apud quam Isidori Kalendarium in vsu erat, & Missa de Conceptione iam tunc dicebatur. Adde etiam si placet: viderat quoque Bernardus Diui Hieronymi Martyrologiũ, quod certè videre potuit: quandoquidem alij

Calix. 2. ipso posteriores, videlicet Calixtus II. & Pe-

Pe. Equi. trus Episcopus Equillinus se vidisse, & legisse testatur. Certè facilè huic rationi acquiescerem, nisi Bernardus huius ignorationis plures socios haberet. Ignorauit primo hæc

Mauritio omnia Mauritius Parisiensis Archiepiscopus, qui Bernardo coæraneus fuit, de quo

Antisiod. Guillielmus Antisiodorensis, qui vixit anno 1230. in lib. 3. Summæ tract. 1. cap. 3. ita scribit. *Mauritius Episcopus Parisiensis probibuit, ne festum Conceptionis Mariæ celebraretur in Ecclesia Parisiensi.* Ex quo constat non fuisse solum Bernardum eo tempore, qui Conceptionis festum inhiberet. Ignorauit etiam hęc

Albert. omnia Albertus Magnus, Alexander Alen-

Alexan. sis, D. Thomas, D. Bonauentura, Richardus,

D. Thom. Henricus de Gandauo, ignorauit Schola to-

Bonauen. ta Parisiensis. Quis enim vel suspicari au-

Richar. deat, grauissimos istos Doctores ita seuere

Henric. de Conceptione Virginis pronunciaturos, si ea, quam authores isti sibi ex voto suo fingunt, tam constans, perpetuaque traditio de Conceptionis festo in Gallia tunc vigeret? Nonne omnes præfati authores in 3. dist. 3. vt ostendant Virginem in vtero matris sanctitate donatam, à Natiuitatis festo argumentati sunt? Ita sanè. Cur non etiam de Cõceptione eiusdem Virginis paria censuerũt ob simile argumentum à Conceptionis festo desumptum? Vel saltem cur eandem thesim multo robustius ex festo Conceptionis non comprobarunt? Id enim multo melius illam

Richar. ex vtero sanctificatam euinceret. Fateor Richardum loco citato, q. 1. ad hunc modum sibi ipsi obiecisse. *Multi Conceptionem Virginis solemnizant, nec reprehenduntur. Ergo videtur,*

D. Thom. *quod fuit sancta.* Cæterum Diuus Thomas 3. par. q. 13. nõ multos, sed *aliquos* dicit. Itē D. Bonauen. in eo loco sic habet. *Sunt quidam,*

Bonauen. *qui eam ex speciali deuotione celebrant.* Non ergo ex communi Ecclesiæ consuetudine, & vsu, sed priuato aliquorum studio hoc festum eo tempore agebant, quotquot agebant. Et de his accipiendus est Richardus. Sed quam pauci essent, qui eo tempore Conceptionis festum in Gallia celebrarent, ostendit Hen-

Henric. ricus de Gandauo in eo quodl. 13. q. 13. qui cũ afferat festum Conceptionis iam tunc eo tēpore à quibusdam agitari, non Gallos, sed Normandos produxit: vt propterea credendum sit Richardũ tunc cum dicit. *Multi Cõceptionis festum solemnizant*, non de Gallis, sed de exteris loquutum. Quid ergo? Asseremus ne omnes istos sapientissimos viros traditionem illam, & vsum Gallicæ Ecclesiæ vnà cum Bernardo ignorasse? An potius eam traditionem, & vsum nunquam fuisse? Te ipsum, lector, iudicē appello. Num etiam quia præfati authores id se ignorasse suis scriptis significarunt: ideò articulos illos, & quæstiones, quibus hęc ignoratio proditur, tanquam spurias repudiabimus? Adde etiam rationis istius neruos ex his, quæ supra diximus, elidi, per quæ constat satis festum Conceptionis, neque in Hieronymi Martyrologio, neque in Adone, Beda, aut Vsuardo, neq; in D. Isidori Kalendario, aut Missali olim fuisse, sed postmodum decursu temporis suffectum, & assutum.

Secunda ratio, qua huic epistolæ fides adimitur, ea est: quia cum alia omnia supra dicta Bernardum ignorasse fingamus, saltem Anselmi epistolam ad Angliæ Episcopos ignorare non potuit: imò potius hanc illi notam fuisse colligere licet ex illis verbis. *Sed profertur scriptum superna (vt aiunt) reuelationis. Quasi & quiuis non queat scriptum æque producere, in quo & Virgo id ipsum videatur mandare, & de parentibus suis?* Cæterum id argumenti leuius mihi videtur primo, quia ex his verbis non satis colligitur Bernardum epistolam Anselmi legisse: fieri enim potuit, vt tantummodo illi ea reuelatio obiecta fuerit, quam Anselmus tertio loco narrat, & in ipsamet Gallia Canonico cuidam contigisse tradit: hanc enim Gallis ipsis notam magis fuisse putandum est (quod vel ipsemet textus innuere videtur, qui vnius tantum reuelationis meminit, cum Anselmi epistola tres contineat.) Nec mirũ si nõ omnia Anselmi opera ad Bernardum peruenissent, cum ab Anselmo ad Bernardum vix quinquaginta annorum spatium intercesserit, & necdum eo tempore typi inuenti: atque adeò minor librorũ copia esset. Sed demus hoc etiam his censoribus, Anselmi epistolam ad Bernardi manus venisse: potuit certe non satis credere eam Anselmi esse, potuit etiam reuelationibus illis fidem non habere. An nouum, & insolens est Sanctos viros de vna, & eadem re disparia sentire? Sed quod caput est: cur non etiam hi authores ob similem ignorationem, Albertũ, Alexandrum, Diuum Thom. S. Bonauen. & Parisienses omnes redarguũt? Permittant si placet his grauissimis Doctoribus Bernardum socium: vt nimirum cum ipsis, aut prædictas reuelationes ignorauerit, aut easdem minime crediderit.

Tertia ratio, & quidē maximè fortis, producitur: quia cum Bernardus, non solùm de festi celebratione, sed etiam de ipsius Conceptionis mundirie, & puritate in ea epistola minus digna pronuntiet: constat certè, eum oppositum alibi docuisse. Extant enim illius duo sermones: alter, qui inscribitur de Natiuitate Domini, & est secũdus inter tres, quos

Margin (right column): 46 *Bernar.* (beside "Secunda ratio"); 47 (beside "Tertia ratio").

de hoc

de hoc themate conscripsit, quem sermonem ipsimet Parisienses de pura Virginis Conceptione inscribendum potius existimarũt: alter, cuius titulus est, *Sermo de Beata Maria:* qui similem ad modum (me iudice) de pura Conceptione inscribi deberet. In his ergo Virginem ab omni peccato originali immunem prorsus fuisse in sua Conceptione luculenter admodum tradit Bernardus. Quibus addendi etiam sunt sermones in *Salue Regina:* vbi etiam id ipsum clarissime profitetur. Sanè alius aliquis huic rationi facilè admodum occurreret affirmans, præmissos sermones non esse Bernardi: ea enim fuit sententia Parisiensium, ac propterea illos à reliquis seclusos in calcem, & appendicem operum Diui Bernardi reijciendos putarunt. Sanè si ex hoc vno penderet illius Epistolæ fides, & authoritas, libentius cum Parisiensibus sentirem, præfatos sermones non esse Bernardi: quam contra tot sapientissimos illos viros Theologorum proceres dicerem illam epistolam non esse illius germanum opus. Cæterum rigida valdè mihi videtur illa censura, quæ præmissos sermones tanto authore priuatos traducit. Noster quidẽ Posseuinus in Apparatu sacro illos inter alia opera Bernardi numerandos esse non abnuit: & acerrimus operum Bernardi censor Bellarminius Cardinalis, quamuis in tertio ordine, scilicet inter dubia opera dictos sermones ponit: tamen cum eo ex ordine aliostanquam spurios repellat, adiectis rationibus, quibus ad id existimandum inducitur, de illis sermonibus nihil dicit: non alia ex causa, nisi quia cum nihil ipsi occurreret, vnde illos iure Bernardo adimeret, ipsi relinquendos putauit. Et sanè ego ita mihi persuadeo prædictos sermones esse Bernardi, atque illis inter alios nobilem satis locum do: sed tum maximè duobus illis, quos de Conceptione pura inscribi posse nuper dixi. Nescio enim an inter D. Bernardi sermones alij sint, aut nitidiores, aut elegantiores. Quid ergo dicendum Bernardum sibi contrarium fuisse? Ita prorsus sentio. An Bernardus primus est inter Doctores sacros, qui sententiam, quam semel tenuit, decursu temporis mutauit? Nec mihi opus erit Augustini exemplum producere, qui suarum retractationum libros edidit: præsto sunt nobis in eadem materia grauissima exemplaria. Albertus Magnus, qui à sententia, quam docuit in 3. per quam Virginis Conceptionem impuram esse statuit, labauit quidem in tractatu pereleganti de laudibus intemeratæ Virginis Mariæ, vbi Virginem ab omni væ culpæ mortalis, venialis, & originalis liberam esse decreuit, cuius verba infrà suo in loco dabimus. Alexander Alensis, qui sententiam, quam in 3. contra Conceptionem immaculatam scripserat, mutauit etiam in libello illo aureo, quem posteà pro Conceptione Virginis edidit, & apud Tholosates adseruatur: vt suo etiam loco dicemus. Diuersus quoq; à se ipso D. Bonau. in 3. vbi Virginem in peccato originali conceptam asseruit: & in sermone de Laudibus eiusdem Virginis oppositum perspicuis verbis tradidit. Dissidet quoque à se ipso D. Tho. in Partibus, & in Sententiarijs. Denique sibi contrarius fuit ante Bernardũ D. Anselm. qui in libr. illo 1. *Cur Deus homo,* contra puram Conceptionem pronunciauit, & pluribus alijs in locis eandem studiosissime defendit. Dabimus autem horum omniũ grauissimorum Doctorum dissidia, suis quæque locis infrà in sæculorum censu. Cum hæc igitur ita sint: an forte iniuriam Bernardo irrogabimus, si illum in Anselmi, Bonauenturæ, atque Thomæ censum referamus? Minimè verò. An Bonauenturæ, Thomæ, & Anselmo id inuidebimus, vt Bernardum suæ inconstantiæ socium habeant? Tantum abest, vt ego hac in re Bernardum, & reliquos supra enumeratos sibi contrarios fuisse repugnem, vt potius id diuina prouidentia, ad eximiam Virginis Deiparæ gloriam factum crediderim, vt infrà dicam cap. 41. can. 6.

Posseuim. *Bellarm.* *Al. Mag.* *Alex. Al.* *Bonauen.* *S. Thom.* *Anselm.*

Quarta ratio ducitur ex nimia epistolæ seueritate, qua prædictos Canonicos obiurgat. Certè hanc seueritatem non esse à Bernardo alienam facile quiuis ex alijs illius epistolis coniectari poterit. Quin imò Gotfridus Monachus in eius vita cap. illo vltimo de hac styli seueritate in epistolis specialiter meminit. Addũt quintam rationem ex eo sumptam, quia author epistolæ contra Bernardi solennem vsum subtiliter admodum iuxta Scholarum morem agat. Quasi nõ occurrant in Bernardo plura subtiliora de Trinitate contra Gilbertum, & de alijs materijs contra Abailardum, & alios sui temporis hæreticos. Sextò desiderant Canonicorum Lugdunensium responsa ad Bernardum data. Quasi aliarum etiam epistolarum longè ista grauiorum inuenire liceat responsa. Desiderant etiam alias hac super re Bernardi epistolas. Imò potius si Bernardus, vt volunt, hanc epistolam non rescripsit, aliam magis necessariam, & opportunã desidero ego, in qua Nicolai de re tam graui imposturam aperiret. Mitto alias leuiores rationes de stylo, & de quorundam verborum obseruatione, quæ à Bernardo aliena videntur: vereor enim nedum hæc curiosius examinant, & vellicant, & tamen alijs validioribus rationibus illam epistolam Bernardo adimẽdam non euincunt, ipsius Bernardi iniurij exprobratores efficiantur. 48

Ad hæc illud obijciam, authores istos, cũ Nicolai illius fraudes, & cauillos extollunt, hoc argumento non parum illius astum, & dolos eleuare, vel potius opinioni suæ fidem adimere. Nam in eo certè ponenda est alicuius mendaciorum, ac fraudum architecti eximia ars, si ita res confingat, vt ea, quæ ad fallendum- 49

lendum dicit, veritatis speciem habeant. At si (vt volunt isti) propterea D. Bernard. hanc epistolā scribere non potuit, quia erat constans de festo Conceptionis vsus, & traditio apud Gallos: quia in Bernardo magnam earum rerum, quæ tunc vigebant, ignorationē arguit: & quia idem Bernardus cōtraria passim in suis cōcionibus vsurpabat: ob easdem certè rationes epistolam illam à Nicolao peritissimo fraudum, & dolorum artifice minimè cōfictam fuisse, deducere licet: nec enim credibile est rem illā tanta impudentia confinxisse, vt tam facilè posset mendacij insimulari. Denique de huius epistolæ authoritate me prorsus certum reddit id, quod iam subijcio: nam rationes præcipuas, quibus in ea epistola suadet Virginem in peccato originali fuisse conceptam, idem sibi similis repetit in ser. 2. de Assumptione Virginis, vbi sic habet. *Absit enim, vt proprij quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur. Quod si originalem à parentibus maculam traxit, sed minus à Hieremia sanctificatam in vtero, vt nō magis à Ioanne Spiritu Sācto repletā dicere, prohibet pietas Christiana. Hæc enim festis laudibus nascens celebratur, &c.* En qua ratione Bernardus in hoc sermone Virginem in peccato originali conceptam annuit, & eandem in vtero sanctificatam ijsdem argumentis conficit, quibus vtitur in ea epistola: nimirum ex similitudine Ioannis, & Hieremiæ, & ex festo Natiuitatis, quod in singulos annos agit Ecclesia. Iam ergo ab illis, qui hanc epistolam Bernardo adimunt, illud percontari liber, quid sibi velint. An non Bernardi authoritatem aduersarijs eripere contēdunt? Atqui ea epistola de medio sublata, restat adhuc sermo iste, in quo Bernardus paria dicit, ac sentit. Licebitne etiam sermonem istum Bernardo eripere, & alteri adscribere? Non puto alicuius authoris crisim vsque adeò acrem futuram, vt præfatum sermonem Bernardo auferendum credat, cū inter germana magis, ac propria illius opera censeatur. Si ergo non indignus eo authore sermo iste: nec etiam indigna erit epistola. Quin imò cum ex sermone constet Bernardum aliquando in ea fuisse sententia, vt Virginem in originali conceptam putaret, minimè mirandum est, si quandiù ita sentiebat, eam ad præfatos Canonicos epistolam dederit, vt ipsos à festi celebratione reuocaret.

Est igitur (me iudice) sarta, tectaque huius epistolæ authoritas, & fides incorrupta. Ex qua colligitur id, quod supra diximus, in Gallia festum Conceptionis à principibus Ecclesijs Bernardi tempore nondum vsurpatū: quandoquidem ipse Bernardus Lugdunenses Canonicos tam seriò incusat, atque eos non aliarum Ecclesiarum, sed paucorum hominum simpliciorum exemplum insequi affirmat. An verò authoritate Bernardi indu-

cti præfati Canonici festum illud agere desierint, non satis constat, nec aliquid suppetit, ex quo de huius rei euentu coniectari liceat. Ego quidem ita mihi persuadeo, Canonicos illos authoritate Bernardi conuictos illo tēpore festum deseruisse: tanta enim per vniuersam late Ecclesiam sanctitatis, & doctrinæ opinione pollebat Bernardus, vt crediderim illos suam sententiam, & studium Bernardi iudicio facilè postposuisse.

§. VII.

50. *Dissidium scriptorum circa historiam Gundisalui Episcopi Tolosani, qui primus Hispanis celebrandæ Conceptionis author fuit.*
51. *Dissidium hoc quale, ac quantum.*
52. *Ex confusione personarum profectum.*
53. *Distinguuntur personæ, & adimitur confusio.*
54. *Conceptionis festum celebrari cœptum in Hispania sub annum 655. vsque ad 800. antequam Græci, ac reliqui Latini illud agitarent.*

HACTENVS Certè in hoc capite subuertimus quidquid alij pro nostra Hispania protulerūt, vt in ea Conceptionis festum ab heroicis temporibus peragi cœptum ostenderēt: scilicet testimonium Flauij Dextri, & authoritatem Orosij elusimus, & quod etiam ex Myxtarabico Missali producebatur, argumentum refutauimus: ita vt videamur hanc gloriam nostris inuidere, quod Conceptionis Marianæ antiqui obseruatores, & cultores fuerint. Dum ergo antiqua monumenta euoluerem, vt aliquod pro gente nostra darem, quod eius in puram Conceptionem antiquum studium proderet: nihil locupletius inuenire licuit, quam id, quod tradit Bernardinus de Bustos in Officio Conceptionis, quod vt alias non semel dixi, Sixtus IIII. Romanus Pontifex probauit, & his, qui illud recitarent, gratias indulsit. Ibi ergo secunda die infrà Octauas lect. 4. sic scribitur. *De beato Gundisaluo Archiepiscopo Tolosano, qui propter singularem erga Dominam nostram deuotionem eius Capellanus nuncupatus est, legitur quod quotiescunque celebrabat, aderat ei Virgo benedicta. Cum autem in die Conceptionis eiusdem se ad sacrosancta Missarum solennia prepararet, apparuit illi Dei genitrix Maria, eique vnam mundissimam plantam niueo candore radiantem tradidit dicens: Scias Gundisalue me sine originali macula fuisse conceptam. Reue-* 50

Bernardinus de Bustos.

renter

raniter ergo festum intemeratæ Cōceptionis meæ celebrare procura. Archiepiscopus verò non surdus auditor compsuit pulcherrimum deConceptione Virginis tractatum, ordinauitque festum Conceptionis per totam Hispaniam solenniter celebrari, totoque vitæ suæ curriculo annuatim publicè de Cōceptione Beatæ Virginis omni, qua potuit, eloquentia perorauit. Hactenus Bustos. Et quidem sedulo inquirens alium aliquem, qui præfatæ historiæ mentionem faceret, vt illi quomodolibet fidem compararem, incidi in Pelbartum à Themesuar, qui lib. 4. Stellarij, par. 1. ar. 3. eandem, sed aliter narrat his verbis. *Ildephonsus Archiepiscopus Tolosanus, cui Beata Virgo sæpius apparebat, & obtulit ei de Paradyso vestem Sacerdotalem, quæ adhuc inibi seruatur, commisitque eidem, vt celebraret annuatim festum Conceptionis suæ: vnde ille tractatum composuit, in quo probat, ipsam sine originali conceptam fore: qui tractatus, siue liber ab ipso editus tantum Virgini complacuit, quod illi librum ipsum manu tenenti apparuit, & pro tali opere gratias egit.* Accedit etiam Tritemius, qui in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis hæc scribit. *Beatus Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus constituit, vt celebraretur solemnitas Virginis Mariæ ante natalē Domini, quæ iam obtinuit, vt per vniuersam Ecclesiam in honore purissimæ Conceptionis illius celebretur sexto idus Decembris.* Addit verò huius obsequij ergò à Virgine accepisse cœlitus cathedram, in qua doceret.

Pelbart.

Tritem.

51 Cum hæc legissem attentius, tantamque discordiam scriptorum mente voluerem, sedulo mecum agitaui, quid de hac historia censendum, & decernendum foret, vt tantam discrepantiam ad concordiam adducerem. Nam si nomen obserues eius, de quo historia loquitur, Bustos *Gundisaluum*. Pelbartus, & Tritemius *Ildephonsum* rescribit: si sedem animaduertas, Bustos certe, ac Pelbartus *Tolosanum Archiepiscopum*, Tritemius *Toletanum* asserit: si rei narratæ filum consideres; quamuis aliqua in Ildephonsum quadrent, pleraque tamen ab illo aliena sunt. Nam neque de pura Conceptione opus aliquod scripsit Ildephonsus, vt dicunt Bustos, & Pelbartus: neque de Conceptione orationes, aut homilias habuit, vt narrat Bustos. Nam cum sanctissimi huius Præsulis homiliæ non paucæ de Natiuitate, de Purificatione, & de Assumptione Virginis extent, nullus de Conceptione sermo legitur: neq; etiam quispiam de Ildephonso illud narrauit, quod scilicet illi Missas celebranti Beata Virgo semper adesset, neque planetam inter Missarum solennia, sed noctu ante matutinas horas Virginis dono accepit. Quod verò Tritemius de cathedra cœlitus Ildephonso missa scribit, ex ignoratione rerum nostrarum fluxit: siue quia forsan apud aliquem mendose pro casula cathedram legit: siue quia cum legisset, Virginem in cathedram descendisse, ex qua Ildephonsus ad populū verba faciebat, vti vera habet historia, non bene rem callens putauit cathedram ipsam Ildephonso à Virgine donatam. Item festum Expectationis cum festo Conceptionis confundit, ac permiscet Tritemius. Non parum etiam aberrat, cum dicit, istiusmodi festum ab Ildephonso demandatum: cū constet, illud ante Ildephonsum in Concilio Toletano X fuisse præscriptum. Denique multa sunt in eiusmodi historijs dissona, multa discordia. Quid ergo dicendum?

Sanè ego in eam sententiam pendeo, vt credam, scriptorum errorem ex eo fluxisse, 52
quia ex duabus historijs vnam, & ex duobus hominibus vnum sibi finxerunt: atque adeò, quæ vnius erāt, alteri vicissim dedere. Quam verò familiaris sit error iste confundendi, ac permiscendi personas antiquis historicis, nemo nescit. Si profana consulamus, illud satis obuium, veteres Scriptores ex pluribus vnum Herculem conflasse. Si adeamus sacra, illud etiam in promptu est, duos Zacharias, scilicet Ioannis Baptistæ patrem, & ex duodecim Prophetis alterum, ab interpretibus cōfuse permixtos. Aliqui etiam asseuerant eodem errore vnam Magdalenam factam similiter ex duplici, scilicet ex sorore Lazari, & ex ea, quæ in ciuitate peccatrix erat. Si Ecclesiasticas euoluamus historias, offerent certè nobis passim similes errores. Dabunt enim vnum ex duobus Iacobis, nimirū ex eo, qui Minor Iacobus inter Apostolos dictus est: & altero, qui inter Christi Discipulos fuit numeratus. Dabunt quoq; ex duobus Cyprianis vnum, scilicet ex Carthaginensi Episcopo, & ex altero, qui magicas artes ante conuersionem coluit. Mitto alia, & alia eiusdem deceptionis exempla, quæ nulli non comperta sunt. Ex hoc igitur tam vulgari, & aliàs consueto errore profectum puto, vt supra adscripti authores Gundisalui Archiepiscopi Tolosani, & Ildephonsi Toletani duas historias confusas, & indiscretas posteris dederint.

Quapropter vt confusa, mixtaque distinguamus. Dicendum est, Sanctum Ildephonsum Toletanum Antistitem nihil de festo Cō- 53
ceptionis demandasse, neque huius festi per id tempus, quo Ildephonsus vixit, aliquem in Hispania vsum fuisse, vt supra §. 2. non leuibus rationum momentis confirmaui. Deinde etiam dicendū, post Ildephonsum fuisse alium aliquem Gundisaluum, aut Gundisaluum: non quidem Toletanum Archiepiscopum (nullus enim in veterum Toletanorum Antistitum Catalogo occurrit, qui hoc nomine insignitus fuerit) sed Tolosanum, in quem ea omnia quadrant, quæ Bustos narrat in suo Officio. Hic enim sincerius historiam scripsisse, & Gundisaluum ab Ildephonso discretum dedisse videtur. Itaque Gundisaluo Tolosano id tantummodo commune fuit cū D.

12 texta, vt dociles animos facile ad credendum alliciant. Sed si penitius inspiciantur, non admodum firma sunt. Et quidem, vt ab Isidoro exordium sumam, illud certum, atq compertum est, Ildephonsum Toletanuum Archiepiscopum Isidori auditorem fuisse, & sub idem tempus non longo interuallo librū illum aureum de Parturitione, & Virginitate Mariæ scripsisse. Hic ergo, vt probaret Deiparam Virginem in vtero sanctificatam, aut etiam ab omni originis macula prorsus immunem fuisse, argumentum ducit ex Natiuitatis Marianæ festo, quod iam tunc in Ecclesia celebre erat: ait enim. *Sic & beata Virgo nisi in vtero sanctificata fuisset, minime eius* Ildephon. *Natiuitas colenda esset: nunc autem, quia ex authoritate totius Ecclesiæ veneratur, constat illam ab omni originali peccato fuisse immunem*. Si ergo iam tunc Immaculatæ Conceptionis festum perpetua traditione ab Apostolorum sæculo in Hispania adeò celebre erat, vt Doctores isti contendūt, cur non potius id festū ad thesim suam probandam assumeret, cum ex illo, tum fortius, tum etiam clarius, & luculentius id euinceret, quod volebat? Sane hoc argumentum adeò mihi difficile visum est, vt ei traditioni, etiamsi hoc impense vellem, non omnino possim acquiescere.

Obijciet quispiam Ildephonsum ex festo Natiuitatis propterea argumentū duxisse, 13 quia illud iam tunc vniuersa Ecclesia venerabatur: sic enim ait. *Nunc autem, quia ex authoritate totius Ecclesiæ veneratur*. Festum autem Conceptionis priuatim in Hispania agebatur. Sed tamen cum isti authores alias doceant, per illud tempus apud Græcos Conceptionis immaculatæ festum coli, idque ex eorum Menologio deducant, quod à Ioanne Menolog. Græcorū. Damasceno in eum ordinem redactum volunt, quo nunc à Græcis seruatur: cumque alias sentiant idem festum in Hieronymi, vel potius Eusebij, nec non etiam in Bedæ Martyrologio iā tunc expressum fuisse: profectò id satis erat, vt Diuus Ildephonsus ab illius festi celebratione argumentum peteret, Latinorum cum Græcis concordiā aduersarijs obijciens. Tum vel maxime, quia si rem attentius inspicias, Ildephonsi tempore Natiuitatis Marianæ festum nondum à tota Ecclesia receptum erat. Nam vt in superiori §. ostendimus, Caroli Magni, ac Ludouici Pij sęculo, postquam centum, & amplius anni ab Ildephonso abierant, Ecclesia Gallica illud prorsus ignorabat, & quod caput est, ne tunc quidē cum beatus Ildephonsus librum illum conscripsit, Natiuitatis Marianæ festū à Romana Ecclesia agebatur, vt docere videtur Baroni. Baronius in Martyrologio, vbi postquam aliorum sententiam præscripserat, qui affirmabant illud festum post Concilium Ephesinum à Græcis ad Latinos translatum, & ab Ecclesia Romana probatum, & receptū fuisse, subdit quidem in hunc modum. *Quantum autem ex Ecclesiasticis historijs compertum habemus, à Concilij Ephesini temporibus Beatissimæ Virginis cultum in dies toto orbe auctum, amplificatumque fuisse animaduertimus. Non tamen dicere præsumimus eo tempore institutam fuisse præsentem solemnitatem* (puta in Ecclesia Romana) *cum constet Gallicanam Ecclesiam etiam temporibus Caroli Magni, Ludouici Pij eam ignorasse*. Hæc ille probabiliter satis decernens, atque impossibile ducens, vt tam nobile festum ex tam longo tempore in Romana Ecclesia celebratum, ad Gallias non irrumperet.

Quapropter ego ita reor, hoc natiuitatis Marianæ festū, quemadmodū alia non pauca à Græcis ad Latinos sensim manasse, atq; Hispanicam Ecclesiam ante alias, pro veteri suo in Virginem studio, illud fuisse amplexatam. Quapropter illa beati Ildephon. verba. *Nunc autem ex authoritate totius Ecclesiæ Natiuitas Mariæ veneratur*, non ita accipienda sunt, quasi tota iam Ecclesia illud festum obseruaret, sed quia pluribus in locis iā tunc festum hoc agentes toleraret, atq; ipsa toleratione, & permissione annueret, ac confirmaret. Id vero satis duxit Toletanus Præsul, vt robustum inde argumentum sumeret ad Sanctificationem Virginis in vtero, imo ad immunitatem ipsius à peccato originali valide comprobandam, vt infra capite sequēti dicemus. Quod si illo etiam tempore Hispanica Ecclesia cum Græca similiter concordans Festum Conceptionis Immaculatæ ab Apostolorum temporibus, Ecclesia Romana hoc vidente, ac tolerante, agebat: cur non potius ab eo festo argumentum traheret noster Ildephonsus, hoc enim thesim ab ipso susceptam longe melius, ac firmius stabilire poterat? At dices fortasse Ildephonsum Græcorum consensum in celebrando Conceptionis festo ignorasse. Obijciam ego fieri etiam potuisse, vt eorundem concordiam in agenda Natiuitatis solennitate non agnouerit. Quapropter si alterum illi notum fuit, cur alterum ignotum eidem fuisse dicamus? vel si vtrunq; æque notum, aut ignotum dicimus, cur ex vno, & non ex altero argumentum produxit?

Quid ergo de superioribus testimonijs iudicij tandem ferendum erit? Imprimis illa 15 duo testimonia ex Flauio Dextro, & ex Paulo Orosio petita aliquis parum credulus facile abnegaret, & supposititia esse diceret. Nā quod ad Paulum Orosiū attinet, nullus, quod sciā, ex his, qui de illo scripserunt, eius Epistolæ, vel ad Eustochium, vel ad Heliodorum meminit: & stili etiam inelegantia à grauissimo illo viro abhorrere prorsus videtur. Ea vero, quæ de Flauio circumferuntur, ipsa etiam stili gracilitate nouitatē præseferunt, & hactenus in schedis, & in chartis habentur. Denique Marci Maximi Hymnus supra citatus nuper etiam productus, nescio,

an sa-

an satis locupletem authoritaté habeat: nam
per illud tempus, quo sanctissimus ille vir
floruit, artis Poeticæ (sed tum maxime apud
Iberos) vigebat splendor, & nitor: atq; adeò
non facile crediderim inelegantes illos, &
inconditos versus aliquando etiam in quan-
titate syllabica deerrantes eo tempore cons-
criptos fuisse à viro, quem inter nobiles Poe
tas recenset D. Isidorus. Sed tamē, quia cre-
dulus esse malo, quam indocilis, testimonia
quidē libens admitto: tamen authores istos
grauissimos non de Conceptione Virginis
sāctissimę locutos existimo (liceat sic dicere)
passiue, quatenus significat illibatum ipsius
in visceribus Annæ conceptum: sed actiue,
quatenus Christi Domini in ipsius Mariæ
vtero intemeratum itidem conceptum so-
nat. Luculētius dicam, per *Conceptionē Vir-
ginis Mariæ*, ipsam Verbi diuini Incarnatio-
nem accipiendam esse autumo. Nouum hoc
fortasse videatur. Sed tamen si illa testimo-
nia authoritatis aliquid habent, hoc sensu
donari debere prorsus reor.

16 Imprimis enim vocem illam Latinā, *Con-
ceptio*, vtramque significationē, tam actiuam,
quam passiuam sortiri nemo nescit, quemad-
modum Græca σύλληψις. Vnde Græci vt
Menolog. Græcorū. hanc vocis ancipitis amphibologiam tolle-
rent, in suo Menologio festum hoc, non Con
ceptionem Virginis, sed Annæ Conceptio-
nem appellant: sic enim inscribunt. *Concep-
tio Annæ Dei, & Domini nostri auiæ.* Deinde
præfectus illius nominis vsus, vt scilicet Con-
ceptio Virginis pro Verbi diuini Incarnatio
ne sumeretur, apud veteres tam Græcos, quā
Cyprian. Latinos, admodum solennis fuit. Cyprian.
in serm. de Natiuitate. *Quoniam sine tormen-
to peperit, quæ in Conceptione caruit voluptate.*
Et iterum: *O Virgo iusta, & omni iustitia ple-
nissima, cuius Conceptio singularis.* Quæ ver-
ba aliqui etiam perperam passiue accipiunt,
cum sint prorsus actiue capienda, vt ex con-
Basilius Seleuciæ. textu patet. Sanctus Basilius Seleuciæ Epis-
copus de Incarnatione etiam agens. *Quæ*
(inquit) *oratio imperuium Sacrosanctæ, castæq;
Conceptionis Mariæ pelagus penetrare queat?*
Egesippus Egesippus Hierosolimitanus Presbiter in
serm. 2. de laudibus Deiparæ *Tecum est* (in-
quit) *conditor omnium, tecum inquam, vt ex te
gignatur, tecum Conceptione, vt ex partu tuo ge-
neretur.* Et infra etiam non semel eodem no-
mine, haud dispari sensu vtitur. D. August. in
serm. 2. de Annuntia. Angelum sic loquentem
August. inducit. *Ne terrearis Mater Domini mei, ego
Conceptionis tuæ minister adueni.* D. Anselm.
Anselmus librum integrum scripsit sub hac inscriptio-
ne. *De Conceptione Virginis Mariæ, & de pec-
cato originali:* nimirum de Conceptione acti-
Chrisolo. ua. Mitto Chrisologum in serm. 2. & 3. de
Annuntiatione, qui Verbi Incarnationem
Virginis conceptum crebro admodum appel-
litat. Quinimo illud affirmare audeo, ante
Athanasium, & Nazianzenum, qui nomen
Incarnationis maxime celebrarunt, reliquos
Patres Christi in carnem aduentum Virginis
Conceptionem crebrius appellare solitos.
Sed quod caput est, in veteri Kalendario Ro *Martyr.*
mano, quod Genebrardus sub initium Com- *Rom.*
mentariorum in Dauidicos Psalmos adscri-
bit, Festū Incarnationis sub hac verborum
complexione scriptū erat, *Mariæ Conceptio,
& Filij Dei Annunciatio.*

Illud etiam interpretationem istam non 17
parum commendat, quod iuxta præfatā Con
ceptionis Virgineæ acceptionem, ea, quæ au-
thores illi testimonijs suis affirmant, verita-
tem continent cum antiquis traditionibus
maxime cohærentem. Imprimis enim An-
nunciationis, seu Incarnationis festū ab Apo
stolo Iacobo acceptum, mirifice semper ab
Hispanis obseruatum, & cultum, constantissi
ma nostræ nationis traditio est: quæ huic fe-
sto tantundem semper detulit, vt ipsi conce-
lebrando opportunitatem quærens, præter
eūm, in quo vniuersa illum Ecclesia colit diē
mense Martio, aliū ipsi consecrauerit deci-
mosexto Decembris sub hoc nomine. *Expe-
ctatio partus Deiparæ Mariæ*: ita enim cautū
in 10. Synodo Toletana Can. 1. Nec solum
apud Hispanos huius festi Apostolica tradi- *Concil.*
tio semper fuit, sed etiam apud alios. Nam *Tolet. 10.*
Diuus Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 5. *Augusti.*
hæc habet. *Sicut à maioribus traditum susci-
piens Ecclesiæ custodit authoritas, octauo kalen-
das Aprilis conceptus creditur.* (En quoque
Conceptionis vocabulum.) Extant etiam *Gregor.*
Gregor. Thaumaturgi, qui ab illis Apostolo- *Thauma.*
rum temporibus non longe abfuit, tres homi
liæ in hac festiuitate habitæ, quas in suo an- *Henricus*
tiquarum lectionum libro nobis dedit Hen- *Canisius.*
ricus Canisius ab Illustrissimo Cardinali Syr *Lynda.*
leto ex antiquis Græcorum promptuarijs pri
mum productas, & à Vuilielmo Lyndano la
tinitate donatas. Deinde id, quod Paulus *Paulus*
Orosius de puerperis dicit, quod scilicet im- *Orosius.*
plorata Virginis gratia, *& dies Conceptionis
eius* super easdem actus, ipsis mirifice subue-
niant, ne in partu periclitentur: satis cohæ-
ret cum solenni vsu, qui ad hæc vsque tempo-
ra viget. Est enim etiā his sæculis prægnanti-
bus admodum solenne, Missas de Incarna-
tione ante partum præmittere, & super eas-
dem initium Euangelij secundum Ioannem,
& ex Luca Euangelium. *Missus est Angelus
Gabriel*, recitare etiam vsus fert: ita vt hæc
videatur antiqua multorū sæculorum persua-
sio. Id etiam quod. Maximus de Conceptio- *Maxim.*
ne enuntiat, scilicet *auream* appellans, *& ab
omni labe liberam*, non satis me mouet: nihil
enim magis tritum apud Patres, quam Virgi
nis cōceptū, & partum illibatū, & immacu-
latū dicere. Sed quid quod *Natalitiū* vsurpat?
Id certe argumentum minoris est apud me.
Nā ex veteri Ecclesiæ vsu quodlibet festum
Natalitium appellari consueuit. Mitto innu-
mera Patrum exempla, quia sunt obuia. D.

Leo

Leo Papa *Natalem* cathedræ S. Petri dixit, & D. Augustinus *Natalem* Sanctæ Crucis, & alij passim hoc nomine vti solent.

18 Illud vero argumentum, quod ex Missali Mixtarabico Diui Isidori depromitur, facile admodũ diluitur. Respondeo enim, Missam illam, quæ pro Conceptionis festo inibi habetur, subinde temporum decursu additã fuisse. Reperitur etiam Missa de Conceptione in Missali Ambrosiano, quod Mediolani olim in vsu fuit: an propterea licebit etiam dicere eã Missam ab Ambrosio primũ inuentam? Minime vero. Sed instant illi, qui hoc argumento vsi sunt, & obijciunt nobis testimonium Ambrosij de Morales, qui omnium optime de authoritate Mixtarabici Missalis agit lib. 2. cap. 19. vbi docet illud ad nostra vsque sęcula ea puritate perductum, qua fuit primum ab Isidoro conscriptum: quanuis enim lapsu temporis aliqua eidem addita, & denuo suffecta sint, tamen ea priorum integritatem non vitiarunt. Addunt etiã ex propria obseruatione in illius Missalis Kalendario aliquos sanctos reperiri ex his, qui post Isidorum floruerunt, tamen nullum esse, qui propriam Missam inibi habeat, sed omnes ad cõmunia reuocari. Cæterum præterquam vix credibile est, ex tam longo tempore, ex quo præfatũ Missale in Hispania legi cœpit, nullã denuo Missam illi insertam fuisse, idq; incuriæ quodãmodo gentem nostram arguit. Oppositum expresſius tradit Eugenius de Robles in vita Illustrisſimi Card. Francisci Ximenez de Zisneros, qui semel quidem ita scribit. *Notandum est in impresſione, quam fieri iusſit Illustrisſimus Cardinal. Franciscus Ximenez, & in translatione Gothici textus in Latinum, plerosque è sanctis Officij Toletani veteris eũ addidisse, & cũ Sanctis Gothicis miscuisse.* Deinde aliquot festa enumerat, quę in Mixtarabico integrum Officium, & Missam habent, & in his Conceptionis festum censens, ita fatur. *Primo Natiuitas Domini nostri, Circuncisio, Epiphania, Festum Corporis Christi, Paschatis dies, Ascensionis, & Pentecostes, Natiuitas Beatæ Mariæ, eius Cõceptio, & Annunciatio vocata D. Maria de O. Purificatio, & Assumptio. Quædam ex his festis desumpta sunt ex antiquo Officio Toletano.* Hæc ille ad verbum ex Hispano restituta, vt exhibentur in extrema editione Bibliothecæ Patrum tom. 2. Auctarij. Quod si roges, quænam ex præfatis festis ex antiquo Toletano Officio in Isidori Missale relata fuerint, in promptu quidem illa sunt. Scilicet Festum Corporis Christi, & Festum Conceptionis Beatę Mariæ. Nam reliqua antiquiora sunt. Vbi illud adnota, Festũ Corporis Christi, quod longo tempore post Isidori ætatem in Ecclesia peragi cæpit, nunc etiã in Missali Mixtarabico plenum Officium habere. Adhæc, in pręfato Missali pro festo Conceptionis legitur Euangelium illud. *Extollens vocẽ quædam mulier, &c.* quod ex solenni superiorum temporũ vsu ante Pium V. assumptum videtur. Ita vt vel ex eo suspicer Missam illam satis nouam esse, quia vt §. superiori diximus, vsus illius Euangelij in Festo Conceptionis non est valde antiquus. Quapropter eũ, qui præfatũ festũ in Missale Mixtarabicũ retulit, siue is fuerit Cardinalis Franciscus Ximenez, qui pro sui ordinis in Cõceptionẽ Virginis Immaculatam studio fortasse hoc præstitit: siue alius aliquis, eũ certè non valde antiquum esse constat. Suppetit autem mihi exemplum per omnia simile ex Missali Ambrosiano, cuius exemplar satis vetus Episcopus Dominus Arias Gallego in collegio Murtiano reliquit, in quo id ipsum videre licet, seruato etiã Natiuitatis Euangelio. *Liber generationis Iesu Christi*, vt vel ex hoc censeam, Missam illam antiquiorem esse, quam eam, quæ in Mixtarabico modò est.

Ambrosij Missale.

Moral.

Eugenius Robles. Cardin. Francis. Ximenez.

§. III.

19. *Martyrologium D. Hieronymi non est diuersum à Romano.*
20. *Præfati authores ex Martyrologio S. Hieronymi antiquitatem festi Conceptionis nõ solidè probant.*
21. *Assumunt etiam probationem ex Menologio Græcorum, quod à Damasceno cõditũ volunt.*
22. *Hoc Menologium festum Conceptionis ne Damasceni quidẽ tẽpore celebratũ probat.*
23. *Hoc festum apud Græcos non esse immemoriale, nec valde antiquum, ex eorum monimentis suadetur.*
24. *Quæ sit prima huius festi mentio apud Græcos.*
25. *Non ideò à Græcis Conceptionem Virginis olim celebratam fuisse, quia ipsam Immaculatam sentirent, aliqui afferunt.*
26. *Confutatur illorum assertum.*



HIS Igitur exclusis, ad ea, quæ sequuntur tempora faciamus gradum. Qui festi huius antiquitatem vestigant, illud audacter dicunt, Conceptionem Virginis in Martyrologiũ Hieronymi olim adscriptam fuisse. Et quidem Hieronymus vel Martyrologiũ ipse scripsit, vel, quod ab Euseb. Cæsari. prius conscriptum fuerat, partim conuertit, partim auxit. Vide Molanum in Vsuardo, Petrum Galesinum, & Baronium in annotationibus ad Romanum Martyrologium. Baronius enim in eã sententiã discedit, vt putet Martyrologium Romanum ipsisſimũ esse Hieronymi Martyrologium, quod subinde labentibus 19

Hierony. Martyr.

Molanus Galesin. Baronius

tibus sæculis relatis in ipsum pluribus Sanctis auctum, locupletatumq; fuerit: existimat enim id accidisse, quod Molanus in tract. de Martyrologijs c. 2. sibi objicit in hunc modũ. *Quæres quidem an recte Vsuardi Martyrologium titulo Sancti Hieronymi citari possit, cur non? Nam sicut Latinæ linguæ dictionaris quantumcunque aucta Calepini sibi nomen retinent. Ita etiam Martyrologium istud quidem in citando decorari possit titulo Sancti Hieronymi.* Quod longe melius de Romano Martyrologio enunciari poterit: nam quis credat tam nobile Hieronymi opus prorsus interijsse, cum alia minus digna ab interitu fuerint vendicata? Sane rationi admodum consentaneũ est hoc credere, Ecclesiam Romanam tanti Doctoris opus prætulisse alijs: atque adeò illud in suis Officijs vsurpare cœpisse, & subinde temporum decursu relatis in illum alijs tunc sanctis, tunc festis, anctius, & locupletius redditum fuisse. Hæc sane omnia nemo non credat, & amplectatur: quæ sequuntur, difficiliora sunt.

Molan.

20 Subijciunt ergo, Hieronymum Conceptionis festum in suum Martyrologiũ conjecisse, quod aliquibus suspicionibus fulciri posse dicunt: sed tamen præcipua, ac verosimilior ea est. Quia D. Hieronymus Martyrologium scripsit in Syria: apud Syros autem festum Conceptionis ab ipso Apostolorũ tempore celebre fuisse pro certo habent, atque adeò id festũ ab ipso in Martyrologium suum relatum haud dubitandũ esse dicunt: tũ vel maxime, quia probabile est Hieronymũ Martyrologiũ suum pro ipsismet Syris, apud quos degebat, scripsisse, vt ab illis legeretur, & obseruaretur: atq; adeò non potuit non eorum festa, & solennitates eo volumine complecti. Cæterum cum ex dictis sup. §. 1. satis constet non satis probari Conceptionis Marianæ festum à Syris olim obseruatum, & cultũ, tota hæc suspicio, & cõiectura prorsus euanescit. Alias vero rationes, aut congruitates, quibus præmissam coniecturam fulcire conanrur, libens prætereo, quia leuiores sunt, & subruto principali fundamento, suopte nutu cõcidũt.

Henri.

21 Post Hieronymũ ad festi huius vetustatem demonstrandã solidiori fundamento euocari solet Græcorũ Menologiũ, in quo non eo die, quo à nobis colitur, sed postridie, scilicet, quinto idius Decẽbris Conceptionis Marianæ festũ hoc verborũ cõplexione proponitur. *Conceptio Annæ, Dei, & Domini auiæ.* Sic conuertit Genebrardus: sed tamen Galatinus 7. de Arcanis c. 5. & ex illo noster Gabr. Vazq. loco supra citato, ita in Græcis haberi dicit. πρ & συλλήψεως 'αγνης. Quod sic conuertit Galatinus. *Ante Conceptionem pura.* Sed tamen, ni fallor, mendose citatur hic locus à Galatino, quia modus ille loquendi non satis aptus videtur ad notandum festum in Kalendario: & si priora verba sic efferantur, non bene cohærent cum sequentibus illis. *Dei, ac Domini nostri auiæ.* Neq; licet etiã dicere illud [illegible], tai quam vocẽ vnam decompositã accipi debere: quia cũ sit in gignendi casu, cum sequenti voce [illegible], necti non potest. Quapropter cum Græca exemplaria nobis non suppetant, & Genebrardus in Græcis eruditior, & locupletior testis sit, illi potius fidem habendam puto: tum vel maxime, quia in Menologio alio, quod est apud Hẽricum Canisium hoc festum sincerius inscribitur hoc modo. *Cõmemoratio Conceptionis Sanctæ Annæ Matris Deiparæ Mariæ.* Quod si antiquitatem huius Kalendarij, quo Græci vtuntur, discere cupis, certe præmissus Galatinus Damasceno tribuendum putat, cui alij plures subscribunt. Nullum alium comperi huius rei authorem, nisi paucos alios, qui Galatinum citant: sed tamen facile his acquiesco: constat enim aliunde Ioannem Damascenum Officiorum Ecclesiasticorum bonum suo tempore formatorem fuisse: atq; adeò fieri potuit, vt prefatum Kalendarium, vel primus cõflauerit, vel saltẽ correxerit, ac repurgauerit. Nihil tamẽ se præstitisse putãt suprad cti authores, si Damasceni tẽpore hoc festũ purissimæ Cõceptionis inchoatũ ex hoc Kalendario euincãt: dicũt enim sanctissimũ illũ Doctorẽ id in Kalendariũ retulisse, non quod ipse primus inuenerat, sed quod à maioribus acceperat. Nã cũ ipse etiã Damas. Syrus esset, & KalendariũSyris daret, nõ potuit nõ antiquũ Syriæ festũ in aliorũ censum referre.

Menolo. Græc.

Galatin. Vazq. Genebr.

Hen. Ca. Damasce.

22 Profecto authores isti nunquam non ad ardua, & difficilia adspirare nituntur. Imprimis ergo coniecturæ illius, quæ à Syriacis codicibus petitur, leuitatem supra dedimus §. 1. atque adeò nihil ex ea robustum satis confici potest. Quinimo affirmare ausim, ne id quidem ex præmisso Grecorum Menologio ostendi, quod Damasceni tempore Conceptionis festum agitari cœperit, quia nemini non exploratum est, quædam festa in Menologio legi, quæ post Damascenum celebrari cœpta sunt: nam vndecima die Octobris proponitur celebritas quædam his verbis. *Septima Synodi Nizenæ aduersus Iconomachos Copronimum, & Episcopos ei fauentes exterabili quodam conciliabulo.* Hæc autem Synodus iam tunc post Damasceni obitum celebrata fuit, vt ex temporum rationibus colligit Baronius tom. 8. & eodem die inscribitur Theophanes Episcopus Nizeç qui cæsus est flagellis, Theophilo imperante, & deinceps sublato Theophilo, crearus est Episcopus Nizeæ sub obitum etiam Sancti Ioannis Damasceni. Et tertio item die Aprilis exhibetur Nizetas Abbas, & hic etiam Damasceno minor, qui sub Leone Armeno passus est. Prætereo alios non paucos, qui simili modo, post Damascenum floruerunt, & tamen deinceps lapsu temporis in Menologium Græcorum relati sunt. Quemadmodum ergo hos, atque illorum solen-

Baronius

se germanam illius inscriptionis lectionem: sed vt nuper dixi, non satis æquum reor Genebrardum in Græcis eruditiorem Galatino postponere: præterquamquod ipsiusmet textus incohærentia id etiam suadet, vt nuper dicebã. Quapropter inscriptiones per omnia similes esse non abnuo, sed tamen aio vnius, & alterius non eundẽ sensum apud Græcos.
Leo Imper. Colligere vero id licet ex Leone Imperatore, quem nemini dubium esse debet, in concione illa de Virginis Conceptione, quæ seruatur in Bibliotheca Sfortiona, puritatem illius asseruisse, cum idem in alia de eiusdem Virginis Annuntiatione, quã noster Grethserus in lucem produxit, Immaculatæ Conceptionis nobilis assertor sit, cuius verba supra dedimus cap. 31. Itaque pro personarum diuersitate diuersa est eiusdem tituli sententia. Simile quid inuenire licet in Syriacis codicibus: nam Lucæ 1. Conceptio Ioannis Baptistæ sic inscribitur *Annuntiatio Zachariæ*, & infra, Conceptio Christi Domini sub hoc titulo simili exhibetur. *Ad Annuntiationem Deiparæ*. Sed personarum diuersitas vtriusque annunciationis diuersitatẽ, & dissimilitudinem arguit.

§. IIII.

27. Antiquitatẽ festi Cõceptionis ex Bedæ Martyrologio præfati Doctores aucupantur.
28. Verius est dictum festum à Beda agnitum non fuisse.
29. Idem de Vsuardi Martyrologio iudiciũ est.

27 *Beda.* AMASCENO Quidem fuit synchronos apud Latinos Beda venerabilis, ex quo etiam antiquitas huius festi peti solet. Quia nimirũ in eius Martyrologio legitur eodem die, quo ab Ecclesia celebrari solet. Sed
Hierony. Isidorus. vnde id accepit? Excepit, inquiunt, vel ex Martyrologio Hieronymi, quem se nactum Beda ipse in proœmio testatur: aut ex Kalendario Diui Isidori: id enim sicut alia scripta Isidori, quorum maxime studiosus lector fuit, vidisse, & euoluisse putandus est: aut ex Græcorum Menologijs, quæ viro illi ad miraculum docto haud incomperta fuisse credibile est: vel si placet, potuit Beda id addiscere ex vsu Ecclesiæ Romanæ. Nã sunt etiam,
Vin. Bell. Guilliel. Halmesb. Baronius Anton. de Yepes. qui dicunt illum à Sergio primum, deinde à Gregorio 2. Pontifice Romã euocatũ. Consulendi hac de re Vincent. Belluacen. lib. 23. speculi c. 133. Guilliel. Halmesberiensis, & Baronius anno 731. & Anton. de Yepes tom. 3. Cent. 3. anno 731.
28 Cæterum vt dicam etiã, quod sentio, optarem potius aliquem Bedæ sermonem, vel Homiliam de hoc festo inter ipsius opera reperiri, quemadmodum de alijs Deiparæ festis, quæ sapientissimis concionibus prosequutus est. Sed quod mirari possis, cũ ex alijs sanctis ad comprobandam Virginis immunitatem à culpa originali non pauca testimonia mihi producere integrum fuerit: in vno Beda nihil occurrit, quod pro Immaculata Conceptione darẽ. Quin imo facilius apud Bandelum c. 10. quatuor, quinque ve testimonia contra puritatem Conceptionis reperias, quam vel vnum apud alium aliquem pro eadẽ puritate productũ. Itane ergo vt qui Conceptionem puram ex tot haustam monumentis in Martyrologium suum retulit, per tot volumina nunquam aliquid de Conceptione sparserit, vbi tot illi ad hanc rem natæ occasiones sese obtulere? Et sane ex his, quæ diximus per superiores Paragraphos, satis cõstat Bedam venerabilem hoc festum neque ex Hieronymi Martyrologio, neque ex Kalendario Isidori, neque ex Græcorum Menologijs excipere potuisse, cum in his nequaquam olim inscriptum fuisse non leuibus argumentis à nobis probatum sit. Idem ergo de Bedæ Martyrologio iudicium ferendum est, quod nuper in superiori §. de Græcorum Menologio censuimus. Nam cum hoc Martyrologium per plura sæcula in Anglicanis Ecclesijs legi, recitarique solitum constet, multa deinde in ipsum, annis labẽtibus, suffecta fuisse, certo certius est. Nam ipsummet Bedam inibi adscriptum, Thomam Cantuariensem, & alios minores per Martyrologium sparsos vbique videas. Et quidem ob hanc rationem, tam Galesinus, quam Baronius in Annotationibus ad Martyrologium, non solum cum de antiquitate huius festi satagunt, sed neque alibi, quod sciam, festi alicuius vetustatem ex Martyrologio Bedæ sibi petendam existimarunt.

Nec dispar ratio est de Martyrologio 29 *Vsuardi Marty.*
Vsuardi, quod Caroli Imperatoris Magni tẽpore editum fuit, & in Galliarum Ecclesijs ad hæc vsque tempora legitur, vbi similẽ ad modum legere integrum est Sanctum Ludouicum Galliæ Regem, Sanctum Franciscum, Sanctum Dominicum, & alios innumeros Vsuardo posteriores, imo & festum Visitationis Sanctissimæ Deiparæ, quod in Basiliensi Concilio primũ demandatũ fuit, & deinde ab Vrbano sexto probatũ, & eiusmodi alia sexcenta noua prorsus, & recentia, vt propterea mirari non desinam aliquod antiquitatis argumẽtũ ex hoc Martyrologio deprõptum.

§. V.

30. Authoritas, & fides Epistolæ S. Anselmi ad Episcopos Angliæ valde locuples est.

31. *Exemplar illius Epistolæ de reuelatione facta Helsimo circa festum Conceptionis.*
32. *De tempore huius reuelationis.*
33. *Narrat Anselmus aliam reuelationem factam Episcopo Aquileæ de eodem festo.*
34. *Festum Conceptionis agi cœpit apud Latinos ab anno octingentesimo quadragesimo, vsque ad nongentesimum.*
35. *Sub idem tempus celebrari cœptum apud Græcos verisimilius est.*
36. *Absoluitur Epistola Anselmi, & narratur alia reuelatio facta cuidam Canonico circa idem festum.*
37 *De tempore huius reuelationis non constat.*

---

30 IAM Igitur discere cupis, quonam tempore in Latina Ecclesia Conceptionis Festum audiri cœperit. Profecto postquam omnia sedulus euolui, nihil vel antiquum magis, vel magis locuples occurrit, quam quod Anselmus in Epistola illa ad Episcopos Angliæ rescripsit. Sed operæ pretium est, vt de illius Epistolæ authoritate aliquid initio præmittamus. Eius certe meminerunt Henricus de Gandauo, quodlib. 25. quæst. 23. sub annum salutis 1290. Ioannes Bachon anno 1340. Thomas de Argenti. qui floruit anno 1350. Ioannes item Capreolus anno 1410. & Petrus Paludanus, qui vixit anno 1330. omnes quidem in 3. dist. 3. Adde etiam Gersonem in sermo. de Conceptione, qui floruit anno 1430. nullus autem ex his grauissimis Theologis de illius Epistolæ authoritate dubitauit. Accedit maior quidam consensus Breuiariorũ antiquorum in Hispania. Nam antequam Officium nouum secundum morem Ecclesiæ Romanæ exciperet nostra Hispania, nulla ferme erat Diœcesis, quæ proprium Breuiarium non haberet. Et cum alia satis dissimilia in tot Breuiarijs dispicere liceat, omnium hac in re erat mira consensio, vt lectiones, quæ in matutinis dicuntur, ex prædicta Anselmi Epistola depromerent. Vidi ego nonnulla, quorum mihi copia fuit: scilicet Carthaginense editum anno 1484. & aliud eiusdem Diœcesis purgatius excusum anno 1519. Vicense anno 1520. Placentinum anno 1500. Alij etiam referunt Hispalense, Cordubense, atque Segouiense. Quid plura? Prædictam Epistolã etiam libenter admittunt Botius lib. 9. de signis Ecclesiæ cap. 8. & acerrimus antiquitatis censor, & expensor Baronius in notis Martyrologij Romani. Sed quod caput est. Huius Epistolæ meminit Concilium Cantuariense celebratum anno 1320. Cuius verba infra dabo §. 6. & illam facile admittit: atq; adeò de illius fide ambigere non licet.

Anselmus · *Henricus Gand.* · *Bachon.* · *Thomas Argent.* · *Caprolus.* · *Paludan.* · *Gerson.* · *Botius.* · *Baronius.* · *Concil. Cantuar.*

Ergo Diuus Anselmus Cantuariæ Archiepiscopus vixit per annum 1081. tempore Vrbani secundi Pontificis. Hic ergo in sua illa Epistola triplex miraculum rescribit, quod huic festiuitati initium dederit. Primum quidem narrat his verbis. *Conceptio venerandæ Deigenitricis perpetuæ Virginis Mariæ, dilectissimi fratres, quemadmodum per multa signorum experimenta in Anglia, & in Francia, cæterisque climatibus mundi celebranda sit declarata, me narrante, audiat dilectio vestra. Tempore namque illo, quo diuinæ placuit pietati Anglorum gentem de malis suis corrigere, suæque seruitutis officijs arctius adstringere, gloriosissimo Normanorum Duci Guillielmo eandem patriam debellando subegit. Qui videlicet Guillielmus tunc temporis Anglorum, Dei virtute, & industria sua, totius Ecclesiæ dignitatis honores in melius reformauit. Cuius piæ intentionis operibus inuidens ille bonorum omnium inimicus Diabolus, tum familiarium fraudibus, tum extraneorum incursibus, multoties conatus est eius obsistere successibus. Sed Domino protegente, & timentem se Regem glorificante, ad nihilum deductus est malignus. Audientes autem Dacij, Angliam esse subiectam Normanis, grauiter sunt indignati, & suo quasi hæreditario iure priuati, arma parant, classem aptant, vt eos adeuntes, à data sibi diuinitus Patria expellant. Hoc comperto, prudentissimus Guillielmus Helsimum quendam religiosum Abbatem Ramensis Cœnobij accersiuit, & in Daciam direxit, vt inquirat huius rei veritatem. At ille, vt vir admodum sagacis ingenij, strenuè Regis negotium exequitur: quo fideliter peracto, ad Angliam reuerti cupiens, mare ingreditur: Et cum iam maximam partem maris prospero cursu transijsset, subito densis surgentibus vndique ventis, horrida tempestas mare commouit, & vndas. Fatigatis igitur nautis, nec vltra iam obniti valentibus, fractis remis, funibusque ruptis, cadentibus velis, spes salutis amittitur, & nihil sibi, nisi subuersionis exitus miserabiliter expectatur. Cumque de salute corporum essent desperati, animarum solummodo magnis clamoribus salutem creatori suo commendabant, & beatissimam Virginem Mariam Deigenitricem, miserorum refugium, & desperatorum spem deuotissimè reclamabant. Et ecce subito conspiciunt quendam venerandæ habitudinis virum Pontificali infula decoratum, quasi inter medias vndas naui proximum. Qui vocans ad se Helsimum Abbatem his verbis alloquitur eum. Vis (inquit) periculum maris euadere? Vis in patriam tuam sanus redire? Cumque cum fletu id toto corde desiderare, & hoc solum expectare responderet. Sic ille: Scias me ad te à Domina nostra Deigenitrice Maria directum esse, ad quam dulciter reclamasti: & si dictis meis obtemperare volueris, sanus cum comitibus tuis euades imminens periculum maris.* 31

Ille

Ille vero illico spondet se ei in omnibus obtemperaturum, si hoc euadat naufragium. Promitte, inquit ille, Deo, & mihi, quod diem Conceptionis, & creationis Matris Domini nostri Iesu Christi solenniter celebrabis, & celebrandum prædicabis. At ille vt prudentissimus vir ait: Et quis dies in hoc festo celebrandus erit? Sexto, ait, idus Decembris hoc festum solennizandum tenebis. Et quo, inquit Abbas, Officio vtamur in Ecclesiastico obsequio? Omne, inquit, Officium, quod dicitur in eius Natiuitate, dicetur in eius Conceptione: excepto, quod nomen Natiuitatis mutabis in nomen Conceptionis. His dictis ille disparuit: & cito, sedata tempestate, Abbas incolumis concito statu applicuit littoribus maris Anglicani: & quod viderat, & audierat, quibus potuit, notificauit. Statuit autem idem festum in Remensiensi Cœnobio celebrari, & ipse quandiu vixit, deuotis obsequijs celebrauit. Et nos igitur, fratres dilectissimi, si portum salutis volumus apprehendere, Deigenitricis Conceptionem dignis obsequijs, & officijs celebremus, vt ab eius filio digna mercede remuneremur. Hæc ille.

32 Si ergo fastos consulamus, præfatus Guillielmus Normandorum Dux accepto à Pontifice vexillo, susceptaque expeditione in Angliam, Regem occidit, & hac memorabili victoria totam sibi subiecit Angliam, vt scribit Polydorus Virg. quasi per 1066. Ex quo liquet eo primum tempore festum Conceptionis Immaculatę tã apud Normandos, quàm apud Anglos peragi cœptum, proxime ante illud tempus, quo epistolam illam scripsit Anselmus, qui statim subinfert secundum miraculum subiectis verbis.

Polydor. Vir.

33 *Rursũ hæc solemnitas alibi alio modo declaratur. Tẽpore nãq; Caroli Regis Francorũ Illustrissimi, Clericus quidã ordine Hungriæ Regis germanus, matrẽ Iesu toto corde diligens, eius horas solicitus decantabat. Parentum autem suorum consilio nubere volens, cum quadam adolescentula valde pulcherrima, accepta à Presbytero nuptiali benedictione, quadam die, Missa etiam celebrata, recordatus, quod eiusdem Beatissimæ Virginis horas illa die iuxta morem solitum non cantauerat, sponsam domum mittens, omnes ab Ecclesia exire coegit, & ipse iuxta altare Virginis solus remansit. Cumque horas Dominicæ matris decantaret: & hanc antiphonam, Pulchra es & decora filia Hierusalem, diceret: subito apparuit ei Virgo Maria cum duobus Angelis, dexteram ei manum, & læuam tenentibus, dicens ei. Si ego sum pulchra, & decora, quid est, quod dimittis me, & sponsam aliam accipis? Nunquid ego sum optime formosa? Nunquid ego sum pulchrior illa? Vbi vidisti tam pulchram? Cui ille stupefactus ait. Domina mea dulcissima, claritudo tua omnem mundi pulchritudinem excellit, & clarificat, quoniam tu es super omnes choros Angelorum exaltata, & super cœlos cœlorum eleuata. Quid vis Domina, vt faciam? Ait illa: Si sponsam carnalẽ, cui adhærere vis, amore mei dimiseris, me sponsam in cœlesti Regno habebis: & si Conceptionis meæ festum annuatim sexto idus Decembris solemniter celebraueris & celebrandum prædicaueris, mecũ in Regno filij mei laureatus eris. His dictis Beata Virgo disparuit: Clericus vero domum adire renuit, & absque parentum suorum consilio, ad Abbatiam quandam extra patriam illam perrexit, & ibidẽ monachali habitu decoratus est: & post tempus exiguum, meritis Beatæ Mariæ Virginis, Aquileiæ Episcopus Patriarcha factus festum Conceptionis B. Virginis die præfato, quandiu vixit, annuatim cum proprijs octauis diligenter celebrauit, & vbique celebrandum prædicauit.*

Anselm.

Nunc ergo nodus quidam se se offert explicandus: quis nimirum is Carolus fuerit, 34
quo in Gallia regnante, præscriptum miraculum contigit, à quo Conceptionis festum initium cepit. Profecto ante Anselmi ætatem prioribus sęculis quinque Caroli Gallis imperarunt. Primus quidẽ Carolus Martellus, per annũ salutis 720. Secundus Carolus Magnus, qui anno 800. Imperator renunciatus est, decessit 813. Tertius Carolus Caluus, qui Galliæ imperium obtinuit ab anno 840. vsq; ad 876. Quartus Carolus Crassus, qui regnauit ab anno 885. Quintus Carolus Simplex, qui regnum Francorum inijt anno 892. omnes isti ante Anselmum: reliqui enim Francorum Caroli, qui non pauci subinde fuerunt, Anselmo minores extitere. Videndum igitur de quo Carolo loquutus fuerit Anselmus. Imprimis ergo illud mihi exploratum videtur, neque de primo, neque de secundo Carolo ipsum loqui. Nam tempore secundi Caroli, qui Magnus inter alios fuit, tantum abest, vt Conceptionis festum iam tunc ageretur, vt Natiuitatis etiam Marianæ solennitas, ipso imperante, necdum celebrari cœpta fuisset, vt supra §. 2. præfati sumus. Quapropter ex alijs tribus Carolis alterum esse illum, de quo Anselmus loquitur, affirmare oportet. Nec magna certe inter illos temporum dissimilitudo: omnes enim regnarunt ab anno 840. vsque ad annum 900. intra sexaginta videlicet annos. Et quidem non satis audeo ex his tribus aliquem ita præferre vt alium excludam: nullum enim mihi argumentum pro vnò occurrit, quod ad alium facile deflecti non queat. Cæterũ ex his vnum fuisse ex eo coniectari licet, quia sub idẽ tempus Conceptionis Immaculatę clari assertores esse cœperunt: nam eo tẽpore vixit eruditissimus, ac sanctissimus vir Idiota, qui suppresso nomine pia quædam opera scripsit, cuius inter alia extant Contemplationes luculentæ de Virgine Deipara. In his autẽ apertissimè Virginis immunitatẽ à peccato originali tradit, ita vt mihi persuadeã, Cõtẽplationes illas pro renata ab ipso cõpositas fuisse ad augendũ purissimæ Cõceptionis studium.

Has vero Idiotę contemplationes quanti habere debeas, disce ex nostro Posseuino, qui in suo Apparatu sacro sic scribit. Extant contemplationes Idiotæ de Beata Virgine, quas cum hæretici ex editione Germanica sustulissent: Parisienses autem (quippe Catholicam fidē semper tenentes) anno 1538. emisissent, Margarinus Bignæus Bibliothecæ PP. attexuit (& quidem 1. tomo in illius fronte) Docet autem Posseuinus Idiotam vixisse post octingentesimum annum. Cardinalis Bellarminius, eidem nongentesimum secundum adscribit, sed hic obitum, ille ortum & actos vitę annos designat ex quo facile euincitur, Idiotam per id tempus floruisse, quo tres illi præmissi Caroli imperarunt.

36. Hoc eodem tempore, nimirum sub annum 889. Imperij autem Caroli Crassi 6. imperare cœpit apud Gręcos Leo Basilij filius Porphyrogenitus, aut Philosophus dictus, de quo Cedrenus scribit à patre primum ex indignatione abdicatum, & successionis iure priuatum, ac postea demum restitutum occasione psittaci, qui ita cœpit inclamare, & ingeminare, 'αἲ αἲ κύριε λέων. Imperium autem Græcorū gessit hic Leo viginti sex annis, obijtq; salutis nostræ 911. Carolo V. qui Simplex dictus est, iam tunc apud Gallos regnante. Is igitur est Leo, ille cuius de pura Conceptione extat luculentus sermo à Baronio, & ab alijs obseruantus in Biblioteha Sfortiana. Hic est, qui apud Græcos illibatæ Conceptionis festum primus agnouisse creditur: atq; adeò hæc temporum tanta concordia, & consensio, quibus tam Latini, quam Græci festum Conceptionis agitare cœperunt, satis suadet, vnam, & eandem omnibus illius celebrandi occasionem oblatam: quam certe non aliam esse puto, nisi miraculum hoc ab Anselmo narratum. Neç mirum si illius miraculi fama ita percrebuerit, vt ad Græcos etiam peruaserit. Nam viri, cui id accidit, nobilitas comperta, & splendor nataliū in causa esse potuit: vt propterea nonsit mirabile per dissita late regna ocyus sparsum, ac diffamatum fuisse. Erat enim Clericus ille Hungariæ Regis germanus frater. Rursus per fugam eiusdem ex Hungaria in Italiam, id quoq; non parum diffusum est. Accedit etiam id, quod extremū attexit idē Ansel. *Et post tempus exiguum meritis Beatæ Mariæ Virginis Aquileiæ Episcopus Patriarcha factus festum Conceptionis Beatæ Virginis die præfato, quandiu vixit, annuatim cum proprijs octauis diligenter celebrauit, & vbique celebrandum prædicauit.* Ex quibus constat virum istum, non tantum generis splendore, sed etiam sanctitate præstantem, postquam Aquileiæ Præsul creatus est, Conceptionis Immaculatæ festum in Italia non solum sua authoritate confirmasse, sed etiam eius spargendi studio ad illud celebrandum alias etiam nationes fuisse cohortatum. Qua propter vero admodum simile est etiam ad Græcos Episcopos dedisse litteras, quibus illos ad eiusmodi festum agendum aeueret: tum vel maxime, quia Græcorum naues Cōstantinopoli in Italiam soluentes, Venetias, & Aquileiam plerumque appellunt, & Græcorum cum Venetis commertia nunquam non solennia. Nec facile desideres in eo grauissimo viro authoritatem, vt id Græcis etiam ipsis suaderet, quandoquidem illum, & regalis stirpis splendor, & sanctimoniæ dignitas commendabat. Satis noui, quæ à me dicuntur, rem non euincere: tamen veris valde similia mihi affirmare videor, paratus semper, vt alijs veris similiora mihi offerentibus libentissime concedam, & acquiescam. Subdit Anselmus.

Anselm.

Aliud etiam miraculum huius festiuitatis alibi, diuina inspirante gratia, à nobis declaratur. In pelago Gallico Canonicus quidam ordine Sacerdos, solitus B. Mariæ Virginis horas Canonicas decantare, à villa quadā, vbi cū vxore alterius fornicatus fuerat, rediens, ad oppidū, in quo morabatur, tendere curans, & pelagus Sequanæ transmeare cupiens, solus nauim ingressus, Dominicæ matris horas nauigando canere cæpit. Cumq; inuitatorium: Aue Maria gratia plena Dominus tecum, diceret, & iam in medio fluminis esset: ecce turba magna Dæmonum in profundo pelagi vna cum eius nauicula eum præcipitauit, & eius animam rapuit ad tormenta. Die autem tertia ad locum, quo dæmones eum tormentis afficiebant, venit Mater Iesu cū magna Angelorū societate, dicens eis: Vt quid animā famuli nostri ita iniustè affligitis? Cui illi: Nos eam debemus habere, & merito, quoniā in nostris operibus capta est. Quibus Mater Iesu: Si illius debet esse, cuius opera faciebat: ergo nostra debet esse, quoniam Matutinas nostras, dum vos eum peremistis, decantabat: vnde magis rei estis, qui iniquè erga me egistis. His dictis dæmones huc, illucque dispersi fugerunt, & Beata Maria animam reduxit ad corpus, & hominē ab vtroq; funere resuscitatū per brachiū arripiens aquā à dextris, & à sinistris quasi murū stare iubens, de profundo pelagi ad portū incolumem reduxit. At ille gaudens, pedibus Beatæ Virginis prostratus, ait: Charissima mea Domina, & Virgo speciosa, Christo gratissima, quid tibi retribuam pro tantis beneficijs, quæ mihi fecisti? Liberastime de ore Leonis, & de tormentis inferni grauissimis animam meam. Cui Mater Iesu ait: precor te, ne de cætero in adulterij peccatum cadas, ne fiat tibi nouissimus error peior priori. Precor iterum, vt de cætero festum Conceptionis meæ deuote celebres annuatim sexto idus Decembris, & vbique celebrandum prædices. Mox vt ea dixit B. Virgo Maria, eo cernente, cœlos ascendit & ipse hereminicam vitam ducens, quod sibi acciderat, cunctis audire volentibus narrauit: & postea quandiu vixit, illud festum Conceptionis solenniter, & deuote celebrauit, & celebrandū prædicauit. 37

Quo-

37 Quonam tempore miraculum hoc acciderit, non licet colligere ex Anselmo: fortasse autem tempus prætermisit, quia nouum, & recens erat eo sæculo. Itaque ex dictis liquet festi Conceptionis immaculatæ in Ecclesia celebrandi initium datum quidem post annum octingentesimum quadragesimum: nam illa huius festi vestigia, quæ alij subodorati, & insectati sunt, tam apud Syros, quam apud Hispanos, ad quos reliquarũ nationũ traditones reuocantur, in superioribus sparsimus, ac deleuimus.

§. VI.

38. *Ex quo tempore festum Conceptionis apud Italos occeperit.*
39. *Quando apud Normandos.*
40. *Quando apud Anglos.*
41. *Quando apud Gallos.*
42. *Authoritas, & fides Epistolæ B. Bernardi ad Lugdunenses, quam sit locuples.*
43. *Epistolam istam esse spuriam, & nothbam à Nicolao Imperatore scriptam aliqui suspicantur.*
44. *Hæc suspicio caret robusto fundamento.*
45. *Argumentum primum, quo illi Epistolæ fides adimitur, eneruatur.*
46. *Secundum eliditur.*
47. *Tertium infirmatur.*
48. *Rationes aliæ leuiores obiter confutantur.*
49. *Fides prædictæ Epistolæ duplici argumẽto vendicatur.*

38 RELIQVVM Est, vt videamus quanam ratione hęc prior scintilla apud Hũgaros excitata decursu tẽporis alias, atque alias mundi regiones corripuerit, & ad studium erga puram Virginis Deiparæ Conceptionem mundum vniuersum inflammauerit. Prætereo Græcos: de his enim id tantum dici potest, illos festum Conceptionis non parum auide arripuisse, quandoquidem statim sub illius initium sapientissimus Leo Imperator orationem elegantem de Conceptione scripsit: vt propterea suspicari liceat ab hoc Imperatore, qui apud Græcos sacrorum restitutor, & formator fuit, tantam authoritatem huic festo quæsitam, vt illud in Græca Ecclesia ab illo tempore celebrius haberi cœperit, quam in Latina. Ergo in Latina Ecclesia sensim admodum Conceptionis celebrandæ studium se se explicauit. Nec mirum: nam cum in illa sit supremus fidei arbiter Romanus Põtifex, fere in his rebus illius censuram expectare solet. Sed per quos gradus hæc Conceptionis celebrandæ consuetudo, quæ hodie apud Latinos viget, progressa fuerit, quantum ex antiquis monumentis inde conlectari licet, fa aperio. Cœpit igitur hoc festum solenniter, & cum octauis agitari primum Aquileæ in Italia à venerabili illo Archiepiscopo institutum, & stabilitum, vt propterea verisimile admodum sit non illud sine authoritate Pontificis inchoatũ fuisse. Nec enim priuatæ vnius Ecclesiæ Præsul, Italiæ, in Summi Pontificis oculis festum nouum tanta cum solennitate in sua Diœcesi peragеret, & agendum alijs Ecclesijs serio suaderet, nisi ad id præstandũ summi Pontificis veniam, & consensum obtinuisset. Aut saltem inde elicitur hoc festum, vidente, ac tolerante supremo fidei arbitro Pontifice Summo, peragi cœptum: neq; enim id, quod Aquileæ nõ longe à Romana vrbe agebatur, illum latere poterat. Addit Anselmus præfatum Aquileæ Archiepiscopum, Conceptionis festum non modo in sua Diœcesi solennius celebrasse, sed vbique celebrandum curasse. Nec dubitandum, quin tantus vir precibus, authoritate, & sanctitatis opinione à multis hoc impetrauerit: sed tum maxime id Hungaris suasisse existimandũ est, non solum quia apud illos præfati viri authoritas valebat plurimum: sed etiam, quia nequaquam ambigi potest ipsis ab initio causam illã cõpertam fuisse, quæ virum tantum Regis fratrẽ ad fugiendum, & nuptias deserendas impulerat. Accedit etiam authoritas Henrici Gandauensis qui in quodlibeto illo supra citato hoc festũ Conceptionis Hungariæ celebrius peragi suo tempore dicit: vt propterea suspicari liceat, Hungaros acceptũ olim ab illo Antistite festum semper tenuisse, ac coluisse.

Hungaris autem adiungit Henricus Normandos, & quidem apte: nam lapsu temporis post centum, & amplius annos tunc cum Guillielmus Normandorum Dux Angliam debellauit: visio illa exhibita est Helsimo Abbati Benedictino. Crediderim autem Helsimum istum fuisse genere, & patria Normandũ, virum eo tempore grauem, cui scilicet nouus Angliæ expugnator Guillielmus tantum deferebat, & confidebat, vt sua apud Normãdos peragenda negotia illi tuto committeret: atque adeò is facile Normandis, apud quos authoritate plurimũ valebat, suadere potuit, vt festum Immaculatæ Conceptionis studiose celebrarent. An vero id etiã ipse ab Anglis impetrauerit, non satis liquet. Illud constat, in Remesiensi Cœnobio, cuius Abbas erat Helsimus, ex tunc eodem Helsimo authore, & adhortatore celebrari cœptũ. 39 *Henricus*

Non dubitandum etiam quin aliquid Helsimus sua authoritate apud Anglos profecerit. Non tamen id obtinuit, vt omnes Ecclesiæ Anglicanæ illud festum exciperent: nã postquam triginta anni abierant, ex quo Helsimo id cælitus reuelatum fuerat, Diuus Anselmus Cantuariensis Episcopus de tota re edoctus, vt erat Ecclesiæ Anglicanæ Pri- 40 *Anselmus*

mas, & supremus in rebus sacris illius nationis arbiter, post maturam deliberationem præscriptas litteras ad omnes sibi subiectos Episcopos dedit, non suadens modo, sed, ni fallor, etiam præcipiens, vt festum Conceptionis in suis omnes Ecclesijs solẽniter agerent. Paruerunt omnes, neque enim fas est credere tanti viri vel consilium, vel præceptum aliquem detrectasse. Aucta est deinde temporis decursu apud Anglos in purã Virginis Conceptionem studiosa deuotio: atq; adeò in Concilio Oxoniensi, quod celebratum est, anno 1200. Festum Conceptionis denuo probatum, & inter alia relatum est Canon. 1. his verbis. *Et Festum Conceptionis B. Mariæ licet adhuc celebre non fuerit per vniuersam orbem.* Hic est Canonis tenor apud Crespicium in summa fidei Catholicæ. Sed aliter habetur apud Briniũ, & Suarium nostrum, scilicet in hunc modum. *Quod festa subscripta sub omni veneratione seruentur, videlicet omnes dies Dominici, quinq; dies natalitij, Circuncisio, Epiphania Domini, & omnia festa Beatæ Mariæ præter festum Conceptionis, cuius celebrationis non imponitur necessitas.* Sic Suarez in tom. 1. de Religione lib. 2. de obseruatione festorum. Rursus anno 1320. coactum fuit denuo in Anglia Cantuariense Concilium, & festum Conceptionis iterum grauissimis verbis probatum, & commendatum, quæ Ioan. Bachon quodlib. 3. quæst. 13. exhibet his verbis. *Quia inomnes sanctos memoria Beatissimæ Virginis, & matris Domini eo frequentius agitur, atque festiuius, quo maiorem gratiam apud Deum, qui eius Conceptionem prædestinatam ad vnigeniti sui temporalem originem veraciter ordinauit, creditur inuenisse venerabilis Anselmus, &c.* Ex his satis liquet vniuersam Angliam tantundem suo Anselmo detulisse, vt demandatum ab ipso festum nunquam non tenuerit, ac religiose coluerit.

Concil. Oxonien. — *P. Suarez* — *Conciliũ Cantuar.* — *Bachon.*

41 At quid de Gallia dicendum? Imprimis missas facio coniecturas illorum, qui festum Conceptionis apud Gallos antiquissimum esse colligant, vel ex Hieronymi Martyrologio, vel ex Isidori Missali, & Officio, quod in Narbonensi Gallia iam inde à priscis tẽporibus seruatum putant: quia horum, atque similium suspicionũ fundamenta supra euertimus §. 1. 2. & 3. Ad ea, quæ certiora sunt, contendo. Sane illud miraculum, quod in sua Epistola tertio loco narrat Anselmus, ad Galliam spectat: atque adeò cum asserat Canonicum illum ab inferis reducem Conceptionis festum solenniter, ac deuotè celebrasse, & celebrandum prædicasse, satis inde constat in Gallia ante Anselmum id festum agitari cœptũ ab his, quibus id miraculi fama, & præfati Canonici prædicatio persuasisset. Fortasse etiam ex illa Aquileiana scintilla aliquid etiam antiquius in Galliam redundauerat. Illud mihi exploratum est, principes Galliæ Ecclesias non facile ad hoc Festum celebrandum inductas fuisse. Nam tempore labente, postquam quinquaginta anni effluxerant, ex quo præmissam Epistolam Anselmus perscripserat (id enim spatij, aut interstitij inter Anselmum, & Bernardum intercessit) cum Canonici Ecclesiæ Lugdunensis, quæ inter alias Galliæ Ecclesias valde nobilis est, Conceptionis Immaculatæ festũ agere cœpissent, Beatus Bernardus seueram admodum Epistolam ad illos dedit, temeritati hoc vertens, quod id festi, non expectata Ecclesiæ Romanæ censura, ex propria authoritate, & marte ipsi actitarent. Sed hoc opus, hic labor est, quia de fide huius Epistolæ hac nostra ætate à quibusdam addubitari cœptũ: sane id ipse vellem, vt præclarum suæ opinionis fundamentũ aduersarijs eriperemus. Dicam tamen, quod sentio.

Bernard.

Proponam primum ea, quæ suadent eam Epistolam esse Bernardi, ac tandem siquid in ipsa difficile est, libræ committam. Imprimis illud certum in omnibus etiam antiquissimis Bernardi editionibus hanc Epistolam inter eas referri, quæ ipsius propriæ, ac germanæ sunt. Item Guillotius Parisiensis, qui opera Sancti Bernardi acri admodum censura examinauit, cum alia tanquam spuria, & notha repudiauerit, de Epistola prædicta nihil statuit. Post Guillotium Posseuinus noster in Apparatu sacro, & Cardinalis Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis, Bernardi codices examinarunt, de hac Epistola ad Lugdunenses ne addubitarunt quidem. Deinde si ad antiquitatem lustrandam conuertamus oculos, mirum est, quanta consensione præfatam Epistolam Bernardi omnes exceperint, & coluerint. Albertus Magnus, Alexander Alensis, D. Thomas, Sanctus Bonauentura, Richard. & post illos omnes Scholastici Theologi ad vnũ eam citant in 3. dist. 3. Et Bernardo absq; vlla hesitatione deferunt, non solum hi, qui Virginis Conceptionem puram fuisse abnuunt, sed etiã illi, qui illius puritatem studiosissime tuentur. Hi sunt Scotus, Gabriel, Holcot. Thomas de Argentina, Capreolus, Nicolaus de Nisa, Bartholomeus de Pisis, Dionysius Carthusianus, Ioannes Bachon. Franciscus de Mayron, Franciscus de Marchia, Landulphus, Borriton, & Borrillon, & alij quamplures in 3. dist. 3. quos difficile esset enumerando percensere. Hi enim omnes, quanuis immaculatam Virginis Conceptionem sibi pro suo quisque marte defensandam acceperint, nullus ausus est Bernardi testimonium infitiari, cũ tamen nihil æque forte aduersarij eo tẽpore producerent. Quinimo ex vetustis illis Scholæ Parisiensis Theologis Albertus in 3. sententiarum dist. 3. quest. 1. arti. 2. tradit in cætu, & consessu Doctorum Parisiensium paucis ante ipsum annis eam sententiam, quæ Virginis Immaculatam Con-

42 — *Guillot.* — *Posseuin.* — *Albertus Magnus. Alexand. D. Thom. D. Bona. Richard. Scotus. Gab. Hol. Tho. Arg. Capreol. Nicolaus Bachon. Bartholo. Dionysi. Carthu. Mayro. March. Landul. Borriton. Borrillon. Albertus Magnus.*

cepcio-

ceptionem asserit, communi omnium calculo, & suffragio damnatam, & explosam fuisse. Ex quo etiam licet colligere præcipuũ eius censuræ fundamentum fuisse authoritatem Bernardi in ea Epistola, cui omnes tantum eo tempore deferebant, vt ei reluctari nefas ducerent.

43 Hæc sunt, quæ illius Epistolæ fidem, & authoritatem commendant. Cæterum sunt nostro tempore nonnulli, qui eam spuriam esse, & notham, nõ leuibus inducti rationibus asseuerant, quas libet per excursum examinare. Et quidem illud certum D. Bernardũ multo tempore à secretis vsum Nicolao quodam astutissimo simulatore, & falsitatum architecto peritissimo, qui videlicet Bernardi sigillum adulterauit, & non paucas literas falsas eius nomine ad grauissimos viros dedit. De quo ipsemet Bernardus in epist. 284. ad Eugenium PP. sic scribit. *Periclitati sumus in falsis fratribus, & multæ literæ falsatæ sub falsato sigillo nostro in manus multorum exierunt, & quod magis vereor, etiam vsque ad vos dicitur falsitas peruolasse. Hac necessitate abiecto illo, & nouello, quod cernetis de nouo, vtimur cõtinente & imaginem nostram, & nomen.* Nec propterea Nicolai dolos declinauit Bernardus: Nam in epistol. 298. nomen huius impostoris aperit, mores illius, & nouos astus describit, atque inter alia sic ferit: *Præter libros, denarios, & aureos multos, in ipso exitu eius inuenta sunt apud ipsum sigilla tria, vnum eius proprium, alterum Prioris, tertium nostrũ, ipsumque non antiquum, sed nouellum, quod & ob ipsius dolos, & furtiuas surreptiones mutare nuper coactus fueram. Hoc enim est, quod vobis tacito nomine scripsisse me memini, quia videlicet periclitati sumus in falsis fratribus. Quis possit dicere ad quammultas personas sub nomine meo, quæ voluit, scripsit? Quis mihi det, vt ipsa vestr Curia ad purum purgetur fæce mendaciorum eius?* Et alia attexit non pauca eiusdem argumenti. Quem statim cum Arnaldo de Brixia componit, & facile illi præponit: vt propterea Baron. tomo. 12. anno 1146. vbi has Nicolai fraudes narrat, illum virum fuisse apprime doctum conficiat, & qui scribendi stylum Diui Bernardi æmula imitatione ad amussim simularet.

Bernar.

Baron.

44 Hæc cum certa sint, an propterea licebit de Bernardi epistolis, & de ipsarum fide minus apte sentire, quasi liceat suspicari inter illas, aliquas Nicolai commentitias, & falsas esse insertas? Certè suspicioni huic si indulgere integrum sit, nulla manebit satis certa Bernardi epistola: cuilibet enim æquum erit super hac, vel illa, cum libitum fuerit, alias & alias rationes comminisci, & Bernardo ademptas impostori tribuere. Nec satis erit agnoscere in ipsis Bernardi stylum, & phrasim, cum Nicolaus styli etiam præclarus æmulator fuerit. Minimè verò. Credendum enim est antiquos illos epistolarũ Bernardi collectores, aut selectores, tunc cũ erat recens rerum notitia, non parum operæ posuisse, vt germanas ab spurijs, & adulterinis secernerent, vt ipsas repurgatas, atque puras nobis darent. Quapropter graues admodum rationes (me iudice) afferre debet ille, qui post tot sæcula in tanta illorum temporum ignoratione aliquam epistolam Bernardo auferendam esse contenderit, ex his, quas veteres illi selectores, tanquam propriam ipsius receperunt, & ad nos transmiserunt. Præsertim quia, vt plerisque videtur, harum epistolarũ collector fuit Gotfridus Monachus Claræualẽsis, qui tertium de vita illius volumen edidit, & ipsi Bernardo viuenti affuit per tredecim annos: sic enim ipse scribit in prologo illius lib. 3. *Quem ab eius vberibus post annos circiter tredecim sola tandem, quæ sola potuit, mors auulsit.* Vel si ipse harum epistolarum conflator non fuit, saltem ex his, quæ dicit capite vltimo illius libri, constat suo tempore iam epistolas esse coactas, & conflatas. Nam inter alia Diui Bernardi opera numerat eius epistolas, & ex his maximè sanctissimi Abbatis vitam, moresque adumbrari affirmat. Cum ergo constet primos illos Diui Bernardi discipulos, qui illi multo tempore adfuerunt: & quibus Nicolai illius technæ, atque fraudes perspectæ fuerant, primos epistolarum compilatores extitisse, credendum est ab illis ex ipsismet Bernardi autographis, & exemplaribus productas, & ab alijs adulterinis, ac nothis singulari studio separatas. Hinc factum, vt cum alia quædam Bernardi opera in suspicionem venerint, ne de vna quidem illius epistola vnquam ab aliquo addubitatum fuerit. Quin imò Critici omnes, qui de operibus Bernardi hactenus censuerunt, cum tres classes operum efficiant, Epistolas ad primam, & maximè incorruptam reuocant, & Parisienses ipsi in Bernardi epistolis nihil à se mutatum asserunt. Nec verò ignoro in extremis editionibus additas fuisse 41. epistolas, quæ dicuntur ex antiquis Claræuallis originibus expromptæ. Hæ tamen reliquis ad calcem adiectæ sunt, vt propterea de prioribus nihil suspicari integrum sit.

Gotfrid.

Sed rationes expendamus, quibus præfatæ epistolę authoritas adimitur: non quidem omnes, neque enim omnes vim habent, sed præcipuas, & maximè robustas. Prima ergo, ac facile princeps est, quia hæc epistola in fronte hæc verba præmittit. *Vnde miramur, quod visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum mutare voluisse colorem optimum, nouam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesia nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.* Quibus verbis Bernardus festi huius, de quo agimus, vsum, & traditionem abnuit. Atqui, inquiunt, ignorare non potuit Bernardus vsum illius festi in tota Gallia satis celebrem: nec enim comperta ipsi esse non poterant Bedæ, Adonis, & Vsuardi Mar- 45

tyrologia, in quibus legebatur festum Conceptionis Immaculatæ, sed tum maximè Vsuardi à Caroli Magni temporibus in Gallicanis Ecclesijs recitari solitum. Ignorare etiam non potuit Galliæ Narbonensis morem, apud quam Isidori Kalendarium in vsu erat, & Missa de Conceptione iam tunc dicebatur. Adde etiam si placet: viderat quoque Bernardus Diui Hieronymi Martyrologiũ, quod certè videre potuit: quandoquidem alij ipso posteriores, videlicet Calixtus II. & Petrus Episcopus Equillinus se vidisse, & legisse testatur. Certè facilè huic rationi acquiescerem, nisi Bernardus huius ignorationis plures socios haberet. Ignorauit primo hæc omnia Mauritius Parisiensis Archiepiscopus, qui Bernardo coætaneus fuit, de quo Guillielmus Antisiodorensis, qui vixit anno 1230. in lib. 3. Summæ tract. 1. cap. 3. ita scribit. *Mauritius Episcopus Parisiensis probibuit, ne festum Conceptionis Mariæ celebraretur in Ecclesia Parisiensi.* Ex quo constat non fuisse solum Bernardum eo tempore, qui Conceptionis festum inhiberet. Ignorauit etiam hæc omnia Albertus Magnus, Alexander Alensis, D. Thomas, D. Bonauentura, Richardus, Henricus de Gandauo, ignorauit Schola tota Parisiensis. Quis enim vel suspicari audeat, grauissimos istos Doctores ita seuere de Conceptione Virginis pronunciaturos, si ea, quam authores isti sibi ex voto suo fingunt, tam constans, perpetuaque traditio de Conceptionis festo in Gallia tunc vigeret? Nonne omnes præfati authores in 3. dist. 3. vt ostendant Virginem in vtero matris sanctitate donatam, à Natiuitatis festo argumentati sunt? Ita sanè. Cur non etiam de Cõceptione eiusdem Virginis paria censuerũt ob simile argumentum à Conceptionis festo desumptum? Vel saltem cur eandem thesim multo robustius ex festo Conceptionis non comprobarunt? Id enim multo melius illam ex vtero sanctificatam euinceret. Fateor Richardum loco citato, q. 1. ad hunc modum sibi ipsi obiecisse. *Multi Conceptionem Virginis solemnizant, nec reprehenduntur. Ergo videtur, quod fuit sancta.* Cæterum Diuus Thomas 3. par. q. 13. nõ multos, sed *aliquos* dicit. Itẽ D. Bonauen. in eo loco sic habet. *Sunt quidam, qui eam ex speciali deuotione celebrant.* Non ergo ex communi Ecclesiæ consuetudine, & vsu, sed priuato aliquorum studio hoc festum eo tempore agebant, quotquot agebant. Et de his accipiendus est Richardus. Sed quam pauci essent, qui eo tempore Conceptionis festum in Gallia celebrarent, ostendit Henricus de Gandauo in eo quodl. 13. q. 13. qui cũ asserat festum Conceptionis iam tunc eo tẽpore à quibusdam agitari, non Gallos, sed Normandos produxit; vt propterea credendum sit Richardũ tunc cum dicit. *Multi Cõceptionis festum solemnizant*, non de Gallis, sed de exteris loquutum. Quid ergo? Asseremus ne omnes istos sapientissimos viros traditionem illam, & vsum Gallicæ Ecclesiæ vnà cum Bernardo ignorasse? An potius eam traditionem, & vsum nunquam fuisse? Te ipsum, lector, iudicẽ appello. Num etiam quia præfati authores id se ignorasse suis scriptis significarunt: ideò articulos illos, & quæstiones, quibus hęc ignoratio proditur, tanquam spurias repudiabimus? Adde etiam rationis istius neruos ex his, quæ supra diximus, elidi, per quæ constat satis festum Conceptionis, neque in Hieronymi Martyrologio, neque in Adone, Beda, aut Vsuardo, neq; in D. Isidori Kalendario, aut Missali olim fuisse, sed postmodum decursu temporis suffectum, & assutum.

[Calix. 2. / Pe. Equi. / Mauritio / Antisiod. / Albert. / Alexan. / D. Thom. / Bonauen. / Richar. / Henric. / Richar. / D. Thom. / Bonauen. / Henric.]

46 Secunda ratio, qua huic epistolæ fides adimitur, ea est: quia cum alia omnia supra dicta Bernardum ignorasse fingamus, saltem Anselmi epistolam ad Angliæ Episcopos ignorare non potuit: imò potius hanc illi notam fuisse colligere licet ex illis verbis. *Sed profertur scriptum superne (vt aiunt) reuelationis. Quasi & quiuis non queat scriptum æque producere, in quo & Virgo id ipsum videatur mandare, & de parentibus suis?* Cæterum id argumenti leuius mihi videtur primo, quia ex his verbis non satis colligitur Bernardum epistolam Anselmi legisse: fieri enim potuit, vt tantummodo illi ea reuelatio obiecta fuerit, quam Anselmus tertio loco narrat, & in ipsamet Gallia Canonico cuidam contigisse tradit: hanc enim Gallis ipsis notam magis fuisse putandum est (quod vel ipsemet textus innuere videtur, qui vnius tantum reuelationis meminit, cum Anselmi epistola tres contineat.) Nec mirũ si nõ omnia Anselmi opera ad Bernardum peruenissent, cum ab Anselmo ad Bernardum vix quinquaginta annorum spatium intercesserit, & necdum eo tempore typi inuenti: atque adeò minor librorũ copia esset. Sed demus hoc etiam his censoribus, Anselmi epistolam ad Bernardi manus venisse: potuit certe non satis credere eam Anselmi esse, potuit etiam reuelationibus illis fidem non habere. An nouum, & insolens est Sanctos viros de vna, & eadem re disparia sentire? Sed quod caput est: cur non etiam hi authores ob similem ignorationem, Albertũ, Alexandrum, Diuum Thom. S. Bonauen. & Parisienses omnes redarguũt? Permittant si placet his grauissimis Doctoribus Bernardum socium: vt nimirum cum ipsis, aut prædictas reuelationes ignorauerit, aut easdem minime crediderit.

[Bernar.]

47 Tertia ratio, & quidẽ maximè fortis, producitur: quia cum Bernardus, non solùm de festi celebratione, sed etiam de ipsius Conceptionis munditie, & puritate in ea epistola minus digna pronuntiet: constat certè, eum oppositum alibi docuisse. Extant enim illius duo sermones: alter, qui inscribitur de Natiuitate Domini, & est secũdus inter tres, quos

de hoc themate conscripsit, quem sermonem ipsimet Parisienses de pura Virginis Conceptione inscribendum potius existimarũt: alter, cuius titulus est, *Sermo de Beata Maria*: qui similem ad modum (me iudice) de pura Conceptione inscribi deberet. In his ergo Virginem ab omni peccato originali immunem prorsus fuisse in sua Conceptione luculenter admodum tradit Bernardus. Quibus addendi etiam sunt sermones in *Salue Regina*: vbi etiam id ipsum clarissime profitetur. Sanè alius aliquis huic rationi facilè admodum occurreret affirmans, præmissos sermones non esse Bernardi: ea enim fuit sententia Parisiensium, ac propterea illos à reliquis seclusos in calcem, & appendicem operum Diui Bernardi reijciendos putarunt. Sanè si ex hoc vno penderet illius Epistolæ fides, & authoritas, libentius cum Parisiensibus sentirem, præfatos sermones non esse Bernardi: quam contra tot sapientissimos illos viros Theologorum proceres dicerem illam epistolam non esse illius germanum opus. Cæterum rigida valdè mihi videtur illa censura, quæ præmissos sermones tanto authore priuatos traducit. Noster quidē Posseuinus in Apparatu sacro illos inter alia opera Bernardi numerandos esse non abnuit: & acerrimus operum Bernardi censor Bellarminius Cardinalis, quamuis in tertio ordine, scilicet inter dubia opera dictos sermones ponit: tamen cum eo ex ordine aliostanquam spurios repellat, adiectis rationibus, quibus ad id existimandum inducitur, de illis sermonibus nihil dicit: non alia ex causa, nisi quia cum nihil ipsi occurreret, vnde illos iure Bernardo adimeret, ipsi relinquendos putauit. Et sanè ego ita mihi persuadeo prædictos sermones esse Bernardi, atque illis inter alios nobilem satis locum do: sed tum maximè duobus illis, quos de Conceptione pura inscribi posse nuper dixi. Nescio enim an inter D. Bernardi sermones alij sint, aut nitidiores, aut elegantiores. Quid ergo dicendum Bernardum sibi contrarium fuisse? Ita prorsus sentio. An Bernardus primus est inter Doctores sacros, qui sententiam, quam semel tenuit, decursu temporis mutauit? Nec mihi opus erit Augustini exemplum producere, qui suarum retractationum libros edidit: præsto sunt nobis in eadem materia grauissima exemplaria. Albertus Magnus, qui à sententia, quam docuit in 3. per quam Virginis Conceptionem impuram esse statuit, labauit quidem in tractatu pereleganti de laudibus intemeratæ Virginis Mariæ, vbi Virginem ab omni væ culpæ mortalis, venialis, & originalis liberam esse decreuit, cuius verba infrà suo in loco dabimus. Alexander Alensis, qui sententiam, quam in 3. contra Conceptionem immaculatam scripserat, mutauit etiam in libello illo aureo, quem posteà pro Conceptione Virginis edidit, & apud Thlosates adseruatur: vt suo etiam loco dicemus. Diuersus quoq; à se ipso D. Bonau. in 3. vbi Virginem in peccato originali conceptam asseruit: & in sermone de Laudibus eiusdem Virginis oppositum perspicuis verbis tradidit. Diffidet quoque à se ipso D. Tho. in Partibus, & in Sententiarijs. Denique sibi contrarius fuit ante Bernardũ D. Anselm. qui in libr. illo 1. *Cur Deus homo*, contra puram Conceptionem pronunciauit, & pluribus alijs in locis eandem studiosissime defendit. Dabimus autem horum omniũ grauissimorum Doctorum dissidia, suis quæque locis infrà in sæculorum censu. Cum hæc igitur ita sint: an forte iniuriam Bernardo irrogabimus, si illum in Anselmi, Bonauenturæ, atque Thomæ censum referamus? Minimè verò. An Bonauenturæ, Thomæ, & Anselmo id inuidebimus, vt Bernardum suæ inconstantiæ socium habeant? Tantum abest, vt ego hac in re Bernardum, & reliquos supra enumeratos sibi contrarios fuisse repugnem, vt potius id diuina prouidentia, ad eximiam Virginis Deiparæ gloriam factum crediderim, vt infrà dicam cap. 41. can. 6.

Posseuim. *Bellarm.* *Al. Mag.* *Alex. Al.* *Bonauen.* *S. Thom.* *Anselm.*

48 Quarta ratio ducitur ex nimia epistolæ seueritate, qua prædictos Canonicos obiurgat. Certè hanc seueritatem non esse à Bernardo alienam facile quiuis ex alijs illius epistolis coniectari poterit. Quin imò Gotfridus Monachus in eius vita cap. illo vltimo de hac styli seueritate in epistolis specialiter meminit. Addũt quintam rationem ex eo sumptam, quia author epistolæ contra Bernardi solennem vsum subtiliter admodum iuxta Scholarum morem agat. Quasi nõ occurrant in Bernardo plura subtiliora de Trinitate contra Gilbertum, & de alijs materijs contra Abailardum, & alios sui temporis hæreticos. Sextò desiderant Canonicorum Lugdunensium responsa ad Bernardum data. Quasi aliarum etiam epistolarum longè ista grauiorum inuenire liceat responsa. Desiderant etiam alias hac super re Bernardi epistolas. Imò potius si Bernardus, vt volunt, hanc epistolam non rescripsit, aliam magis necessariam, & opportunã desidero ego, in qua Nicolai de re tam graui imposturam aperiret. Mitto alias leuiores rationes de stylo, & de quorundam verborum obseruatione, quæ à Bernardo aliena videntur: vereor enim nedum hæc curiosius examinant, & vellicant, & tamen alijs validioribus rationibus illam epistolam Bernardo adimẽdam non euincunt, ipsius Bernardi iniurij exprobratores efficiantur.

49 Ad hæc illud obijciam, authores istos, cũ Nicolai illius fraudes, & cauillos extollunt, hoc argumento non parum illius astum, & dolos eleuare, vel potius opinioni suæ fidem adimere. Nam in eo certè ponenda est alicuius mendaciorum, ac fraudum architecti eximia ars, si ita res confingat, vt ea, quæ ad fal-

lendum dicit, veritatis speciem habeant. At si (vt volunt isti) propterea D. Bernard. hanc epistolã scribere non potuit, quia erat constans de festo Conceptionis vsus, & traditio apud Gallos: quia in Bernardo magnam earum rerum, quæ tunc vigebant, ignorationẽ arguit: & quia idem Bernardus cõtraria passim in suis cõcionibus vsurpabat: ob easdem certè rationes epistolam illam à Nicolao peritissimo fraudum, & dolorum artifice minimè cõfictam fuisse, deducere licet: nec enim credibile est rem illã tanta impudentia confinxisse, vt tam facilè posset mendacij insimulari. Denique de huius epistolæ authoritate me prorsus certum reddit id, quod iam subijcio: nam rationes præcipuas, quibus in ea epistola suadet Virginem in peccato originali fuisse conceptam, idem sibi similis repetit in ser. 2. de Assumptione Virginis, vbi sic habet. *Absit enim, vt proprij quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur. Quod si originalem à parentibus maculam traxit, sed minus à Hieremia sanctificatam in vtero, aut nõ magis à Ioanne Spiritu Sãcto repletã dicere, prohibet pietas Christiana. Hæc enim festis laudibus nascens celebratur, &c.* En qua ratione Bernardus in hoc sermone Virginem in peccato originali conceptam annuit, & eandem in vtero sanctificatam ijsdem argumentis conficit, quibus vtitur in ea epistola: nimirum ex similitudine Ioannis, & Hieremiæ, & ex festo Natiuitatis, quod in singulos annos agit Ecclesia. Iam ergo ab illis, qui hanc epistolam Bernardo adimunt, illud percontari libet, quid sibi velint. An non Bernardi authoritatem aduersarijs eripere contẽdunt? Atqui ea epistola de medio sublata, restat adhuc sermo iste, in quo Bernardus paria dicit, ac sentit. Licebitne etiam sermonem istum Bernardo eripere, & alteri adscribere? Non puto alicuius authoris crisim vsque adeò acrem futuram, vt præfatum sermonem Bernardo auferendum credat, cũ inter germana magis, ac propria illius opera censeatur. Si ergo non indignus eo authore sermo iste: nec etiam indigna erit epistola. Quin imò cum ex sermone constet Bernardum aliquando in ea fuisse sententia, vt Virginem in originali conceptam putaret, minimè mirandum est, si quandiù ita sentiebat, eam ad præfatos Canonicos epistolam dederit, vt ipsos à festi celebratione reuocaret.

Est igitur (me iudice) sarta, tectaque huius epistolæ authoritas, & fides incorrupta. Ex qua colligitur id, quod supra diximus, in Gallia festum Conceptionis à principibus Ecclesijs Bernardi tempore nondum vsurpatũ: quandoquidem ipse Bernardus Lugdunenses Canonicos tam seriò incusat, atque eos non aliarum Ecclesiarum, sed paucorum hominum simpliciorum exemplum insequi affirmat. An verò authoritate Bernardi inducti præfati Canonici festum illud agere desierint, non satis constat, nec aliquid suppetit, ex quo de huius rei euentu coniectari liceat. Ego quidem ita mihi persuadeo, Canonicos illos authoritate Bernardi conuictos illo tẽpore festum deseruisse: tanta enim per vniuersam late Ecclesiam sanctitatis, & doctrinæ opinione pollebat Bernardus, vt crediderim illos suam sententiam, & studium Bernardi iudicio facilè postposuisse.

§. VII.

50. Dissidium scriptorum circa historiam Gundisalui Episcopi Tolosani, qui primus Hispanis celebrandæ Conceptionis author fuit.
51. Dissidium hoc quale, ac quantum.
52. Ex confusione personarum profectum.
53. Distinguntur personæ, & adimitur confusio.
54. Conceptionis festum celebrari cœptum in Hispania sub annum 655. vsque ad 800. antequam Græci, ac reliqui Latini illud agitarent.

HACTENVS Certè in hoc capite subuertimus quidquid alij pro nostra Hispania protulerũt, 50
vt in ea Conceptionis festum ab heroicis temporibus peragi cœptum ostenderẽt: scilicet testimonium Flauij Dextri, & authoritatem Orosij elusimus, & quod etiam ex Myxtarabico Missali producebatur, argumentum refutauimus: ita vt videamur hanc gloriam nostris inuidere, quod Conceptionis Marianæ antiqui obseruatores, & cultores fuerint. Dum ergo antiqua monumenta euoluerem, vt aliquod pro gente nostra darem, quod eius in puram Conceptionem antiquum studium proderet: nihil locupletius inuenire licuit, quam id, quod tradit Bernardinus de Bustos in Officio Conceptionis, quod vt alias non semel dixi, Sixtus IIII. Romanus Pontifex probauit, & his, qui illud recitarent, gratias indulsit. Ibi ergo secunda die infrà Octauas lect. 4. sic scribitur. *De beato Gundisaluo Archiepiscopo Tolosano, qui propter singularem erga Dominam nostram deuotionem eius Capellanus nuncupatus est, legitur quod quotiescunque celebrabat, aderat ei Virgo benedicta. Cum autem in die Conceptionis eiusdem se ad sacrosancta Missarum solemnia prepararet, apparuit illi Dei genitrix Maria, eique vnam mundissimam plantam niueo candore radiantem tradidit dicens: Scias Gundisalue me sine originali macula fuisse conceptam. Reuerenter*

Bernardinus de Bustos.

renter ergo festum intemeratæ Cōceptionis meæ celebrare procura. Archiepiscopus verò non surdus auditor compsuit pulcherrimum de Conceptione Virginis tractatum, ordinauitque festum Conceptionis per totam Hispaniam solenniter celebrari, totoque vitæ suæ curriculo annuatim publicè de Cōceptione Beatæ Virginis omni, qua potuit, eloquentia perorauit. Hactenus Bustos. Et quidem sedulo inquirens alium aliquem, qui præfatæ historiæ mentionem faceret, vt illi quomodolibet fidem compararem, incidi

Pelbart. in Pelbartum à Themesuar, qui lib. 4. Stellarij, par. 1. ar. 3. eandem, sed aliter narrat his verbis. *Ildephonsus Archiepiscopus Tolosanus, cui Beata Virgo sæpius apparebat, & obtulit ei de Paradyso vestem Sacerdotalem, quæ adhuc inibi seruatur, commisitque eidem, vt celebraret annuatim festum Conceptionis suæ: vnde ille tractatum composuit, in quo probat, ipsam sine originali conceptam fore: qui tractatus, siue liber ab ipso editus tantum Virgini complacuit, quod illi librum ipsum manu tenenti apparuit, & pro tali opere gratias egit.* Accedit etiam

Tritem. Tritemius, qui in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis hæc scribit. *Beatus Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus constituit, vt celebraretur solennitas Virginis Mariæ ante natalē Domini, quæ iam obtinuit, vt per vniuersam Ecclesiam in honore purissimæ Conceptionis illius celebretur sexto idus Decembris.* Addit verò huius obsequij ergò à Virgine accepisse cœlitus cathedram, in qua doceret.

Cum hæc legissem attentius, tantamque discordiam scriptorum mente voluerem, se-

51 dulo mecum agitaui, quid de hac historia censendum, & decernendum foret, vt tantam discrepantiam ad concordiam adducerem. Nam si nomen obserues eius, de quo historia loquitur, Bustos *Gundisaluum*. Pelbartus, & Tritemius *Ildephonsum* rescribit: si sedem animaduertas, Bustos certe, ac Pelbartus *Tolosanum Archiepiscopum*, Tritemius *Toletanum* asserit: si rei narratæ filum considares: quamuis aliqua in Ildephonsum quadrent, pleraque tamen ab illo aliena sunt. Nam neque de pura Conceptione opus aliquod scripsit Ildephonsus, vt dicunt Bustos, & Pelbartus: neque de Conceptione orationes, aut homilias habuit, vt narrat Bustos. Nam cum sanctissimi huius Præsulis homiliæ non paucæ de Natiuitate, de Purificatione, & de Assumptione Virginis extent, nullus de Conceptione sermo legitur: neq; etiam quispiam de Ildephonso illud narrauit, quod scilicet illi Missas celebranti Beata Virgo semper adesset, neque planetam inter Missarum solennia, sed noctuante matutinas horas Virginis dono accepit. Quod verò Tritemius de cathedra cœlitus Ildephonso missa scribit, ex ignoratione rerum nostrarum fluxit: siue quia forsan apud aliquem mendose pro casula cathedram legit: siue quia cum legisset, Virginem in cathedram descendisse, ex qua Ildephonsus ad populū verba faciebat, vti vera habet historia, non bene rem callens putauit cathedram ipsam Ildephonso à Virgine donatam. Item festum Expectationis cum festo Conceptionis confundit, ac permiscet Tritemius. Non parum etiam aberrat, cum dicit, istiusmodi festum ab Ildephonso demandatum: cū constet, illud ante Ildephonsum in Concilio Toletano X. fuisse præscriptum. Denique multa sunt in eiusmodi historijs dissona, multa discordia. Quid ergo dicendum?

Sanè ego in eam sententiam pendeo, vt credam, scriptorum errorem ex eo fluxisse, 52
quia ex duabus historijs vnam, & ex duobus hominibus vnum sibi finxerunt: atque adeò, quæ vnius erāt, alteri vicissim dedere. Quam verò familiaris sit error iste confundendi, ac permiscendi personas antiquis historicis, nemo nescit. Si profana consulamus, illud satis obuium, veteres Scriptores ex pluribus vnum Herculem conflasse. Si adeamus sacra, illud etiam in promptu est, duos Zacharias, scilicet Ioannis Baptistæ patrem, & ex duodecim Prophetis alterum, ab interpretibus cōfuse permixtos. Aliqui etiam asseuerant eodem errore vnam Magdalenam factam similiter ex duplici, scilicet ex sorore Lazari, & ex ea, quæ in ciuitate peccatrix erat. Si Ecclesiasticas euoluamus historias, offerent certè nobis passim similes errores. Dabunt enim vnum ex duobus Iacobis, nimirū ex eo, qui Minor Iacobus inter Apostolos dictus est: & altero, qui inter Christi Discipulos fuit numeratus. Dabunt quoq; ex duobus Cyprianis vnum, scilicet ex Carthaginensi Episcopo, & ex altero, qui magicas artes ante conuersionem coluit. Mitto alia, & alia eiusdem deceptionis exempla, quæ nulli non comperta sunt. Ex hoc igitur tam vulgari, & aliàs consueto errore profectum puto, vt supra adscripti authores Gundisalui Archiepiscopi Tolosani, & Ildephonsi Toletani duas historias confusas, & indiscretas posteris dederint.

Quapropter vt confusa, mixtaque distinguamus. Dicendum est, Sanctum Ildephon- 53
sum Toletanum Antistitem nihil de festo Cōceptionis demandasse, neque huius festi per id tempus, quo Ildephonsus vixit, aliquem in Hispania vsum fuisse, vt supra §. 2. non leuibus rationum momentis confirmaui. Deinde etiam dicendū, post Ildephonsum fuisse alium aliquem Gundisaluum, aut Gundisaluum: non quidem Toletanum Archiepiscopum (nullus enim in veterum Toletanorum Antistitum Catalogo occurrit, qui hoc nomine insignitus fuerit) sed Tolosanum, in quem ea omnia quadrant, quæ Bustos narrat in suo Officio. Hic enim sincerius historiam scripsisse, & Gundisaluum ab Ildephonso discretum dedisse videtur. Itaque Gundisaluo Tolosano id tantummodo commune fuit cū D.

Ilde-

Ildephonso Toletano, quod vterque planetam cœlestem Virginis beneficio accepit (quod alteri etiam Episcopo contigisse memoria proditum est, qui Bonitus dicebatur.) Reliqua verò discrepant, ac dissimilia sunt. Quapropter illud Gūdisalui proprium, quod ipsi sacrum facienti Virgo semper adesset: quod illum in die Conceptionis Marianæ Missam dicere meditantem Virgo eadem cœlesti planeta condecorauerit: quod festum hoc quotannis agere iussus paruerit, illiusque per totam Hispaniam solennem vsum sparserit: quod de pura Virginis Conceptione librum, & sermones scripserit, eadem Virgine approbante, & annuente. Neque enim fas est credere, Bernardinum de Bustos in Officium illud, quod toti Ecclesiæ recitandum dabat, aliquid retulisse, quod ab aliquo locuplete authore non hauserit, aut eiusmodi Officium à Sixto IIII. probatum, & commendatum fuisse, sine diligenti, accuratoque examine eorum, quæ in ipso rescripta sunt. Denique hanc suspicionem confirmat antiqua traditio Ecclesiæ Tolosanæ, quæ inter suos Antistites numerat etiam Gundisaluum quendam (vt ex literis eruditissimi cuiusdam viri didici, qui à me percōtatus eiusdem Ecclesiæ monimenta euoluit) huius tamen historiam, aut tempus vitæ, deletis sæculorum iniuria vestigijs, non satis tenet. Hunc igitur Gundisaluum Tolosanum Archiepiscopum, cuius ignorantur gesta, & tempus, ipsissimū illum reor, cuius authores præfati meminerunt: dignum plane, vt ipsius memoriam Tolosates accuratissime vestigent, & obseruantissime colant.

54 Illud ergo nunc discutiendum, qua ætate vixerit iste Gundisaluus: inde enim constabit, ex quonam tempore apud Hispanos Cōceptionis festum viguerit. Imprimis certum nomen hoc Guidisalui, aut Gundisalui Gothicum esse. Secundo illud etiam compertum, & exploratum, Narbonensem Galliam, ad quam spectat vrbs Tolosana, olim antequam Sarraceni Hispaniam occupassent, ita sub imperio, & ditione nostrorum Regum fuisse, vt Ecclesiæ Hispanicæ ritus teneret, & Episcopi illius regionis, non secus quam alij Hispaniarum Præsules ad Concilia Toletana conuenirent, vt ex ipsismet Conciliorum actis constat. Quapropter per id tempus, & ab Hispania ad Galliam Narbonensem, & inde ad Hispaniam mores, & deriuari, & effundi potuerunt. Tertiò denique illud non minus ratum, ac certum, ab eo tempore, quo Sarraceni Hispaniam obtinuerunt, Narbonensem Galliam ab Hispania segregatam, & seclusam nunquam amplius cum illa, nec in prophanis, nec in sacris cōmertium, aut societatem habuisse. Quapropter cum præscripta historia affirmet, præfatum Gundisaluum Tolosanum Præsulem festum Conceptionis per cunctam late Hispaniam sparsisse: id certè ante Sarracenorum Imperium factum videtur: tunc enim ob illius regionis cum reliqua Hispania communem, & frequentem vsum, & Ecclesiarum vtriusque nationis conformes mores fieri potuit, vt aliquid ex Narbonensi Gallia profectum totam Hispaniam peruaderet, quod subinde Narbonensi Gallia, & Hispania dissociatis, haud credibile est accidere vnquam potuisse. Suadet etiam hoc nomen Episcopi, quod etiam Gothicum est: atque adeò ad illud tempus spectare videtur, in quo Gallia Narbonensis subGothorum ditione erat. Quod si hæc coniectura aliquid valet, dicendum prorsus id post Diui Ildephonsi ætatem proximè contigisse eo tempore, quod inter illum, & Hispaniæ euersionem fluxit: nimirum ab anno 655. quo vixit Sanctus Ildephonsus (nam sub id tempus festum Conceptionis apud Hispanos nequaquam agi solitum suprà §.2. manifestis rationibus euicimus) vsque ad annum ferme octingentesimum, quo Hispania ab Ismaelitica gente vexata, & subuersa est. Quapropter cum ex dictis supra §. 5. satis constet, festum Conceptionis in Italia quidem, & Hungaria post annum octingentesimum quadragesimū celebrari cœptum: in Anglia verò, & in Gallia deinceps post annum millesimum inchoatum fuisse: adde etiam cum probabile sit Græcos hanc festiuitatem, imperante Leone sapiente, circa annum nongentesimum vsurpare cœpisse: relinquitur nostros Hispanos primos puræ Cōceptionis celebratores, & actores fuisse, & initium huius festi in Hispania datum, antequam alibi celebre esset. Cæterum hæc coniectura, & suspicio est: atque adeò alijs examinandam, & discutiendam relinquo.

Ea verò, quæ sub his temporibus, tàm in Hispania, quam in alijs mundi regionibus pro Immaculata Conceptione, siue dicta, siue facta, siue statuta fuere, infrà suis omnia sęculis appingam eo ordine, quo illa euenisse constat.

AN

AN ETIAM EX FESTO NAtiuitatis Immaculatam Virginis Conceptionem comprobare liceat.



CAP. XXXVI.



1. *Premuntur illustria quædam verba S. Ildephonsi pro immaculata Conceptione.*
2. *Ecclesia olim celebrans Natiuitatem B. Virginis, eius originalem innocentiam profitebatur, secundum Ildephonsum.*
3. *Duæ sunt Natiuitates, alia in vtero, & alia ex vtero: vtramque verò ab Ecclesia in festo Natiuitatis coli sentit Ildephonsus.*
4. *Ecclesia celebrans Natiuitatem Mariæ plus illi defert, quàm Ioanni, cum Natiuitatem eius solennem agit.*
5. *Argumentum ex collatione vtrius Natiuitatis, Ioannis scilicet, atque Mariæ, bene confirmauit S. Ildephonsus.*
6. *Non ita bene D. Thomas.*
7. *Melius Bernardus, non quidem in Epistola ad Lugdunenses, sed in sermone de Ioanne Baptista.*
8. *Optimè Diuus Anselmus cum Ildephonso cõsentiens.*
9. *Duas illas Virginis Natiuitates in vtero, & ex vtero ab Ecclesia sub vno festo Natiuitatis celebratas suadetur alijs testimonijs.*
10. *Non propterea otiosum est Conceptionis festum.*

1 
HAC De re supra aliquid cap. 21. præmisi: nunc mihi hæc thesis seriò examinanda est, vti & nostri Ildephonsi de hac re sententiam constabiliam, & si fieri posfit, aliquid antiquius pro immaculata Virginis Conceptione producam. Et sanè quid de festi huius antiquitate, tàm apud Græcos, quàm apud Latinos censuerim, superiori capite aperui. Nunc illud affirmare ausim, antiquam Ecclesiam in ea persuasione semper fuisse, vt putaret (quod vix credas) se per festi Natiuitatis celebrationẽ, puram Virginis Conceptionem profiteri. Fidem huic nostræ opinioni facit Diuus Ildephonsus, cuius hac de re integram sententiam subscribere, atq; expendere perplacet, ex qua aliqui nihil pro Conceptione confici contra ius, fasque pronunciarunt, & locupletissimum testimonium nobis eripuerunt ex his, quibus Patres Virginis innocentiam impollutam asseuerant. Hic ergo in libro illo de Parturitione, & Virginitate Mariæ hęc habet verba, quæ scholijs interiectis explicabo. *Propterea verò caro eius iam non verè caro peccati fuit, in qua Deus totum infudit, & Verbum, quod sine peccato est, ad nos venit. Qui iure non solum legem naturæ inuitiatæ nascendo non tenuit, verè nec legem primæ originis, quam haberent fœminæ, si mandatum seruasset omnium Eua in Paradyso.* Quasi dicat, Christus Dominus in sua Natiuitate non modo parentem suam sordibus, onere, ac labore liberauit, id efficiens, vt iuxta leges naturæ inuitiatæ, & innocentis fœtum ederet: sed aliquid amplius matri indulsit, quod scilicet nulla mulier assequeretur, etiamsi mandatum Dei vterque coniux Adamus, atque Eua minime violassent: nimirum vt incorrupta conciperet, atque virgo pareret: id enim omnia etiam inuitiatæ naturæ iura superat. Inde igitur elicit Ildephonsus id, quod præmiserat, scilicet carnem Virginis carnem esse ab omni peccati sorde immunem. Si enim Maria non modo in partu suo naturæ omnis peccati expertis leges tenuit: sed etiam alia supra naturam omnem etiam puram, & incorruptam iura seruauit: quis asserere hoc audeat, ipsam aliqua in re naturæ iam corruptæ, & per culpam vitiatæ, ac violatæ legibus obnoxiam fuisse, vt propterea peccatum originale contraxerit? Nullus certè. Hæc est priorum verborum sententia. Subiungit statim. *Ildeph.*

Aliàs autem quomodo Spiritu Sancto eam replente, non sine peccato originali fuit, cuius etiam Natiuitas gloriosa, Catholica in omni Ecclesia Christi ab omnibus fœlix, & beata prædicatur. 2
Subdit aliam rationem, quæ sic habet. Si tũc cum Spiritus Sanctus in Virginem superuenit, & ipsam affatim gratia sua impleuit, adhuc in originalis peccati sordibus, ac fecibus hærebat, quomodo Natiuitatem eius

tanto honore, & cultu prosequitur Ecclesia? Quomodo illã tanto studio celebrat, ac deprædicat? Quasi dicat, tantum abest, vt tunc in illis fæcibus Virgo iacuerit, vt illam in ipsa Natiuitate sanctam fateri Ecclesiæ ipsius certa persuasio nos cogat. Addit: *Enim verò si non beata esset, & gloriosa, nequaquam tam festiua celebraretur vbique ab vniuersis: sed quia tam solenniter colitur, constat ex authoritate Ecclesiæ, quod nullis, quando nata est, subiacuit delictis, nec contraxit in vtero sanctificata originale peccatum.* Non solùm (inquit) ex festi huius celebratione Virginem in sua Natiuitate ex vtero in hanc lucem culpa omni vacasse annuit Ecclesia: sed vlterius etiam aliquid adsignificat, scilicet ipsam in primo suæ Conceptionis articulo sanctitate, & iustitia donatam peccatum originale minimè contraxisse. Hæc est virtus superiorum verborum. Nec cum hac sententia pugnant ea, quæ subinfert: *Vnde etsi Hieremiæ dies, atque Iob maledicta prædicatur, dies inquam Natiuitatis eorum: tamen dies, in qua incohata est Mariæ Natiuitas, beata pronuntiatur, & colitur religiosè satis, &c.*

3 Vt autem horum verborum, atque sequentium vim capias, præmittere necessum est, duas Natiuitates esse: aliam quidem fœtus in vtero: aliam ex vtero, vt erudite satis obseruauit noster Vazquez 3.par.disp.114.cap. vltimo, nu.35. non ex suo marte, sed ex antiquorum Scholasticorum doctrina. Quibus addere etiam possumus Aristotelem in lib.2. Physicorum, cum de naturæ acceptionibus agit. Constat autem hoc ex illo Matt.1. quod Angelus ad Ioseph dixit: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Quæ cum dicta sint de Maria sacrum fœtum adhuc in vtero gerente, de Conceptione illius intelligi debent. Simile est illud Lucæ 1. Gabrielis ad Mariam: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Neque enim Gabriel significare voluit his verbis sanctitatē Christi, quam tunc habiturus esset, cum ex vtero edendus erat in hanc lucem, sed eam quæ ipso in vtero, & in ipsa Conceptione ex diuinitatis consortio, & commertio eidem euenire oportebat. Mitto alia scripturæ exempla: sunt enim valde obuia. His ergo præstabilitis, existimo Beatum Ildephonsum, tum in his, tum etiam in consequentibus verbis Natiuitatis vocabulum latiori significatione, quatenus vtramque Natiuitatem in vtero, & ex vtero complectitur, vsurpasse. Suadet hoc ipsius sermonis filum, & series, quæ vix aliter concinnari potest. Idem etiam suadent illa verba: *Quando incohata est fœlix Mariæ Natiuitas.* Videtur enim Natiuitatis inchoationem ipsam Conceptionem appellare. Ad hæc id, quod supra præmisit: *Non contraxit in vtero sanctificata originale peccatum.* Et quod infrà subdit: *Constat eam ab omni peccato originali fuisse immunem:* non solùm significat Beatam Virginem ante Natiuitatem emundatam a culpa originali, sed etiam seruatam omnino, ne illam contraheret, nisi illis manifesta vis inferatur. Sensus ergo superiorum verborum is est: cum inter illum diem, in quo tum Iob, tum Hieremias, vel nati, vel concepti dicuntur: atque illum, in quo Mariæ Natiuitas, non solùm perfecta, sed etiam inchoata est: nimirum ex quo cœpit nasci in vtero, vt tandem aliquando ex eodem vtero in hanc lucem prodiret, hoc planè intersit, quod Iob, ac Hieremiæ dies maledicta prædicatur: Mariæ autem dies fœlix, & beata dicitur: planè inde sequitur eam illa in die sanctam, & iustam extitisse, qua illi peccatores, & rei fuerunt. Et quidem Natiuitatis nomine in hoc loco vtramque intelligi debere, eam scilicet quæ in vtero, & quæ ex vtero, ex eo mihi colligere videor, quia absolute negat id enunciari posse de Mariæ ortu, quod de Iob, atq; de Hieremia. Atqui de Iob sic habes in c.3. *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo.* Quibus verbis Conceptionem, & ortum complexus est. Hieremias autem sic ait: *Maledicta dies, in qua natus sum, dies, in qua peperit me mater mea.* Existimo autem locum istum omnino similem sententiam cohibere, atque hæc verba, nec latum vnguem diffidere à verbis Iob: atque adeò verbum *natus sum* ad Conceptionem esse referendum, ita vt sensus sit: vtraq; dies maledicta, & infœlix, tam illa, in qua natus in vtero, id est, conceptus sum, quam illa, in qua peperit me mater mea, id est, in lucem edidit. Cum ergo id totum excludat à Natiuitate Mariæ, profectò inde fit ipsum in ea mente fuisse, vt Virginis sanctitatem in vtraque Natiuitate ex aduerso assereret, atque vtramque Natiuitatem ab Ecclesia celebrari, & beati existimaret. Quapropter cum statim de Maria attexit: *Quod si in peccato esset, iure maledicta diceretur, & gemebunda potius, quam benedicta, quando nunciatum patri eius, quod nata esset in hoc sæculo.* Illud *nata esset*: non est certe partui adstringendum, sed ad Conceptionem etiam extendi debet: iuxta illud Iob. *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo, &c.*

4 Denique totam sententiam sic absoluit Ildephonsus: *Nunc autem quia vniuersam benedictione sua illustrat Ecclesiam, non immeritò sanctificata Spiritu Sancto colitur veneranda.* Hæc perspicua sunt: adnectit. *Nullius igitur Natiuitas celebratur in mũdo, nisi Christi, & eius, atque Ioannis Baptistæ, quia ipse in vtero sanctificatus legitur: sic & Beata Virgo, nisi in vtero sanctificata esset, minimè eius Natiuitatis dies colenda esset. Nunc autem quia ex authoritate totius Ecclesiæ veneratur, constat eam ab omni originali peccato fuisse immunem, per quam non solùm maledictio Euæ soluta est: verumetiam benedictio omnibus condonatur.* Hic est nodus, quia videtur Virgo cum Ioanne

Vazquez. *Aristot.* *Matth.1.* *Lucæ 1.* *Iob.3.* *Hierem.* *Ildeph.*

Baptista

Baptista conferri, sed non præferri ab Ildephonso. Absit vt id credam. Confertur quidem, non inficior, sed facile illi præfertur. Ponendum autem est, illa verba: *Constat eam ab omni originali peccato fuisse immunem*, id sibi velle, quod superiora illa: *Non contraxit in vtero sanctificata originale peccatum*: atque vtraque ita capi debere, vt sonant, de omnimoda Virginis munditie à culpa originali. Sensus ergo superiorum verborum hic est: Ecclesia certè Christi, Mariæ, & Ioannis Natiuitates concelebrat: Christi quidem, quia nunquam non sanctus fuit: Ioannis verò, quia in vtero Elizabeth post sex menses sanctificatus creditur. Igitur cum Mariæ quoque Natiuitatem similem ad modum Ecclesia obseruet, colatque, vt minimum fateri oportet, ipsam in vtero sanctificatam: *Nunc autem quia ex authoritate totius Ecclesiæ, &c.* Pendenda sunt illa verba: *Nunc autem*, quæ vim habent dictionis aduersatiuæ, quibus aliquid maius de Maria, quam de Ioanne se pronuntiare planè ostendit D. Ildephonsus. Itaque sensus est: nunc autem cum constet Virginem Ioanni præferendam, quæ ideò condita est à Deo Optimo Maximo, vt per illam maledictionem Euæ solueret, ac nobis benedictionem condonaret: eadem Ecclesia plus Mariæ, quam Ioanni deferendum putans, Natiuitatem eius ita celebrat, vt non solùm ipsam ea celebritate in vtero matris, Ioannis in modum, à peccato originali mundatam: sed quod dignius est, illam ab omni peccato originali prorsus immunem fuisse profiteri velit. Itaque per aduersatiuam illam: *Nunc autem, &c.* Sanctus Præsul (vti ego reor) Natiuitatem Virginis, non solùm eodem iure cum Ioannis Natiuitate ab Ecclesia coli, & obseruari significauit, sed etiam eodem iure cum Christo: ita nimirum vt sicut vtraque Christi natiuitas in vtero, & ex vtero, sancta, atque adeò cultu, & obseruatione digna est: ita etiam Mariæ natiuitas. Quapropter mens D. Ildephonsi est, Ecclesiam sub vnius Natiuitatis nomine vtramque Virginis Natiuitatem venerari, ac colere: scilicet eam, quæ in vtero per Conceptionē, & fœtus animationem contigit, & eam, per quam ex vtero in hanc lucem progressa est.

5 Et quidem ego ita reor, eam semper fuisse totius Ecclesiæ ratam, ac certam persuasionem. Quod, vt alias rationes citatis locis à me conformatas omittam, hoc vnico Beati Ildephonsi argumento (me iudice) euinci videtur. Ecclesia vniuersa Natiuitatem Virginis concelebrans, aliquid maius, ac dignius de Virgine ab initio sensit, quam de Ioanne: sed in Ioanne sanctificationem eius in vtero colit: ergo in Maria omnimodam immunitatem à peccato originali sibi colendam putat. Maiorem propositionem ratio, & authoritas confirmat: ratio quidem est in promptu, quia cum Virgo omnibus nominibus Ioanne dignior, ac præstantior sit, digniora, ac præstantiora de ipsa meditari, ac cogitare oportet. Hinc Hieronymus, *Hieron.* vel Sophronius in Epistola de Assumptione in vniuersum id docet, Virginis priuilegia semper esse ampliora, & nobiliora. *Beatam* (inquit) *& gloriosam Virginem Mariam credendum est ampliora promeruisse virtutum priuilegia, & promeruisse etiam gratiam ab Angelis collaudatam.* Pende illas voces, *ampliora priuilegia*: significant enim priuilegia, & prærogatiuas sanctissimæ Deiparæ super omnia aliorum hominum priuilegia, & immunitates semper esse amplianda. Sanè vt commune habet iurisperitorum effatū: *Priuilegia sunt stricti iuris*: quod quidem in omnibus alijs hominibus locum habet: in Virgine autem non sic, sed illius priuilegia nunquam restringenda, & coarctanda, sed amplianda, & extendenda sunt. Nec modo supra homines, sed etiam supra Angelos extollenda Virginis priuilegia (inquit Hieronymus) quia eius gratiam non homines modo, sed Angeli etiam ipsi suspiciunt, & admirantur.

Et quidem Diuus Thomas 3. p. quæst. 27. *D. Thom.* ex sanctificatione Ioannis in vtero sic pro 6 Virgine argumentatur. *Rationabiliter enim creditur, quod illa, quæ genuit vnigenitum à patre plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus alijs maiora priuilegia gratiæ acceperit. Vnde & legitur Lucæ 1. Angelus ei dixit: Gratia plena.* *Lucæ 1.* Quid inde? Subdit Angelicus Doctor. *Inuenimus autem quibusdam alijs hoc priuilegialiter fuisse concessum, vt in vtero sanctificarentur, sicut Hieremias, cui dictum est Hierem. 1. Antequam exires de vulua, sanctificaui te, & sicut Ioannes Baptista: de quo dictum est, Luc. 1. Spiritu Sancto replebitur ex vtero matris suæ. Vnde rationabiliter creditur, quod B. Virgo sanctificata fuerit, antequam ex vtero nasceretur.* Obserua, si ita libet, hanc D. Thomæ consequētiam, & illationem, ac facilè agnosces maiorem illam propositionem maius aliquid, ac dignius continere, ac spirare, quam in cōsequutione depromitur. Nam maior propositio Virginem reliquis mortalibus anteponit priuilegiorum gloria: consequutio autem eandem Ioanni exæquat: vt proinde aliquem alium producere opus sit, qui ex propositione illa nobili aliquo fœtu prægrauida præstantioris alicuius consequentiæ partum proliciat. Ergo Albertus Magnus, Bonauentura, Richardus, & ex his alij in 3. distinct. 3. in id adnitentes ad hunc modum proliciunt. *Albertus Magnus. Bonauen. Richard.* Certum, ac constans est Deiparentem digniora præ omnibus alijs mortalibus priuilegia fuisse adeptam: sed Ioannes in vtero matris sanctitate donatus creditur, scilicet sexto post Conceptionem mense: ergo Virgo Deipara in vtero quoque sanctificata fuit: sed otius, ac maturius, sub ip-

ſa nimirum Conceptione immediatè, ac proximè, ita vt per inſtans ſolùm in peccato originali fuerit. Adde etiam quod in prima iſta ſanctificatione vberem magis, ac copioſam gratiam obtinuiſſe putanda eſt. Hæc illi. Sed ſi ad dignitatem Virginis comparentur, neſcio an liceat illud de hac conſequutione enunciare: *Parturiunt montes, &c.* Minora profectò ſunt iſthæc, quam quæ poſitio illa prior portendit, ac parturit.

7 Bernar. Ergo Diuus Bernardus omne mihi punctum videtur tuliſſe: non quidem in ea Epiſtola ad Lugdunenſes: ibi enim hoc Virginis priuilegium non parum coarctauit, cum dixit: *Quod vel paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum: fas certè non eſt ſuſpicari tantæ Virgini fuiſſe negatum, per quam omnis mortalitas emerſit ad vitam. Fuit ergo proculdubio, & mater Domini ante ſancta, quam nata.* Heu quam etiam impar antecedenti conſecutio! Incuſarem planè tuum (ô Bernarde) in Virginem ſtudium, niſi alibi hanc illationem certiori, ac veriori ratiocinatione confeciſſes. Hic ergo in ſermone de Ioanne Baptiſta ſic habet: *Cum omnes in iniquitatibus concepti ſint, neminem vnquam mortalium intra materna viſcera ſanctificatum legimus, præter Hieremiam, & Ioannem Baptiſtam. Quanquam & de ſingulari Virginis nulla ſit ambiguitas: quin ipſa maternis circumſepta viſceribus ſublimiori ſanctificationis genere mundata ſit, in qua Deus, & Dei filius carnem fuerat ſuſcepturus.* Iam video tibi ſatis diſplicere vocem illam *mundata fuerit*: optarem ego etiam Bernardum ea vſum non fuiſſe, ne tibi ſcrupulus aliquis reliquus eſſet. Sed tamen, aut Bernardus explicandus eſt iuxta ea, quæ infrà dicemus cap. 41. canon. 4. vbi ſimiles alias Patrum locutiones bonum ad ſenſum vocabimus: aut certè id ſolùm ex Bernardo ſumendum, quod ratiocinationis vis ab illo extorſit: ſcilicet Virginem ſublimiori, ac digniori ſanctificationis genere in Annæ viſceribus fuiſſe donatam. Itaque ſanctificationem Virginis non temporis anticipatione, aut magnitudine tantum, ſed quodammodo etiam genere ſuo à ſanctificatione Ioannis diſtinguendam putat Bernardus: ſic nimirum, vt ad ſublimius aliquod genus reuocanda ſit. Atqui ſi qua eſt iuſtitia, aut ſanctitas, quæ ex ſuo quodammodo genere à communi hominum iuſtitia, & ſanctitate differat: certè hæc non eſt alia, niſi iuſtitia, & gratia originalis, quæ cum tot alias gratias ſibi comites aſciſcat, quibus vulgaris iuſtitia deſtituta eſt: eius profectò differentia, etſi re ipſa, ac phyſicè accidentalis ſit: tamen moraliter ſubſtantialis quodammodo videtur.

8 Et ſanè conſequentiæ ipſius vim id expoſcere, vt Virgo non tantum anteriori ſanctitate, ſed etiam ſublimiori ſanctificationis genere præ Ioanne adornaretur, facilè apparebit, ſi Mariam cum ipſo Ioanne componamus. Nam ratio, propter quam Ioannem alijs hominibus præferri oportuit, ea certè eſt, quam non ſemel obſeruauit Diuus Auguſtinus: quia nimirum in Chriſti præcurſore, ac prænuntio oportebat gratiam, & iuſtitiam præcurrere, ac præuerti: itaque aptatum eſt priuilegium officio, & muneri, quo Ioannes fungebatur. Auguſt. Ergo in Maria etiam priuilegium, & prærogatiua ſanctificationis ſimilem ad modum ei muneri accommodari debuit, quod ipſa obibat: ita plane. Hæc igitur eſt noſtri D. Ildephonſi euidens (me iudice) conſequutio, cum ait: Ildeph. *Conſtat eam ab omni originali peccato fuiſſe immunem, per quam non ſolùm maledictio Euæ ſoluta eſt: verum etiam benedictio omnibus condonata.* Quaſi dicat: ſi gratia diuina ei muneri adaptari debuit, quo Virgo functa eſt: cum Maria Virgo mediatricis munus egerit, vt ea, quæ per Euam in nos effuſa eſt, maledictio culpæ originalis diſſolueretur, ac benedictionem pro maledictione cuncti haberemus: fateri opus eſt ipſam ei maledictioni minimè ſubiacuiſſe: id enim muneris præſtiti decentia poſtulabat. Huic enim muneri nequaquam fieret ſatis, ſi gratia tantummodo, & iuſtitia in ipſa, pluſquam in Ioanne, maturaret, niſi ita præcurreret, vt peccato, & maledictioni ſedem præriperet, & locum præueniendo præoccuparet. Eandem prorſus conficit rationem Diuus Anſelmus in ſermone illo de Conceptione, qui legitur in Breuiario Eborenſi, & Anſelm. in Bernardino de Buſtos, vbi Virginem, tam Ioanni, quàm Hieremiæ præferendam ex officio mediatricis deducitur. *Vtique diuina voce dicitur ad Hieremiam: Priuſquam te formaſſem in vtero, noui te, & antequam exires de ventre, ſanctificaui te. De Ioanne quoque Angelus, qui eum naſciturum prænunciabat, aſſeruit, quod ſpiritu repleretur à Deo ex vtero matris ſuæ. Si igitur Hieremias, qui in gentibus erat Propheta futurus, in vulua eſt ſanctificatus, & præcurſor Domini Ioannes Spiritu Sancto ex vtero matris eſt repletus: quis differere audeat totius ſæculi propitiatorium, & vnici filij Dei omnipotentis verum, ac dulciſſimum reclinatorium mox in ſuæ Conceptionis exordio Spiritus Sancti gratiæ illuſtratione deſtitutum?* Pende illa verba: *totius ſæculi propitiatorium*, ac videbis Anſelmum ab D. Ildephonſo non diſcedere. Id igitur ſibi voluit noſter Ildephonſus, & quod caput eſt, totius Eccleſiæ mentem, & conſilium id eſſe affirmauit, quæ Natiuitatis Marianæ feſtum concelebrans, aliquod dignioris, & præſtantioris ſanctificationis genus Virgini, quam Ioanni ſe deferre nunquam non putauit. Id autem non eſt

aliud

aliud, nisi illud, quod dignitati ipsius maximè congruum existimauit, scilicet immunitatem ab omni peccato originali. Cui ego libenter acquiesco, & vt hanc fuisse antiquam totius Ecclesiç persuasionē credam, aliquibus argumentis inducor.

Primum est ipsius Beati Ildephonsi authoritas, qui id non addubitans, aut ex aliqua coniectura, sed pro certo dicit. *Nunc autem quia ex authoritate totius Ecclesia veneratur, constat eam, &c.* Quanti autem in his, quæ ad Virginem spectant, D.
9 Ildephonsi sententia momenti habeat, nemo nescit. Sed tum maximè liber iste de
Ildeph. Parturitione, & Virginitate Mariæ authoritatis est dignioris. Nam vt in eius actis refertur, statim atque huic libro manum extremam imposuit, & labor eius per SanctamLeocadiam probatus, & commendatus fuit, & ipse pro ea gratia Virgini impensa cœlesti veste condecoratus est. Accedit etiam Damasceni suffragium, quem si attentius legas in duplici illa oratione, quam de Mariæ Natiuitate conscripsit, illum in hac sententia fuisse facilè agnosces. Nam in priori oratione, vti se vtramque illam Natiuitatem in vtero, & ex vtero venerari
Damasc. ostenderet, ab ea incipit, quæ in vtero est de Immaculata Virginis ex Ioachim, & Anna conceptione multa præfatus, & in eam, quæ ex vtero est, tandem desinit. In posteriori autem cum multa iuxta Euangelij lectionem de Virginis progenitoribus perorasset, ad festum denique rediens ita inquit. *Verum ad natalitium festum rursus nos conferamus.* Et post hæc verba plura de Conceptione, quam de Natiuitate serit. Licebit etiam id ipsum in alijs Sanctorum sermonibus speculari. Addo etiam aliud argumentum, quod ex reuelatione illa Helsimo Abbati exhibita peti potest, vbi sic Angelus ad Helsimum: *Omne Officium, quod dicitur in eius Natiuitate, dicetur in eius Conceptione*: vbi illud obserua, ne id quidem demandatum fuisse Helsimo, vt Natiuitatis nomen in Conceptionis vocabulum permutaret, sed absolute dictum,
Anselm. vt idem omnino Officium recitaret, etiam Natiuitatis nomine retento: non alio consilio, vt arbitror, nisi vt Angelus ostenderet, Natiuitatis nomen vtramque illam iam præmissam Natiuitatem in vtero, atque ex vtero complecti. Nam quamuis aliqua illius Epistolæ exemplaria subijciant illa verba: *Excepto quod nomen Natiuitatis mutabis tu in nomen Conceptionis*: in pluribus tamen desiderantur. Ex quo illud elicio, prudenti admodum Ecclesiæ Romanæ consilio factum, vt vnum idemque Officium pro vtroque festo sit: vt vel ex hoc constet hanc Ecclesiæ ipsius mentem esse id agere, ac venerari sub eo Conceptionis nomine, quod prius sub Natiuitatis vocabulo venerabatur, ac colebat.

At inquies, ergo otiosum est Conceptionis festum? Minime verò: sanctissime enim, ac consultissime sancitum est ab Ecclesia, vt illæ duæ Natiuitates, quas olim vnicum festum copulabat, singulis festis condecorarentur. Nec dissimile est id, quod iam subijcio. Si Apostolorum Constitutiones adeas, agnosces planè festum Natiuitatis Christi Domini ab Apostolis demandatum: de Incarnatione verò nihil ab ipsis pro tota Ecclesia decretum fuisse: & id quidem apud plærasque Ecclesias diù seruatum nemo nescit. Nec dubium, quin tunc Ecclesiæ illæ sub vno festo Natiuitatis Christi ipsius etiam Incarnationem venerari se putarent: vt colligere licet ex Cypriano, & alijs antiquis Patribus, qui suas orationes de Natiuitate Saluatoris ab Incarnationis laudibus ferme auspicantur. Deinde verò successu temporis, vel si fas est ita credere, in aliquibus Ecclesijs priuatis, vt in nostra Hispania, atque alijs à nonnullis Apostolorum ita definitum fuit, vt Incarnatio, ac Natiuitas Saluatoris diuersis solennitatibus agerentur, quod posteà tota amplexata est Ecclesia. An propterea dicemus alterum festum esse otiosum? Minimè gentium: quinimò consultissime ita decretum est, vt de duplici Christi Natiuitate in vtero, & ex vtero festum duplex institueretur. Idem ergo de Virgine iudicium est, quam filius in huius honoris societatem, & communionem merito vocandam putauit.

SENTENTIA, QVAE TRADIT Virginis immunitatem ab originali, non est noua, & recens, sed antiqua.



CAP. XXXVII.



1. *Doctrinam, quæ tradit immunitatem Mariæ ab originali, esse nouam, & nouiter reuelatam sensit Gerson.*
2. *Notitia eorum, quæ ad Virginem spectant, decursu temporis aucta est in Ecclesia.*
3. *Per quos gradus augmentum hoc ceperit.*
4. *Ea vel maximè, quæ ad temporanea Virginis initia pertinent, à Patribus supressa, & cur.*
5. *Pia de Virginis pura Conceptione sententia non est noua, sed olim in figuris præsignata, & in scripturis expressa: deinde verò Sanctorum Patrum testimonijs roborata.*

I Gerson. OANNES Gerson in Appēdice quadam sermonis illius de Conceptione Virginis in prima, & secunda Consideratione sic contemplatur. *Mariam non fuisse conceptam in peccato originali de his veritatibus est, quæ nouiter sunt reuelatæ, vel declaratæ, tam per miracula, quæ leguntur, quam per maiorem partem Ecclesiæ, quæ hoc modo tenet.* Et infrà. Ne quia huius veritatis ostensionem nouam, & recentem esse dixerat, quispiam illi minus deferret, in secunda Consideratione subdit. Non minorem authoritatem, vel ad exponendas scripturas, vel ad veritates ex ipsis exprimendas, & declarandas in nouis Doctoribus vigere, quam in antiquis: neque nouæ, ac recentioris Ecclesiæ communem sensum, & conspirationem minus posse, aut valere, quam veteris: imò potius ex eo extremæ Ecclesiæ sentētiam antiquæ quodammodo præstare, quia cum plura ad fidem pertinentia principia, sæculis labentibus, ex Patrum doctrina, & Conciliorum definitionibus ad ipsam promanarint, facilius illi est ex acceptis alia, atque alia statuere, & determinare. Id quidem verum esse minimè inficior, & in cognitione eorum, quæ ad Deiparam spectant, Ecclesiam maiores in dies progressus fecisse mihi compertum est. 2
Constat enim antiquitatem multa Virginis encomia, aut prorsus ignorasse, aut minus rectè calluisse, quæ hodie Ecclesia noua luce perfusa piè amplectitur, & veneratur. Ita vt putem id sibi ipsi Virginem diuinasse, cum in domo Zachariæ ita cecinit: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Lucæ 1. Quod quidem ita accipiendum est, vt succedentes generationes non modo acceptas à prioribus laudes Virginis celebrarent, sed etiam illas nouis accessionibus augerent, & cumularent. Rursus in Virginem etiam quadrant illa verba Canticor. 6. *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt: Reginæ, & concubinæ, & laudauerunt eam.* Cant. 6. Sed quid laudis istiusmodi filiæ, Reginæ, & concubinæ, quæ omnes Ecclesiæ sibi succedentes animas adsignificant, in Virginem conijciunt? Statim attexit: *Quæ est ista, quæ progreditur, sicut aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Vide per quos gradus gloria, & splendor Mariæ se se promoueat. Duos hæc verba capiunt sensus iuxta corticem allegoriæ, quos in eum locum latius dedimus. Primus quidem supponit hæc verba à fœminis Hierosolymitanis tunc in sponsam iactata, cum militum manus saucia effugeret. Quod certè accidit circa auroram: nam sponsus, qui ad fores pulsando paulò ante cōstiterat, cincinnos suos ideò rore maduisse dixerat, vt sibi fores sponsæ beneficio paterent: ros autem circa auroram defluit: imò aurora dicitur quasi *aura rorans.* Ergo orationis illa incrementa cum lucis ipsius diurno incremento sic conferenda sunt. *Quæ est ista, quæ progreditur, sicut aurora consurgens, &c.* verba sunt Syonitidū. Quænam isthæc ad miraculum pulchra fœmina, quæ cum primū nobis se se visendam dedit (vidimus autem circa auroram subobscure exigua, & fusca luce) aurorā, seu luciferū nobis imitari videbatur? Deinde verò cū illucescente iam die, species eius magis se se prodidit, lunæ fulgenti, & pleno orbe radiāti similis apparuit: iā verò

postquam

postquam dies, fugatis omnino tenebris, pulchritudinem illius prorsus retexit, solem ipsum non modo exæquare, sed etiam superare putauimus. Hæc de primo corticis sensu, qui certè aptissime in Virginis pulchritudinem, & decorem quadrat, quo illam gratia Dei, & alia eiusdem dona, & charismata exornabant. Nam circa Ecclesiæ ipsius initium, cum cognitio Dei erat subobscura quodammodo, & subatra, auroram imitari: deinde verò illucescente amplius rerum diuinarum notitia, lunæ fulgenti adsimilis: ac tunc demum, labentibus sæculis, cum clarior quædam diuinarum rerum cognitio veluti dies effulsit, solis radios fulgentissimos referre visa est. Itaque splendoris, & gloriæ Marianæ notitiam, & cognitionem cum ipsa Ecclesiæ luce excreuisse non aliter dicimus, quam si per successiuas vices Lucifer in lunam, & luna in solem vertatur.

3 Secundus sensus, qui facilè priorem superat, sic habet. Puto enim his verbis alludi ad id, quod in expositione Canticorum suis locis tradidimus, sponsam videlicet ter in publicum processisse, ita vt à fœminis Hierosolymitanis conspici potuerit. Primum quidem noctu, cum vecta curru geniali in domum sponsi traducta fuit, vt moris erat flammeo faciem velata. Iterû in secundo die nuptiarum cum magno satellitio, illustri pompa, lectica pereleganti subuecta in templum se se transtulit: non quidem aperta facie, sed eodem flammeo tecta: ita enim mos ferebat. Ac demum tertia die nuptiarum, cum iterum reuelata omnino facie in publicum venit, eiusque formam omnes fœminæ admiratæ sunt. Et quidem de his sponsæ in vrbem progressibus multa nos in expositione illius libri diximus, quæ piget hic adscribere? Ex his ergo loci istius luculenta interpretatio se se dat in hunc modum. Fœminæ Hierosolymitanæ, in tertio illo progressu sic exclamant. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Quasi dicant, quænam isthæc tam decora fœmina, quæ cum primum in publicum de noctu prodijt, flammeo nuptiali velata, quatenus nox nuptialibus facibus illustrata, & subtilissima flâmei tetia ipsam videre permittebant, auroræ similis visa est? Eadem verò cum secundò in vrbem interdiu progressa est flammeo similiter tecta, quatenus etiam per clariorem diei lucem, & per tenuitatem flâmei licebat visere, Lunæ splendorem imitari putauimus. Ac tunc demum, cum tertiò, reuelata iam facie, de die in publicum se se dedit, Solem ipsum sua pulchritudine opinione nostra referebat.

Hæc quoque interpretatio ad Virginem apte traducitur: quæ nimirum in Ecclesiæ nascentis initio primis illis Patribus ita se visendam præbuit, vt magnam suæ pulchritudinis partem illis tunc nox ipsa eriperet: quæ etsi aliquali luce iam tunc irradiata fuerat, nondum tamen eam aperta rerum diuinarum cognitio expulerat: magnam quoque partem velum celaret, quo vel ipsi Euangelistæ Mariæ laudes obducendas curarunt, vt eas in posteriora sæcula Deo retegendas differrent. Quapropter tunc splendor illius, auroræ similis apparuit, parcus admodum, & subfuscus: subinde verò vbi Ecclesia adoleuit, & lux illi clarior cognitionis affulsit, Mariæ quoque decor, ac species magis se se prodidit: adhuc tamen sub velo, nec clare satis, nec aperte, ita vt splendor illius, Lunæ splendoris æmulus videretur: clarior quidem quam prius, sed non omnino illustris, & conspicuus. Tandem verò sub Ecclesiæ finem, cum maior, & splendidior lux cognitionis Dei posteriores homines ad diem transtulit, Mariæ pulchritudo retecto velo tantopere emicuit, vt sole ipso candidior, atque luculentior visa fuerit. Et sanè quisquis Patres euoluerit, & attentius viderit ea incrementa, quibus eius gloria sensim per omnia sæcula aucta fuit, facilè agnoscet, quam apte locus ille Salomonis iuxta præmissos sensus in Virginem quadret. Nostra autem sæcula, quæ (ni fallor) ad Ecclesiæ finem non parum vergunt, id gloriæ sibi sumere possunt, quod ipsis longe clarior Mariæ cognitio obtigit, quod cunctam ipsius pulchritudinem oculis suis clare obeunt: quod iam demum retecto velamine conspiciunt ipsam esse fœminam illam sole *amictam* (sub hac enim forma illibatã Virginis Mariæ Conceptionem nobis hactenus pictura semper obtulit) De qua Bernardus illa verba pronunciat supra à me adscripta in sermone de Verbis Apocalypsis. *Candidissimus sanè, & calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea non dico tenebrosum, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem, aut minus feruentissimum liceat suspicari.* Bernar.

Cur verò ea, vel maximè, quæ ad Conceptionem Virginis spectant, antiquis illis sæculis non ita clare, & apertè innotuerint, adnotauit Fulbertus Carnotensis in sermone secundo de Ortu Virginis, vbi sic fatur: *Sanè si qui solicita mente, & studiosa inuestigatione perquirant: cur Sanctorum præcedentium memoria, huius præfatæ Virginis temporanea initia suis fidelibus sequacibus enucleatim non exornauerunt, vt ad omnium notitiam euulgarent: nouerint non ignaros eos extitisse hæreseos, quæ pro insigni, & admirando huius puellæ præconio exortura erat: & ob id, si quid ex eius ortu protulerunt, sagaci industria celandum æmulis, & infidelibus decreuerunt, ne inueniret cæca garrulitas perfi-* 4 Fulbert.

dorum, unde maternum sinum Ecclesiæ verberaret sua multiplici fallacia. Sed quænam fuit hæresis illa, quæ antiquos illos Patres cohibuit, ne initia temporanea Beatæ Virginis, scilicet Conceptionem illius (de hac enim sermonem facit Fulbertus) fidelibus enuclearent? Ego quidem ita reor sanctissimum istum Doctorem perantiqui illius erroris meminisse, qui Christum Dominum, non vero, sed vmbratili, & phantastico, aut certè cœlesti corpore præditum asseuerans, aiebat etiam Mariam, ex qua natus ferebatur, non fœminam veram, sed Angelum quempiam fœminea indutum forma extitisse: quam hæresim Paulus iugulauit illo verbo: *Factum ex muliere*. Mens ergo Fulberti hæc est, ideò veteres Ecclesiæ Patres de admiranda Virginis Conceptione, & de iustitia illius originali pauca miscuisse, ne si hæretici illi Mariam in suo conceptu sanctam, & puram esse audirent, hoc argumento abuterentur ad sui erroris comprobationem, asserentes eam non esse veram fœminam, quæ communi aliarum fœminarum iure procreata non fuerat: atque adeò humanæ propaginis noxas ignorabat.

5

Cęterum licet hæc vera sint, tamen Gersoni minimè assentior: nec enim puto veritatem istam ita nouam, & recentem esse, vt antiqua etiam sæcula non imbuerit. Cui coniecturæ fidem aliquam facit Salomonis iste locus: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*. Nam cum ex possessione, qua Deus Virginem occupauit, eius Immaculatam Conceptionem hactenus expresserimus, ex eo quod dicit *in initio*, vel *ab initio viarum suarum*: antiquam ipsius notitiam aucupari licet. Et quidem per *vias* hic creaturas accipi supra in expositione literali huius loci decreuimus, adstipulante pro nobis Iob cap. 38. (Iob 38.) vbi de Behemoth ita scribit. *Ipse est initium viarum Dei*, id est, vastissimus omnium animalium, vel creaturarum. Itaque illud *in initio viarum suarum*, perinde est, atque in exordio creaturarum. Sed statim difficultas se se offert, quanam scilicet ratione dici possit, quod Deus in ipso creaturarum exordio, & auspicio Virginem possederit, cum exploratum sit, Virginem longo sæculorum interuallo à primo creaturarum exordio cōditam fuisse. Hæc difficultas bifariam dilui potest. Primò quidem ad Dei præscientiam confugere licet, ita vt perinde sit: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, ac si diceret, Deus ab ipso creaturarum exordio memet à se possidendam, & occupandam præuidit, aut possidere, & occupare apud se decreuit: nam eodem sensu Virgini accommodanda sunt consequentia illa verba: *Necdum erant abyssi, & ego iam concepta eram*. Et infrà: *Ante omnes colles ego parturiebar*, id est, concipi, ac parturiri præuidebar, aut præfiniebar. Secunda solutio petitur ex his, quæ Patres ad illa verba Apocalyp. 13. commenti sunt. (Apoc. 13.) *In libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi*. Vbi Christum propterea ab origine mundi occisum dicunt, quia eius mors ab ipso mundanæ conditionis exordio in figuris pluribus adumbrata, & in sacris voluminibus descripta fuit: res autem in suis figuris, & imaginibus quodammodo existere, & in literis, ac scriptis viuere, ac vigere dicuntur. Ergo ad eundem modū Virgini sanctissimæ pronuntiare licet: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio*, secundum vtranque explicationem, ita vt verba illa, *antequam quidquam faceret à principio*, ad Dei præscientiam referantur, qua Deus ab æterno Mariam à se possidendam certò nouit: illa verò *ab initio viarum suarum*, id est, ab exordio creaturarum, iuxta posteriorem solutionem hunc sensum reddant. Deus ipse iam tunc ab ipsis mundi primordijs me gratia sua tenuit, ac possedit, id est, futuram hanc possessionem symbolis, atque figuris pluribus adumbrauit, & in scripturis suis expressit: in quibus Virgo tanquam in expressioribus simulachris, iam tunc vigebat, antequam in se ipsa existeret: & subinde etiam postquam extitit, per literas etiam, & scripta Patrum ad nos vsque ita perducta est, vt in his noua, & recens semper visatur.

Animus ergo est extremam huic tractationi probationē, & manum addere, & illibatæ Conceptionis antiquam traditionem ab ipsius mundi primordio ex figuris, ex Prophetarum vaticinijs, & ex Patrum scriptis peruestigare. Nec industriæ nostræ erit, tam colligere rudia, & inculta, quam seligere grauiora, & digniora: ea nimirum, quæ Patres sua authoritate commendauerint: selectaque eum in ordinem conflare, quo supradictam traditionem comprobare possint.

DE

DE FIGVRIS, ET ALIIS TEstimonijs veteris testamenti dignioribus, ex quibus Sancti Patres immunitatem Virginis ab originali aucupati sunt.

 CAP. XXXVIII. 

1. *Virginis Conceptionem ab omni peccato mundam repræsentat mundi creatio.*
2. *Paradysus voluptatis.*
3. *Adami conditio ex terra non maledicta.*
4. *Eua exædificatio ex costa Adami.*
5. *Serpentis maledictio.*
6. *Arca Noe.*
7. *Rubus Moysis.*
8. *Arca testamenti, & propitiatorium.*
9. *Virga Aaronis.*
10. *Tronus Salomonis.*
11. *Nubes Heliæ.*
12. *Columna nubis.*
13. *Alias figuras alij comminiscuntur.*

1 RINCIPIVM Igitur capiamus ab eo, quod Deus fecit in principio, à creatione videlicet cœli, & terræ, à totius mundi cõditione, in qua mũdissimæ Cõceptionis B. Mariæ puritatẽ præsignificatam fuisse tum ipsius *mundi* nomen *mũditiam* plane sonans, tum ea munditia, quam à Dei creantis manibus mundus ipse tulit, apertè indicat. Id verò apertissime docet Bernardus in serm. de B. Maria dum ex hoc mũdi simulachro perpetuam Virginis gloriam non minimum illustrat. *Prius* (inquit) *altissimus sibi eam quasi mundum specialissimum creauit, quam in iustitia, & sanctitate coram ipso fundaret, & fluentis sapientiæ irrigaret, & cœlestibus desiderijs instar scilicet aeris sublimaret, & igne dilectionis accendendo illustraret: hinc in eius mente tanquam in quodam firmamento Solem posuit rationis, & Lunam scientiæ, & virtutes tanquam stellas speciei omnimoda, &c.* Perfectus igitur mundus Maria iuxta Bernardum: atque adeò in sui creatione perfecte munda. Nota obiter verba, si lubet, *Altissimus sibi creauit*, vt scias inde Mariam suæ immunitatis iura accepisse, quia illam Deus sibi ipsi matrem creauit, alioqui minimè futuram, nisi Christus Dominus futurus esset. Deinde *sibi eam*, vt scias iam tunc Mariæ tantam gratiam ideò collatam fuisse, quia vt esset summi Regis domicilium, construebatur. Præterea *in iustitia, & sanctitate fundaret*. Gratiam nimirum, atque iustitiam huic nobilissimo mundo tanquam centrum subijciens (hoc enim nomine fundamenti significatur) in quo reliquæ Virginis gratiæ conquiescerent, vnirentur, & conseruarentur: hæc nimirum sunt beneficia, quæ centrum reliquis corporibus præbet, & in iustitiam originalem apprimè quadrant: aut si mauis, hanc iustitiam in mundo Beatæ Virginis suprâmundano cum terræ elemento componit Bernardus: quia non aliter originalis innocentia in Virgine reliquas illius gratias sustinet, ac portat, quam terra reliqua elementa. Et sicut terra sola inter reliqua elementa immobilitate gaudet: ita etiam sola Virginis originalis gratia ab initio immobilis, & inconcussa, neque nutans, neque vacillans, vt suprà, cap. 34. probauimus: eiusdem verò iustitiæ incrementa non obscure indicant reliqua Bernardi verba, quæ tu te queas per otium expendere.

Creatio mundi Genes. 1.

Bernar.

Ad hanc etiam Virginis puritatem ab omni culpa adumbrandam pertinet etiam Paradysus voluptatis, in qua Deus hominem ante originalis iustitiæ iacturam continuit, ac seruauit: de qua Bernardus in sermone secundo de Natiuitate sic scripsit. *Hic locum voluptatis vterum Mariæ intelligo: in quo cumulauit omnes delitias delitiarum Dominus, de cuius delitijs Spiritus Sanctus admiratorio sermone in amoris cantico eructat. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitijs affluens? Numquid in Angelis voluptatem habet Deus, in quibus ipse reperit prauitatem? Nunquid in constellatione, & scintillatione stellarum, quarum aliæ conuertuntur in sanguinem, aliæ cadunt de cœlo, aliæ in tenebras obscurantur? Nunquid in aere, vel igne, vel ventis? Nequaquam in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in Spiritu Dominus, si verus est ille, qui in curru igneo, & equis igneis est assumptus in cœlum. Numquid in aquis vbi furens, & tortuosus Leuiatan immoratur? Aut in terra, quæ sub ma-* 2

Paradysus.

Bernar.

Ignoras prisca illa recentiorum, eorumque, quæ nunc contingunt, extitisse figuras? Ea enim, quæ antiquitus fiebant, mysteria, quæ in nouo testamento adimplenda erant, significabant. Quare rubus accenditur, ignis conspicitur, & tamen quæ ignis natura fert, non operatur: illuminat, non consumit: abstergit, non incendit: beneficium præstat, pœnam non adfert. Nonne Virginem in rubo animaduertis? Rubus itaque Mariæ expressa fuit similitudo. Si ergo vilem illam arbusculam ita Deus ipse olim insedit, vt eum illi splendorem, eam gloriam, eam mirandam integritatem induxerit: qua quæso ratione Virginem nostram obsederit, aut potius possederit? Quē illi nitorem, quam puritatem, quam lucem immiserit, quando eā ita ab omni peccati affectione immunem præstitit? Addit etiam. *Illuminat, non consumit: abstergit, non incendit: beneficium præstat, pœnam non adfert*: Qui videlicet in Conceptione suæ lucem, puritatem, & gratiam omnimodam Mariæ attulit: lucem inquam, qua primo Conceptionis instanti illuminata Deum agnouit, fortasse etiam clare vidit: puritatem, qua se contra omnem peccati maculam præmuniuit: gratiam denique, quam in eo pariter articulo maximam comparauit. Neq; vero quisquā huc inuitè trahat, id quod lib. 24. c. 13. Plinius scribit, inesse rubo maximam vim aduersus noxium quodq; serpentium virus: salutaris namque rubus iste, postquam ita à Deo ab initio productionis suæ obsessus fuit, omnem dæmonis impetum, omnem peccati vim, omnem omnino serpentis artem penitus repressit, elusit. *Aduersantur* (ait ille de vsu istius arbusti in medicina) *serpentium sceleratissimis hæmorrhoidi, & præsteri rubi flos, aut mora.* Hæmorrhois porro serpentis genus est, qui morsu omnem prorsus elicit sanguinē, sicut & præster (qui & dipsas dicitur) omnem prorsus humorem absumit, atque adeò vterque sceleratissimus serpens, vterque pessimè vitam abrumpit: ille scilicet dum robur omne cum sanguine trahit: hic dum arentē penitus siti, quem momordit, insatiabili vsque potu distendit, atq; dirrumpit. En duo sceleratissima peccati originalis capita, duo præcipua mala, quæ miseris hominibus inducit, in vtriusque serpentis morsu adumbrata: nam illa, quæ exhausto sanguine accidit, virium extenuatio imbecillitatem, & infirmitatem adsignificat, qua peccatum originale naturæ humanæ robur labefactauit. Sitis autem illa ardentem libidinem, & concupiscentiam innuit, quæ eiusdem peccati reliquiæ sunt. Ab his omnibus Virgo immunitatē adepta est. Sacer (inquā) noster rubus, qui cœlestem protulit illum florem, qui diuinum attulit illum fructum his sceleratissimis serpentibus omnino aduersarium. Nunquam Maria (quę Nazarenū mundo protulit germen) infirmitatem animi, nunquam libidinem, aut cupiditatem nouit: nihil vnquam illa fortius, nihil vnquam illa temperatius. Quodsi peccati ista mala nunquam sensit, quis eam peccatum ipsum sensisse, & habuisse audeat profari? Citius profecto serpēs inimicū sibi impetierit rubum, quam peccatum Mariam cœlesti charitatis igne perpetuo deflagrantem.

Plinius.

Cæterū sicui hæc spinosiora visa sunt, molliora iam ex eodem libro expectet, rubum 8
prætereat, arcam fœderis adeat, quæ Arca testamenti purissimæ Mariæ Cōceptionis mysterium, quod includit, facile accedentibus reserabit. *Arca quoque testamenti*, ait Bernardus, *typum tenet Deigenitricis.* Ac ne putes eum longe ab hac, quam persequimur, sententia recedere, audi pulcherrima verba, quæ statim subijcit. *Illam fecit Bezeleel, istam condidit Emanuel. Bezeleel (qui interpretatur vmbra Dei) Oliab (qui protectio mea dicitur) in opere socium habuit: & Virgo quoque Virginum condita, prælecta, præseruata, præparata, & ornata per spiritum sanctum & eius omnipotentem filium fuit.* Quid clarius? Quid illustrius? Nam si Virgo condita, prælecta, præseruata, præparata, & ornata à Deo fuit, quando vllus fuit in ea peccato locus? An Deus summa videlicet illa virtus conderet vitiosam? An maxima illa sapientia præligeret vilem? An æterna illa cura præseruaret immundam? An diuina illa prouidentia præpararet sordidam? Absit, vt talem præclarissimo Dei operi maculam inijciam, atque eam quodammodo in ipsum artificem reijciam. Pergat Bernardus. *Sancta quoque Trinitas Virginem sibi sanctificauit, ac templum sanctissimum consecrauit, hospitiumq; mundissimum sibi præparauit: thalamum quoque, de quo sponsus præ filijs hominum speciosus ad publicum procederet, decenter prædornauit.* Cæterum nitentem istam Mariæ conceptæ puritatem, omnemque peccati corrumpentis immunitatem aperte significat arcæ illius mystica materies, quippe quæ *de lignis Setim*, siue vt lxx. interpretātur, *de lignis imputribilibus* confecta sit: qua etiam materia mensa propositionis cōstabat. Quanta vero esset eorū lignorum elegantia, quanta itidem æstimatio, multis quidem esset hic explicandum, nisi labor iste ad cap. 9. ver. 2. opportunius impensus fuisset. E pulcherrimis igitur, ac pretiosissimis lignis Setim arca illa fœderis fabricata fuit, quæque nullam vnquā putredinem traherent: & sanctior quoque nostra arca à prima quoque sui conditione pulcherrima, pretiosissima, integerrima nitescebat: neque tunc quidem peruia fuit vlli peccati corruptioni, nec vllum vnquam sensit à peccato detrimentum. Præterea si Setim vocabulum interpreteris, alia etiam ratione Beatæ Virginis specialem puritatē à Bernardo ipso in arca illa præuisam intueberis. *Setim enim (inquit) interpretantur spina.* Arca igitur vestra, objiciet aliquis, ex spinis compacta est, atque adeò spinosis peccati aculeis in sui formatione cōpuncta.

Bernard.

Bernard.

Ergo

Apage mi homo, quisquis es: aliorum tu auribus importunam istam cantilenam pange. Ego meas aures spinis iam dudũ sepiui, ne quid huiusmodi de Maria per illas ad animũ influere posset. Nihil ergo nostris nos spinis pungis: quia licet spinæ, ex quibus mystica hæc arca facta est, duræ admodum fuerint, & hirsutæ, potuit tamẽ ex eis mollis ipsa existere: potuit inquam Maria ab compunctis peccato parentibus illæsa prodire, ab immundis munda. Audi iterum Bernardum. *De lignis* (inquit) *Setim condita est arca, in qua thuribulum, manna, & virga sunt recondita: quia licet Maria de patrum natura per peccatum viciata duceret originem, præelecta tamen per spiritum sanctum, & præseruata ad purum, Deum nobis obtulit & hominem.* Nunquid locupletiorem testem requiris? Darem, ni Bernardus admodum locuples esset: crede igitur, & fatere Mariam à prima origine prorsus mundam extitisse, & hanc puritatẽ arca illa Testamenti præsignatam multo ante fuisse. Sed Bernardo adiungendus est etiam Diuus Ildephonsus, qui hanc Mariæ puritatem à culpa in propitiatorio, quod arcæ insidebat, multo fœlicius contemplatus est. *Propter quod* (inquit) *uterus eiusdem Virginis per arcam figuratur, quæ cuncta sacramentorum arcana in se habuit: habuit enim panem illum, qui de cœlo descendit: habuit legem testamenti noui, quia legislatorem genuit, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ. Et ideo rectè arca sacramentorum Dei Virgo Maria fuit, supra quam sane propitiatorium, & Cherubim hinc & inde obumbrãtia figurantur. Quia Mariæ nullum extrinsecus obrepsit peccati contagium, sed intus omnis custodia legis, ac manna fuit, quod est mirabile Sacramentum, ac propitiatio humanæ salutis.* Huius autem testimonij vim, & energiam ad immaculatam Virginis Conceptionem comprobandam dedimus supra cap. 21. vbi de munere mediatricis egimus, quo Virgo apud Deum functa est.

Bernard.

Ildephon.

9 Eandem etiam Beatæ Mariæ puritatem, eximiamque super omnes ab originali culpa immunitatem insigni Aaronis virga præostensam fuisse minime dubito: de ea enim ita legimus in Numerorũ libro. *Locutus est Moyses ad filios Israel, & dederunt ei omnes Principes virgas per singulas tribus, fueruntq; virgæ duodecim absque virga Aaron, quas cum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonij, sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, turgentibus gemmis eruperant flores, qui, folijs dilatatis, in amigdalas deformati sunt.* O egregium diuinæ prælectionis ostentum: ô eximium prælectæ Mariæ simulacrum: nam Mariam eã virgam esse planè asserit beatus Ephrem, dum in sermone de Beatæ Mariæ laudibus ita eam compellat. *O viridans Aaronis virga: virga enim vere extitisti, & flos filius tuus.* Et beatus etiã Hieronymus, tum alibi, tum præsertim in Oseæ cap. 13. *Virga simplex, atque purissima, & vnione fœcunda edidit eum florem, qui dicit in Cantico Cãticorũ: Ego flos campi, & lilium conuallliũ.* Alios prætereo. Eximia igitur virga cæteris omnibus omnino arescentibus, vna viruit, vna floruit, vna fronduit, vna fructum dulcissimum protulit: cæteris videlicet hominibus peccati originalis ariditate deformatis, sola Maria gratiæ viriditate conspicienda semper apparuit. Cæterum in eo, quod interpretes vulgo asserunt, eam scilicet Aaronis virgam tum rectam, læuemque, tum etiã purã, & cortice nudatam fuisse, agnoscit sane Ambrosius præclaram hanc Mariæ gloriam, egregiamque in Conceptione, & in omni vita puritatem. Eius enim signatissima ista verba in Breuiario Romano Cardinalis Quignonij citantur, atque etiam à Iodoco Clichtoueo lib. 1. de Immaculata Conceptione, c. 13. & ab alijs quam plurimis, de quorum authoritate infra in sæculorum censu dicam. *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit.* Quid expressius? Quid illustrius? Nam cæteri quidem mortales tum primæuo stirpis vitio nodosi, incurui, inæquales, informesque progignuntur: tum nouam ipsi suorum criminum deformitatẽ, asperitatemq; quasi corticem sibi superaddunt: at Maria virga diuinior nullo vnquam nodo incuruata est, sed (quales omnes homines Deus fecerat ab initio) semper recta perstitit: & nullo deinde cortice est deformata, sed in prima illa puritate, simplicique pulchritudine permansit. Porro nodus in virga, seu arbore ille est, ex quo frutices, aut ramusculi quidam veluti ad latus germinant: & ex quo si illi forte amputentur, asperum quiddam, & quasi maculosum in ligno remanet: & ex quo denique noui subinde surculi, stolonesque repullulare solent. Peccatum ergo originale ab Ambrosio virgæ nodus accommodatissimè appellatur: ex quo nimirum praua peccatorum actualium germina tanquam ab stirpe prorumpunt: & ex quo licet per baptismũ, aut per contritionẽ abscindatur, manet nihilominus nescio quid, quod animi læuorem, pulchritudinemque deformat: quatenus ex illo culparum actualium improbi stolones deinde repullulant. Audiendus est Petrus Damianus in sermo. de Annuntiatione, vbi sic ferit. *Germinat ergo virga Iesse de tortuosa radice generis humani, & de Patriarcharũ arbore, in altitudinẽ, & rectitudinẽ erũpens, omnẽ ignorat nodositatẽ, filiorũ tenebras nescit, fructicosa quæque non habet.* Quid illustrius? Rursus in hanc sententiam pulchre loquitur Hieronymus in cap. 9. Ecclesiastes, cuius verba libenter subijciam, tum quod mentem hanc egregiè confirmant, tum quod Beatæ Mariæ puritatem eximiè adstruunt. *Beata* (inquit) *terra Ecclesiæ, cuius Rex est Christus filius ingenuorum de Abraham, Isaac, & Iacob, Prophe-*

Virga Aaron.
Num. 17.
Ephren.
Hierony.
Clichto.
P. Dami.
Hierony.

tarum quoq, & sanctorũ omnium stirpe descendens, quibus peccatum non fuit dominatum, & *ob id vere fuerunt liberi: ex quibus nata est Virgo liberior Sancta Maria nullũ habens fruticem, nullum germen ex latere, sed totus fructus eius erupit in florem loquentem in Cantico Canticorum. Ego flos campi, & lilium conuallium.* En omnem inflexũ fruticem, omne à latere germen Virginea ex virga abscindit Hieronymus: omnẽ scilicet peccati surculum, omnẽ concupiscentiæ stolonẽ Mariæ detrahit. Cũ igitur nihil huiusmodi ab ea vnquã pullularit, meritò putãdũ est nihil eã vnquã, vnde id pullularet, habuisse: nullum scilicet *nodum*, vnde germen erumperet: nullum inquã peccatum originale, vnde actuale germinaret. Atque adeò rectè dicitur ab Ambrosio, *nodum* peccati originalis in sacra ista virga non fuisse: qui profectò si fuisset, aliquem concupiscẽtiæ stolonem, aliquodque à latere peccati actualis germen aliquando emisisset. Et quantumuis virga ipsa præciso originali læuigaretur, ac mundaretur, aliquam tamen asperitatem, & fœditatem semper retinuisset: cum nodi ita virgæ insiti esse soleant, & innati, vt ad ipsam medullam, & cor intimum penitus pertingant. Vnde Ioannes Baptista, & siqui sunt alij fœliciores rami, qui maturè ab illo nodo fuerint læuigati, aliquid tamen semper nodosum retinuerunt, aliqua non bona germina à latere emiserunt. Maria vero nec nodum originalis, nec stolonem actualis peccati vnquam habuit, sed semper virga læuis, virga simplex extitit. Itaq; (vt eò, vnde digressi sumus, redeamus) siue virgam illam coram Deo in tabernaculo florentem, cum Ephrem, & Hieronymo perspicias, siue etiã cum Ambrosio in sua prius puritate, & rectitudine persistentem, semper profectò Mariæ inter omnes immunitatem, omnimodamque à labe puritatem perspicies: atque adeò si in ea peccati originalis nodũ amplius quæsieris, certè (quod vulgo ferunt) nodum in scirpo quærere planè videberis.

Sed nequaquam hic omittenda videtur sacratioris illius virgæ materia, quippe quæ non exiguam Virgineæ puritatis in Conceptione commendandæ materiã suppeditat: eam ex fructu, quem virga protulit, amygdalinam fuisse constat, quando ex alijs sacræ paginæ, & interpretum testimonijs non constaret. Amygdalina ergo virga illa fuit, atque adeò præproperam Mariæ puritatem planè indicauit. Nam ea inter alias omnes arbores amygdalo natura est, vt ante omnes prima gemmas, flores, frondes, & fructus emittat: quocirca frequenter amygdalus vigilantiam, maturitatem, properationem, festinationẽque significat. Vnde in eo loco Hieremiæ 1. *Virgam vigilantẽ ego video*, ex Hebræo vertunt plures *virgam amygdalinam*, vbi etiã alij *virgam properantem*, seu *festinantem* transtulerunt: quibus lectionibus celeritas, qua

Hiere. 1.

Deus ad populum flagellandum properabat, significatur. Beata igitur Virgo Maria virga amygdalina fuit, virga vigilans, virga festinans, quia longe ante alios omnes floruit, frondui, fructificauit: quia videlicet ad omnimodam gratiam capiendam ita vigilauit, maturauit, festinauit, vt in primo adhuc Conceptionis instanti illam apud Deum inuenerit, acceperit, apprehenderit. Quod si nonnulli præterea sanctorum, quasi festinantes quædam arbores, ita properarunt, vt in ipso matris vtero gratiam consequuti sint, eoque cœlesti flore condecorati: quidni amygdalus nostra, quæ celerius multò, quam aliæ arbores, maturauit, citius quoque multo floruerit, gratiæque decore in prima productione viruerit? Manè scilicet illi vigilarunt: ista verò maturius euigilauit: *Et adiuuauit eam Deus manè diluculo.*

Quod siquis tamen adhuc nobis objiciat amygdali nostræ radicem planè amarã fuisse, atque adeò amygdalum ipsam eam vtique amaritudinem ab stirpe traxisse: nostram scilicet Beatam Mariam ab infecta Patrum natura infectam quoque ex traducis labe prodijsse: mentem sane istam non satis sanam ille ponat. Noritque eam esse etiam rusticæ agriculturæ vim, vt natiuum quoque plantarum vitium extrudat, à malaque radice optimum sæpè germen educat. Audi magnum Basilium homilia in Hexameron quinta id ipsum de amaris amygdalis asserentẽ, & qua id ratione fiat edocentẽ. *Sunt* (inquit) *arbores, quarum suæ natura vitium agricolæ cura, diligentiaque deponere, ac extrudere nouimus, vt punicas acidas, amygdalasque amaras.* Ecce rem: accipe rationem. *Cum enim ima in parte radici propinqua stipite perforata cunctũ ex pino pinguem per mediã adactum medullam susceperint, saporis tunc fastidio gratum in vsum mutato, dulcescunt.* Ita igitur, & in sacratiore agricultura virtutem quandam esse inficiandum nõ est, quæ vitiosæ radici opem ferre, & de pessima stirpe optimũ germen efferre possit, dulcemque amygdalam de amaro amygdaleto. Quam profectò miram virtutem à cœlesti illo agricola nostræ amygdalo adhibitã fuisse, neget ille, qui dulce amaris præstare non putat. Nam si stirp.bus illis natura sua amaris remedio, & dulcori est ligneus stipes prope radicem penitus adactus, altèque impressus: remedio etiã fuit amygdalo nostræ, ne amara ex amara sua stirpe emergeret, ligneus stipes: dum sacri illius ligni virtute, ex quo salus mundi pependit, effectum est, ne Beata Maria natiuam suorum progenitorum amaritudinem producta traheret, eodemque originis suæ vitio corrumperetur. Crucifixi inquam virtute, & meritis, quæ huic electo germini, ac pullulanti ad amaram suæ stirpis radicem emendandam iniecta sunt. Nihil Beata Virgo de originali vitio traxit, nihil de natiua extulit amaritudine, atque adeò insi-

Basil.

tui.

tũ naturæ malum, summo agricola eã opem ferente, nostro germini vitio non fuit. Hanc autem opem à salutari crucis ligno, crucifixique Christi virtute prouenisse cum dicimus, Basilium imitamur, qui Oratione 7. de Virtute & vitio, eandem illam artem corrigendi plantarum vitiũ, & eisdem pene verbis tradit, ad animique vitia corrigenda disertè traducit. *Si agricola qualitates plantarum mutat, multo magis studium animi erga virtutem poterit omnis generis vitia superare, ac eis præualere per Christum Iesum Dominum nostrum, &c.* Per Christi igitur passionem, virtutẽ, & meritũ, Beatæ Mariæ datũ est, vt natiuo illi vitio præualeret, illudque adeò superaret, vt ab amara licet stirpe dulcis omnino procederet, semperque sanctum esset germen, semper Deo gratum, semper iucundum.

Basilius.

Cæterum hæc licet ita sint, perpetuusque huius germinis dulcor, decorque satis inde asseratur: tamen cum Aaronis virga illa mirabilis exsecta penitus iam fuisset, nihilque de natiua radice retineret, nõ est, cur nos quidquam de sanctioris nostræ virgæ radice differamus, sed eam potius penitus exsectam, ab hominibus scilicet remotam, omnique Adami sobole separatã consideremus: atq; adeò nihil cum Adami posteris hac quidem in re cõmune habentẽ. Ita enim in Aaronica virga factũ, quæ à sua radice exsecta, & separata floruit, fructificauit. Idcirco satis, superq; à nobis suprà agitatum est, dum Mariam à cõmuni illo hominũ pacto excludendam esse contẽdimus, & semper ab Adami stirpe seiungẽdam. Ex quibus facile colligi potest, quantum Maria cæteris omnino præstiterit, quantumque illis omnibus sordescentibus, atque arescentibus, vna illa nituerit, atque viruerit.

10 Egregia quoque Beatæ Virginis puritas, eximiusque iã inde ab initio candor in magnifico illo Salomonis Throno apparebat: de quo legimus in Regum historia. *Fecit Rex Salomon Thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis, &c.* Ac ne fortasse putes me de meo hanc similitudinem confingere: lege Petrum Damianum in sermone 1. de Natiuitate Virginis, in quo multa de illo Throno ingeniose, & piè ad Mariam traducta reperies. *Ipsa est* (inquit inter alia) *Thronus ille mirabilis, de quo in Regnorum historia legitur in hæc verba: Fecit Rex Salomon Thronum, &c.* Quid vero ipse sentiat de sublimioris nostri Throni nitore, & puritate, indicat infra, dum ait. *Salomon noster non solum sapiens, sed & sapientia patris: non solum pacificus, sed & pax nostra, qui fecit vtraque, vnum fecit Thronum, vterum videlicet intemeratæ Virginis, in quo sedit illa maiestas, quæ nutu concutit orbem.* Pergit Damianus mentem suam, & perpetuam Beatæ Virginis puritatem, aliaque encomia præclarissima ex Throni illius materia, formaque deducit, atq; inter alia, *de ebore* ita subijcit. *Sola eboris substãtia capax est tantæ compositionis, & fabricatur in ea, quod omnibus operibus præferatur. Ebur enim, & mirabili candore relucet, & multa præeminet fortitudine, frigidiorisque naturæ sortitur auspicium. Et quid candidius illa Virginitate, quæ singularis aspectus sui gratia super cœlestem curiam allicit ad videndum? Quid fortius illa fortitudine, per quã Domini fortitudo vasa diripuit fortioris? Quid frigidius illa substantia, quam obumbrauit virtus altissimi, & ab æstu peccati defendit superuenientis spiritus plenitudo?* Ecce quam multa hic inuoluit Damianus ex his, quæ nos supra per otiũ euoluimus: ecce quam aperte ipse Beatæ Virginis ab omni peccato immunitatem exponit. Dices fortasse Petrum Damianum non de originali, sed de actualibus peccatis: non de Conceptione, sed de Incarnatione loquutũ. Non attentior. An si tibi hoc darem, quod de peccatis tantum actualibus loquutus esset Damianus, dicere auderes illum tantummodo asseruisse Virginem ex ipso Incarnationis articulo per totam deinceps vitam ab his peccatis actualibus Spiritus Sancti opera protectam? An non etiam hoc ad priora tempora ante Incarnationem retro trahendum diceres? Ita sane. Cur ergo Petri doctrinam coarctas, qui quemadmodum tempus omne, ita etiam omne peccatum complexus est illis verbis. Frigidus ergo semper noster Thronus, semper candidus, semper firmus, cum semper eburneus extiterit, cum nunquã non Thronus Dei fuerit, cui prius diuinitas per gratiam, deinde humanitas insedit per naturam. Quare cũ semper extiterit regius thronus, quem de ebore verus Salomon grandem effecit, semper peccati omnem æstũ, omnem nigredinem, omnem imbecillitatem nesciuit. Denique ne in singulis hęreamus, si tanta erat diuinioris nostri throni præstantia, vt non sit factum tale opus in vniuersis regnis: cuius aures libenter excipient, tam egregio operi tenebrarum principem primũ insedisse? Quis ęquo animo ferat asserentes tanti candoris gloriam prius tam atris fęcibus fordidasse?

Thronus. Salomon Reg. lib. 3 10. Damian.

Maiestate gloriæ, & puritatis Marię, cœli, & terra pleni fuere, quandoquidem non terra solum innumeris simulachris tantũ mysterium repræsentabat: sed cœlum etiam ipsius puritatis consciũ, tantæ gloriæ signa in excelsis efferebat. Erant videlicet signa sacra in Sole, Luna, & Stellis, quæ partim à nobis infra, partim ab alijs alibi explicabũtur. Erant certe præterea in nubibus, erãt in nubeculis, quando nubecula illa parua, quæ quasi vestigium hominis, orante in Carmelo Helia, de mari ascendere visa est, non magis pluuiæ largitatem, quam Mariæ puritatem prænũtiãs, atq; præsagiens. Oriebatur scilicet nubecula illa dulcis ab initio: & Maria 11

Nubecul. Helia.

(quæ

(quæ nubes à Hieronymo, & alijs sepè Patribus appellatur) dulcis ab ipso naturæ exortu, sine vlla peccati amaritudine extitit: ascendebat illa leuis: & hæc nullo vnquam criminis pondere grauata super omnes homines altius ferebatur. Et dulcis quidē illa, leuisq; de amaro, grauique mari processit: & Maria etiam de vitiata patrum materia, nullum tamen ipsa vitium traxit, nihil de peccatoribus contraxit peccati, sed naturę suæ dissimilis semper dulcis fuit. Sed quid solus oberro? Quid meo me labore sustento? Ad Patrū ditissimum penus aduolo. *Ioannes Hierosol.* Ioannes Hierosolymitanus in lib. de Institutione Monachorum cap. 32. dum totam illam nubeculę historiam refert, & quæ in ea Heliæ mysteria patefacta fuere, quæq; ille discipulis suis tradidit, commemorat. *Primo* (inquit) *scilicet patefactum est Heliæ, quod quædam infantula nasceretur, quæ ex vtero matris suæ ab omni peccato munda egrederetur.* Et infra idem Sacramentum apertius exponens, ita subiecit. *Per hoc namque, quod ille puer Heliæ vidit de mari nubeculam paruā oriri, reuelauit Deus Heliæ, quod quædam infantula, scilicet Beata Maria per illam nubeculam significata, & instar illius nubeculæ per humilitatem parua, nasceretur de humana natura peccatrice designata per mare. Quæ infantula iam in suo ortu esset munda ab omni peccatorum sorde, quemadmodum nubecula illa fuit de mari amaro, tamen sine aliqua amaritudine. Licet namque nubecula illa esset originaliter eiusdem naturæ cum mari, alterius tamē fuit qualitatis, alteriusque proprietatis (mare quippe ponderosum est, & amarum, sed nubecula illa leuis fuit, & dulcis) Sic quamuis in quolibet alio homine natura humana instar maris sit in sua origine ita amaritudine peccatorū, & vitiorum pondere pressa, vt fateri cogatur: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me: Beata tamen Maria de mari, id est, natura humana aliter fuit orta.* En matrem, ex cuius vtero Maria ab omni peccato mundam egressam fuisse dicit, scilicet ipsā naturā humanā, vt aperte videas eam in sua Conceptione puram prænunciari, ac prædicari. *Quia in suo* (inquit) *ortu* (id est, in egressu ab ipsa natura) *nō fuit onerata amaritudine delictorum: sed instar illius nubeculæ fuit leuis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem charismatum: ipsa enim in suo ortu* (in illo videlicet priori) *fuit nubes illa, de qua per Moysen figuratè est scriptum. Ecce gloria Domini apparuit in nube.* Iniuriam equidem non exiguam facerem, si tam claris tanti viri verbis lucem aliquam afferre vellem, aut tantis rerum momentis orationis aliquod pondus superaddere. Vnū illud addā, quod ille quoque addit, eam de Beatæ Mariæ puritate præsagam, & propheticam cognitionem ab Helia, Heliseo, & alijs suis discipulis manifestatam, ab illis porrò sequētibus perpetua successione per manus traditā fuisse, donec orta iam Maria, & visionem re ipsa comprobante, ædes sacra in Carmelo extructa fuit eiusdē puritatis præclarum monimentum. 12

Porrò si parum lucis huic nubeculæ verbis nostris attulimus, ad lucidiorē aliam nubem, quæ haud obscurius Mariani splendoris, & candoris perpetui signum est, illustrandam transeamus. *Columna nubis.* Est illa in illo Psalmi septuagesimi septimi versiculo. *Deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.* Vbi sermo est de celebri illa columna nubis ignita, quæ Israeliticū populum ab Ægypto fugientem, aut per diem ab ęstu protegebat, aut per noctem à caligine illuminabat. Eam vero nubem Beatæ Virginis simulacrū esse, clare docet Epiphanius, dū in sermone de laudibus Mariæ ita eandem alloquitur. *Epiphan.* *Nubes columnæ similis, quæ Deum habes, quæ populum deduxit per desertum, &c.* *Hierony.* Illustrius vero Hieronymus Beatam Mariam nubem esse, *Esai. 19.* & omnis peccati caligine liberam vt confirmer, alterius etiam nubis, quæ in Esaiæ 19. capite describitur, mentionem facit: ita enim ait in eum Psalmi versiculum. *Et deduxit eos in nube diei: Ecce Dominus venit in Ægyptum in nube leui: nubem leuem debemus sanctam Mariam accipere nullo semine humano prægrauatā: & deduxit eos in nube diei: pulchrè dixit diei: nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Ecce Beata Maria nubes est, sed nubes *leuis*, sed nubes *diei*. A terrena inquam est hominum natura concreta, sed nihil tamen de terrena illa grauitate, & de natiuo illo peccati pondere secum traxit, nihil inde densitatis, aut caliginis secum tulit. Vidisti aliquando candidam sereno cœlo nubē solis vndiq; radijs præcinctam, atque ita illius splendore circumamictā, vt solis naturam penitus induisse videatur? Talē ergo tibi proponimus Mariam, dum eam nubē leuem, nubem diei nuncupamus: dum eam à peccati quoque originalis caligine immunem prorsus extitisse asseueramus. Vidisti è contra atram horrente cœlo nubem, caliginosa procul facie cuncta territantem, fulgurā, tonitrua, & horridam tempestatē minitantem, & subito cœlum, diemq; longe, lateque ex oculis eripientem: etiamsi postea superueniente sole excutiatur, ac dissipetur, ita vt totus ille horror, & quasi bellicus apparatus vltrà non procedat? Talem igitur tibi Mariam proponere videntur ij, qui eā peccati originalis pondere initio prægrauant, caligine obscurant, horrore condemnant. Absit absit horror ille etiā ab initio, absit caligo illa etiā à primo exortu, absit pondus à primæua productione. *Nā nubes illa leuis*, ait Hieronymus, *non fuit in tenebris sed semper in luce.* *Hierony.* Sed & audi præclarissima alia verba, quę Hieronymo à nonnullis tribuuntur, habentur tamen re vera apud *Origenes.* Origenem homil. 3. in cap. 2. Mathæi. *Ecce* (inquit) *Dominus sedet in nube pusilla, & ve-*

niet

niet in Ægiptum. Ecce Dominus sedet in nube pusilla carnalem animam non habente, nec aliquam peccati grauitatem, &c. Quid illustrius? Noli ergo tu etiam istam nubẽ Mariæ degrauare, ac sicut cæteras obscurare. Neque eisdem naturæ legibus sacratior ista nubes mensuranda est, quibus aliæ vulgo continentur. Nam si eundem illum illius situm supra tabernaculum: eundem illum statum, quo neque incrementa, neque decrementa patiebatur: eundem illũ quiescendi, aut progrediendi tenorem: eandem semper illam lucem, illam leuitatem, illam pulchritudinem, & mirabiles alias illius proprietates contempleris: illam certe aut alterius lõge superioris naturæ fuisse arbitreris: aut si eiusdem cum alijs nubibus, noua certe quædam, & singularia ornamenta ei addita fuisse fatearis necesse est. Atque adeò etiamsi cæteræ in peccato conceptæ sorduerint, vna tamen præstantissima Maria à peccato semper immunis enituit, splenduit, radiauit, quasi *nubes diei, qua nunquam fuit in tenebris, semper in luce.*

13 Atque istæ quidem inter alias nobis occurrebant è sacris litteris figuræ celebriores, & quæ hic apponerentur digniores, quippe quæ à sanctis Patribus vsurpatæ sunt, & illustratæ præclaris verbis, nec obscurè ad Beatam Mariã ornandam, ac nominatim ad puritatẽ Conceptionis ipsius condecorãdã aliquomodo traductæ. Cæterum alij, qui sibi diligentiores, aut ingeniosiores esse videbuntur, aut plures huiusmodi figuras colligere, aut excogitare poterunt. Et sane nonnulli aliquas iam excogitarunt, aut collegerunt, quibus haud grauatè adhæreremus, si eodẽ, quo præpositæ à nobis, scripturæ robore, & sanctorũ authoritate fulcirentur. Et verò ante alios Ambrosius Catherinus has Beatæ Virginis ab originali maledictione immunis figuras ex sacra pagina proponit: scilicet scalam Iacob, terram Promissionis, mundam Christi sindonem, Rebeccam, matrem Moysis, Iudith, Esther, & alias nonnullas, alias vero alij permultas numerant: mihi vero illud in animo est, nihil adscribere, quod alicuius Patris authoritas non effulciat.

ALIQVA VETERIS testamenti testimonia pro immaculata Virginis Conceptione expenduntur.

§. II.

14. *Ex quibusdã locis veteris testamẽti, quæ per solã accõmodationẽ Virgini tribuuntur, Cõceptionis puritas efficaciter persuadetur.*
15. *Qui hanc puritatem non fatentur, violentas eorum locorum accommodationes faciunt.*
16. *Pleraque loca ex veteri testamento supra versata.*
17. *Expenduntur verba Psalmi:* Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, &c.
18. *Et verba Isaiæ:* Egredietur virga de radice Iesse, &c.
19. *Maria virga fuit, non stolo.*
20. *Hebraicè dicitur* Cheter, *quia sola sine adhærente peccati alicuius spurio frutice germinata.*
21. *Vel quia nullum vitium ex radice traxit, & contra peccata producta fuit.*
22. *Libratur illud verbum:* Egredietur.
23. *Cur de* radice *egressa dicitur, cur item non de radice Dauid, sed* de radice Iesse.
24. *Christus huius virga flos in Cõceptione, fructus in partu.*
25. *Illa verba Psal.* Ipse fundauit eã altissimus, *de pura Conceptione explicantur.*
26. *Maria ciuitas Dei gloriosa, cuius primam conditionem non deturpauit parricidium.*
27. *Eius prima sanctitas apte fundamenti nomine insignitur.*
28. *Marianæ ciuitatis fundatio festiua fuit, & quales Angelorum, & hominum acclamationes in ipsa fuerunt.*
29. *Penduntur illa verba:* Mater Sion dicet homo, & homo, &c.

OSTQVAM Ex veteri pagina grauiores, ac digniores aliquas figuras produxi, quibus Virginis immunitas à culpa originali adũbratur, nonnulla etiam testimonia eiusdem paginæ depromere libet, quibus eadem veritas confici, & roborari videtur. Imprimis vero illud ponendũ est, hæc testimonia ferme nõ in literali, sed in accomodatitio sensu solenni Patrũ, & totius Ecclesiæ vsu Virgini tribui. Nihil ergo, inquies, ex his validi satis, ac robusti argumenti pro immaculata Mariæ Conceptione deduci poterit? Imo potius, mea quidẽ sententia, validissimum, ac robustissimũ est, quidquid ex his locis, ac testimonijs promitur argumenti: quia cum eiusmodi loca cõmuni totius Ecclesiæ consilio, scriptorumque omnium conspirantibus animis Virgini accõmodentur, vix possunt, imo ne vix quidem commode illi adaptari, si Conceptionis puritas abnegetur. Nam vt omittam caput octauum Prouerbiorũ, quod Conceptionis puritate obnegata, Virgini nullo modo adaptari posse inibi probauimus: qui quæso in illam quadrare poterit illud Sapiẽtiæ 7. *Vapor est enim virtutis Dei & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei syncera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit*, Et infra. *Speculum sine macula Dei maiesta-* 14 Sapien. 7.

maiestatis, & imago bonitatis illius. Et iterũ. *Luci comparata inuenitur prior*: vel vt alij habent, *purior: illi enim succedit nox, sapientiam autem non vincit malitia*. Et alia his adsimilia, quæ passim occurrunt in sacris literis.

15 Et sane inde accidit, vt qui de Conceptione Virginis splendide, & laute non sentiunt, cum præfata loca eidem apponere, & aptare contendunt, accommodationum mensuras minime expleant, sed vacuas potius, lacunosas, mancas, & truncas relinquant. Possem quidem innumera huius rei exempla proferre apud authores oppositæ sententiæ valde obuia: sed reliquis suppressis accipe vnum, vel alterũ ex Diuo Antonino: hic enim tomo 4. titulo 15. cap. 4. §. 2. ad hunc modum scribit. *Fiat lux, & facta est lux. Successiuè narrantur opera sex dierum in principio facta, designantia sex opera mirabilia Dei facta successiuè in Virgine Maria: & primum opus est Conceptio, ibi dicitur figuratè: Fiat lux, in hoc præfigurans, & præordinans conceptum Virginis, cuius vita gloriosa lucem dedit sæculo.* Hactenus quidem apposite: sed breui interstitio similitudinem rei adaptans sic attexit: *Et sic concepta, & animata Beata Maria inuenta est cũ aliqua tenebra, scilicet peccati originalis contracti post infusionem animæ in corpus.* An non hæc violenta sunt? Cur non potius diceret Conceptioni respondere illud. *In principio creauit Deus cœlum, & terram, terra autem erat inanis, & vacua.* Vel vt alia lectio habet: *erat turpis, & incomposita*: ita vt in illæ terræ confusa, & obscura mole, tetra, & impura Mariæ Conceptio præformata fuisset? Nouerat sane Antoninus Virginẽ Deiparam cum ea luce candidissima, quam in prima rerum conditione ante solis formationem Deus produxit, à quibusdam Patribus comparatam fuisse: quæ nimirum lux tenebras terræ offusas dispulit, & ante solem præuia veluti solem ipsum peperit. (Non enim defuere graues scriptores, qui ex ea luce, quamuis parum philosophicè, solem extitisse affirmauerint) Quæ omnia, si immaculatam, nitidam, & puram Conceptionem concedamus, aptissime in Virginem quadrant: secus, dissimilia valde, ac dissentanea sunt. Idem etiam exponens illa verba Psal. 45. *Adiuuauit eam Deus mane diluculo*, parum aptam accommodationem commentus est. *Mane (inquit) intelligitur natiuitas eius in vtero, cuius diluculum habens aliquid de tenebris fuit, quo ipsius organizatum corpus suscepit animam aliqualiter tenebrosam factam per originale.* Quæ quã violenta sint, facile agnosces: nam vt comparatio apte caderet, deberet sic gratia cum peccato simul in eodem tẽpore coire, sicut tenebræ, & lux congrediuntur, vt diluculum faciant: quod plane est impossibile. Eandẽ vim infert illis verbis Psal. 76. *Et ipse fundauit eam altissimus.* Et rursus sic ait. *Beata Maria liber fuit, quia continuit in se diuinam sapientiam, id est, filium Dei: in libris enim continetur sapientia descripta: & ex hoc innuitur totalis eius puritas, scilicet in anima, & in corpore. Quia vt Sapientiæ 1. dicitur: In maleuolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis.* Quo modo enim hæc cum superioribus cohærent? Quænam est isthæc *totalis puritas*, quam peccati originalis impuritas tam sordidè inficit, ac contaminat? Alia subinde loca his similia subnectit, quæ suopte lapsu ad omnẽ peccati immunitatem comprobandam profluebant: ac propterea violenter admodum Virgini accommodat, quia vnũ excipit, nempe originale. Adi, si vacat, hæc loca à me obseruata, & omnia dissidijs plena videbis. Nec propterea sanctissimo, ac doctissimo illi viro iniurius esse volo: nam vt infra dicam c. 41. Can. 6. singulari Dei consilio factũ est, vt omnes illi, qui oppositam sententiam sua authoritate roborare possent, super hac thesi pugnantia dixerint, ac plane dissidentia. Atque adeò huius dissidij socios habet alios sanctissimos, & antiquissimos Patres.

Anton. — Psal. 45. — Psal. 76.

17 Cum ergo sint pene innumera loca, quæ ex veteri testamento ad Immaculatam Virginis Conceptionem confirmandam assumi solent: non est mentis meæ omnia, imo nec plura hic adscribere. Sed quemadmodum de figuris hactenus feci, ex quibus eas tantum delegi, quæ ab antiquis Patribus vsurpatæ fuerunt, reliquas vero suppressi, & suis authoribus dimisi. Ita etiam nunc me facturum polliceor, vt ea tantum testimonia versem, quæ nouerim à Patribus ad Virginis immunitatem à culpa comprobandam ascita fuisse: quia hæc solum ad probationem idonea sunt, quibus illi sua authoritate robur fecerunt. Si enim alia loca, quæ quomodolibet ad probandam puram Conceptionem allici possunt, excutere vellem, negotij immensi esset illa enumerare, nedum expendere. Hæc igitur, quæ à Patribus vsurpantur, si ea excipias, quorum interpretationes per superiora capita sparsimus, pauciora sunt. Nam quidquid ad primæ mulieris conditionem, & formationem, & ad mulctam serpenti inflictam pertinet, supra dedi c. 19. Et illa verba Can. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* suo etiam commentario donaui supra cap. 26. vbi Patres obseruaui, qui illis pro immaculata Cõceptione vsi sunt. Illa etiã Psal. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, &c.* quæ Leo Imperator, & Chrisippus Hierosolimytanus de Conceptione pura accepe runt, non perfunctorie explicuimus cap 19. & cap. 31. Item locum illum Sap. 5. *Speculum sine macula Dei maiestatis.* quem de Virginis munditia ab omni culpa exponit Anselmus, illustrauimus quoque supra cap. 25. Deniq; illa verba Cant. 6. *Vna est columba mea, perfecta mea*, Heb. *immaculata mea*, quæ Hierony. ad innocentiam Virginis confirmandã transtulit,

Cant. 4. — Psal. 44. — Leo Impe. — Chrisipp. — Sap. 5. — Anselm. — Canti. 6. — Hierony.

SENTENTIA, QVAE TRADIT Virginis immunitatem ab originali, non est noua, & recens, sed antiqua.




CAP. XXXVII.



1. *Doctrinam, quæ tradit immunitatem Mariæ ab originali, esse nouam, & nouiter reuelatam sensit Gerson.*
2. *Notitia eorum, quæ ad Virginem spectant, decursu temporis aucta est in Ecclesia.*
3. *Per quos gradus augmentum hoc ceperit.*
4. *Ea vel maximè, quæ ad temporanea Virginis initia pertinent, à Patribus suppressa, & cur.*
5. *Pia de Virginis pura Conceptione sententia non est noua, sed olim in figuris præsignata, & in scripturis expressa: deinde verò Sanctorum Patrum testimonijs roborata.*

1 Gerson.



IOANNES Gerson in Appêdice quadam sermonis illius de Conceptione Virginis in prima, & secunda Consideratione sic contemplatur. *Mariam non fuisse conceptam in peccato originali de his veritatibus est, quæ nouiter sunt reuelatæ, vel declaratæ, tam per miracula, quæ leguntur, quam per maiorem partem Ecclesiæ, quæ hoc modo tenet.* Et infrà. Ne quia huius veritatis ostensionem nouam, & recentem esse dixerat, quispiam illi minus deferret, in secunda Consideratione subdit. Non minorem authoritatem, vel ad exponendas scripturas, vel ad veritates ex ipsis exprimendas, & declarandas in nouis Doctoribus vigere, quam in antiquis: neque nouæ, ac recentioris Ecclesiæ communem sensum, & conspirationem minus posse, aut valere, quam veteris: imò potius ex eo extremæ Ecclesiæ sentẽtiam antiquæ quodammodo præstare, quia cum plura ad fidem pertinentia principia, sæculis labentibus, ex Patrum doctrina, & Conciliorum definitionibus ad ipsam promanarint, facilius illi est ex acceptis alia, atque alia statuere, & determinare. Id quidem verum esse minimè inficior, & in cognitione eorum, quæ ad Deiparam spectant, Ecclesiam maiores in dies progressus fecisse mihi compertum est. 2
Constat enim antiquitatem multa Virginis encomia, aut prorsus ignorasse, aut minus rectè calluisse, quæ hodie Ecclesia noua luce perfusa piè amplectitur, & veneratur. Ita vt putem id sibi ipsi Virginem diuinasse, cum in domo Zachariæ ita cecinit: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Quod quidem ita accipiendum est, vt succedentes generationes non modo acceptas à prioribus laudes Virginis celebrarent, sed etiam illas nouis accessionibus augerent, & cumularent. Rursus in Virginem etiam quadrant illa verba Canticor. 6. *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt: Reginæ, & concubinæ, & laudauerunt eam.* Sed quid laudis istiusmodi filiæ, Reginæ, & concubinæ, quæ omnes Ecclesiæ sibi succedentes animas adsignificant, in Virginem conijciunt? Statim attexit: *Quæ est ista, quæ progreditur, sicut aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Vide per quos gradus gloria, & splendor Mariæ se se promoueat. Duos hæc verba capiunt sensus iuxta corticem allegoriæ, quos in eum locum latius dedimus. Primus quidem supponit hæc verba à fœminis Hierosolymitanis tunc in sponsam iactata, cum militum manus saucia effugeret. Quod certè accidit circa auroram: nam sponsus, qui ad fores pulsando paulò ante cõstiterat, cincinnos suos ideò rore maduisse dixerat, vt sibi fores sponsæ beneficio paterent; ros autem circa auroram defluit: imò aurora dicitur quasi *aura rorans.* Ergo orationis illa incrementa cum lucis ipsius diurno incremento sic conferenda sunt. *Quæ est ista, quæ progreditur, sicut aurora consurgens, &c.* verba sunt Syonitidũ. Quænam in hęc ad miraculum pulchra fœmina, quæ cum primũ nobis se se visendam dedit (vidimus autem circa auroram subobscure exigua, & fusca luce) aurorã, seu luciferũ nobis imitari videbatur? Deinde verò cũ illucescente iam die, species eius magis se se prodidit, lunæ fulgenti, & pleno orbe radiãti similis apparuit: iã verò

Lucæ 1.

Cant. 6.

postquam dies, fugatis omnino tenebris, pulchritudinem illius prorsus retexit, solem ipsum non modo exæquare, sed etiam superare putauimus. Hæc de primo corticis sensu, qui certè aptissime in Virginis pulchritudinem, & decorem quadrat, quo illam gratia Dei, & alia eiusdem dona, & charismata exornabant. Nam circa Ecclesiæ ipsius initium, cum cognitio Dei erat subobscura quodammodo, & subatra, auroram imitari: deinde verò illucescente amplius rerum diuinarum notitia, lunæ fulgenti adsimilis: ac tunc demum, labentibus sæculis, cum clarior quædam diuinarum rerum cognitio veluti dies effulsit, solis radios fulgentissimos referre visa est. Itaque splendoris, & gloriæ Marianæ notitiam, & cognitionem cum ipsa Ecclesiæ luce excreuisse non aliter dicimus, quam si per successiuas vices Lucifer in lunam, & luna in solem vertatur.

3 Secundus sensus, qui facilè priorem superat, sic habet. Puto enim his verbis alludi ad id, quod in expositione Canticorum suis locis tradidimus, sponsam videlicet ter in publicum processisse, ita vt à fœminis Hierosolymitanis conspici potuerit. Primum quidem noctu, cum vecta curru geniali in domum sponsi traducta fuit, vt moris erat flammeo faciem velata. Iterũ in secundo die nuptiarum cum magno satellitio, illustri pompa, lectica pereleganti subuecta in templum se se transtulit: non quidem aperta facie, sed eodem flammeo tecta: ita enim mos ferebat. Ac demum tertia die nuptiarum, cum iterum reuelata omnino facie in publicum venit, eiusque formam omnes fœminæ admiratæ sunt. Et quidem de his sponsæ in vrbem progreßibus multa nos in expositione illius libri diximus, quæ piget hic adscribere? Ex his ergo loci istius luculenta interpretatio se se dat in hunc modum. Fœminæ Hierosolymitanæ, in tertio illo progressu sic exclamant. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Quasi dicant, quænam isthæc tam decora fœmina, quæ cum primùm in publicum de noctu prodijt flammeo nuptiali velata, quatenus nox nuptialibus facibus illustrata, & subtilissima flãmei tetia ipsam videre permittebant, auroræ similis visa est? Eadem verò cum secundò in vrbem interdiu progressa est flammeo similiter tecta, quatenus etiam per clariorem diei lucem, & per tenuitatem flãmei licebat visere, Lunæ splendorem imitari putauimus. Ac tunc demum, cum tertiò, reuelata iam facie, de die in publicum se se dedit, Solem ipsum sua pulchritudine opinione nostra referebat.

Hæc quoque interpretatio ad Virginem apte traducitur: quæ nimirum in Ecclesiæ nascentis initio primis illis Patribus ita se visendam præbuit, vt magnam suæ pulchritudinis partem illis tunc nox ipsa eriperet: quæ etsi aliquali luce iam tunc irradiata fuerat, nondum tamen eam aperta rerum diuinarum cognitio expulerat: magnam quoque partem velum celaret, quo vel ipsi Euangelistæ Mariæ laudes obducendas curarunt, vt eas in posteriora sæcula Deo retegendas differrent. Quapropter tunc splendor illius, auroræ similis apparuit, parcus admodum, & subfuscus: subinde verò vbi Ecclesia adoleuit, & lux illi clarior cognitionis affulsit, Mariæ quoque decor, ac species magis se se prodidit: adhuc tamen sub velo, nec clare satis, nec aperte, ita vt splendor illius, Lunæ splendoris æmulus videretur: clarior quidem quam prius, sed non omnino illustris, & conspicuus. Tandem verò sub Ecclesiæ finem, cum maior, & splendidior lux cognitionis Dei posteriores homines ad diem transtulit, Mariæ pulchritudo retecto velo tantopere emicuit, vt sole ipso candidior, atque luculentior visa fuerit. Et sanè quisquis Patres euoluerit, & attentius viderit ea incrementa, quibus eius gloria sensim per omnia sæcula aucta fuit, facilè agnoscet, quam apte locus ille Salomonis iuxta præmissos sensus in Virginem quadret. Nostra autem sæcula, quæ (ni fallor) ad Ecclesiæ finem non parum vergunt, id gloriæ sibi sumere possunt, quod ipsis longe clarior Mariæ cognitio obtigit, quod cunctam ipsius pulchritudinem oculis suis clare obeunt: quod iam demum retecto velamine conspiciunt ipsam esse fœminam illam sole *amictam* (sub hac enim forma illibatã Virginis Mariæ Conceptionem nobis hactenus pictura semper obtulit) De qua Bernardus illa verba pronunciat supra à me adscripta in sermone de Verbis Apocalypsis. *Candidissimus sanè, & calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea non dico tenebrosum, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem, aut minus feruentissimum liceat suspicari.* Bernar.

Cur verò ea, vel maximè, quæ ad Conceptionem Virginis spectant, antiquis illis sęculis non ita clare, & apertè innotuerint, adnotauit Fulbertus Carnotensis in sermone secundo de Ortu Virginis, vbi sic fatur: *Sanè si qui solicita mente, & studiosa inuestigatione perquirant: cur Sanctorum præcedentium memoria, huius præfatæ Virginis temporanea initia suis fidelibus sequacibus enucleatim non exornauerunt, vt ad omnium notitiam euulgarent: nouerint non ignaros eos extitisse hæreseos, quæ pro insigni, & admirando huius puellæ præconio exortura erat: & ob id, siquid ex eius ortu protulerunt, sagaci industria celandum æmulis, & infidelibus decreuerunt, ne inueniret cæca garrulitas perfi-* 4 Fulbert.

dorum, unde maternum sinum Ecclesiæ verberaret sua multiplici fallacia. Sed quænam fuit hæresis illa, quæ antiquos illos Patres cohibuit, ne initia temporanea Beatæ Virginis, scilicet Conceptionem illius (de hac enim sermonem facit Fulbertus) fidelibus enuclearent? Ego quidem ita reor sanctissimum illum Doctorem perantiqui illius erroris meminisse, qui Christum Dominum, non vero, sed vmbratili, & phantastico, aut certè cœlesti corpore prædictum asseuerans, aiebat etiam Mariam, ex qua natus ferebatur, non fœminam veram, sed Angelum quempiam fœminea indutum forma extitisse: quam hæresim Paulus iugulauit illo verbo: *Factum ex muliere*. Mens ergo Fulberti hæc est, ideò veteres Ecclesiæ Patres de admiranda Virginis Conceptione, & de iustitia illius originali pauca miscuisse, ne si hæretici illi Mariam in suo conceptu sanctam, & puram esse audirent, hoc argumento abuterentur ad sui erroris comprobationem, asserentes eam non esse veram fœminam, quæ communi aliarum fœminarum iure procreata non fuerat: atque adeò humanæ propaginis noxas ignorabat.

Cæterum licet hæc vera sint, tamen Gersoni minimè assentior: nec enim puto veritatem istam ita nouam, & recentem esse, vt antiqua etiam sæcula non imbuerit. Cui coniecturæ fidem aliquam facit Salomonis iste locus: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*. Nam cum ex possessione, qua Deus Virginem occupauit, eius Immaculatam Conceptionem hactenus expresserimus, ex eo quod dicit *in initio*, vel *ab initio viarum suarum*: antiquam ipsius notitiam aucupari licet. Et quidem per *vias* hic creaturas accipi supra in expositione literali huius loci decreuimus, adstipulante pro nobis Iob cap. 38. vbi de Behemoth ita scribit. *Ipse est initium viarum Dei*, id est, vastissimus omnium animalium, vel creaturarum. Itaque illud *in initio viarum suarum*, perinde est, atque in exordio creaturarum. Sed statim difficultas se se offert, quanam scilicet ratione dici possit, quod Deus in ipso creaturarum exordio, & auspicio Virginem possederit, cum exploratum sit, Virginem longo sæculorum interuallo à primo creaturarum exordio conditam fuisse. Hæc difficultas bifariam dilui potest. Primò quidem ad Dei præscientiam confugere licet, ita vt perinde sit: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, ac si diceret, Deus ab ipso creaturarum exordio memet à se possidendam, & occupandam præuidit, aut possidere, & occupare apud se decreuit: nam eodem sensu Virgini accommodanda sunt consequentia illa verba: *Necdum erant abyssi, & ego iam concepta eram*. Et infrà: *Ante omnes colles ego parturiebar*, id est, concipi, ac parturiri præuidebar, aut præfiniebar. Secunda solutio petitur ex his, quæ Patres ad illa verba Apocalyp. 13. commenti sunt. *In libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi*. Vbi Christum propterea ab origine mundi occisum dicunt, quia eius mors ab ipso mundanæ conditionis exordio in figuris pluribus adumbrata, & in sacris voluminibus descripta fuit: res autem in suis figuris, & imaginibus quodammodo existere, & in literis, ac scriptis viuere, ac vigere dicuntur. Ergo ad eundem modū Virgini sanctissimæ pronuntiare licet: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio*, secundum vtranque explicationem, ita vt verba illa, *antequam quidquam faceret à principio*, ad Dei præscientiam referantur, qua Deus ab æterno Mariam à se possidendam certò nouit: illa verò *ab initio viarum suarum*, id est, ab exordio creaturarum, iuxta posteriorem solutionem hunc sensum reddant. Deus ipse iam tunc ab ipsis mundi primordijs me gratia sua tenuit, ac possedit, id est, futuram hanc possessionem symbolis, atque figuris pluribus adumbrauit, & in scripturis suis expressit: in quibus Virgo tanquam in expressioribus simulachris, iam tunc vigebat, antequam in se ipsa existeret: & subinde etiam postquam extitit, per literas etiam, & scripta Patrum ad nos vsque ita perducta est, vt in his noua, & recens semper visatur.

Animus ergo est extremam huic tractationi probationē, & manum addere, & illibatæ Conceptionis antiquam traditionem ab ipsius mundi primordio ex figuris, ex Prophetarum vaticinijs, & ex Patrum scriptis peruestigare. Nec industriæ nostræ erit, tam colligere rudia, & inculta, quam seligere grauiora, & digniora: ea nimirum, quæ Patres sua authoritate commendauerint: selectaque eum in ordinem conflare, quo supradictam traditionem comprobare possint.

Iob 38. *Apoc. 13.*

DE

DE FIGVRIS, ET ALIIS TE: stimonijs veteris testamenti dignioribus, ex quibus Sancti Patres immunitatem Virginis ab originali aucupati sunt.

CAP. XXXVIII.

1. *Virginis Conceptionem ab omni peccato mundam repræsentat mundi creatio.*
2. *Paradysus voluptatis.*
3. *Adami conditio ex terra non maledicta.*
4. *Eua exædificatio ex costa Adami.*
5. *Serpentis maledictio.*
6. *Arca Noe.*
7. *Rubus Moysis.*
8. *Arca testamenti, & propitiatorium.*
9. *Virga Aaronis.*
10. *Tronus Salomonis.*
11. *Nubes Heliæ.*
12. *Columna nubis.*
13. *Alias figuras alij comminiscuntur.*

1 *Creatio mundi Genesi.*



RINCIPIVM Igitur capiamus ab eo, quod Deus fecit in principio, à creatione videlicet cœli, & terræ, à totius mundi cōditione, in qua mūdissimæ Cōceptionis B. Mariæ puritatē præsignificatam fuisse tum ipsius *mundi* nomen *mūditiam* plane sonans, tum ea munditia, quam à Dei creantis manibus mundus ipse tulit, apertè indicat. Id verò apertissime docet Bernardus in serm. de B. Maria dum ex hoc mūdi simulachro perpetuam Virginis gloriam non minimum illustrat. *Prius* (inquit) *altissimus sibi eam quasi mundum specialissimum creauit, quam in iustitia, & sanctitate coram ipso fundaret, & fluentis sapientiæ irrigaret, & cœlestibus desiderijs instar scilicet aeris sublimaret, & igne dilectionis accendendo illustraret: hinc in eius mente tanquam in quodam firmamento Solem posuit rationis, & Lunam scientiæ, & virtutes tanquam stellas speciei omnimoda, &c.* Perfectus igitur mundus Maria iuxta Bernardum: atque adeò in sui creatione perfecte munda. Nota obiter verba, si lubet, *Altissimus sibi creauit*, vt scias inde Mariam suæ immunitatis iura accepisse, quia illam Deus sibi ipsi matrem creauit, alioqui minimè futuram, nisi Christus Dominus futurus esset. Deinde *sibi eam*, vt scias iam tunc Mariæ tantam gratiam ideò collatam fuisse, quia vt esset summi Regis domicilium, construebatur. Præterea *in iustitia, & sanctitate fundaret.* Gratiam nimirum, atque iustitiam huic nobilissimo mundo tanquam centrum subijciens (hoc enim nomine fundamenti significatur) in quo reliquæ Virginis gratiæ conquiescerent, vnirentur, & conseruarentur: hæc nimirum sunt beneficia, quæ centrum reliquis corporibus præbet, & in iustitiam originalem apprimè quadrant: aut si mauis, hanc iustitiam in mundo Beatæ Virginis suprāmundano cum terræ elemento componit Bernardus: quia non aliter originalis innocentia in Virgine reliquas illius gratias sustinet, ac portat, quam terra reliqua elementa. Et sicut terra sola inter reliqua elementa immobilitate gaudet: ita etiam sola Virginis originalis gratia ab initio immobilis, & inconcussa, neque nutans, neque vacillans, vt suprà, cap. 34. probauimus: eiusdem verò iustitiæ incrementa non obscure indicant reliqua Bernardi verba, quæ tu te queas per otium expendere.

Bernar.

Ad hanc etiam Virginis puritatem ab omni culpa adumbrandam pertinet etiam Paradysus voluptatis, in qua Deus hominem ante originalis iustitiæ iacturam continuit, ac seruauit: de qua Bernardus in sermone secundo de Natiuitate sic scripsit. *Hic locum voluptatis vterum Mariæ intelligo: in quo cumulauit omnes delitias delitiarum Dominus, de cuius delitijs Spiritus Sanctus admiratorio sermone in amoris cantico eructat. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitijs affluens? Numquid in Angelis voluptatem habet Deus, in quibus ipse reperit prauitatem? Nunquid in constellatione, & scintillatione stellarum, quarum aliæ conuertuntur in sanguinem, aliæ cadunt de cœlo, aliæ in tenebras obscurantur? Nunquid in aere, vel igne, vel ventis? Nequaquam in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in Spiritu Dominus, si verus est ille, qui in curru igneo, & equis igneis est assumptus in cœlum. Numquid in aquis vbi furens, & tortuosus Leuiatan immoratur? Aut in terra, quæ sub ma-* 2 *Paradysus.* *Bernar.*

Ignoras prisca illa recentiorum, eorumque, quæ nunc contingunt, extitisse figuras? Ea enim, quæ antiquitus fiebant, mysteria, quæ in nouo testamento adimplenda erant, significabant. Quare rubus accenditur, ignis conspicitur, & tamen quæ ignis natura fert, non operatur: illuminat, non consumit: abstergit, non incendit: beneficium præstat, pœnam non adfert. Nonne Virginem in rubo animaduertis? Rubus itaque Mariæ expressa fuit similitudo. Si ergo vilem illam arbusculam ita Deus ipse olim insedit, vt eum illis splendorem, eam gloriam, eam mirandam integritatem induxerit: qua quæso ratione Virginem nostram obsederit, aut potius possederit? Quē illi nitorem, quam puritatem, quam lucem inculerit, quando eā ita ab omni peccati affectione immunem præstitit? Addit etiam. *Illuminat, non consumit: abstergit, non incendit: beneficium præstat, pœnam non adfert*: Qui videlicet in Conceptione suæ lucem, puritatem, & gratiam omnimodam Mariæ attulit: lucem inquam, qua primo Conceptionis instanti illuminata Deum agnouit, fortasse etiam clare vidit: puritatem, qua se contra omnem peccati maculam pręmuniuit: gratiam denique, quam in eo pariter articulo maximam comparauit. Neq; vero quisquā huc inuitē trahat, id quod lib.24.c.13. Plinius scribit, inesse rubo maximam vim aduersus noxium quodq; serpentium virus: salutaris namque rubus iste, postquam ita à Deo ab initio productionis suæ obsessus fuit, omnem dæmonis impetum, omnem peccati vim, omnem omnino serpentis artem penitus repressit, elusit. *Aduersantur* (ait ille de vsu istius arbusti in medicina) *serpentium sceleratissimis hæmorrhoidi, & præsteri rubi flos, aut mora.* Hæmorrhois porro serpentis genus est, qui morsu omnem prorsus elicit sanguinē, sicut & præster (qui & dipsas dicitur) omnem prorsus humorem absumit, atque e adeò vterque sceleratissimus serpens, vterque pessimè vitam abrumpit: ille scilicet dum robur omne cum sanguine trahit: hic dum arentē penitus siti, quem momordit, insatiabili vsque potu distendit, atq; dirrumpit. En duo sceleratissima peccati originalis capita, duo præcipua mala, quæ miseris hominibus inducit, in vtriusque serpentis morsu adumbrata: nam illa, quæ exhausto sanguine accidit, virium extenuatio imbecillitatem, & infirmitatem adsignificat, qua peccatum originale naturæ humanæ robur labefactauit. Sitis autem illa ardentem libidinem, & concupiscentiam innuit, quæ eiusdem peccati reliquiæ sunt. Ab his omnibus Virgo immunitatē adepta est. Sacer (inquā) noster rubus, qui cœlestem protulit illum florem, qui diuinum attulit illum fructum his sceleratissimis serpentibus omnino aduersarium. Nunquam Maria (quę Nazarenū mundo protulit germen) infirmitatem animi, nunquam libidinem, aut cupiditatem nouit: nihil vnquam illa fortius, nihil vnquam illa temperatius. Quodsi peccati ista mala nunquam sensit, quis eam peccatum ipsum sensisse, & habuisse audeat profari? Citius profectò serpēs inimicū sibi impetierit rubum, quam peccatum Mariam cœlesti charitatis igne perpetuo deflagrantem.

Plinius.

8 Cæterū sicui hæc spinosiora visa sunt, molliora iam ex eodem libro expectet, rubum prætereat, arcam fœderis adeat, quæ Arca testamenti purissimæ Mariæ Cōceptionis mysterium, quod includit, facile accedentibus reserabit. *Arca quoque testamenti*, ait Bernardus, *typum tenet Deigenitricis*. Ac ne putes eum longe ab hac, quam persequimur, sententia recedere, audi pulcherrima verba, quæ statim subijcit. *Illam fecit Bezeleel, istam condidit Emanuel. Bezeleel (qui interpretatur vmbra Dei) Oliab (qui protectio mea dicitur) in opere socium habuit: & Virgo quoque Virginum condita, praelecta, præseruata, præparata, & ornata per spiritum sanctum & eius omnipotentem filium fuit.* Quid clarius? Quid illustrius? Nam si Virgo condita, prælecta, præseruata, præparata, & ornata à Deo fuit, quando vllus fuit in ea peccato locus? An Deus summa videlicet illa virtus conderet vitiosam? An maxima illa sapientia pręeligeret vilem? An æterna illa cura præseruaret immundam? An diuina illa prouidentia præpararet sordidam? Absit, vt talem præclarissimo Dei operi maculam inijciam, atque eam quodammodo in ipsum artificem reijciam. Pergat Bernardus. *Sancta quoque Trinitas Virginem sibi sanctificauit, ac templum sanctissimum consecrauit, hospitiumq; mundissimum sibi praeparauit: thalamum quoque, de quo sponsus præ filijs hominum speciosus ad publicum procederet, decenter præornauit.* Cæterum nitentem istam Mariæ conceptæ puritatem, omnemque peccati corrumpentis immanitatem aperte significat arcæ illius mystica materies, quippe quæ *de lignis Setim*, siue vt lxx. interpretātur, *de lignis imputribilibus* confecta sit: qua etiam materia mensa propositionis cōstabat. Quanta vero esset eorū lignorum elegantia, quanta itidem æstimatio, multis quidem esset hic explicandum, nisi labor iste ad cap.9. ver.2. opportunius impensus fuisset. E pulcherrimis igitur, ac pretiosissimis lignis Setim arca illa fœderis fabricata fuit, quæque nullam vnquā putredinem traherent: & sanctior quoque nostra arca à prima quoque sui conditione pulcherrima, pretiosissima, integerrima nitescebat: neque tunc quidem peruia fuit vlli peccati corruptioni, nec vllum vnquam sensit à peccato detrimentum. Præterea si Setim vocabulum interpreteris, alia etiam ratione Beatæ Virginis specialem puritatē à Bernardo ipso in arca illa præuisam intueberis. *Setim enim* (inquit) *interpretantur spinæ.* Arca igitur vestra, obijciet aliquis, ex spinis compacta est, atque adeò spinosis peccati aculeis in sui formatione cōpuncta.

Bernard.

Bernard.

tarum quoq, & sanctorũ omnium stirpe descendens, quibus peccatum non fuit dominatum, & ob id vere fuerunt liberi: ex quibus nata est Virgo liberior Sancta Maria nullũ habens fruticem, nullum germen ex latere, sed totus fructus eius erupit in florem loquentem in Cantico Canticorum. Ego flos campi, & lilium conuallium. En omnem inflexũ fruticem, omne à latere germen Virginea ex virga abscindit Hieronymus: omnẽ scilicet peccati surculum, omnẽ concupiscentiæ stolonẽ Mariæ detrahit. Cũ igitur nihil huiusmodi ab ea vnquã pullularit, meritò putãdũ est nihil eã vnquã, vnde id pullularet, habuisse: nullum scilicet *nodum*, vnde germen erumperet: nullum inquã peccatum originale, vnde actuale germinaret. Atque adeò rectè dicitur ab Ambrosio, *nodum* peccati originalis in sacra ista virga non fuisse: qui profectò si fuisset, aliquem concupiscẽtiæ stolonem, aliquodque à latere peccati actualis germen aliquando emisisset. Et quantumuis virga ipsa præciso originali læuigaretur, ac mundaretur, aliquam tamen asperitatem, & fœditatem semper retinuisset: cum nodi ita virgæ insiti esse soleant, & innati, vt ad ipsam medullam, & cor intimum penitus pertingant. Vnde Ioannes Baptista, & siqui sunt alij fœliciores rami, qui maturè ab illo nodo fuerint læuigati, aliquid tamen semper nodosum retinuerunt, aliqua non bona germina à latere emiserunt. Maria vero nec nodum originalis, nec stolonem actualis peccati vnquam habuit, sed semper virga læuis, virga simplex extitit. Itaq; (vt eò, vnde digressi sumus, redeamus) siue virgam illam coram Deo in tabernaculo florentem, cum Ephrem, & Hieronymo perspicias, siue etiã cum Ambrosio in sua prius puritate, & rectitudine persistentem, semper profectò Mariæ inter omnes immunitatem, omnimodamque à labe puritatem perspicies: atque adeò si in ea peccati originalis nodũ amplius quæsieris, certè (quod vulgo ferunt) nodum in scirpo quærere planè videberis.

Sed nequaquam hic omittenda videtur sacratioris illius virgæ materia, quippe quæ non exiguam Virgineæ puritatis in Conceptione commendandæ materiã suppeditat: eam ex fructu, quem virga protulit, amygdalinam fuisse constat, quando ex alijs sacræ paginæ, & interpretum testimonijs non constaret. Amygdalina ergo virga illa fuit, atque adeò præproperam Mariæ puritatem planè indicauit. Nam ea inter alias omnes arbores amygdalo natura est, vt ante omnes prima gemmas, flores, frondes, & fructus emittat: quocirca frequenter amygdalus vigilantiam, maturitatem, properationem, festinationẽque significat. Vnde in eo loco Hieremiæ 1. *Virgam vigilantẽ ego video*, ex Hebræo vertunt plures *virgam amygdalinam*, vbi etiã alij *virgam properantem, seu festinantem* transtulerunt: quibus lectionibus celeritas, qua *Hiere. 1.* Deus ad populum flagellandum properabat, significatur. Beata igitur Virgo Maria virga amygdalina fuit, virga vigilans, virga festinans, quia longe ante alios omnes floruit, frondiuit, fructificauit: quia videlicet ad omnimodam gratiam capiendam ita vigilauit, maturauit, festinauit, vt in primo adhuc Conceptionis instanti illam apud Deum inuenerit, acceperit, apprehenderit. Quod si nonnulli præterea sanctorum, quasi festinantes quædam arbores, ita properarunt, vt in ipso matris vtero gratiam consequuti sint, eoque cœlesti flore condecorati: quidni amygdalus nostra, quæ celerius multò, quam aliæ arbores, maturauit, citius quoque multo floruerit, gratiæque decore in prima productione viruerit? Manè scilicet illi vigilarunt: ista verò maturius euigilauit: *Et adiuuauit eam Deus manè diluculo.*

Quod siquis tamen adhuc nobis obijciat amygdali nostræ radicem planè amarã fuisse, atque adeò amygdalum ipsam eam vtique amaritudinem ab stirpe traxisse: nostram scilicet Beatam Mariam ab infecta Patrum natura infectam quoque ex traducis labe prodijsse: mentem sane istam non satis sanam ille ponat. Noritque eam esse etiam rusticæ agriculturæ vim, vt natiuum quoque plantarum vitium extrudat, à malaque radice optimum sæpè germen educat. Audi magnum *Basil.* Basilium homilia in Hexameron quinta id ipsum de amaris amygdalis asserentẽ, & qua id ratione fiat edocentẽ. *Sunt* (inquit) *arbores, quarum sua natura vitium agricolæ cura, diligentiaque deponere, ac extrudere nouimus, vt punicas acidas, amygdalasque amaras.* Ecce rem: accipe rationem. *Cum enim ima in parte radici propinqua stipite perforata cuneũ ex pino pinguem per mediã adactum medullam susceperint, saporis tunc fastidio gratum in vsum mutato, dulcescunt.* Ita igitur, & in sacratiore agricultura virtutem quandam esse inficiandum nõ est, quæ vitiosæ radici opem ferre, & de pessima stirpe optimũ germen efferre possit, dulcemque amygdalam de amaro amygdaleto. Quam profectò miram virtutem à cœlesti illo agricola nostræ amygdalo adhibitã fuisse, neget ille, qui dulce amaris præstare non putat. Nam si stirpibus illis natura sua amaris remedio, & dulcori est ligneus stipes prope radicem penitus adactus, altèque impressus: remedio etiã fuit amygdalo nostræ, ne amara ex amara sua stirpe emergeret, ligneus stipes: dum sacri illius ligni virtute, ex quo salus mundi pependit, effectum est, ne Beata Maria natiuam suorum progenitorum amaritudinem producta traheret, eodemque originis suæ vitio corrumperetur. Crucifixi inquam virtute, & meritis, quæ huic electo germini, ac pullulanti ad amaram suæ stirpis radicem emendandam iniecta sunt. Nihil Beata Virgo de originali vitio traxit, nihil de natiua extulit amaritudine, atque adeò insi-

tum

tū naturæ malum, summo agricola eā opem ferente, nostro germini vitio non fuit. Hanc autem opem à salutari crucis ligno, crucifixique Christi virtute prouenisse cum dicimus, Basilium imitamur, qui Oratione 7. de Virtute & vitio, eandem illam artem corrigendi plantarum vitiū, & eisdem pene verbis tradit, ad animique vitia corrigenda diserte traducit. *Si agricola qualitates plantarum mutat, multo magis studium animi erga virtutem poterit omnis generis vitia superare, ac eis præualere per Christum Iesum Dominum nostrum, &c.* Per Christi igitur passionem, virtuté, & meritū, Beatæ Mariæ datū est, vt natiuo illi vitio præualeret, illudque adeò superaret, vt ab amara licet stirpe dulcis omnino procederet, semperque sanctum esset germen, semper Deo gratum, semper iucundum.

Basilius.

Cæterum hæc licet ita sint, perpetuusque huius germinis dulcor, decorque satis inde asseratur: tamen cum Aaronis virga illa mirabilis exsecta penitus iam fuisset, nihilque de natiua radice retineret, nō est, cur nos quidquam de sanctioris nostræ virgæ radice differamus, sed eam potius penitus exsectam, ab hominibus scilicet remotam, omnique Adami sobole separatā consideremus: atq; adeò nihil cum Adami posteris hac quidem in re cōmune habeuté. Ita enim in Aaronica virga factū, quæ à sua radice exsecta, & separata floruit, fructificauit. Idcirco satis, superq; à nobis suprà agitatum est, dum Mariam à cōmuni illo hominū pacto excludendam esse contēdimus, & semper ab Adami stirpe seiungēdam. Ex quibus facile colligi potest, quantum Maria cæteris omnino præstiterit, quantumque illis omnibus sordescentibus, atque arescentibus, vna illa nituerit, atque viruerit.

10 Thronus. Salomon Reg. lib. 3 10. Damian.

Egregia quoque Beatæ Virginis puritas, eximiusque iā inde ab initio candor in magnifico illo Salomonis Throno apparebat: de quo legimus in Regum historia. *Fecit Rex Salomon Thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis, &c.* Ac ne fortasse putes me de meo hanc similitudinem confingere: lege Petrum Damianum in sermone 1. de Natiuitate Virginis, in quo multa de illo Throno ingeniose, & piè ad Mariam traducta reperies. *Ipsa est* (inquit inter alia) *Thronus ille mirabilis, de quo in Regnorum historia legitur in hæc verba: Fecit Rex Salomon Thronum, &c.* Quid vero ipse sentiat de sublimioris nostri Throni nitore, & puritate, indicat infra, dum ait. *Salomon noster non solum sapiens, sed & sapientia patris: non solum pacificus, sed & pax nostra, qui fecit vtraque, vnum fecit Thronum, vterum videlicet intemeratæ Virginis, in quo sedit illa maiestas, quæ nutu concutit orbem.* Pergit Damianus mentem suam, & perpetuam Beatæ Virginis puritatem, aliaque encomia præclarissima ex Throni illius materia, formaque deducit, atq; inter alia, de ebore ita subijcit. *Sola eboris substātia capax est tantæ compositionis, & fabricatur in ea, quod omnibus operibus præferatur. Ebur enim, & mirabili candore relucet, & multa præminet fortitudine, frigidiorisque naturæ sortitur auspicium. Et quid candidius illa Virginitate, quæ singularis aspectus sui gratia super cœlestem curiam allicit ad videndum? Quid fortius illa fortitudine, per quā Domini fortitudo vasa diripuit fortioris? Quid frigidius illa substantia, quam obumbrauit virtus altissimi, & ab æstu peccati defendit superuenientis spiritus plenitudo?* Ecce quam multa hic inuoluit Damianus ex his, quæ nos supra per otiū euoluimus: ecce quam aperte ipse Beatæ Virginis ab omni peccato immunitatem exponit. Dices fortasse Petrum Damianum non de originali, sed de actualibus peccatis: non de Conceptione, sed de Incarnatione loquutū. Non attentior. An si tibi hoc darem, quod de peccatis tantum actualibus loquutus esset Damianus, dicere auderes illum tantummodo asseruisse Virginem ex ipso Incarnationis articulo per totam deinceps vitam ab his peccatis actualibus Spiritus Sancti opera protectam? An non etiam hoc ad priora tempora ante Incarnationem retro trahendum diceres? Ita sane. Cur ergo Petri doctrinam coarctas, qui quemadmodum tempus omne, ita etiam omne peccatum complexus est illis verbis. Frigidus ergo semper noster Thronus, semper candidus, semper firmus, cum semper eburneus extiterit, cum nunquā non Thronus Dei fuerit, cui prius diuinitas per gratiam, deinde humanitas insedit per naturam. Quare cū semper extiterit regius thronus, quem de ebore verus Salomon grandem effecit, semper peccati omnem æstū, omnem nigredinem, omnem imbecillitatem nesciuit. Denique ne in singulis hęreamus, si tanta erat diuinioris nostri throni præstantia, vt non sit factum tale opus in vniuersis regnis: cuius aures libenter excipient, tam egregio operi tenebrarum principem primū insedisse? Quis ęquo animo ferat asserentes tanti candoris gloriam prius tam atris fęcibus fordasse?

Maiestate gloriæ, & puritatis Marię, cœli, & terra pleni fuere, quandoquidem non terra solum innumeris simulachris tantū mysterium repræsentabat: sed cœlum etiam ipsius puritatis consciū, tantæ gloriæ signa in excelsis efferebat. Erant videlicet signa sacra in Sole, Luna, & Stellis, quæ partim à nobis infra, partim ab alijs alibi explicabūtur. Erant certe præterea in nubibus, erāt in nubeculis, quando nubecula illa parua, quæ quasi vestigium hominis, orante in Carmelo Helia, de mari ascendere visa est, non magis pluuiæ largitatem, quam Mariæ puritatem prænūtiās, atq; præsagiens. Oriebatur scilicet nubecula illa dulcis ab initio: & Maria

11 Nubecul. Helia.

(quæ

(quæ nubes à Hieronymo, & alijs sępè Patribus appellatur) dulcis ab ipso naturæ exortu, sine vlla peccati amaritudine extitit: ascendebat illa leuis: & hæc nullo vnquam criminis pondere grauata super omnes homines altius ferebatur. Et dulcis quidē illa, leuisq; de amaro, graui que mari processit: & Maria etiam de vitiata patrum materia, nullum tamen ipsa vitium traxit, nihil de peccatoribus contraxit peccati, sed naturę suæ dissimilis semper dulcis fuit. Sed quid solus oberro? Qu d meo me labore sustento? Ad Patrū ditissimum penus aduolo. *Ioannes Hierosol.* Ioannes Hierosolymitanus in lib. de Institutione Monachorum cap.32. dum totam illam nubeculę historiam refert, & quæ in ea Heliæ mysteria patefacta fuere, quæq; ille discipulis suis tradidit, commemorat. *Primo* (inquit) *scilicet patefactum est Heliæ, quod quædam infantula nasceretur, quæ ex vtero matris suæ ab omni peccato munda egrederetur.* Et infra idem Sacramentum apertius exponens, ita subiecit. *Per hoc namque, quod ille puer Heliæ vidit de mari nubeculam paruā oriri, reuelauit Deus Heliæ, quod quædam infantula, scilicet Beata Maria per illam nubeculam significata, & instar illius nubeculæ per humilitatem parua, nasceretur de humana natura peccatrice designata per mare. Quæ infantula iam in suo ortu esset munda ab omni peccatorum sorde, quemadmodum nubecula illa fuit de mari amaro, tamen sine aliqua amaritudine. Licet namque nubecula illa esset originaliter eiusdem naturæ cum mari, alterius tamē fuit qualitatis, alteriusque proprietatis (mare quippe ponderosum est, & amarum, sed nubecula illa leuis fuit, & dulcis) Sic quamuis in quolibet alio homine natura humana instar maris sit in sua origine ita amaritudine peccatorū, & vitiorum pondere pressa, vt fateri cogatur: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me: Beata tamen Maria de mari, id est, natura humana aliter fuit orta.* En matrem, ex cuius vtero Maria ab omni peccato mundam egressam fuisse dicit, scilicet ipsā naturā humanā, vt aperte videas eam in sua Conceptione puram prænunciari, ac prædicari. *Quia in suo* (inquit) *ortu* (id est, in egressu ab ipsa natura) *nō fuit onerata amaritudine delictorum: sed instar illius nubeculæ fuit leuis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem charismatum: ipsa enim in suo ortu* (in illo videlicet priori) *fuit nubes illa, de qua per Moysen figuratè est scriptum. Ecce gloria Domini apparuit in nube.* Iniuriam equidem non exiguam facerem, si tam claris tanti viri verbis lucem aliquam afferre vellem, aut tantis rerum momentis orationis aliquod pondus superaddere. Vnū illud addā, quod ille quoque addit, eam de Beatæ Mariæ puritate præsagam, & propheticam cognitionem ab Helia, Heliseo, & alijs suis discipulis manifestatam, ab illis porrò sequētibus perpetua successione per manus traditā fuisse, donec orta iam Maria, & visionem re ipsa comprobante, ædes sacra in Carmelo extructa fuit eiusdē puritatis præclarum monimentum. 12

Porrò si parum lucis huic nubeculæ verbis nostris attulimus, ad lucidiorē aliam nubem, quæ haud obscurius Mariani splendoris, & candoris perpetui signum est, illustrandam transeamus. *Columna nubis.* Est illa in illo Psalmi septuagesimi septimi versiculo. *Deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.* Vbi sermo est de celebri illa columna nubis ignita, quæ Israeliticū populum ab Ægypto fugientem, aut per diem ab ęstu protegebat, aut per noctem à caligine illuminabat. Eam vero nubem Beatæ Virginis simulacrū esse, clare docet Epiphanius, *Epiphan.* dū in sermone de laudibus Mariæ ita eandem alloquitur. *Nubes columnæ similis, quæ Deum habes, quæ populum deduxit per desertum, &c.* Illustrius vero *Hierony.* Hieronymus Beatam Mariam nubem esse, & omnis peccati caligine liberam vt confirmet, *Esai.19.* alterius etiam nubis, quæ in Esaiæ 19. capite describitur, mentionem facit: ita enim ait in eum Psalmi versiculum. *Et deduxit eos in nube diei: Ecce Dominus venit in Ægyptum in nube leui: nubem leuem debemus sanctam Mariam accipere nullo semine humano prægrauatā: & deduxit eos in nube diei: pulchrè dixit diei: nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Ecce Beata Maria nubes est, sed nubes *leuis*, sed nubes *diei*. A terrena inquam est hominum natura concreta, sed nihil tamen de terrena illa grauitate, & de natiuo illo peccati pondere secum traxit, nihil inde densitatis, aut caliginis secum tulit. Vidisti aliquando candidam sereno cœlo nubē solis vndiq; radijs præcinctam, atque ita illius splendore circumamictā, vt solis naturam penitus induisse videatur? Talē ergo tibi proponimus Mariam, dum eam nubē leuem, nubem diei nuncupamus; dum eam à peccati quoque originalis caligine immunem prorsus extitisse asseueramus. Vidisti è contra atram horrente cœlo nubem, caliginosa procul facie cuncta territantem, fulgurā, tonitrua, & horridam tempestatē minitantem, & subito cœlum, diemq; longe, lateque ex oculis eripientem: etiamsi postea superueniente sole excutiatur, ac dissipetur, ita vt totus ille horror, & quasi bellicus apparatus vltrà non procedat? Talem igitur tibi Mariam proponere videntur ij, qui eā peccati originalis pondere initio prægrauant, caligine obscurant, horrore condemnant. Absit absit horror ille etiā ab initio, absit caligo illa etiā à primo exortu, absit pondus à primæua productione. *Nā nubes illa leuis*, ait Hieronymus, *non fuit in tenebris sed semper in luce.* *Hierony.* Sed & audi præclarissima alia verba, quę Hieronymo à nonnullis tribuuntur, habentur tamen re vera apud *Origenes.* Origenem homil.3. in cap.2. Mathæi. *Ecce* (inquit) *Dominus sedet in nube pusilla, & ve-*

niet

niet in Ægiptum. Ecce Dominus sedet in nube pusilla carnalem animam non habente, nec aliquam peccati grauitatem, &c. Quid illustrius? Noli ergo tu etiam istam nubẽ Mariæ degrauare, ac sicut cæteras obscurare. Neque eisdem naturæ legibus sacratior ista nubes mensuranda est, quibus aliæ vulgo continentur. Nam si eundem illum illius situm supra tabernaculum: eundem illum statum, quo neque incrementa, neque decrementa patiebatur: eundem illũ quiescendi, aut progrediendi tenorem: eandem semper illam lucem, illam leuitatem, illam pulchritudinem, & mirabiles alias illius proprietates contempleris: illam certe aut alterius lõge superioris naturæ fuisse arbitreris: aut si eiusdem cum alijs nubibus, noua certe quædam, & singularia ornamenta ei addita fuisse fatearis necesse est. Atque adeò etiamsi cæteræ in peccato conceptæ sorduerint, vna tamen præstantissima Maria à peccato semper immunis enituit, splenduit, radiauit, quasi *nubes diei, quæ nunquam fuit in tenebris, semper in luce.*

13 Atque illæ quidem inter alias nobis occurrebant è sacris litteris figuræ celebriores, & quæ hic apponerentur digniores, quippe quæ à sanctis Patribus vsurpatæ sunt, & illustratæ præclaris verbis, nec obscurè ad Beatam Mariã ornandam, ac nominatim ad puritatẽ Conceptionis ipsius condecorãdã aliquomodo traductæ. Cæterum alij, qui sibi diligentiores, aut ingeniosiores esse videbuntur, aut plures huiusmodo figuras colligere, aut excogitare poterunt. Et sane nonnulli aliquas iam excogitarunt, aut collegerunt, quibus haud grauatè adhæreremus, si eodẽ, quo præpositæ à nobis, scripturæ robore, & sanctorũ authoritate fulcirentur. Etverò ante alios Ambrosius Catherinus has Beatæ Virginis ab originali maledictione immunis figuras ex sacra pagina proponit: scilicet scalam Iacob, terram Promissionis, mundam Christi sindonem, Rebeccam, matrem Moysis, Iudith, Esther, & alias nonnullas, alias vero alij permultas numerant: mihi vero illud in animo est, nihil adscribere, quod alicuius Patris authoritas non effulciat.

ALIQVA VETERIS testamenti testimonia pro immaculata Virginis Conceptione expenduntur.

§. II.

14. *Ex quibusdã locis veteris testamẽti, quæ per solã accõmodationẽ Virgini tribuũtur, Conceptionis puritas efficaciter persuadetur.*

15. *Qui hanc puritatem non fatentur, violentas eorum locorum accommodationes faciunt.*

16. *Pleraque loca ex veteri testamento supra versata.*

17. *Expenduntur verba Psalmi:* Pro Patribus tuisnati sunt tibi filij, &c.

18. *Et verba Isaiæ:* Egredietur virga de radice Iesse, &c.

19. *Maria virga fuit, non stolo.*

20. *Hebraicè dicitur* Cheter, *quia sola sine adhærente peccati alicuius spurio frutice germinata.*

21. *Vel quia nullum vitium ex radice traxit, & contra peccata producta fuit.*

22. *Libratur illud verbum:* Egredietur.

23. *Cur de* radice *egressa dicitur, cur item non de radice Dauid, sed* de radice Iesse.

24. *Christus huius virgæ flos inCõceptione, fructus in partu.*

25. *Illa verba Psal.* Ipse fundauit eã altissimus, *de pura Conceptione explicantur.*

26. *Maria ciuitas Dei gloriosa, cuius primam conditionem non deturpauit parricidium.*

27. *Eius prima sanctitas apte fundamenti nomine insignitur.*

28. *Marianæ ciuitatis fundatio festiua fuit, & quales Angelorum, & hominum acclamationes in ipsa fuerunt.*

29 *Penduntur illa verba:* Mater Sion dicet homo, & homo, &c.



POSTQVAM Ex veteri pagina grauiores, ac digniores aliquas figuras produxi, quibus Virginis immunitas à culpa originali adũbratur, nonnulla etiam testimonia eiusdem paginæ depromere libet, quibus eadem veritas confici, & roborari videtur. Imprimis vero illud ponendũ est, hæc testimonia ferme nõ in literali, sed in accomodatitio sensu solenni Patrũ, & totius Ecclesiæ vsu Virgini tribui. Nihil ergo, inquies, ex his validi satis, ac robusti argumenti pro immaculata Mariæ Conceptione deduci poterit? Imo potius, mea quidẽ sententia, validissimum, ac robustissimũ est, quidquid ex his locis, ac testimonijs promitur argumenti: quia cum eiusmodi loca cõmuni totius Ecclesiæ consilio, scriptorumque omnium conspirantibus animis Virgini accõmodentur, vix possunt, imo ne vix quidem commode illi adaptari, si Conceptionis puritas abnegetur. Nam vt omittam caput octauum Prouerbiorũ, quod Conceptionis puritate obnegata, Virgini nullo modo adaptari posse inibi probauimus: qui quæso in illam quadrare poterit illud Sapiẽtiæ 7. *Vapor est enim virtutis Dei & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei syncera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit,* Et infra. *Speculum sine macula Dei* 14 Sapien. 7.

maiestatis, & imago bonitatis illius. Et iterũ. *Luci comparata inuenitur prior:* vel vt alij habent, *purior: illi enim succedit nox, sapientiam autem non vincit malitia.* Et alia his adsimilia, quæ passim occurrunt in sacris literis.

15 Et sane inde accidit, vt qui de Conceptione Virginis splendide, & laute non sentiunt, cum præfata loca eidem apponere, & aptare contendunt, accommodationum mensuras minime expleant, sed vacuas potius, lacunosas, mancas, & truncas relinquant. Possem quidem innumera huius rei exempla proferre apud authores oppositæ sententiæ valde obuia: sed reliquis suppressis accipe vnum, vel alterũ ex Diuo Antonino: (Anton.) hic enim tomo 4. titulo 15. cap. 4. §. 2. ad hunc modum scribit. *Fiat lux, & facta est lux. Successiuè narrantur opera sex dierum in principio facta, designantia sex opera mirabilia Dei facta successiuè in Virgine Maria: & primum opus est Conceptio, ibi dicitur figuratè: Fiat lux, in hic præfigurans, & præordinans conceptum Virginis, cuius vita gloriosa lucem dedit sæculo.* Hactenus quidem apposité: sed breui interstitio similitudinem rei adaptans sic attexit: *Et sic concepta, & animata Beata Maria inuenta est cũ aliqua tenebra, scilicet peccati originalis contracti post infusionem animæ in corpus.* An non hæc violenta sunt? Cur non potius diceret Conceptioni respondere illud. *In principio creauit Deus cœlum, & terram, terra autem erat inanis, & vacua.* Vel vt alia lectio habet: *erat turpis, & incomposita*: ita vt in illa terræ confusa, & obscura mole, tetra, & impura Mariæ Conceptio præformata fuisset? Nouerat sane Antoninus Virginẽ Deiparam cum ea luce candidissima, quam in prima rerum conditione ante solis formationem Deus produxit, à quibusdam Patribus comparatam fuisse: quæ nimirum lux tenebras terræ offusas dispulit, & ante solem præuia veluti solem ipsum peperit. (Non enim defuere graues scriptores, qui ex ea luce, quamuis parum philosophicè, solem extitisse affirmauerint) Quæ omnia, si immaculatam, nitidam, & puram Conceptionem concedamus, aptissime in Virginem quadrant: (Psal. 45.) secus, dissimilia valde, ac dissentanea sunt. Idem etiam exponens illa verba Psal. 45. *Adiuuauit eam Deus mane diluculo*, parum aptam accommodationem commentus est. *Mane* (inquit) *intelligitur natiuitas eius in vtero, cuius diluculum habens aliquid de tenebris fuit, quo ipsius origanizatum corpus suscepit animam aliqualiter tenebrosam factam per originale.* Quæ quã violenta sint, facile agnosces: nam vt comparatio apte caderet, deberet sic gratia cum peccato simul in eodem tẽpore coire, sicut tenebræ, & lux congrediuntur, vt diluculum faciant: quod plane est impossibile. (Psal. 76.) Eandẽ vim infert illis verbis Psal. 76. *Et ipse fundauit eam altissimus.* Et rursus sic ait. *Beata Maria liber fuit, quia continuit in se diuinam sapientiam, id est, filium Dei: in libris enim continetur sapientia descripta: & ex hoc innuitur totalis eius puritas, scilicet in anima, & in corpore. Quia vt Sapientiæ 1. dicitur: In maleuolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis.* Quomodo enim hæc cum superioribus cohærent? Quænam est illhæc *totalis puritas*, quam peccati originalis impuritas tam sordidè inficit, ac contaminat? Alia subinde loca his similia subnectit, quæ suopte lapsu ad omnẽ peccati immunitatem comprobandam profluebant: ac propterea violenter admodum Virgini accommodat, quia vnũ excipit, nempe originale. Adi, si vacat, hæc loca à me obseruata, & omnia dissidijs plena videbis. Nec propterea sanctissimo, ac doctissimo illi viro iniurius esse volo: nam vt infra dicam c. 41. Can. 6. singulari Dei consilio factũ est, vt omnes illi, qui oppositam sententiam sua authoritate roborare possent, super hac thesi pugnantia dixerint, ac plane dissidentia. Atque adeò huius dissidij socios habet alios sanctissimos, & antiquissimos Patres.

17 Cum ergo sint pene innumera loca, quæ ex veteri testamento ad Immaculatam Virginis Conceptionem confirmandam assumi solent: non est mentis meæ omnia, imo nec plura hic adscribere. Sed quemadmodum de figuris hactenus feci, ex quibus eas tantum delegi, quæ ab antiquis Patribus vsurpatæ fuerunt, reliquas vero suppressi, & suis authoribus dimisi. Ita etiam nunc me facturum polliceor, vt ea tantum testimonia versem, quæ nouerim à Patribus ad Virginis immunitatem à culpa comprobandam ascita fuisse: quia hæc solum ad probationem idonea sunt, quibus illi sua authoritate robur fecerunt. Si enim alia loca, quæ quomodolibet ad probandam puram Conceptionem allici possunt, excutere vellem, negotij immensi esset illa enumerare, nedum expendere. Hæc igitur, quæ à Patribus vsurpantur, si ea excipias, quorum interpretationes per superiora capita sparsimus, pauciora sunt. Nam quidquid ad primæ mulieris conditionem, & formationem, & ad mulctam serpenti inflictam pertinet, supra dedi c. 19. Et illa verba Can. 4. (Cant. 4.) *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* suo etiam commentario donaui supra cap. 26. vbi Patres obseruaui, qui illis pro immaculata Cõceptione vsi sunt. (Psal. 44.) Illa etiã Psal. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, &c.* quæ Leo Imperator, & Chrisippus Hierosolimytanus (Leo Impe. Chrisipp.) de Conceptione pura acceperunt, non perfunctorie explicuimus cap 19. & cap. 31. Item locum illum Sap. 5. (Sap. 5.) *Speculum sine macula Dei maiestatis.* quem de Virginis munditia ab omni culpa exponit Anselmus, (Anselm.) illustrauimus quoque supra cap. 25. Deniq; illa verba Cant. 6. (Canti. 6.) *Vna est columba mea, perfecta mea*, Heb. *immaculata mea*, quæ Hierony. (Hierony.) ad innocentiam Virginis confirmandã transtulit,

ftulit, edisseruimus cap.25. His ergo prætermissis, ex veteri testamento tria omnino testimonia reliqua sunt, quæ quia ex Patrum vsu authoritatis momentum habent, in hunc locum referenda duxi.

17 *Irenæus* Diuus Irenæus contra Hereses lib. 3. cap.33. non insulse ad nostram thesim per accommodationem transfert illa verba. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram.* Alloquitur Ecclesiam, vel coram hominum multitudinem Vates, ad hunc modum. Pro Adamo, atque Eua patribus, ac progenitoribus tuis, qui tibi primum in Principes, & in capita dati sunt, & potestate hac abutentes se ipsos in ruinam impulerunt, omnemque sobolé post se traxerunt: pro his inquam suffecti, ac subrogati sunt Christus, & Maria, vt inflicta ab illis damna, & incommoda ipsi propulsent, & amissam ab illis potestatem, imperiumq; capessant. Ad hunc modum exponit præmissa verba Iren. Ex his ergo sic conficere licet. Si pro Eua subrogata, & suffecta est Maria, & locum, quem per iacturam originalis gratiæ Eua deperdidit, recepit Maria: igitur per gratiam originalem recepit: si enim esset Maria culpæ illius succedanea, quam ad posteros Eua traduxit, non posset illius dignitatis successionem inire, quæ per eã culpam amissa est. Sed expende illa verba: *Pro patribus tuis tibi nati sunt filij.* Non inquit *ex te*, *Hierony.* sed *tibi*. Et si Hieronymũ adeas, ita ille ex Originibus ad verbũ conuertendum putauit: *Pro patribus erunt tibi filij.* Symachus *Symach.* etiam legit, *Fient tibi filij.* Itaque à nascendi verbo, & natiuitatis nomine abstinuit, vt inde liceret ita comminisci, natos quidé Christum, & Mariam ex Adam: sed quasi non natos, quia iura illa, legesque vitiatæ natiuitatis prorsus ignorarunt. Sed dũ ait, *tibi erunt* vel *fient* aut *tibi nati sunt*, in hominum vtilitatem, & salutem satos, & genitos adsignificat Vates Adde etiam præpositioné illam, *pro*, eam vim habere posse. *Pro patribus tuis*, id est, propter patres tuos, vel ipsorum gratia, *nati sunt tibi filij.* Ergone dicemus, eam, quæ ad salutem omnium vna cum Christo facta, & nata fuit, & cuius vel ipsa effectio, formatio, & natiuitas ad salutem hominum ordinata est, ex ipsa quoque natiuitate, & formatione peccatum traxisse? Absit. Impossibile enim est, vt eadem Mariæ formatio, & conceptio vnà, simulque ad tantum bonum ordinaretur, & per tantum malum deordinaretur, ac vitiaretur. Sed de vi huius rationis diximus supra c.21.

18 *Anselm. Breuiar. Eborense. Bachon.* Diuus Anselmus in illo sermone, qui legitur in Breuiario Eboren. & citatur à Bachone in 4. dist.2.q.4.art.1. sic scribit. *Et ideo eiusdẽ Conceptionis dies festiuis laudibus à cunctis fidelibus merito celebratur. De ipsa quippe multis sæculis ante ortũ eius Isaiam Spiritu Sancto afflatũ dixisse constat: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascẽdet. Hæc itaq; virga, quæ talẽ protulit florẽ, nullo dissẽtiente, Virgo Maria fuit, & flos, qui de radice eius ascẽdit, benedictus filius, &c.* Et in Breuiar. Carthag. in Officio Conceptionis est quoque versiculus eiusmodi. *Breuiar. Carthag.*

Isaias ille Diuus,
Profluendo quasi riuus, *Cyrillus.*
Virgæ faciens mentionem,
Pandit hanc Conceptionem.

Et sane si vnum Cyrillum Alexandrinum excipias, & paucos alios, qui per hanc virgam Christũ ipsum capiendum putarunt, reliqui ad vnũ Patres, & interpretes per virgam illam Deiparam notari affirmant: quorum loca ideo non obseruo, quia valde obuia *Anselm.* sunt. Addit Anselmus in hac virgæ progerminantis similitudine puram Virginis Conceptionem adumbrari: atque adeò discutiendus est locus iste. 19

Egredietur Virga. Illud primum, & quasi in promptu est, quod vulgo dicitur: scilicet virgam proprie esse surculum, qui rectus ac directus assurgit in sublime: nam si qua sunt nõ recta, sed curuata germina, hæc stolones, aut *Sapient.3* vitulamina dicuntur. De quibus Sap.3. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, &c.* Virgæ autem rectitudo, aut curuatio ex radice ipsa inchoatur: nam ea lege, qua à radice pullulat, postmodum se se attollit, ac crescit. Succedat igitur memoriæ id, quod de *Eccl. si.7.* prima hominis conditione in gratia, atque *Isaias.* iustitia pronuntiat Salomon. *Fecit Deus hominem rectum, &c.* Appellauit ergo Isaias Mariam *virgam*, nec solum illam virgam esse dicit, sed tanquam virgam egredi. *Egredietur virga.* Vt significaret non modo eam rectam, & directam fuisse per gratiæ, & iustitiæ rectitudinem postea comparatam: sed eam rectitudinem ab ipsa radice, & germinatione sua traxisse, atque expressisse. 20

Hieronymus in hũc locum hæc addit verba. *Hæc virga significat Mariam, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem.* Quasi id etiam virgæ proprium sit, vt sola sine adhærente sibi alio germine se se erigat. Fortasse autem exprimere voluit vim vocis חטר *Choter*, quę hic subest pro *virga*: hæc enim, vt quibusdam videtur, fluit ab antiqua radice *Chatar*, quæ significabat olim *solum*, ac *singularem esse*: Quapropter si hæc suspicio vera sit, innuet certe Virginem in hac prærogatiua singularem esse: reliqui enim filij Adæ spuria vitulamina sunt, & adulterini stolones vitium, & curuitatem à radice attrahentes: Maria autem est, *Chatar*, id est sola directa, & nunquam deflexa virga. Vel aliter adhærentes frutices nouellæ plantulæ succum effutari, ac deprædari, atque adeò virorem, & pulchritudiné ita enecare solent, vt fructum producere non valeat. Fas erit ergo dicere per fruticem virgæ illi cohærenté ipsummet originale peccatũ significatũ à Hieronymo,

cum

cum Virginē eo carere docuit. Id vero ex eo licet colligere, quia si malus ille peccati frutex illi ab initio adhæsisset, non posset vtique virga florem, ac fructum producere, ac pullulare: non posset (inquam) Virgo ventris sui fructum Christum Dominum generare, quia peccato illo gratiæ, atque iustitiæ humorem effutante, digna Dei Mater non remaneret.

21 Cæterum alij melius fortasse nomen hoc *Choter* tanquam ad affinem magis radicem referunt ad חטא *Chata*, quæ significat *aberrare*, & *peccare*: sed quid causæ? Si ad naturalē germinationem hoc referas, ex Hebræis quidam afferunt virgam, quasi à contrario sensu sic appellatam *Choter*, quia nimirum errore, & curuitate caret, quæ est veluti quoddam naturæ ipsius vitium, & peccatum in virga. Accommodatum sane est hoc ad significandam Virginis immunitatem à culpa, vt scilicet sub eo sensu dicatur *Choter* id est, virga, seu virgo à peccato originis, quod naturæ etiam peccatum dici consueuit, libera prorsus, & expers. Sin vero ex vsu eiusdem virgæ ratio nominis desumitur, aliter dicendum videtur, quia nomen illud *Choter*, non solum virgam, aut surculū è terra germinantē adsignificat, sed etiam illam virgā, quæ imperij, ac potestatis insigne est: reperitur enim Psal. 22. sub illis verbis. *Virga tua, & baculus tuus, &c.* vbi virga significat Regis, aut iudicis insigne, potestatis, atque iurisdictionis symbolum: atque adeò iuxta hanc ethymologiam licebit certe affirmare virgam *Choter* ex *Chata* dictam, quia contra scelera à iudice, & magistratu portatur. Sit ergo hæc alia immunitatis tuæ optima ratio, ò Virgo sanctissima, quia vere es *Choter*, id est, virga contra peccata producta, non vtique ad puniendas, & iudicandas, sed ad delendas, abolendasque omnium hominum culpas. Absit autem, vt credam, quod is, qui te contra omnium peccata fecit, ac produxit, alicuius peccati ream esse permiserit.

Psal. 22.

22 Nec vacat etiam emphasi verbum *egredietur*, est enim in primitiuis יצא *Iatsa*, quod quidem absolute sumptum significat *exire* aut *egredi*: solet tamen ad partum referri, vnde צאצא *Tsatsah*, significat *germen*, *filium*. Psal. 143. *Oues eorum fœtosę abundantes in egressibus suis*, id est, copiolos fœtus edentes. Eandem significationē habet Isaiæ 22. ver. 24. Iob. 27. ver. 14. & 31. ver. 8. & passim alibi. Obseruat tamē Mercerus verbum *Iatsa*, cum ad partus refertur, citatum, celeremque partum notare, qui accidit præter consuetum naturæ ordinem: atque adeò in his locis, in quibus sub ea significatione occurrit, eximiam quandam fœcunditatem innuere, quæ videlicet tempus, & horas à natura præscriptas anticipet. Demus hoc non locupleti authori, quia ad

Psal. 143
Isaias. 22
Iob. 27.
Merce.

Virginem translatum apte cadit: hæc enim virga est, aut virgo præfestinanter germinata, cuius in ortu communes naturæ leges seruatæ non sunt: gratia enim meritis Christi supra modum fœcundata non sustinuit communes aliorum moras, sed partum Mariæ anteuertit, ac maturauit, præter solennem aliorum morem ab omni labe, & culpa eam præseruans.

Addit Isaias, *de radice Iesse*, non de stipite, aut trunco, sed de radice. Videtur enim Propheta Virginem contulisse non quidem cum aliqua ex his virgis, quæ ex ipso trunco pullulant, sed quæ circa truncum ex separata, & proserpente aliqua radice germinare solent, quæ (vt docet Columella) non tam apte germina dicuntur, quam regermina. Et sane apposite admodum hoc dicit Columella, quia si ad naturæ ipsius fines spectes, tunc cum surculum ex radice protrudit, nouam arborem inchoare contendit. Iam vides, quam accommodate dixerit Propheta: *Egredietur virga de radice.* Quasi dicat: Virgo Deipara non tam erit naturæ humanæ germen, aut ramus commune stipitis vitium attrahens, quam ipsius naturæ regermen, ab ima radice repullulans: quia integritas illa prior naturæ inuiolatæ, & inuitiatæ in Adamo à Deo producta, in Maria reproducta, ac restituta est, & noua arbos ad nouarum propaginum, ac germinum initium instaurata. Subdit Isaias. 23

Colum.

De radice Iesse. Cur nō potius diceret de radice Dauid? Huic enim facta fuerat olim promissio, quod ex illius semine, ac sobole Christus sæculis voluētibus nasceretur. Certe summo consilio factū, vt Virginis origo ad Iesse referretur à Propheta, quia Iesse, teste Hieronymo, *munus*, aut *donum* adsignificat. Itaque *ex radice Iesse* perinde est, atq; ex radice *doni* aut *muneris*. Quapropter inde apertius innuitur, Deiparæ Virginis primam productionem diuino muneri, ac gratiæ tribuendam esse: tum quia in gratia, & iustitia originali condita fuit: tum etiam, quia ipsa eius conditio, & prima formatio per Christi gratiam perfecta, & patrata (vt sępè aliàs animaduertimus) tū demum, quia prædicta conditio, & formatio donū Dei, & gratia erat hominibus impēsa: imo radix, & origo plurimorum donorum, & gratiarum, quas per sanctissimā, & liberalissimā Dominam nunquā non obtinemus.

Absoluit locum Propheta. *Et flos de radice eius ascendet.* Hæc extrema verba supra librauimus cap. 14. & ex illis confecimus, dignitatem Matris Dei ita deinde successu temporis Virgini donatam, vt tamen, quod ad sanctitatem attinet, & ad alia iura, & priuilegiā, quæ illam comitantur, ab ipso Marianæ Conceptionis instanti vigere, atque efflorescere cœperit: ideo huic virgæ ad radicem ipsam, id est, ad eius initium, & principium flos, id est, filius agnatus dicitur. Ita

vt liceat sic comminisci, Mariæ filium ad radicem quidem virgæ, id est tunc, cum Virgo concepta est, florem fuisse: deinde vero Incarnationis tempore fructum extitisse: sic enim audiuit Maria ab Elizabetha, *& benedictus fructus ventris tui*. Cogita igitur apud te id, quod ego etiam mihi persuasum habeo, hunc fructum nequaquam ex virga germinandum, nisi præcessisset ille flos. Luculentius dixerim. Mariam nec concepturam, nec parituram tandem aliquando Saluatorem putarem, nisi ipsa ex eiusdem saluatoris beneficio, in gratia & iustitia originali concepta fuisset: nam ille flos attulit illi tandem hunc fructum. Ad hunc sensum vocare licet illa eiusdem Isaiæ verba capitis vltimi, quæ sanctus Ildephonsus in lib. de Virginitate, & Parturitione sanctæ Mariæ, & alij passim Patres Virgini accommodant. *Antequam parturiret, peperit, antequam veniret partus eius, peperit masculum.* Id est, longe ante partum, nimirum ab ipso suæ Conceptionis articulo cœpit ei filius cōputari: quandoquidem Matris Dei priuilegia, immunitates, & iura iam inde ab eo tempore ipsi contigerunt. Excurro ad alia.

Ildephon.

25 Anselm. Denique præfatus Anselmus in præscripto sermone hæc habet verba. *Tantorum namque bonorū consummatio, quę per ipsam Domini matrem toti creaturæ prouenerunt, videtur admonere omnem humanam creaturam exordium eius considerare quam diuinum, quam sublime, quam ineffabile fuerit. Nec mirum, fundamentum siquidem, quasi quoddam sacrarium ciuitatis, & habitaculi summi boni in ea ponebatur.* Quibus verbis Anselmus planè adlusisse videtur ad locum Psalmi 86. qui Sanctorum Patrum solenni vsu Virgini accommodari consueuit. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei:* Et infra. *Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* Nam cum Anselmus dicat Conceptionem Virginis esse gloriosæ ciuitatis fundamentum, hunc ad locum me iudice respexit: atque adeò illum per excursum examinare libet. Anselmo autem comes esse potest Diuus Ildephonsus in lib. de Virginitate cap. 2. vbi sic habet. *A Domino quidem erat fundata, sed aduentu Domini nondum plena, nunciante vero Angelo fundatoris sui cognouit aduentum.* Accinit etiam Petrus Comestor Author historiæ scholasticæ, qui in libello de pura Virginis Conceptione hæc Psaltis verba de illius immunitate à culpa originali luculenter expendit. *Certe si recens hoc esset, si non esset nouum, & insolitum, certe Propheta tantæ nouitatis miraculum obstupescens non exclamaret dicens. Nunquid Siō, &c.* Et subinde. *Intellige quod ait: Ipse fundauit eam. Ipse, non alius, non vetus Adam, sed nouus nouum iecit fundamentum, super quod tam præclarum, tam insigne surgeret ædificium: alioquin si veteris ruinę manserent vestigia, si veteri superædificatum est, vetus Adam, non ipse ædificauit eam Altissimus.* Et non longo interstitio. *Oportuit eam ab ipso fundamenti primordio prę cæteris aliquod dignitatis sortiri priuilegium, quæ secretorum Dei, mysteriorumque cœlestium in se susceptura erat arcanum.*

Psal. 86.

Ildephon.

Pet. Com.

Sed nostris etiam locum istum scholijs excolamus. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Nihil enim humile, aut abiectum de Maria suspicari licet, sed omnia sublimia, & maximè gloriosa. Illud planè Romanæ vrbi, quæ postea tantam ad gloriam euecta est, exprobrari ab antiquis solitum, ait Liuius, quod ex sceleratorum hominum cœtu primum sub Romulo coacta fuerit: sed illud in primis illi infamiæ verti solitum dicit, quod tunc cum prima illius iacerentur fundamenta, parricidio deturpata fuisset. Quo spectasse videtur Magnus Leo sermone 1. in Natali sanctorū Apostolorum Petri, & Pauli, vbi hoc etiam Romæ probro dedit. *Hi sunt, qui te fœlicius condiderunt, quā illi, quorum studio tuorū mœnium fundamenta locata sunt: ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdauit.* Huius autem notæ infamiam extollens Liuius sic addit. *Hoc dedecus nunquam hactenus consequens posteritatis gloria deleuit.* Ergo ne aliquid humile de sancta, & gloriosa Mariæ ciuitatę enunciare liceat, illā scilicet à peccato, à crimine, à parricidio initium cepisse? Quia si in Virgine originis peccatum agnoscas, parricidium non desiderabis; nā per hoc peccatum Adamus primus omnium parens omnibus filijs suis crudelem admodum necem attulit. Quapropter si peccatū istud, & iniuriam à Maria non auertimus, illud etiam de ipsa enunciare integrum erit, dedecus hoc nusquam postea per consequentes, ac succedētes ipsius glorias deleri, & abstergi potuisse. Nihil humile, nihil turpe huic ciuitati affigere licet. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Habet enim eximiam gloriam à conditore suo. 26

Liuius.

Mag. Leo

Ipse fundauit eā altissimus. Solent vtiq; vrbes suos conditores iactare, & ab his nomina sumere: Alexandria Alexandro, Constantinopolis Constantino, Pompeiopolis etiā Pōpeio, Cæsaraugusta Augusto Cæsare, & alię alijs gloriantur. Mariæ ciuitas gloriosa Deū ipsum primū sui molitorem ostentat. *Et ipse fundauit eam altissimus.* Digna profectò molitore tāto ciuitas: sed quo in loco fundauit? *Fundamēta eius in montibus sanctis.* Primitiua adverbū, *in mōtibus sanctitatis*, id est, supra celsissimā sanctitatē. Missa facio cōmunia, & vulgo trita, quæ ad hūc locū conijci solēt de prę stātia sanctitatis Mariæ super homines, & Angelos, quę ab ipsismet fundamētis, id est, à Cōceptione sumpsit initium. Obseruanda mihi vox illa, *fundauit eam.* Si ad primam gratiam spectes, quæ vel Angelis, vel primis hominibus ab initio suæ cōditionis donata est, nulla 27

ex his

ex his fundamenti nomen meretur: nam fundamentū firmissimum quid sonat, cui totius ædificij moles incumbit: gratia autem, & iustitia, qua tam homines, quam Angeli à Deo primum insigniti sunt, vt sup. cap. 23. ex Ildephonso in lib. de Virginitate Mariæ, non fuit gratia confirmata sed mobilis, atque instabilis: sic enim ait. *Ante firmitatem nutauit, &c.* Sola gratia, & iustitia Virgini ab origine cōcessa firma fuit, constans, ac stabilis: atque adeò apposité in ipsam fundamenti nomen quadrat. *Et ipse fundauit eam altissimus.* Id est, gratiam illam primam per omnia confirmatam, stabilem, & firmā tanquā fundamētum illius iecit. Et sane nō minor fundamenti firmitas, & constantia ad futuram molem sustinendā satis esset. Chaldæus præfata verba sic extulit. *Et ipse fundauit eam in altitudinem,* id est talia, tamque firma, & fortia fundamenta primæ, & originalis gratiæ in illa deposuit, vt celsissima sanctitatis moles, quam postea super imponere apud se statuerat, illis inniti, atque incumbere posset. *Fundauit,* in quā *eam in altitudinem:* nam cū Mariā in tantā celsitudinem attollere apud se statuisset, vt mater ipsius, & Angelorū, hominūq; Regina pro dignitate esset, debuit sane illi fortiora, atque firmiora fundamenta subijcere, quam Angelis, & hominibus.

Ildephon.

27 *Psal. 47.* *Ipse fundauit eam altissimus.* Huius fundationis nobiles quasdam circunstantias adnotauit idem Vates Psal. 47. *Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion.* Hæc verba sicut etiā præmissa ad literam quadrant in Hierosolymitanā vrbē, quæ ideò ad exultationem, & solatium vniuersæ terræ fundata dicitur, quia futura erat imperij metropolis, ex qua solatij, lætitiæ, & securitatis plurimum in cæteros populos redundaret. Id ipsum de Virgine enunciare fas est, à Deo optimo maximo veluti in quandam imperij sui metropolim conditā fuisse, vt vtriq; creaturæ solatio esset, ac munimento. Sed tamen alij putant ea verba de prima fundatione illius vrbis accipienda, quæ à Dauide festiuè admodū magna populorū acclamatione, & ouatione cœpta est, vt fieri solet, cū primus magni alicuius palatij lapis substernitur. Nonne etiā in hac Marianæ ciuitatis prima fundatione (liceat sic effari) tunc cum primus in ipsa originalis gratiæ firmissimus lapis in imo fundamento locatus fuit, vtriusq; creaturæ summa acclamatio, & congratulatio fuit, quæ quotannis, imo & per singulos dies instauratur, populis subinde Mariæ primam & originalē gratiam conclamantibus? De clamoribus, quibus populus primarij lapidis collocationeā Zorobabel factā prosequutus est, ad hunc modum Zacharias c. 4. *Et educet lapidem primariū, & exæquabit gratiam gratia eius.* In Primitiuis ad verbum est. *Et educet lapidem primariū cū clamoribus gratia, gratia.* Id est, populo vniuerso gratiā conclamante, & identidem repetente.

Zachar. 4.

Hi sunt clamores, ò Virgo sanctissima, quibus Angeli primā conditionem tuā celebrarunt, tunc cū Deo tuæ Conceptionis primum lapidē sternere placuit: *gratia, gratia,* id est, copiosissima valde gratia, id enim significat illa repetitio iuxta phrasim scripturæ: vel *gratia gratia.* Hæc iteratio gratiæ ad illas duas gratias referre licet, quas in prima sua formatione Virginē per Christū habuisse sæpè alias diximus, scilicet gratiā primæ creationis, & gratiā infusam. Vel aliter ita dictū *gratia gratia,* quia vtriusque creaturæ gratia ad illam confluxit. Vel deniq; ita conclamatū *gratia gratia* propter gratiā infusam, & propter gloriā etiam, quā fortasse in eo etiā momento delibauit, quæ dici solet *gratia pro gratia.* Nos autem, qui Angelorum æmulatores esse cupimus, eosdē clamores vsurpamus, & nūquā nō purissimā Mariæ Conceptionē celebramus, & decantamus iterantes, ac repetentes *gratia gratia.* Nec libet vulgatā lectionē supprimere. *Exæquabit gratiam gratia eius.* Quā nonulli iuxta litteram sic exponunt. Lapidē istum non loco, & alijs lapidibus adaptauit, sed magis locum, & sedem, aliosq; omnes lapides sic expoliuit, vt illi accōmodari possent. Hæc ad Mariā translata planè significant eius Conceptionem cōmunibus aliorum hominum legibus nequaquā obstrictam fuisse, sed leges potius omnes illi accōmodatas, & aptatas, vt talis talis conciperetur. Vel melius. *Exæquabit gratiam gratia eius:* scilicet vnā gratiam alteri gratiæ, id est, iam tunc cum primum istum lapidē Marianæ Conceptionis locabat Deus, gratiam sanctitatis, & iustitiæ cū altera gratia, hoc est, cum dignitate Matris Dei, quā illi præparauerat, conferebat, atq; illi exæquabat, & aptabat, vt hæc initia cum medijs, & cum fine congruerent.

Id sibi vult illud. *Nūquid Siō dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam, &c.* 28 *Psal. 86.*
Quasi dicat: ideo Sion, id est, Maria tanto studio ab altissimo à fundamentis erecta, propterea scilicet tanta gratia, & sanctitas ipsi pro fundamento subiecta in Conceptione, quia in illa, & ex illa ipsum eius conditorem, & molitorem nasci oportebat. *Nunquid Sion.* Multi codices habent. *Mater Sion dicet homo, &c.* Sic legunt Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Psalterium vetus, & Ethiopicum, Apollinarius, & alij. Dicitur autem *mater Sion,* id est matrix, vulgo la *matriz,* seu metropolis: atque adeò sensum hunc reddit. *Mater Sion dicet homo, &c.* id est, homo ille, qui ipsam à fundamentis condidit, & qui ex illa nasci, & originem ducere decreuit, ita apud se statuebat: hæc ciuitas gloriosa futura est matrix, atque metropolis, cui omnes aliæ vrbes, & ciuitates pareant: atq; adeò iam tunc (liceat sic dicere) *En la primera planta,* nimirū in æterna præuisione, *y al abrir los cimientos,* scilicet in Conceptione eā Mariæ gratiā, & sanctitatē

Tertul. Ambros. August. Psalter. Arabicū. Ethiopic. Appollin.

conferebat, per quam vtriusq; regni, scilicet terreni, atque cœlestis metropolis sit, cui vtriq; creatura sine discrimine pareat, ac se demittat.

Homo, & homo natus est in ea. Id est, Christus ex ea natus, & genitus, qui propterea *Homo, & homo* dicitur, quia est duplex natura, diuina, & humana in vna hyposthasi, sic Augustinus & alij ipsum insequuti, cui nostrā etiā coniecturam subijcere libet. *Homo & homo,* scilicet homo purus, & homo Deus: vterq; enim ex Maria, alter natus, & alter renatus, alter genitus, & alter regeneratus. Non solú enim ex ipsa Christus satus fuit, sed etiam omnes iusti regenerationis suæ beneficium per ipsam obtinuerunt. Hæc autem, vt sæpè alias dixi, sunt præcipua fundamenta, quibus Cóceptionis puritas comprobatur: vide quæ diximus supra cap. 21. de Officio mediatricis, ex quo perpetuam Virginis iustitiam deprompsimus.

ALIQVOT ETIAM NOVI testamenti loca ad immaculatam Virginis Conceptionem comprobandam assumuntur.

CAP. XXXIX.

1. *Maria Euæ nomen demutauit in* Aue, *& quomodo.*
2. *Quadrat etiam in ipsam* Aue *versum in* à væ, *quia caruit omni væ actualis, originalis, & venialis peccati.*
3. *Per vocem* Aue *significauit Angelus gaudium contrarium ei mœrori, & dolori, quo Eua pro culpa mulctata est.*
4. *Solius Virginis est reuera auere, & gaudere, quia sola culpa omni caruit.*

1 RÆSTANTISSIMVS, & maxime vulgaris locus pro immaculata Virginis Deiparæ Conceptione est Angeli salutatio: ex hac enim Patres Virginis omnimodā innocentiam aucupati, scilicet ex illis verbis. *Aue gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Hæc mihi modo ad librā euocanda. Neque vero mentis meæ est integrum Cōmentarium horum verborum complere, id enim longum esset, & à meo instituto prosus abhorret: sed rationes tantum, quibus ex his verbis Marianæ Conceptionis puritas depromitur, examinare, & expendere. Singula discutiam. (Lucæ. 1.)

Aue. Ex hac sola salutationis voce puram Conceptionem elicere nō pauci, nec vulgaris authoritatis viri conati sunt. Primū igitur circa hanc vocem quasi luserunt graues scriptores, & adeò lusus iste celebratus fuit, vt ad seria etiam irruperit. Nam ex Eua per commutationem, & translationem vocalium fit *Aue.* Hinc fluxit id, quod Ecclesia canit in hymno.

Sumens illud aue
Gabrielis ore,
Funda nos in pace
Mutans nomen Euæ.

Id est nomen Euæ conuertens, & cum nomine rem ipsam: atque adeò pacem, & benedictionem afferens, quam ipsa eripuit. Sane cum rebus ipsis fluunt nomina, rebusque mutatis, aut conuersis, ipsa vertuntur: ideo ergo Maria nomen Euæ mutasse in semetipsa affirmatur, quia Euam etiam in se ipsa conuertit. Sed obijcies Euæ id nominis ab Adamo post peccatum inditum fuisse, vt Ruperto, & alijs Patribus merito admirationem mouerit, post auditam mortis sententiā mulierem à viro *Euam* id est, *vitam* nuncupatam, *Eua* enim *vitam* sonat. Sed addunt vacuum prorsus, & inane in illa fuisse nomen istud: atq; adeò seruatū, vt Maria mensuras omnes illius expleret, vt supra cap. 28. ex Epiphanio, & Athanasio præscripsimus. Quomodo ergo à Maria conuersum modo dicimus id nominis, quod supra ad vnguem expletum dicebamus? Responsum accipe ex eodē Epipha. qui lib. 3. (Rupertus) (Epiphan. Athanasi.)

coutra

contra Hæreses sic obseruat, nomen hoc *Eua* si litteram ה id est, adspirationẽ suscipiat: atq; adeò *Heba* exprimatur, serpentẽ significare apud Hebræos, quod vnde exceperit Epi-

Epiphan. pha. Hebraice non ignarus, non curo. Illud certè iuxta hãc Epiphanij sententiã dicẽdum videtur, *Euam* nomen suum in *Heuam* omnino vertisse, ex quo à serpente afflata, & inspirata tantos sibi superbiæ spiritus assumpsit, per quos ex *vita* in *serpentem* mortem omnibus inspirantem migrauit. Id ergo nominis, non quod Adamus illi imposuit, sed quod ipsa sibi cõposuit, humilis Maria omnino mutauit, & ipsa ex Heua facta est Eua sine adspiratione, quia omnem fastum, & superbos spiritus per humilitatem, & animi sui demissionem abiecit, & serpentis afflatu nunquam violata est. Id enim sibi volunt illa verba, quę

Origenes. vulgo Origeni tribui, & de Maria enunciari solent. *Quæ neque serpentis persuasione decepta, nec eius venenosis afflatibus infecta est.* Hæc dixi iuxta illam verborum allusionem, cui Ecclesia authoritatis aliquid addidit: non quia putaret eam fuisse Angeli salutantis mẽtem, cum satis illi constaret Angelum, aut Græce, aut Hebraice aliter dixisse: sed quia piũ sensum sub ea vocabulorum allusione latentem probauit, eamque mutationem, quam verba ipsa *Eua*, & *Aue* sono tenus adumbrant, re ipsa in Maria perfectam, & patratam existimauit.

2 Nec aliud iudicium est de his, qui illud *Aue* ita dissoluunt, vt *à* sit particula negans, *ve* autẽ vertendũ sit in *va*, interiectionẽ, hoc modo, *à va*, id est, *sine va*, nimirum sine dolore, sine molestia. Hinc natum illud Hemistychium. *Væ quia tollis aue.* Vnde colligunt, Mariã ab omni *vę* tã culpæ, quã pœnæ alienã fuisse. Habet ista allusio graues Patronos

D. Thom. *D. Bonau.* *Albertus Mag.* Diuum Thomam in expositione salutationis Angelicæ, Diuum Bonauenturam in speculo, Lectione 2. Albertum Magnum in libro de Laudibus Virginis, & de salutatione Angelica, & alios minoris notæ. Et quidem in his Albertus Mag. meliora, & veritati viciniora sapiens, quam quæ in 3. sentent. dist. 3. docuerat, Virginem Deiparam etiam ab omni peccati originalis sorde permundam fuisse ex voce illa *A va* ad hunc modum conficit. *Ex peccato sequutum est triplex va, va pœnę, va ignorantiæ, & va culpæ: Va culpæ triplex, originalis, actualis, & venialis. Sine omni isto triplici vę fuit Beatissima Virgo Maria. Sine va culpę actualiter, sine vę culpę causaliter, sine va ignorantiæ habitualiter.* Nec deterreat te illud *actualiter*, & *causaliter*: nam væ culpæ actualiter appellat quancumque culpam siue originis, siue actionis, quæ actu est in anima: & væ culpæ causaliter appellat pœnam, quã culpa reliquit. Quapropter nequid scrupuli nobis de illius mente reliquum esset, sectionem illam clausit his verbis. *Et sic concedimus vniuersaliter, quod Beatissima Virgo fuit sine omni va.* Excludens nimirum ab illa absq; restrictione aliqua omne illud, *vę originalis, actualis, & venialis culpę*: quod prius enumerando percensuerat. Cæterum hæc, & alijs similibus commentationibus ipsa scripturæ littera non fauet: atque adeò ex eorum tantum authoritate, qui hæc non sine sale, & lepore commenti sunt, momentum habent.

3 Ergo ad litteræ ipsius vim librandam veniamus. *Aue* in Græcis est, χαῖρε, id est, *gaude*: itaque Virgo gaudere, & lætari iubetur.

Nissen. Basilius. Euthim. Bostren. Hierosol. Basilius. Sic Gregorius Nissenus Oratione de Natiuitate Domini, Basilius de Christi humana generatione, Euthimius, & Titus Bostrensis in hunc locum, Andreas Hierosolymitanus, & Basilius Seleuciæ Episcopus, in sermone de Annuntiatione, & alij non pauci. Ita tamen hi Patres docent Virginem gaudere, & lætari iussam, vt ex his alij lætitiam istam, & gaudium ad excludendum Euæ mœrorem ipsi affusum affirment. Nissenus enim

Niss. aut. loco citato sic habet. *Aue: contraria hæc est oratio illis vocibus, quas prima mulier audiuit: Tunc enim illa doloribus propter peccatum damnata est: nunc autem in hac per gaudium dolor expellitur: in illa molestiæ partum præcesserunt, huic partum lętita prænuntiat.* Titus Bostrensis. *Quandoquidem Deus ad Euam dixerat: In dolore paries filios, propterea Angelus gaudium, per quod dolor olim decretus soluatur, Virgini denuntiat.* Andreas Hierosoly-

Andreas. Hierosol. Euthim. mitanus illud *Aue* perinde valere asserit, ac si ad Mariam dictum fuisset. *Salue lętitię organum, per quod delicti nostri condemnatio expiata, ac veri gaudij plena facta compensatio est.* Euthimius vero sic habet. *Gaudium hoc Euæ soluit maledictionem, illa si quidem iussa est habere mærorẽ (nã id propriè significat* λύπη *vocabulum, quod Geneseos 3. in ęrumnas, & dolorẽ vertitur) hac autem gaudium, quod mærori contrarium est.* Legendus est etiã Hesichius

Hesichi. Hierosol. Hierosolymitanus in sermone 1. de Sancta Deipara, vbi Mariam non solum tristitiã, sed ipsum tristitiæ fontem obturasse dicit. Itaq; Patres isti non omnino syncerè, & sine studio ad Mariam dictum putant, χαῖρε, id est, gaude, & lætare: sed hac salutatione gaudiũ quoddã ipsi indici, quod Euæ mæstitiam, prorsus ab illa auerteret: atque adeò Virgini ab Angelo ex tunc denunciatum dicunt ipsam filium gestaturam, ac parituram sine dolore, ac sine molestia illa, quam antiqua continebat Dei sententia contra mulierem lata. Quod quidem ita accipiendũ est, vt ex eo à pœna libera, & immunis futura dicatur, quia culpæ minime reafuerat. Propterea dicit χαῖρε. Quod verbũ congratulatoriũ est, vt docet Euthimius, & alij: gratulatio autẽ est de habitis iã, & acceptis. Itaque vox illa non est benedicentis, aut bene precantis, maior enim non benedicitur à minori: sed Angelus verbo illo Virginẽ gaudere iubet gratulatoriè, de tot scilicet

gaudendi causis ipsi adgaudês, quibus illam Deus insignierat: ita nimirũ, vt decebat subditum Reginam suam affari. Sic obseruat in hunc locum Andræas Hierosolimitanus, vbi Angelum ipsum sic loquentem inducit. *Ab ipso gaudio exordium sumam, lætitiæ signa statim ei denuncians. Decet enim lætis ita præconijs Reginam salutare.* Hoc igitur volo, Angelum salutatione sua, dum gaudium illi indicit, non vtiq; à lege, & pœna mæroris in mulierem lata Virginem authoritate aliqua exoluere, & liberare: sed alioqui illam liberam, & solutam esse ostendere, & de hac libertate congratulari, & adgaudere. Sed rationem integram accipe ex Nissen. homil. 13 in Cant. vbi sic habet. *Cum enim illa, quæ mortem in naturam per peccatum introduxit, eadem nata sit, vt in laboribus, doloribusque pariat Oportebat omnino matrem ita tam conceptione à lætitia inchoare, quã partũ in lætitia perficere: nimirũ ait ad eam princeps ille Angelus: gaude per gratiam dilecta: qua voce mæstitiã illam abigit, quæ rerũ initio propter peccatũ partui imposita est.* Quibus verbis Nissenus ius illud aduocat, propter quod Virgo illis angoribus carere debuit, quia scilicet mater vitæ erat, & gratia plena, & omni peccato etiam carebat. — *Andræas Hierosol.* — *Nissen.*

4 Rursus alij Patres propterea salutationem suã à gaudio Angelũ auspicatum fuisse dicũt, quia ita decebat eam alloqui, quæ gaudij, & lætitiæ pelagus erat: sic præmissus Chrisipp. *Aue* (inquit) *tuum enim est re vera auere & gaudere.* Quasi dicat: sola tu gaudij plenã, & perfectam rationem habes: alij enim quotquot gaudemus, quasi falsa, & adulterina lætitia gestimus, tibi soli vera, & germana gaudij causa subest. Accinit etiam D. Gregorius Thaumaturgus in serm. de Annunciatione. *Aue* (inquit) *tu enim, quæ re vera sũt gaudio digna, agis, quoniam immaculatam induta es vestem.* Quasi dicat Tu sola gaudere debes, quia tu sola, & singulariscul pa omni cares, quę tristitię fletusq; vnica causa existit. Deinde vero sic attexit. *Aue gratia plena, quæ supercœlestis lætitiæ vas es, ac receptaculum. Aue gratia plena, nam per te gaudium omni dispensatur creaturæ.* Ita enim decebat, vt quæ gaudiũ in alios effusura esset, mœroris omnis expertem lætitiã in se contineret. Repete identidem illa verba Andreæ Hierosolymitani. *Salue lætitiæ organum.* Organum, inquã, quod flebiles modos nunquam sonauit: nobis vtique versa est *cithara nostra in vocem flentium,* ex quo Eua mœrorẽ, & lachrimas omnibus filijs suis importauit: sola Virgo Deipara potest reuera *auere, & gaudere,* quia nunquam illi aliqua flendi, ac mœrendi causa accidit, quæ nunquam peccatum vel admisit, vel habuit, de quo reuera lugere, ac mœrere posset: solum enim peccatum vera, & germana luctus causa est. Ideo de ipsa dictum illud supra à me citatum. *Nil quod gemat habens:* de qua Rupert lib. 3. & 6. in Cant. & lib. 7. de gloria Trinitatis cap. 13. vbi reddês rationẽ, propter quã Cantica Canticorũ à Patribus Virgini accomodantur, & quæ de tota Ecclesia inibi scripta sunt, Mariæ dari solent: addit in ipsam aptius, quã in alios quadrare, his verbis. *De ista dũtaxat scriptura hoc dicimus, quod tota sit cãtabilis: nã in cæteris scripturis multa sonant lamentabilia pœnitentis Ecclesiæ, quæ in plærisque peccauit, pro quorũ parte pro fructibus pœnitentiæ lamentatur, & gemit. Et hæc infra dignitatem sunt huius B. Virginis, cuius vita integerrima non habuit cur gemeret, nisi vulnus charitatis propter dilationẽ plena, atque perfectæ beatitudinis, &c.* Et quidem apte, nam cum tota hæc scriptura sit cantabilis, debuit vtiq; ad illud *lætitiæ organum* decantari, quod ideo nusquam ad flebiles, & lamẽtabiles modulos deflecti potuit, quia nihil lachrimis, & fletu dignum habuit. Quomodo autem originale sit fletus, imo & pœnitentiæ materia, diximus sup. cap. 25. — *Chrisipp.* — *Gregor. Thauma.* — *Rupert.*

§. II.

5. *In verbis illis,* Gratia plena, *immunitatem Virginis ab originali deprehenderunt multi Patres.*
6. *Plenitudo gratiæ in Virgine plurimum differt ab ea, qua alij repleti dicuntur.*
7. *Virgo vnà cum gratia, & sanctitate cuncta habuit priuilegia.*
8. *Hæc priuilegia non tantùm ex decentia, sed quodammodo etiam ex iure Matri Dei debebantur.*
9. *Gratia, qua Virgo plena dicitur, omnem eorum munerum, quibus functa est, capacitatem expleuit.*
10. *Omne tempus complexa est.*
11. *Cum peccato originali, atque omnibus effectibus illius pugnauit.*
12. *Ex hac pugna, Mariæ originalem sanctitatem efficaciter deduxit S. Ildephonsus.*
13. *Si peccato originali, & eius effectis nõ caruisset, non esset Virgo plena gratia, sed semiplena.*
14. *Quia ex plenitudine eius omnes ad alios gratiam manare oportebat, gratia originali carere non debuit.*



SECVNDA Salutationis Angelicę, ac dignior pars est illa *gratia plena.* Ex hac Mariæ immunitatẽ ab omni peccato deducunt sanctissimi, ac grauissimi Patres. Imprimis sanctum illum Thesiphontem Iacobi Maioris discipulum in laminis illis nuper in Granatensi Sancto monte repertis ita exaratum reliquisse ferunt. *Illa Virgo, illa Maria, illa Sancta præseruata fuit à peccato originali in primo instanti suæ Conceptionis, & libera ab omni culpa.* Et rursus: *Numquam Angelus Virgini diceret: Aue gratia ple-* 5 — *Thesiphõt.*

na,

na, si in originali peccato fuisset cöcepta. Quodsi quispiã de huius testimonij fide ambigat, suppetunt alij Patres, qui Mariç mũditiã à culpa originali ex præfatis Angeli verbis depromere nos docent.

Fulgen.

Sanctus Fulgentius in sermone de laudibus Mariæ. *Sic enim eam legitur Angelus salutasse, Aue gratia plena, cum dixit aue, salutationem illi cœlestem exhibuit: cũ dixit, gratia plena, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Sed elegantissimè noster

Ildephon.

Ildephonsus in lib. illo de Parturitione, & Virginitate Mariæ, vbi sic habet. *Vnde interrogemus istos sequaces Heluidij, qui etsi virginẽ eam non denegant permansisse, pudicitiam tamẽ cõmaculant, & gratiam, qua plena prædicatur, quando communi lege naturæ vitiatæ dicunt eam peperisse. Quia si ita peperit, ergo adhuc, ac si in massa primæ damnationis contra Angeli vocem Verbum Patris de carne (quod absit) vt caro fieret, carnem assumpsit. Sed quia contra fidem Catholicam est sic sapere, Beata Virgo plena gratia, nec dolorem sensit, nec corruptionem, quia quantum aliena fuit à culpa, Spiritu Sancto in ea cooperante, in totum extranea à maledicto primæ damnationis.* Quorum verborum energiã partim supra dedi cap. 28. sed infra amplius enucleabo. Idem etiam paulò ante similia verba habet his, quæ nuper ex Fulgentio præmisimus. *Nam cum dicit ei, Aue, cœleste venerationis obsequium exhibet: cum autem dicit, gratia plena, ex integro iram exclusam ostendit, & restitutam gratiam declarat.* Accedat his etiã

Idiota.

Idiota sapientissimus, qui omnium clarissimè, ac luculentissimè ex salutatione Angelica Virginis immunitatem à culpa originali deprehendit. *Inuenisti* (inquit) *gratiam apud Deum ò dulcissima Virgo, gratiam cœlestẽ, quia fuerunt in te ab originalis peccati labe præseruatio, Angelica salutatio, & Spiritus Sancti superuentio.* Quasi dicat, hæc tria inter se cohærẽt, & vnius gratiæ vim habent, quia alterum ex

Bonauen.

altero conficitur. Item Diuus Bonauentura in sermo. 2. de Beata semper Virgine Maria sic habet. *Dico primo quod domina nostra fuit plena gratia præueniente in sua sanctificatione, gratia scilicet præseruatiua contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxisset ex corruptione naturæ, nisi speciali gratia præuenta, præseruataque fuisset.* Quibus verbis Seraphicus Doctor plenitudinẽ Marianæ gratiæ in præseruatione à culpa originali aperte posuit. Est etiam aliud satis locuples testimonium

Ioã. Ara.

in decreto illo Serenissimi Ioan. Aragonum Regis, quod pro Cõceptione pura Deigenitricis edidit, vbi inter alia sic habet. *Defuit ne ergo tam excellentissimæ Virgini in conceptu almifici sui corporis aliquid puritatis, vel gratiæ ob prætensum originale peccatum, quam missus ad eam cœlestis nuncius pacis Angelus salutãdo: Aue Maria gratia plena, Dominus tecum benedicta tu in mulierib⁹, prædicauit?* Mitto alia.

6

Cæterum illud est difficile, germanam horum verborum *gratia plena* intelligentiam attingere, & qua ratione ex illis Immaculata Conceptio cõprobetur, certa interpretatione depromere. Merito enim verba ista Magnus Athanasius *splendidissimum, ac capacissimum hymnum* appellauit, quia multas interpretationes, multas Virginis laudes, & elogia suo cõplexu capit.

Athanas.

Alij ergo ex hac gratiæ plenitudine Virginis immunitatem à culpa ideo confici putant, quia hæc salutatio singularis est, & Virginis propria: atque adeò aliquam etiam ipsi propriam, & minime communem laudem continet. Nã etiamsi Ioannes Baptista, Elizabeth, Zacharias, Stephanus, & Apostoli *Spiritu Sancto pleni*, aut *repleti* dicantur in scriptura Sacra, tamen eorum plenitudo longe diuersis verbis adsignificatur: nam de Elizabeth ita habes Lucæ 1. Καὶ ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου: de Ioanne supra καὶ πνεύματος ἁγίου πλησθήσεται, & non dissimili modo alij *Spiritu Sanct*, o vel (vt alij conuertunt) *Spiritu sanctificationis* pleni dicuntur. Angelus vero ad Virginem sic. χαῖρε κεχαριτωμένη, id est, si ad vnguem exprimas, *aue gratiosa*, quam vocem noster interpres aptissimè reddidit. *Gratia plena.* Sic Origenes. *Aue gratia plena, quod Græce dicitur κεχαριτωμένη vbi in scripturis alibi legerim, non recordor, soli Mariæ hæc salutatio seruabatur.*

Luca. 1.
Ioan.
Origen.

Igitur hæc Mariæ plenitudo cum alijs conferenda non est, quia Spiritu Dei pleni dicuntur, siquidem eorum plenitudo valde diuersis verbis notatur: sed ad suam radicem referenda, ita vt κεχαριτωμένη, id est, gratiosa, perinde sit, ac tota ex gratia (adeò vt audacter dicam conuerti posse *facta ex gratia*) Nã si res penitius inspiciatur, alij omnes Spiritu Sancto ita repleri dicuntur, vt modus ipse loquendi ipsos prius vacuos adsignificet: nam de Ioanne sic habes. *Replebitur Spiritu Sancto adhuc ex vtero matris suæ.* Ad Elizabeth spectat illud: *Et repleta Spiritu Sancto*, quod pro nata occasione factũ verba ipsa notant: & idem iudicium est de Zacharia: de Apostolis etiam Actorum 2. *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto*, nimirum ex tempore, & pro re nata: de Petro similiter Actorum 4. *Tunc Petrus repletus est Spiritu Sancto.* Particula: *Tunc* significat tẽpus, quo plenitudo cœpit: & idem est de Paulo Actorum 9. & 3. & de Barnaba, Actorum 11. qui etiam pro instanti aliquo temporis Spiritu Dei impleti, & obruti dicuntur. Solus Stephanus Actorum 9. quasi plenus ex habitu denunciari videtur, non designato repletionis tẽpore. *Et elegerunt Stephanũ plenũ fide, & Spiritu Sancto.* Et de socijs eius, qui rei administrandæ præfecti sunt. *Constituamus Fratres viros ex vobis testimonio probatos septẽ plenos Spiritu Sancto:* Sed re altius inspectã: tã Stepha. quã sex alij eius socij, qui administrationi præpositi sunt, non prius pleni Spiritu Sãcto, sed tũc ad munus illud recte ge-

Actor. 2.
Actor. 4.
3. 11.
Actor. 9.
Actor. 9.

rendũ Apoſtolorum opera,& precibus veluti denuo, in futurũ repleti ſunt: nam ſi vocem Græcã expendas, eſt vtiq; participiũ futuri, ..., id eſt, *qui repleti erunt*. At Virgini ſanctiſsimæ inditũ eſt nomen Κεχαριτωμένη. quod eſt participiũ præteriti tẽporis, id eſt, *quæ grata ſeu gratioſa eſt*, vel *fuit*: itaq; non dicitur grata ex tempore, vel pro inſtanti aliqua occaſione gratia impleta, vel in futurum replenda, ſed abſolute gratioſa,& gratia nullo tempore non plena. Cæterum quanuis hæc nõ ſine aliquo fundamẽto dicta videãtur, tamẽ ad alia robuſtiora,& digniora cõtendo.

7 Secundo igitur alij ſic cõtẽplantur, nimirũ vocẽ illam *gratiæ*, qua Virgo plena dicitur, non modo gratiam ſanctificantẽ notare, ſed aliquando etiam eo nomine priuilegium ſignificari, aut diſpenſationem in lege factam. *Plautus.* Plautus in Rudent. *Nihil hercle hic tibi eſt ne tu ſperes, iuriſiurandi volo gratiã facias*. Id eſt, id deprecor, vt mihi iuriſiurandi obligationem relaxes, & indulgeas. Et Liuius lib. 3. *Liuius.* *Omnium tibi Api Claudi, quæ impie, ac nefarie per biennium alia ſuper alia es auſus, gratiam tibi facio*, id eſt, remitto, & indulgeo. Et quidẽ in iure nomen *gratiæ* commune admodum eſt, pro diſpenſatione,& priuilegio. Ita Budæus, qui *gratiam legis, ac canonis facere*, perinde eſſe dixit, ac lege abſoluere. *Budæus.* Adi Briſſonium de verborum ſignificatione, Hotomanũ & alios. Sed vidẽdus cũ primis Greg. Lopez in lege 27. p.3. gloſſa 5. *Briſſon. Hotom. Gregor. Lopez.* Ergo ſic decernunt, tunc cum Virgo *gratia plena* dicitur, hoc innui, ipſam ſcilicet omnia priuilegia adeptã fuiſſe, quęvel ad recipiendã, vel ad ſeruandã iuſtitiã facere poterãt. Huius autẽ ſuſpicionis patronũ numerant ſibi Angelicũ Doctorem Sanctũ Thomã 3.p.q.27.ar.1. *S. Thom.* *Rationabiliter creditur, quod illa, quæ genuit vnigenitũ à Patre plenum gratiæ, & veritatis, præ omnib⁹ alijs maiora priuilegia gratiæ acceperit: vnde Angelus, vt legitur Lucæ.1. ei dixit. Aue gratia plena*. Vbi Sanctus Thomas nomine gratiæ priuilegium accepiſſe videtur.

Profecto expoſitionem iſtam ſerio incuſarem, niſi viderem illam à grauiſsimis, & doctiſsimis viris inuentam, & celebratam: quapropter nõ tam à me accuſandi, quã excuſandi, & exponendi. Non equidem ipſis ea mens eſt, vt putent hoc nomine *gratiæ* priuilegium notari, ita vt excludant ſignificationem illi magis propriam,& germanam ſanctitatis,& iuſtitię: hoc enim eſſet contra cõmunem ſenſum Sanctorum Patrũ, qui copioſam, & vberem ſanctitatem Virginis ex hoc loco deprehendunt. *Caniſius.* Adi Caniſium noſtrum de B. Virgine lib.3.c.5. vbi ſerio admodum contra Hæreticos noſtri temporis germanã illam,& propriam gratiæ ſignificationem contutatur: ac nefas eſſe dicit in hac Angeli ſalutatione aliud, quàm ſanctitatem, & iuſtitiam per gratiam intelligere: eos acriter proſcindens, qui fauorem, indulgentiam, acceptationem, vel quid aliud, quod extrinſecam, & non intrinſecam, & inhærentem formam adſignificet, per gratiam hic notari volunt: priuilegium autem, vel diſpenſatio mere extrinſeca ſunt, vt patet. Quapropter ego quidẽ reor, præfatos authores id ſibi voluiſſe, in illis Angeli verbis *gratia plena*, nomen *gratiæ* in latiori ſignificatione accipiendum eſſe, ita vt non ſolum iuſtitiam,& ſanctitatem adſignificet, ſed etiam priuilegia, aut diſpenſationes in legibus vniuerſalibus.

Iam intelliges qua ratione ex præfatis verbis exceptionem Virginis à lege vniuerſali 8 perſpicue admodũ depromant præmiſsi Doctores: quia cum *plena gratia* dicatur, id eſt ſanctitate,& iuſtitia (id enim primum gratia ſignificat) deinde priuilegijs, ac diſpenſationibus (hæc enim eſt poſterior gratiæ ſignificatio) inde concludunt ipſam ad communia aliorum hominum iura minime reuocandam eſſe: ſed in his omnibus priuata lege cũ ipſa à Deo diſpenſatum, atque adeò à ſeueriſsima illa transfuſionis lege ex indulgentia, & diſpenſatione abſolutam fuiſſe. Profecto hęc non inerudite dicta ſunt: tamen ex eo mihi diſplicent, quia cũ aiunt Virginẽ ex peculiari priuilegio,& diſpenſatione id obtinuiſſe, vt in gratia originali conciperetur, innuunt plane ipſam communi lege comprehenſam fuiſſe, atq; adeò habuiſſe debitũ contrahendi culpam. Nam priuilegium, ſeu diſpenſatio proprie eſt abſolutio à lege, qua quis aliàs obſtringebatur. Et ſane ſi res iſta per priuilegium, & diſpenſationem acta fuiſſet, id Virgini concedendũ facile euincitur ex diſpenſationis cauſa. Puta ego Principem non poſſe à lege lata aliquẽ per diſpenſationem abſoluere, niſi ex iuſta cauſa: quod ad Deum etiam extendit Angelicus doctor in eadem quæſtione art.6. his verbis. *Non eſt credendum aliquos alios ſanctificatos eſſe in vtero, de quibus ſcriptura mentionem non facit: quia eiuſmodi priuilegia gratiæ, quæ dantur aliquibus præter legem cõmunem, ordinãtur ad vtilitatẽ aliorum: ſecundum illud 1. ad Corint. 12. Vnicuiq; datur manifeſtatio ſpiritus ad ſalutem*. *S. Thom.* Itaq; S. Thomas his verbis id à Deo in diſpenſationibus vniuerſalium legum ſeruari docet, quod authores illi, qui Principũ ad diſpenſandum poteſtatẽ maxime coarctãt, illis indulgẽt. Et quidẽ plures ad diſpenſandũ cauſam requirũt: nec cauſam probant, ſi priuata ſit: nã vniuerſalẽ legem, niſi ex cauſa vniuerſali, & cõmuni, nulli vnquã relaxandam eſſe affirmant. Sed alij probabilius docent Principẽ ex cauſa etiam priuata poſſe alicui legẽ remittere: cum vero cauſa vniuerſalis eſt, nõ ſolũ poſſe, ſed etiam debere. Nã cum leges ad cõmune bonum referantur, quoties ad id bonum relaxatio cõducit, aut confert, vtilitatis cõmuni arbiter Princeps diſpenſare tenetur. Quid inde? Sane inde fit, data illa hypotheſi, quod Virgo Deipara legi vniuerſali transfundẽdæ

culpæ

culpæ communi aliorum hominum iure subiaceret, Deum Opt. Max. etiamsi cum matre sua non ex pietate (vt decebat filium) sed ex iure ageret, non solum potuisse, sed quodammodo etiam non quidem ex necessitate aliqua (hanc enim nulla ex causa Deo imponere licet) sed quia recta suarum creaturarum administratio ita exigebat, à præfata lege Virginem absoluere debuisse: quia ex hac te non modo priuata ipsius Virginis vtilitas, sed commune totius vniuersi bonum pendebat. Quandoquidem per hanc legis vniuersalis relaxationem ipse quidem Deus dignā matrem, & genus humanum reparatricem, mediatricem, & Reginam sortiri oportebat, sine qua vix posset Maria illa munera sustinere. Sed ad grauiora contendamus, & ex his, quę Patres de plenitudine gratię sanctissimę Deiparæ dixerunt, eius immunitatem à culpa colligamus.

9 *Athanas.* Tertiò igitur D. Athanas. verba illa *gratia plena* ad hunc modum expendit, to. 3. in ser. de Sancta Deipara. *Decet te matrem, regeneratricem, dominam, atque heram cognominari, eo quod ex te prodiјt Rex, Dominus, & Deus noster: assistentem illi, nobis quidem terribili: tibi autem dulci, omnemq; gratiam largienti, qua de causa factum est, vt Gratia plena appellata sis, vtpote qua omni gratia abundares.* Itaq; Virginem, *Gratia plenam*, ideò appellatam fuisse docet, quia omnes in illam gratiæ influxerant: & quidem apte. Quia tunc aliquid plenum dicitur, cum capacitas eius expletur. Quapropter non posset Virgo plena appellari gratia, nisi omnes illas gratias, seu gratiæ differentias haberet, quas capere poterat: cūq; ex his gratiјs, quæ alteri puræ creaturæ euenire possunt, nulla sit, cuius ipsa non sit capax, ad defendendam illius plenitudinem fateri oportet omnē gratiam in illam influxisse. Rursus expende illa verba: *Nobis quidem terribili: tibi autem dulci.* Nam cur nobis terribilis, & Mariæ dulcis? Non alia certè ex causa, nisi quia peccata illum in nos concitant, quibus Virgo omnino vacauit: & ideò omnem illi gratiam largitus est, quia nihil fuit, quod eius in Mariam effusam liberalitatem continere posset, quominus omnem capacitatis ipsius mensuram adimpleret. Et quia mensura prædictæ capacitatis non ex natura, sed ex officijs, & muneribus, quibus Virgo functa est, definiri debet, propterea

Athanas. præmisit Athanasius tria illa, *Decet te matrē, regeneratricem, Dominam, &c.* Ex quibus apte admodum colligit, Mariam omnē gratiam capere. Nulla enim gratia excogitari potest, quæ cum aliquot ex tribus illis dignitatibus non congruat, atque illam deceat: atq; adeò cum hæc capacitas expleta dicatur, fateri cogimur nullam gratiam in illa defuisse. Ergone dicemus gratiam originalem in Virgine desideratam? Absit. Quia oportebit etiam fateri illius ideò capacem non fuisse, quia ista gratia præscriptas illas functiones, seu dignitates matris, regeneratricis, & dominæ excedebat, earumque (vt ita dicam) captum superabat: quod quam sit absurdum, perspicuum est.

Quapropter sibi omnino similis idē Athanasius in eodem sermone pauló ante hæc verba depromit. *Ita quoque Spiritus Sanctus in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, imbuens eam gratia, vt in omnibus gratiosa esset: atq; idcirco gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus Sācti omnibus gratijs abundaret, & virtute altissimi obumbraretur: quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuisse confido, & post conceptum eam retinuisse.* *Athanas.* 10 Dices fortasse, Athanasium, vt ex his verbis colligitur, plenitudinem illam gratiæ ante Incarnationem non agnoscere, sed in ipsa Incarnatione, & post Incarnationem. Cæterum inepta est eiusmodi obiectio, quia si post Incarnationem, & partum nihil gratiæ defuisse Virgini dicimus: cur non etiam de illo tempore, quod ante Incarnationem abiјt, idem fatebimur? Si enim ex eo, quia Deum pepererat, nulla posteà gratia carere debuit: cur non etiam ex eo, quia Deum paritura erat, similem ad modum nihil gratiæ in ipsa desideratum dicemus? Præsertim quia illam gratiæ abundantiam, & copiam in Virgine ideò ponimus, quia illam ad decentiam partus, & ad filij honorem, & gloriam spectare sentimus: atquì illud omnium hominum opinione, & existimatione, imò & per iura, atq; leges certum est, parentum seu honorem, seu dedecus, quo ante editos filios honestati, aut deturpati sunt, magis quam id, quod post illos natos ipsis contigit, ad filios pertinere. Quapropter ante Incarnationem Virginem omni gratia abundasse, & ab omni peccato immunem fuisse, asserere debemus potius, quā posteà: quia tempus illud, quod Incarnationem anteceßit, magis ad filij, vel gloriam, vel dedecus facit. Et ideò ipse Athanasius, postquam dixerat in Virginem eam gratiæ plenitudinem, & in conceptu, & posteà nunquam defuisse, ne putares illud tempus ab illo excludi, quod ante conceptum fuerat elapsum, subiectis verbis tempus omne complectitur: *Neque enim* (inquit) *id temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse, quemadmodum & nunc in præsentia, & in æternum vsque habet hæc Virgo sibi obumbrantem virtutem altissimi, &c.* Quid illustrius?

Quarto Fulgentius, & Ildephonsus alia ratione ex illis verbis *Gratia plena* Virginis immunitatem ab omni culpa deduxerunt: ille enim sic habet. *Cum dixit, gratia plena, ostē dit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Iste autem non disparia scribit. *Cum dixit, gratia plena, ex integro iram exclusam ostendit,* 11 *Fulgent. Ildeph.*

 & resti-

& restitutam gratiam declarat. Pendendum est verbum *excludit*: significat enim Mariam esse plenam gratia, ita vt ab ea gratia, qua plena erat, omne incidens peccatum exclusum fuerit. De industria verò additum illud *ex integro*, nequis putaret eam gratiam, qua Virgo repleta dicitur, ita effectus peccati exclusisse, vt eorum causam, & radicem prorsus expulerit. Id etiam quod *iram* gratiæ opponunt prædicti Patres, ideò factum, vt constaret, non solùm ex plenitudine capacitatis ipsius subiecti id euenire, vt gratia peccatis locum non faciat: sed etiam ex contrarietate, & oppositione formarum. Et quidem vti vis illius rationis, quam duo grauissimi Patres conficiunt, comperta sit, cogitare oportet, eos in illis locis id contendere: scilicet Virginem communes partus, & gestationis iniurias, quæ per Dei sententiam ob primæ mulieris transgressionē cunctis posthac fœminis inflictæ sunt, minimè expertam fuisse. Hoc verò ita probant, non quia id Deus ex indulgentia fecerit, præfatas pœnas Virgini remittens, & leges ex fauore relaxans: sed quia talem gratiā, & sanctitatem illi indidit, quæ veluti forma opposita illas omnes iniurias, earumq; radicem expelleret. Cum igitur nulla alia forma sit, quę cum prædictis iniurijs, aut cum illarum radice, & causa pugnet, nisi gratia originalis, & gratia præseruās, manifestum est Sanctissimos illos Patres de hac loqui. Et sanè magnopere obseruāda est huius rationis efficacia: quia (ni fallor) multis Patrum testimonijs lucē affert, quæ si ad hanc trutinā exigantur, Virginis puritatem ab omni macula peccati originalis (velimus, nolimus) comprobant, & euincunt.

12 Ildeph. Et sanè huic rationi tantundē tribuit D. Ildephon. vt præscripta illa verba vsurpare non dubitauerit: *Pudicitiam* (inquit) *commaculant, & gratiam, qua plena prædicatur, quando communi lege naturæ vitiatæ dicunt eam peperisse. Quia si ita peperit, ergo adhuc ac si in massa primæ damnationis, contra Angeli vocem, Verbū Patris de carne peccati, quod absit, vt caro fieret, carnem assumpsit Sed quia contra Fidem Catholicam est sic sapere, B. Maria plena gratia, nec dolorem sensit, nec corruptelam: quia quantū aliena fuit à culpa in totum extranea à maledicto primæ damnationis.* Aurea sanè verba, quibus nihil pro immaculata Virginis Conceptione, vel grauius, vel illustrius hactenus ab aliquo dictum credo. Imprimis enim illud pro certo statuit, eam gratiam, qua Virgo plena dicitur, cum peccato originali, ac cum omnibus peccati reliquijs ex directo pugnare: hęc autem non potest esse alia, nisi gratia originalis. Nam omnis alia gratia, quæ vel ad remissionē peccati originalis à Deo donatur, vel post remissum illud peccatum ad augendam sanctitatem, vel ad extinguendas actuales culpas conceditur, etsi cum peccati originalis macula ita pugnet, vt illud facilè ab anima expellat: tamen cum peccati originalis reliquijs, scilicet cū fomite, & cum corruptione, & cum alijs pœnis, quæ ex peccato nobis euenerunt, nullam oppositionē habet: quandoquidē constat eam gratiā in iustis omnibus cum fomite, & cū reliquis naturæ iniurijs cōcordi simultate manere. Deinde Christum non sumpsisse carnem ex carne peccati ad Fidem Catholicam pertinere docet: neq; verò loquitur dę propria Christi carne, sed de carne suæ matris: dicit enim. *Quia si ita peperit, ergo adhuc ac si in massa primæ damnationis esset, contra Angeli vocem Verbum Patris de carne peccati, quod absit, vt caro fieret, carnē assumpsit.* Carnem autem Virginis carnē peccati asserere ei voci aduersari dicit, qua Angelus illam *Gratia plenam* salutauit. Quapropter cum statim addit, gratiam istam, quam Angelus salutatione sua in Virgine significauit, talis naturæ esse, vt non modo peccatum originale, sed omnes illius peccati reliquias in totum expulerit, planè ostendit se loqui de gratia originali: atq; adeò sine illa carnem Deiparæ peccati carnem futurā esse. Ergo sensit, inquies, D. Ildeph. Virginem peccato originali caruisse Fide Catholica credendū? Id tu videris: ego quidem sacrosanctæ Tridentinę Synodo, atq; alijs Pontificum decretis per omnia acquiescens tanquam probabiliorem opinionem illam amplector, interim dū maior huius rei declaratio à Sede Apostolica emissa fuerit.

Igitur ex præmissa argumentatione vim capiunt non pauca Sanctorum Patrum loca, quæ (me iudice) ad comprobandam Mariæ immunitatem à peccato originali robustissima sunt, quatenus asserunt per illa verba, *Gratia plena* talem ab Angelo gratiam significatam fuisse, quæ ex natura rei peccatū originale, eiusque reliquias prorsus arceret. 13
Sed vt alios missos faciamus, subijciēda sunt mihi primo Petri Blessensis, vel potius Alexandri Pont. verba in instructione fidei missa ad Soldanum Iconij, quę supra quidem exhibui: sed hic etiam assuenda videntur, vt illorū energia ex dictis magis, ac magis elucescat. Blessen. Alexāder Pontifex. *Magna igitur omni laude dignissima Maria, quæ inter omnes, quas mundus habuit, mulieres, nec primam, nec similem meruit, nec sequentē habere: concepit nempe sine pudore, peperit sine dolore, & hinc migrauit sine corruptione, iuxta verbum Angeli, imo Dei per Angelum, vt plena non semiplena gratiæ esse probaretur.* Itaq; Pōtifex dicit Virginem sine concupiscentia cōcipere, sine dolore parere, & sine corruptione decedere debuisse iuxta vocem Angeli, qua illam gratia plenam salutauerat, hoc est, quia per salutationem suam gratiam quandam in illa significauit, quæ omnes illas iniurias, & molestias longius arceret: quam certè aliam esse non posse, nisi gratiam originalem nuper statuimus. Quod autem eiusmodi gratia ab Angelo demonstrata fuerit, ex eo con-

ficit Pontifex, quia Virginem *Gratia plenam* dixit, non *semiplenam.* Et quidem apte: nam omnis alia gratia, quæ solam peccati labem, & maculam pellit: peccati verò reliquias, scilicet concupiscentiæ æstum, dolorem, & corruptionem relinquit, non omnino *plena,* sed *semiplena* appellari debet. Et quidem mens Pontificis est, illam gratiam tantummodo plenam dici, cui in genere gratiæ nihil desit ex his, quæ potest habere: in illa verò gratia, qua deletur, & expiatur peccatum originale iam contractum, & quæ reliquias peccati originalis non expellit, duo illa desiderantur, quæ ex natura, & genere suo posset habere, & in eo etiam genere illam augent, & digniorem efficiunt, scilicet præuenire, ac præoccupare peccatum, & illi locum non facere: atq; adeò reliquias ipsiusmet peccati amoliri: ergo talis gratia, quæ caret hisce rebus, non plena, sed tantum semiplena appellari debet. Nec alia est illa differentia, quam inter nostram, & Mariæ gratiam constituit S. Hieronymus Epist. de Assumpt. & ex illo Chrysologus, Bernar. Ildephon. *Cæteris datur gratia per partes: in Maria autem tota se infudit plenitudo.* Idem prorsus argumentum conficit S. Cyprian. in ser. de Natiuit. ad hunc modum: *Nihil in hac repetÿt vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetÿt pœnarum vsuram, Spiritu Sancto obumbrante, incendium originale extinctum est* (libidinis, & concupiscentiæ æstum appellauit *incendiũ originale,* vt alias dixi) *Ideoque innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat iustitia, vt illud vas electionis cõmunibus lassaretur iniurijs, quod plurimum à cæteris differens natura communicabat, non culpa. Eratq; ei priuilegium speciale, quod nulla mulierum, nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quod erat simul mater, & virgo singulis titulis insignita: vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis, & mentis integritate insignis, spirituali, & corporali, intus, & extra Christi præsentia frueretur.* Huius testimonij pleraq; verba supra expendi. Nunc ergo id tantum volo, scilicet his verbis argumentationem quandam includi, quæ ad suos terminos reducta sic habet: Virgo caruit omni culpa, non ergo debuit culpæ effectus, & reliquias experiri; vtrumq; autem, scilicet carere culpa, & effectibus illius, ideò illi concessum est, quia mater Dei futura erat. Sed quia posset quis obijcere maternitatem Dei non esse formam per se oppositam culpæ, vel effectibus illius: vidit hoc Cyprianus, ac proptereà subiecit, maternitati gratiæ plenitudinem deberi: *Vnde & matri Dei plenitudo gratiæ debebatur.* Quasi d cat ideò Virgo Maria culpa, atq; reliquijs illius omnino caruit, quia maternitati Dei plenitudo gratiæ ex decentia, & congruitate debita erat: hæc autem plenitudo cum ipsa culpa, & cum omnibus illius reliquijs, & effectibus pugnat. Quapropter cum sola gratia originalis, seu præseruans, oppositionẽ istam cum culpa originali, & effectibus illius habeat, vt supra diximus, per gratiæ plenitudinem hanc à Cyprian. intellectam fateri cogimur: quod probant etiam subiecta verba. *Quæ carnis, & mentis integritate insignis spirituali, & corporali, intus, & extrà Christi præsentia frueretur.* De quibus sequenti §. aliquid dicemus.

Hieron. Chrysol. Bernar. Ildeph. Cyprian. — Cyprian.

Quinto aliter etiã ex præfatis verbis Virginis Deiparæ immunitatem à culpa originali depromere licet, iuxta communem Patrum interpretationem. 14
Quia vt infrà dicemus cap. 31. vers. 28. ad illa verba: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Patres ex illis verbis *Gratia plena,* quibus Virginem Angelus affatus est, talem in ipsa gratiæ plenitudinẽ contemplati sunt, quæ non modo ipsam affatim impleret, sed etiam in nos omnes redundaret, ac se se effunderet. Hierony. in Epist. illa de Assumpt. *Ob quod Dei genitrix electa, & prælecta iure ab Angelo gratia salutatur, & prædicatur plena: verè plena, per quam largo Spiritus Sancti imbre superfusa est omnis creatura.* Ex Hieronymo, Anselmus, Bernard. Bonauent. & alij omnino similia vsurpant. Bernardi sunt illa in sermone de Aquæductu. *Plena sibi, superplena nobis.* Et iterum: *De plenitudine eius omnes accepimus.* Bonauen. in speculo lect. 7. *Quid mirum si lætitiam plenam, & superplenam habeat in gloria, quæ gratiam plenam, & superplenam habuit in exilio? Quid mirum si tam in cœlo, quam in mundo eius plenitudo super omnẽ creaturam sit, de cuius plenitudine omnis creatura virescit?* Producit autem ibi Bonauen. Anselmum talia promentem. *O fœmina plena, & superplena gratia, de cuius exundantia respersa reuiuiscit omnis creatura.* Et subinde attexit Bonauent. *Habet Maria plenitudinem gratiæ inundatiuam.* Itaq; Patres ex hac plenitudine gratiæ, quam Angelus salutatione sua significauit, perspicuè colligunt omnem in nos gratiam per Virginem effundi: inde autem validissimum argumentum ad eius immunitatem à culpa originis comprobandam assumi sæpè alias diximus. Videda, omnino, quæ scripsimus supra, cap. 21. de Officio mediatricis, quo Virgo apud Deum pro nobis functa est. Vbi ex eo, quod omnis gratia, etiam quæ ad expiandum peccatum originale donatur, exundante Virginis plenitudine in homines defluit, eam ab originali culpa vacasse, non solùm probauimus, sed (ni fallor) euicimus. Et quidem huius plenitudinis redundantiã, quam in hac Angeli salutatione agnoscunt Patres, eam esse, quæ humani generis reparationem, atque adeò signate ad originalis peccati expiationem Virgini à Deo concessa fuit, satis innuunt illa verba Anselmi. *De cuius plenitudinis exundantia respersa reuiuiscit omnis creatura.* Accinit etiam August. in serm. 1. de Annũciatione. *Impleta est* (inquit)

Hieron. — Ansel. Bernar. Bonauen. — Ansel. August.

gratia

gratia Maria, & Eua vacuata eſt culpa. Confirmat etiam hoc D. Bonauent. in eadem lectione. (Bonauen.) *Gratiam enim de reſtauratione facta in cœlo: gloriam de redemptione facta in mundo, gloriam de liberatione facta in inferno habet Dominus per Mariam, habet per plenitudinem Mariæ.* Et ſtatim ex Anſelmo hæc ſubnectit: *Tibi ſolùm loquor Domina beneficijs tuis plenum eſſe mundum, inferna penetrauit, cœlos ſuperauit. Per plenitudinem enim gratiæ tuæ, quæ in inferno erãt, ſe lætãtur liberata, & quæ ſupra mũdum ſunt, ſe gaudent reſtaurata.* Deniq; Bernardus in ſerm. de Aquæductu huic plenitudini ſalutẽ noſtram in vniuerſum adſcribit. (Bernar.) *Altius* (inquit) *intuemini quãto deuotionis affectu à nobis voluit honorari Mariam, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria, vt proinde ſiquid ſpei in nobis eſt, ſiquid gratiæ, ſiquid ſalutis, ab ea nouerimus redũdare.* Ergone dicemus Mariam aliquando per culpam demortuam fuiſſe, per quam omnis creatura reuiuiſcit? Atq; eam, per quam omnium peccata deleta ſunt, alicuius peccati ream fuiſſe? Abſit. Hæ ſunt præcipuæ rationes, quas ex illis verbis, *Gratia plena*, pro Immaculata Conceptione iuxta Patrum doctrinam conformare integrum fuit: quibus tantum tribuo, vt non dubitem aſſerere fundamentum cũ primis validum ex hoc loco ad definitionem Eccleſiæ ſuppetere. Sed pendenda ſunt alia Angelicæ ſalutationis verba.

§. III.

15. *Illa verba:* Dominus tecum, *Virginis innocentiam originalem teſtantur, ſi ad omnem temporis extendantur differentiam.*

15 (Auguſt.) DOMINVS TECVM. Diuus Auguſt. ſerm. 1. de Annunciat. ſic ſcribit. *Aue* (inquit) *gratia plena Dominus tecum, Dominus tecũ, tecum Dominus in corde, tecum in vtero, tecũ in auxilio.* Et idem in ſerm. de Natiuit. *Dominus tecum magis quam mecũ: ipſe enim in tuo eſt corde, in tuo eſt vtero, adimplet mẽtem, adimplet vẽtrem.* Certè hæc verba ſignificant Dei præſentiam in Maria: contendit verò Auguſtin. non ſolùm Dei præſentiam in Virginis vtero ex illis verbis notari: ſed etiam in mẽte. Huc ſpectant etiam illa Cypriani verba ſupra ſcripta. (Cyprian.) *Quæ carnis, & mentis integritate inſignis ſpirituali, & corporali intus, & extrà Chriſti præſentia frueretur.* Pẽde energiam horũ verborum: vult enim Cyprianus Deum præſentia ſua, non ſolùm Mariæ ventrem, ſed etiam mentem occupaſſe: atque inde colligit quandam in mente illius integritatem fuiſſe ei adſimilem, qua corpus ipſius præditum erat: vt nimirum ſicut corpus per virginitatem ab omni libidinis corruptione alienũ erat, ita etiam mens per gratiæ plenitudinem ab omni culpa, & vitio foret immunis. De qua ſimilitudine plura dicemus infra cap. ſequenti §. 3. Quod ſi obijcias iſtam Dei præſentiam in Mariæ tàm mente, quàm ventre non vſq; adeò diuturnam fuiſſe, vt vel ad vnius inſtantis moram non potuerit ab illa abeſſe. Occurrit Bonauent. (Bonauen.) *Dominus ergo tecum, ò Maria, tecum certe, tecum fuit, tecum eſt, & tecum erit.* Itaq; putat Angeli verba ad omnia temporis diſcrimina eſſe porrigenda, ſcilicet ad præteritum, preſens, atq; futurum: nimirum ante partum, in partu, & poſt partum. Sed quia preteritum, ac futurum tempus par tibile eſt: atque adeò fieri poterat, vt eo in tẽpore partim adeſſet, partim abeſſet Deus: propterea à quibuſdã huic ſalutationis Angelicæ clauſulæ ſubijcitur aduerbium *ſemper* ad hunc modum. *Dominus tecum ſemper.* Cui accinit illud Pſal. 67. *Mater Sion dicet homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fũdauit eam altiſſimus.* (Pſal. 67.) Quæ verba de Virgine exponit Auguſt. in ſerm. 9. de Natiuit. atq; his ſignificari dicit Deum eſſe Virginis conditorem, filium, atq; incolam. (Auguſt.) His ergo verbis ſtatim ſubſcribitur *ſelà*, id eſt, *ſemper*, ne ſcilicet putaremus hoc tẽporariũ eſſe, ſed perpetuum omnes temporum differentias complectẽs.

§. IIII.

16. *Verba illa:* Benedicta tu, &c. *omnem maledictionem, quæ ab Eua in reliquos mortales manauit, per Mariam ablatam ſignificant.*

17. *Et in ipſa Virgine nullum maledictioni locum relictum notant.*

18. *Eua in reliquis puerperis pro ſuo peccato parit filios cum dolore: Maria verò pro ſua innocentia parit Chriſtum in eiſdem cum voluptate.*

19. *Aliqui Mariam propter ſingularem eius fœcunditatem* Benedictam *ab Angelo compellatam ferunt: alij propter gratiam.*

20. *Ex inſolita Deiparæ fœcunditate eius immunitas ab originali decerpitur.*

ENEDICTA *Tu in mulieribus.* Hæc eſt poſterior ſalutationis pars: ex qua etiam Conceptionis impollutæ puritatem depromere licet. Et ſanè illud valde obuiũ apud Patres, per hanc benedictionem Mariæ duas res notari, ſcilicet primæ 16

mulie-

mulieris maledictionem in ipsa Maria prorsus abstersam, & à reliquis etiam hominibus, & mulieribus repulsam: vtrumq; admodum familiare est. Quod enim hæc benedictio Mariæ omnium hominum maledictionem abstulerit, docet August. in serm. 1. de Annunc. *Maledictio Euæ in benedictionem mutatur Maria.* D. Hierony. in serm. de Assumptione. *At per hoc quidquid maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ.* Petrus Damian. in ser. de Natiuit. Virg. *Maria benedictionis noua fluentum totum detersit maledictionis antiquæ contagium.* Fulgentius: *Maledicta enim Eua fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionis gloriam remeasse.* Et D. Ildephonsus serm. 1. de Assumpt. *Hæc est illa, per quam omnis maledictio soluta est primorum parentum, & cœlestis benedictio in toto venit mundo.* Guerricus Abbas. *Quæ primæ matris maledictionem dissoluit, vt per istam benedictionem hæreditatem possideant, qui per illam sub præiudicio maledicti æterni fuerant nati.* Mitto alios.

August. Hieron. Pe. Dam. Fulgen. Ildeph. Guerric.

17 Quod autem eadem benedictio omnem Euæ maledictionem in ipsamet Virgine extinxerit, & aboleuerit, docet Ildephonsus in lib. de Parturitione, & Virginitate B. Mariæ: nam cum præmisisset hæreticorum assertionem, qui docebant Virginem Deiparam cõmuni naturæ lege filium peperisse, sic attexit: *Quod si ita est, vt adstruunt, & affirmant, ergo illa, quę benedicta ab Angelo prædicatur, in maledictione adhuc permanens sub maledicto peperit: alioquin quid est, quod legem naturæ requirunt in Maria, vbi totum, quidquid in ea fuit, possedit Spiritus Sanctus?* Et infrà. *Sicut ab æstu libidinis libera fuit, ita & ab omni pressura maledictionis non ex se sit, sed ex virtute altissimi immunis, & aliena fuit.* Adde etiam id, quod nuper §. superiori ex eodẽ Ildephõso protulimus: *In totum extranea à maledicto Euæ.* Et infrà. *Quia in nullo horum contaminata reliquarum exemplo fuit, quæ neque Adam ad se admisit, neque ex Eua colluuione filium suscepit, nec sub maledicto in doloribus, & angustijs enixa Dominum peperit.*

Ildeph.

18 His prælibatis, Conceptionis Marianæ impolluta munditiés nõ vna ratione ex præscriptis verbis deducitur. Imprimis ergo aliqui expendunt illud, *in mulieribus*: quod Virginem omnibus alijs mulieribus facile præponit: atque adeò ipsi etiam Euæ pro eo tempore, quo in gratia, & iustitia originali à Deo condita fuit, haud cedere Maria debet. Ne sit opus fateri per id tempus Mariam infœliciorem fuisse, quam Euam, & Euam beatiorem, quam Mariam. Non repudio vulgarem istam rationem: sed illud adnecto Petrum Chrysologum præpositionem illam *in* non pro *inter*, vt alij solent, accepisse, sed vt sonat hoc sensu: *Benedicta in mulieribus, quia in quibus Eua maledicta puniebat viscera tunc, in illis gaudet, honoratur, suspiciturque Maria, & facta est vere nunc mater viuentium, quæ mater extitit morientium per naturam.* Quibus verbis hũc sensum subijci puto. Cogitabat apud se Chrysologus Euam in omnibus puerperis naturales filios edere, quia cum sit Eua prima omnium parens, in omnibus fœminis parere non immerito dicitur, sicut aui, & proaui in suis filijs nepotes, & abnepotes generare censentur. Rursus etiam considerabat Mariam in eisdem fœminis Christum parere, nõ quidem corporeo, sed spirituali quodam partu: quia cum sit prima omnium Christi parens, in omnibus etiam, qui eum quasi parturiunt, illum parere dicenda est. Hoc igitur nomine Mariam in mulieribus benedictam esse asserit Chrysologus, in quibus Eua fuerat maledicta. Quia Eua in illis corporaliter filios parturiens pro veteri peccato suo ipsarum puniit viscera: Maria verò in eisdem spiritualiter Christum pariens, quia nullum habebat peccatum, earundem oblectat, reficitque animos. Quasi dicat, Eua in puerperis dolentibus pro peccato dolet: Maria verò in fœminis cunctis pro innocentia lætabunda gestit, dum illis Christum spiritualiter pariendi exemplum, & causa est. Peccatum Euæ mœrorem, & dolorem mulieribus attulit: innocentia Mariæ gaudium, & lætitiam eisdem inuexit.

Chrysol.

Aliquid tamen dignius vestigare oportet. 19
Imprimis autem constituere opus est, quid sibi velit hæc tanta benedictio, quam Virgo nacta est, & ob quam ab Angelo benedicta prædicatur. D. Bernar. in serm. 3. de Annunciatione. Chrysolog. sermone 23. Hesychius serm. 2. de Sancta Deipara, & alij plures videntur hæc verba iuxta modum loquendi Sacræ Scripturæ familiarem ad fœcunditatem retulisse. Non quidem eo sensu, quo antiqui illi Patriarchæ benedictionem Dei adepti dicuntur, quia plures filios genuerunt: sed ob peculiarem generandi rationem, quæ omnẽ naturæ fœcunditatem exsuperat. Ait ergo Bernardus. *Benedicta es in mulieribus, quæ illam generalem maledictionem euasisti, qua dictum est: In tristitia paries filios tuos. Et nihilo minus illam: Maledicta sterilis in Israel: ac singularem consequuta es benedictionem, vt nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias.* Et plura subdit in hanc sententiam. Sed quibus in rebus hæc Mariæ fœcunditas aliarum mulierum fœcunditatem superet, docent præscripti Patres. Chrysologus victoriam hanc in eo ponit, quod Deum simul, atque hominem genuit, & quod incolumi Virginitate parturijt. Hesichius vtrumq; etiam attigit, sed de posteriori huius victoriæ parte fœcunditatem eiusmodi admirans sic ait. *Quis vidit, quis audiuit fertilium agrorum naturæ peritus agrum ante incultum produxisse spicam: aut terram non plantatam germinasse vuam? Vinum sine vite, aut fluuium absque fonte prodeuntem?* Hæc sanè fœcunditas omnẽ naturæ vbertatẽ ex-

Chrysol. Bernar. Hesych.

cellit,

ceditur. Cæterum plures alij Mariam non propter fœcunditatem, sed propter sanctitatem, & iustitiam inter mulieres benedictam ab Angelo salutatam affirmant, ita vt eandem gratiam, quam prius significauerat illis verbis *Gratia plena*, iterum benedictionis nomine expresserit. Vtramque expositionem probo.

20 Iuxta priorem verò immunitas Virginis ab originali sic conficitur: *Benedicta tu in mulieribus*, id est, reliquas mulieres viscerũ fœcunditate facile vincis, quippè quæ supra omnem naturæ facultatem Deum ipsum incolumi virginitate paries: quia nimirũ, vt mater eius digna fias, omnes naturæ leges filius ipse tuus violauit. *Ildephon.* Hoc sibi voluit Sanctus Ildephonsus, cum dixit: *Quid est, quod legem naturæ requirunt in Maria, vbi totum, quidquid in ea fuit, possedit Spiritus Sanctus?* Non solùm autem loquitur Ildephonsus de lege naturæ inuitiatæ, sed etiam de legibus, quę ex vitio, & culpa naturam corruperũt. Nihil ergo harum legum in Maria requirendum esse dicit: non leges naturæ incorruptæ, quia Virgo genuit: non leges naturæ vitiatæ, quia sine dolore, ac sordibus gestauit, ac peperit. Sed quid causæ, quod Deus ex fœmina nasci volens iura naturæ transgressus est? Rationem *Chrysol.* offert Chrysolog. in ser. 2. de Annunciatione, *Vt nimirum naturæ ipsius conditorem, & authorem se esse monstraret.* Sic enim Angelum ad Mariam dicentem inducit. *Prætermitte naturæ ordinem, recognosce ordinem creatoris.* Si ergo Deus, vt naturæ authorem, & conditorem se se manifestaret, in matre sua omnes naturæ leges meritò sibi violandas duxit: an non etiam, vt authorem gratiæ se se proderet, omnes peccati leges in eadem sibi effringendas putaret? Ita planè. Quandoquidem hoc, & ipsimet Deo gloriosum magis, & Virgini longè decentius erat. Hæc pro Ildephonso. Sed si in ipso nomine *benedictionis*, pro *fœcunditate* sistamus, succedat memoriæ id, quod alias sæpè diximus, sed tum maximè cap. 27. & sequenti etiam capite latius dicemus, Virginem Deiparam non tantum corpore, sed etiã mente Deum concepisse. Sic enim magnus *Leo.* Leo in sermone de Natiuitate. *Diuinam, humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore, &c.* Inde enim sic argumentari licet. Si Deus corpore virgineo contra omnes naturæ leges eam fœcunditatem indidit, vt incolumi virginitate absq; vlla corruptione, ac sordibus Deum conciperet, ac pareret: an non etiam menti, atque cordi eiusdem Virginis contra peccati leges, ac iura similem aliam fœcunditatem contulisse dicemus cũ integritate coniunctam, vt eundem Deum absque vllis peccati sordibus, & corruptelis animo parturiret? Nemo certè sanus id negabit. Quod si id, quod hactenus dixi, boni consulis, dicemus quidem Virginem *benedictam inter mulieres* ab Angelo prædicatam accepta benedictione pro fœcunditate: ita tamen vt vtramque tum corporis, tum animi fœcunditatem, qua Deum mente simul, ac ventre concepit, complexum fuisse affirmemus.

21 Cæterum illud solidius, & cum his, quæ supra ex Patribus præfati sumus, cohærẽtius est, benedictionem hanc, quam Angelus salutatione sua in Virgine agnouit, eandem gratiam nouo schemate significare, quam prius denotauerat illis verbis *Gratia plena*. Sed cur inquies, eandem illam gratiam quasi è vestigio nomine benedictionis expressit? Id mihi sumo ex Patribus, quorum testimonia initio præmisi: nimirum propterea eo benedictionis nomine gratiam istam significatam, vt ex hoc constaret eam benedictionem contra maledictionem inductam fuisse: nimirũ vt inde innotesceret per illam gratiam eam maledictionem, quæ ab Eua in alias fœminas effunditur, ab ipsamet Maria primum reiectã, seu abolitam fuisse: deinde per eandem Mariam sic benedictam omnem aliam à nobis maledictionem propulsatã: id enim sibi volunt Patrum testimonia supra adscripta. Cum ergo ex dictis supra §. 2. satis cõstet, nullam esse gratiam, quæ primę mulieris maledictionem per insitam sibi oppositionem soluere, & pœnas ex illa deriuatas relaxare, & remittere per se possit, nisi gratia originalis, seu præseruans: deinde etiam cum ex eodem §. liquidum sit, Virginem Deiparam, vt ad generis humani reparationem causandã, & communẽ peccati originalis maledictionem à nobis pellendam conducere, & conferre posset, opus fuisse, vt ab omni peccato originali ipsa vacaret: profectò inde fit, vtrũque benedictionis nomine ab Angelo significatum fuisse: scilicet Virginem gratia originali insignitam, & ab omni originali delicto expertem fuisse. Hæc sanè ratio omnino conferenda est cum illa, quam de plenitudine gratiæ nuper conformaui §. 2. Ad Patres autem, quos supra adscripsi, annumerandus etiam est Diuus Ambrosius apud Diuũ Thomam in Catena aurea. *Ambros.* *Benedicta tu in mulieribus. Vna scilicet præ cunctis mulieribus, vel etiam inter mulieres benedicatur, sicut mares in filio, sed magis vterq; in vtrisque: velut enim per vnam fœminam, & vnum marem peccatum simul, ac tristitia intrauit: sic & nunc per vnam, & vnum benedictio reuocata est, & lætitia.*

§. V.

21. *Ex illis verbis*: Inuenisti gratiam, &c. *Virginis immunitas ab originali probatur.*

22. *Maria inuenit gratiam nouam, & gratiã, quam Eua perdidit.*

23. Qua

23. Quæ sit gratia ista noua, & quæ illa deperdita, quam Maria inuenit.

21 POST Hęc verba perbreui interstitio Angelus alia intulit, ex quibus aliquid etiam pro Inmaculata Conceptione excipere licet. *Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Dominum.* Quæ hunc ad modum expendit Idiota: *Inuenisti* (inquit) *Maria gratiam cælestem: quia fuerunt in te ab originali labe præseruatio, Angelica salutatio, Spiritus Sancti superuentio, & filij Dei Conceptio. Sed qualiter, ò fœlicissima Virgo, has gratias inuenisti? Certè ò superbenedicta Virgo, sicut Eua gratiam amisit per superbiam, & inobedientiam, & curiositatem vanam: sic tu è diuerso gratiam inuenisti, quam nunquam amisisti, quæ futura eras omniū humillima, obedientissima, & in Dei scientia solidissima.* Idiotam loqui de gratia originali nemini ambiguum esse potest: non solùm, quia hanc initio inter alias gratias, tāquam omnium radicem, & fontem præmisit sub illis verbis, *ab originali labe præseruatio*: sed etiam quia ad extremum subiunxit gratiam istam non ideò inuentam à Maria, quia erat iam humilis, & obediens: sed quia talis deinde futura erat (quamuis melius dixeris, vt Massiliensium errorem caueas) vt talis deinde foret.

Idiota.

22 Ergo priora illa verba, *Ne timeas*, ad gratiæ ipsius, quam sortita fuerat, inamissibilem cōditionem refert primum Chrysol. serm. 2. de Annunciat. *Quid timet* (inquit) *quæ securitatem concepit?* Sed tamen hoc non valde curo. Illud imprimis ponendum, hîc nomine gratiæ ipsissimam sanctitatem intelligi. Ita sentit idem Chrysol. ser. 2. vbi docet, hanc gratiam, quam modo à Virgine inuentam Angelus dicit, eandem esse, quam prius significauerat illis verbis *Gratia plena.* Accipe ipsius Chrysologi dignissima verba. *Beata, quæ inter homines audire sola meruit: Præ omnibus inuenisti gratiam. Quantam? Quantam prius dixerat plenam, & verè plenam, quæ largo imbre totam funderet, ac infunderet creaturam. Inuenisti gratiam apud Dominum. Hæc cum dicit ipse Angelus, miratur aut fœminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per fœminam.* Chrysolog. ergo sensit hanc gratiam, quam Virgo inuenisse dicitur, singularem esse, & illi propriam, neq; cum alijs communē. At inquies, vnde hoc sibi assumit Chrysologus, scilicet significari gratiam aliquam Virgini propriā, & non communem? Non aliunde certè, nisi ex verbo *inuenisti*: nimirum quia inuentrix eius gratiæ dicitur: id autem, quod iam alias repertum est, non rectè dicitur inueniri. Rursus Andræas Episcop. Hirosolymit. hæc habet verba: *Ne timeas Maria: nacta es enim gratiam apud Deum, quam Eua perdiderat.* Et infra postquam aliqua inseruit, ad eandem sententiam rediens. *Quapropter* (inquit) *ne metuas, inuenisti enim gratiam apud Deum, gratiā qualem non nactus est quisquam ab æterno, sicut tu. Quæ enim talis sit gratia Dei, quæ summum fauorem mereatur?* Ergo sapientissimus Andræas nomine *gratiæ* sanctitatem intelligit, per quam matris Dei dignitatem Virgo promeruit: hanc enim summum fauorem appellat. Et quidem vim omnem exhausit verbi illius, *inuenisti*: nam duo sunt, quæ inueniri propriè dicuntur, noua scilicet, & iam deperdita: vtrumque autem complexus est Andræas. De inuentione rei iam deperditæ est illud. *Nacta es gratiam, quam Eua perdiderat*: ad inuentionem verò rei nouæ spectant illa verba: *Inuenisti gratiam apud Deum, qualem non est quisquam nactus ab æterno.* Accinit etiam Bernardus in serm. 2. de Annunciatione: sed de nouitate gratiæ aliter sentit. Nam per nouam gratiam, cuius Virgo inuentrix ab Angelo asseritur, reparationem mundi intelligit: sic enim habet. *Vt quid enim indebitam tibi putes gratiam Angelorum, quæ inuenisti gratiam apud Deum, inuenisti, quod quærebas, inuenisti quod nemo ante potuit inuenire, inuenisti gratiam apud Deum. Quam gratiam? Dei, & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem: hæc est ergo gratia, quam inuenisti apud Deum.* Quod verò dixit Guerric. hîc per gratiam, quam Virgo inuenit, significari beneuolētiam, aut familiaritatem, qua Virgo ad Dei commercium, & ad Angelica colloquia excipiebatur, prorsus alienum est. Displicent etiam quotquot dicunt gratiam, cuius inuentionem Angelus Virgini gratulatur, esse dignitatem matris: de qua subiungit: *Ecce concipies, & paries, &c.* Nam si intra pauca verba duas gratiæ acceptiones inducamus, haud facilè erit Mariæ sanctitatem cōtra hæreticos tueri.

Chrysol.

Andræas Episc. Hierosolym.

Bernar.

Guerric.

His positis, iam intelligis, quo tendam: *Inuenisti gratiam apud Dominum.* Inuentio propriè est rei deperditę, vel rei nouæ: quænam igitur erit hæc gratia perdita, quam Virgo reperit? Occurrit Andræas Hierosolymitanus: *Nacta es gratiam, quam Eua perdidit*: nimirum gratiam illam, & iustitiam originalem, quam Eua ex tam longo tempore perdiderat, hanc sibi inuenit, hanc recepit, ac recuperauit Maria. Rursus quænam erit gratia noua, cuius inuentrix Virgo asseritur, qualem non est quisquam nactus ab æterno, & per quam summum fauorem, idest, matris Dei dignitatem promeruit? Gratia etiam originalis: non quidem illa vulgaris, qua Deus Angelos, & primos homines in conditione sua insigniuit, quę, vt ex Ildephōso alias diximus: *Ante firmitatem nutauit, ante soliditatem impulsa est*: sed illa, quæ ab initio cōstans, solida, & incōcussa fuit, quam nulla alia creatura ante Mariam repererat. Vide quæ scripsimus de nouitate huius gratiæ supra cap. 32. §. 2. Quod si cum Bernardo affirmamus gratiam istam nouam, cuius inuentio- 23

Ildeph.

Bernar.

uentio-

uentionem Angelus Virgini dedit, esse amicitiam inter Deum, & homines, & totius mundi reparationem: licebit tunc ex hac gratia, quam nobis adinuenit, alteram aucupari, quam in se habuit: quia vt sæpè alias diximus, non posset vtique instaurationis gratiam nobis adinuenire, & promereri, nisi ipsa gratiam originalem in se haberet.

DVO ALIA NOVI TESTAmenti loca pro Immaculata Deiparæ Conceptione expenduntur.

 CAP. XXXX. 

1. *Premuntur illa verba*: Beatus venter, qui te portauit.
2. *Vterum Virginis terra, cœloque latiorem effecit absentia peccati originalis.*
3. *Et plenitudo gratiæ, qua donata est.*
4. *Vteri Mariani puritas cum puritate animi collata.*
5. *Venter Mariæ fuit centrum Christi, in quo tria illa beneficia inuenit, vnionem, conseruationem, & quietem.*
6. *Ex illis verbis*: Beatus venter, *Virginis innocentia originalis efficaciter comprobatur.*



I VPPETVNT Etiam duo alia testimonia ex nouo testamento Luc. 11. & Apocalyp. 12. ex quibus immunitatē Virginis à peccato originali depromere possumus. Apud Lucam est illa mulieris de turba succlamantis vox. *Beatus venter qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Cui occurrit Christus: *Quinimo beati, qui audiūt verbum Dei, & custodiunt illud.* Et quidem huius testimonij ad Immaculatā Virginis Cōceptionem comprobandam authoritatem, & fidem adstruit Ecclesia, quæ tempore Sixti 4. illud Euangelij loco in die Conceptionis cunctis legendum dedit. Qui mos in quibusdam priuatis Ecclesijs vsque hodie viget. Cui accedit etiam Sanctorum Patrum calculus, qui Virginis quoque immunitatem ab omni peccato ex hoc loco non obscure deprehendunt. Ergo aliqui ad impollutam Virginis innocentiam comprobandam assumunt illum mulieris clamorem: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti*: non alio argumēto, nisi quia his verbis dignitas matris Dei Virgini tribuitur, cui ex decentia gratia originalis debetur. Sed quamuis, vt infrà dicā, Conceptionis mūdities nō tam ex his, quam ex sequentibus verbis Christi Domini efficaciter petenda sit: tamen vt aliorum opinioni aliquid indulgeam, conabor etiam ex istis vberibus aliquid pro Conceptione pura exprimere.

Luca. 11. & Apocalyp. 12.

Luca.

Sixt. 4.

Beatus venter, qui te portauit, &c. Duas res mulier illa complexa est, quæ Virginem cum primis beant, & fœlicitatem eius extollunt: 2
hæc sunt, gestatio, & partus Christi Domini, atq; eiusdem lactatio, & educatio. Ad gestationem, & partum pertinet illud: *Beatus venter, qui te portauit.* Quantis posteà Doctores sacri, ab hac fœmina edocti, Mariæ vterum laudibus prosequuti fuerint, assequi non est facile: sed tamen ad duo capita illas cogere licet. Aut enim capacitatē, & amplitudinem illius commendant, aut eiusdem puritatem extollunt. De amplitudine Mariani vteri sic Epiphanius in serm. de Laudibus Deiparæ. *Epiphan.*
O vterum impollutum habentem circulum cœlorum, qui Deum incomprehensum in te vero comprehensum portasti! O vterum cœlo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti! O vterum, qui cœlum est septem circulis constans, & capacior illis existi! O vterum septem cœlis sublimiorem, atque latiorem! O vterum, qui es octauum cœlum, septem firmamentis celsiorem! Chrysippus Hierosolymitan. in sermone de Sancta Deipara. *Chrysipp.*
Aue igitur semper Aue gratia plena. Aue quæ vuluam adepta es præter naturam, vel ipsis cœlis latiorem: quandoquidem per hanc comprehendisti eum, quem ne cœli quidem capiunt. Andræas Hierosolymitan. in ser. de Annunciat. *Salue Dei ager amplissime, quem nullus alius locus, nisi tu sola comprehendere potest.* Sed cōtra est, quia Ecclesia de hoc Mariæ vētre sic occinit: *Andræas Hierosol.*
Ventris sub arca clausus est. Quibus verbis significat Christum Dominum in Mariæ vētre, ceu in arca arctissime reclusum fuisse. Et iterum: *Trinam regentem machinam claustrū Maria baiulat.* Augustinus etiam: *Ventris angu-*

stias appellat. Quomodo ergo in tantis angustijs tanta reperiri potuit amplitudo, vt Deus ipse, quem cœlum complexu suo non capit, intra Virginis vterum non coarctaretur? An quia Maria peccato caruit? An quia gratia plena erat, tanta in ipsa capacitas inuenta est? Ita prorsus. Ideò de industria Epiphanius supra sic præscripsit: *O vterum impollutum habentem circulum cœlorum, &c.* Quasi diceret propterea in tantā amplitudinē dilatatū fuisse, quia impollutus, quia nulla peccati macula infectus. Nonne peccatum originale mulierum visceribus angustias attulit? Ita quidem Genes. 3. sic Deus ad mulierem. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios tuos.* Pro ærumnis autem, & dolore subest vox עצב *Gbaseb*, quā alij angustiam restituunt. LXX. verò habent λύπας, quam vocem Chrysostomus *angustias* reddendam esse dixit. Ergo vt Mariæ viscera sublatis angustijs in eam amplitudinem se se extenderent, quæ Deum capere posset, prima angustiarum radix, scilicet peccatum originale, ab ipsa arceri debuit. [Epiphan.] [Genes. 3.]

3 Non solū n autem vterus Mariæ, propter peccati absentiam, angustias ignorauit, sed etiam per gratiæ plenitudinem mirifice dilatatus fuit. Propterea etiam Chrisyppus data opera dixit illud. *Aue gratia plena, aue quæ vuluam adepta es præter naturam vel ipsis cœlis latiorem*: nimirum quæ vteri latitudinem ex gratiæ plenitudine indepta es. Sed luculentius id præstitum à D. Bonauen. in specul. lect. 5. vbi sic scribit. *Consideremus charissimi gratiæ Mariæ immensitatem, propterquam dicta est gratia plena. Immensa certè fuit gratia, qua ipsa fuit plena: immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit istud, quo est plenum: Mariæ autem vas immensissimum fuit, ex quo illū, qui cœlo maior est, continere potuit.* Itaq; ex vasis immensitate gratiæ immensitatē dephrēdit. Infrà verò ostēdere volens, vnde vasi huic secundū naturalē capacitatē adeo angusto tanta immensitas euenire potuerit, hanc certè ex gratiæ immensitate depromit. *Quis* (inquit) *Mariæ immensitatem dimensus est, nisi is, qui illam non solùm in gratia, sed etiā in misericordia, tam altissimā, tam latissimā, tàm profundissimā operatus est.* Itaq; immensam illā Mariæ latitudinē gratiæ tribuit, quā apud Deū nacta est, & misericordię, seu charitati, quam habet erga nos: nam per vtramq; nos simul, ac Deū suorum viscerum cōplexu cohibuit. Sed clarissime, ac luculentissime Damasc. in 1. orat. de Virg. Dormit. vbi ita quærit: *O quonam pacto, quæ cœlos amplitudine superauit, cœlū suscepit? Quonam rursus tumulus eam, qua Dei conceptaculū fuit, cepit?* Occurrit autē ad hunc modum. *Certè ita est, & cepit, & tenuit: non enim corporea molis ratione cœli amplitudine superauit. Quonā enim modo corpus, quod tribus cubitis constat, subtiliusq; in dies fit, cœli longitudini, ac latitudini cōparari queat? Verum per gratiā potius magnitudinis omnis, ac latitudinis modum superauit.* Quid illustrius? Et quidem apte admodū contemplati sunt Bonauentur. & Damasc. Quia amor, & gratia summas angustias in summā latitudinem vertit, atq; adeò, qui ibi est, vbi amat, arctari minimè potest: quemadmodū ex aduerso odium, & ingratia (liceat sic dicere cum Tertul.) summam latitudinē ad summas angustias trāsfert, & qui ibi est, vbi odit, nullis spatijs ad amplitudinē adduci potest. Benè ergo Epiphan. *O vterum cœlo ampliorē, qui Deum in te non coarctasti.* Quia cum Deus in Maria omnia grata, & amabilia nactus fuisset, amoris, & gratiæ magnitudo in quandam latitudinem immensam vteri angustias permutauit. Absit ergo, vt dicamus aliquid peccati in Maria vnquam fuisse, quod Dei odiū ad se conuerteret, vnde & Marianæ gratiæ immēsitas, & vteri amplitudo coarctari, aut constringi debuerit. Quomodo enim immensa Mariæ gratia dici poterit, si illi hos fines, & limites præfigere necesse est, vt à peccato inceperit, &c. [Chrisypp.] [Bonauen.] [Damasc.] [Tertull.] [Epiphan.]

4 Altera vteri virginei laus est eximia puritas: de hac idem Epiphan. *Ego* (inquit) *Virgo incorrupta, quę in vtero gestaui, effecta sum tēplū impollutū habitantis in me Verbi Dei, Emanuel eum gestaui in vtero incorrupto, in ventre impolluto similis effecta throno Cherubico.* Mitto similes alias Mariani vteri laudes: sunt enim apud Patres valde obuiæ. Accipe vnius Nissení verba in orat. de Natali Domini. *Quem thalamū statuit Gabriel puro, impollutoq; connubio?* Adiecit vterum Virginis thalamū esse, in quo diuinitatis, & humanitatis nuptiæ peractæ, & consummatæ sunt: deinde sic infert. *O beatū vterum illū, qui bonitatis suæ præstātia ad se traxit animi bona: in reliquis omnibus vix animus purus Spiritus Sācti præsentiā capit: hic autē caro fit Spiritus Sācti receptaculū.* Miratur Nissen. vteri Virginei sanctitatē, & puritatē, quæ tanta fuit, vt Spiritū Sanctū, cuius proprium est in animis degere, ac manere, ad se attraxerit, & conuerterit, vt in ipsum superueniens Diuini Verbi Incarnationē peragerer. Idq; mirabile in hac re esse dicit, quod cum in reliquis hominibus vix animus eā puritatē attingat, quæ necessaria est, vt in illis Spiritus Sāctus maneat, Mariæ corpus aliorū animos puritate vincēs dignū receptaculū Spiritui Sancto exhibuit. Si igitur Niss. de corpore Virg. cū nostris animis cōparato, tā sublime sentit, quid nos de animo ipsius Virginis cū eiusdē corpore cōposito sētire licet? Si corporis tāta puritas fuit, quāta animi mūdities? Si in corpore virgineo nulla vel leuis corruptionis labes vnquā locū habuit, quis animū aliqua peccati labe aliquādo pollutū dicere non vereatur? Præsertim, quia cū illa corporea mundities ex animo in corpus redundaret, animū magę purū, & impollutū esse oportebat. Lapropter D. Greg. [Epiphan.] [Nissenus.]

Thaumat. Thaumaturgus vtramque munditiem coniunxit serm. 2. de Annunciatione. *Quoniam tu sancta omni humana natura gloriosior,ac purior,sanctiorque effecta est, ac niue candidiorem habes mentem,quouis autē auro,quantumuis probato purificatum magis corpus, ventrēque, &c.*

5 Bernar. Sed audiendus est etiam Bernar. de vteri sanctissimi gloria disceptans in serm. 2. de Pentecost. *Operatus est*(inquit) *Christus salutem nostram in medio terræ,in vtero scilicet Virginis Mariæ , qui mirabili proprietate terræ medium appellatur: ad illam enim ,sicut ad mediū,sicut ad arcā Dei,sicut ad rerū causam,sicut ad negotiū seculorū respiciunt,& qui in cœlo habitāt,& qui in inferno,& qui nos præcesserunt: & nos qui sumus,& qui sequētur,& nati natorū,& qui nascentur ab eis. Illi qui sunt in cœlo, vt resarciātur:qui in inferno, id est,in purgatorio,vt eripiantur: qui præcesserunt,vt Prophetæ fideles inueniantur: qui sequentur, vt glorificētur.* Itaque Virginis Mariæ vterum cum terræ centro comparat Bernardus:quia sicut ad centrum omnia corpora grauitate sua adspirant,& conituntur: ita etiam cūctum genus humanum ad Mariam quasi ad centrum votis omnibus contendit, vti in ipsa conquiescat. Quomodo autem in Virgine reperiantur omnes centri conditiones, diximus in cap.8.Prouerbiorum. vers. 29. ad illa verba. *Quando appendebat fundamenta terræ*. Nunc autem aliquid vlterius addendum puto , scilicet Mariæ vterum, non solùm totius generis humani , & creaturarum omnium centrum esse, vt inibi diximus : sed etiam ipsius Verbi diuini , imò & gratiæ ipsius. Audiendus ipse Dei filius Psalm.138. *Non est occul-* Psa. 138. *tatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ* : quem locum alij paraphrastice sic extulerunt. *Et substantia mea in visceribus matris meæ.* Quod in terra infimum est, id certè ipsius centrum dicitur: Christum ergo ad matris suæ viscera, tanquam ad terræ inferiora, id est, tanquam ad centrum venisse dicit Propheta , vt ea similitudine significaret summam ipsius Verbi propensionem in Mariam, necnon assumpti corporis naturam,quod grauitate sua ad ima descenderet. Sed vnde tantus diuini Verbi nixus in prædictum centrum ? Sanè corpora grauia ideò in centrum tanta nituntur vi , vt docet Philosophus , quia in illo propter absentiam contrariorum vnionem , conseruationē,& quietē nancisci ipsis licet. Ob similem igitur rationem Dei filius in Mariæ vterum , tanquam in centrum eximia quadam propensione se se demisit: quia nimirum peccata,quibus nihil ipsi magis contrarium , & inimicum est,ab illo prorsus aberant : atque adeò in ipsa, sine iniuria aliqua sui contrarij, diuinitas humanitati vniri, manere , & conquiescere poterat. Diuus Augustinus ex- August. pendens illa verba Psalmi : *Non est occultatum à te os meum , quod fecisti in occulto, & substantia mea,&c.* per os, atque substantiam gratiæ diuinæ infractum robur intelligit, quod Deus ipse in inferioribus terræ partibus,id est,in naturæ humanæ fragilitate mirabiliter inseruit. Si ergo ex Augustino id sumamus,per os , atque substantiam , *Diuina gratia infractum robur* notari : & rursus per terræ inferiora , matris viscera cum alijs accipiamus , euadet sententia non inelegans , scilicet Dei gratiam ad Mariam tanquam in inferiora terræ , id est , tanquam in centrum se se incitasse (gratiam inquam illam ab initio robustam,& constantem,quam Virginis propriam esse alias diximus.) Si ergo ista gratia ad Mariæ viscera velut in centrum descendit,fateri opus est in illis tria illa beneficia inuenisse, quæ centrum corporibus impendit à Philosopho enumerata, vnionem, conseruationem , & quietem : ad conseruationem autem pertinet contrariorum absentia : gratiæ verò nihil est inimicum,nisi peccatum , & culpa : atque adeò hanc à Virgine quamlongissime abfuisse,dicendum est.

Denique vt hæc omittam, quæ speciosa magis,quam solida sunt,aliter ex illo clamore mulieris immunitatē Virginis à culpa originali aucupari contendam:*Beatus venter, qui te portauit.* Imprimis autem id pono , fœminam illam Spiritu diuino afflatam , & perculsam hæc pronunciasse:atque adeò nihil in ipsius verbis non germanum , & proprium. Ideò ergo beatum esse dicit Mariæ ventrem, quia Christum gestauit:cum ex aduerso aliarum matrum viscera ideò maledicta,& infœlicia , quia communi lege naturæ vitiatæ filios cum labore,ac dolore portant. Hinc ergo deducere licet inter Mariæ , & aliarū matrum gestationem plurimum interesse:quandoquidem Mariæ venter ob id ipsum benedictus , & beatus dicitur , ob quod aliarum matrum viscera maledicta merito nuncupantur : ex discrimine autem hoc sic arguere licet,vt sæpè alias fecimus. Si Virgo aliarum fœminarum ritu filium nec portauit,nec peperit cum labore,ac dolore: inde igitur fit, illam ab omnibus peccati legibus , & iuribus, ex quibus illæ iniuriæ reliquis mulieribus eueniunt,prorsus immunem fuisse. 6

§. II.

7. *Per lactationem Christi plus meriti Virgo obtinuit , quam martyres per sanguinis effusionem.*
8. *Lactans Christum facta est passionum , ac meritorum Christi socia.*
9. *Lactatio numeratur inter eximia merita, quibus Virgo humani generis salutem impetrauit.*

Ex

10. *Ex illis verbis*: Beata vbera, quæ suxisti, *Virginis originalis innocētia qui probetur.*



7 T *Vbera, quæ suxisti.* Etiam vbera, quibus Christus lactatus fuit, beata prædicat mulier illa. Et merito quidem: nam vt ait Clemens Alexandrinus in Pedagog. lib. 1. cap. 3. *Aluisse, & lactasse amoris incitamenta plura habet.* Non solùm ergo Deum ad Virginem impensius adamandam generatio incitauit, sed etiam lactatio. Quanti verò meriti, & valoris hæc fuerit, elegāter expressit Hailgrinus in cap. 7. Cant. ad illa verba: *Et vbera tua botris. Vbera* (inquit) *botris assimilata sunt, in quo mirabilis prærogatiua merendi monstratur in Virgine, quæ non minus meruit fundendo lac de vberibus suis ad filij nutrimētum, quàm martyres, qui per botros figurantur, meruerunt fundendo sanguinem suum in martyrio: Omnium enim operum merces secundum radicem charitatis pensatur.* Hinc est, vt inter alia, quibus Virgo humani generis salutem, & reparationem à Deo impetrauit, non infimum locum obtinuerit filij lactatio, ad quam Diuus Ildephonsus in serm. de Natiuitate Beatæ Mariæ pulchrè admodū Virginē inuitat. *Quanta fuit hæc dignatio, vt crearetur ex te, quam creauit: portaretur manibus, quas formauit: sugeret tua vbera, quæ ipse impleuit.* Deinde subijcit verba ex Augustino petita 2. serm. de Assumption. *Lacta ergo mater cibum nostrum: lacta panem cœlestem; lacta cibum Angelorum: lacta eum, qui talem fecit te, vt ipse fieret ex te.* Sed non minus eleganter in serm. 1. ipse D. Ildephonsus aliqua marte proprio immiscēs. *Lacta Maria creatorem tuum: lacta panem cœli: lacta pretium mundi, præbe lambenti mamillā, vt ipse pro te præbeat percutienti maxillam. Tu illi vt mater temporalem ministra substantiam: lacta eum, qui fecit te, qui talem fecit te, vt ipse fieret ex te.*

Cl. Alex. *Hailgr.* *Ildeph.*

8 In his ergo fundatur eximium huius lactationis meritum, & pretium, quod multis nominibus magnum erat: tum quia Mariæ ignita charitas illud augebat, vt ait Hailgrinus: tum quia creatori ipsi impendebatur: tum vel maximè, quia cum Virgo eo animi consilio filium lactaret, atque aleret, vt ipse pro nobis redemptionis condignum pretium Patri offerret: in societatem, & communionem meritorum Christi quodammodo vocabatur. Quemadmodum Paulus fideles, qui suarum eleemosynarum subsidijs Apostolos ad prædicationem alebant, meritis etiam Apostolicis communicare dixit. Id enim sibi voluit ad Hebræos 13. *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.* Id est, liberali, & effusa beneficentia substantias vestras donate Apostolis, & Sanctis, vt meritorum socij, & passionum, quibus illi tanquam hostiæ Deo gratissimæ mactantur, communionem habentes multum promereamini. Hic enim est sensus illorum verborum: *Talibus enim hostijs promeretur Deus.* Ideò enim eleemosynas *hostias* appellauit, quia per has fideles Martyrum, quos alebant, passiones, & earum merita sibi ipsis quodammodo acquirebant. Non aliud, imò longè illustrius Virginis promeritum similis omnino societas, & communio passionum Christi. Propterea consulto dixit Diuus Ildephonsus. *Lacta pretium mundi, præbe lambenti mamillam, vt pro te præbeat percutienti maxillam.*

Ad Hebr. 13. *Ildeph.*

9 Cum igitur hæc Virginis lactatio tanti valoris, ac meriti fuisse constet, ideò nuper dixi inter alia promerita, quibus eadem Virgo totius mundi salutem, & reparationem à Deo impetrauit, nobilem locum habere. Huc spectauit Arnoldus Carnotensis in tractatu de Laudibus Virginis Mariæ, vbi modum describens, quo Christus, & Maria tanquam duo salutis nostræ mediatores reconciliationis humanæ opus peragunt apud Patrem, sic ait. *Securum accessum iam habet homo ad Deum, vbi mediatorem causæ suæ filium habet ante Patrem, & ante filium matrem: Christus nudato latere Patri ostendit latus, & vulnera, Maria Christo pectus, & vbera: nec potest vllo modo esse repulsa, vbi concurrunt, & orant, omni lingua disertius hæc clementiæ monimenta, & pietatis insignia.* Dum igitur Arnoldus ait Deiparam Virginem ad exorandam communem salutem filio suo vbera aperire, ac detegere, dilucide innuit hanc salutem signare, & specialiter suorum vberum lactatione ab eadem prometitam, & obtentam fuisse eo modo, quo sæpè alias exposuimus. Hinc ergo ad immunitatem Virginis à culpa originali comprobandam petitur illa ratio sæpissime inculcata ab officio Mediatricis: quia nimirum ea, quæ ad delenda omnium hominum peccata Christi cooperatrix, & adiutrix fuit, ab omni culpa vacare debuit. Itane putandum illam, quæ ad lactandum mundi pretium: atque adeò in communionem, & societatem redemptionis Christi admissa est, cum reliquis delicti societatem, & communionem habuisse, & reparationis comitem euersionis quoque sociam fuisse? Absit.

Arnold. Carnot.

Rursus etiam similis quædam ratio de vberibus conformari potest ei, quæ nuper de ventre confecta est. Quia inter alias grauiores pœnas, quas Dei maledictio mulieri ab initio imposuit: altera quidem fuit lactationis, atque nutritionis molestia. Ita exponunt plærique illa verba. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos*, id est, hoc faciam, vt filios tuos non semel tantum parias, sed sæpè, ac sæpius reparturias per longum nutritionis tempus: nam cum in nutritione grauia magis, & mo- 10

lesta esse soleant matrum tædia, mœrores, & labores, ambigendum non est, quin has molestias lata in mulierem Dei sententia etiam incluserit. Ait ergo mulier illa. *Beata vbera, quæ suxisti.* Id ergo beatum esse dicit in Maria, scilicet lactare, ac nutrire filium, quod in alijs matribus post naturæ vitium non paruam maledictionis partem cōtinet. Ergo non idem modus lactandi, & alendi in Maria, & in alijs matribus: ita plane. Caruit enim omni tædio, labore, & angore, quibus Dei maledictio reliquas nutrices subiecit. Igitur pari ratione ex hoc discrimine argumentari licet. Quia si Maria aliarum fœminarum ritu filium suum nec cum tædio lactauit, nec cum molestia aluit: ergo vitiatæ naturæ leges non sustinuit: atque adeò peccatum illud ignorauit, quod seueras illas leges reliquis mulieribus imposuit. Ad alia.

§. III.

11. *Christus Dominus per illa verba:* Quinimò beati, qui audiunt, &c. *non extenuauit, sed auxit dignitatem matris suæ.*

12. *Spiritualis Mariæ maternitas erga Christum prior, ac potior fuit, quã corporalis, & aliorum iustorum etiam spirituali maternitati duplici nomine præfertur.*

13. *Spiritualis maternitas magis animi integritatem, quam corporalem incorruptionem postulauit.*

11 VINIMO *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Hæc verba, de quibus aliquid supra præmisimus cap. 27. ad comprobandã Virginis innocentiam idonea magis, & opportuna sunt, & (ni fallor) in his potissimum innixa est huius Euangelij ad puram Conceptionem accommodatio in Ecclesia olim solennis. Imprimis autem id constituendum ex communi Patrum, & interpretum omnium consensu, illud: *Quinimò*, non esse aduersatiuum: ita vt Christus Dominus matris suæ elogium, & laudẽ à muliere vsurpatam repudiare, aut refellere voluerit: sed esse comparationis notam hoc sensu. *Quinimò beati, &c.* Quasi dicat: fœlicissimum quidem est, Deum parere, & lactare, sed illud fœlicius, Dei monitis, ac præceptis acquiescere, ac propterea illi placere. Nec dissimile est illud, quod paulò post idem Christus adiecit: nam cũ alius quispiam iterum ingeminaret illud: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.* Subiecit saluator: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Quod sic etiam accipi debet, non quasi matrem repulerit, aut Discipulos quos hæc dicens, manu, aut digito indicauit, matri suæ præferendos duxerit: sed ipsam potius colens, & honore afficiens, quid in illa maximum, & dignissimum esset, aperuerit: sic Guerricus Abbas in hunc locum. *Mariam, quæ secundum carnem mater erat, alia quoque ratione matrem sibi IESVS probat: quandoquidem & ipsa voluntatem Patris in tantum faciebat, vt de ipsa prædiceret Pater. Vocaberis voluntas mea. Igitur vbi eam filius negligere vid.tur, ibi amplius honorasse inuenitur, dum ei scilicet materni nominis honor duplicatur: pro eo quod eundem filium, quem in aluo gestauerat incarnatum, etiam animo gestabat inspiratum.* Guerric. Abbas.

Paria sensit, ac scripsit Iustinus Martyr, quæstione 136. *Non* (inquit) *matrem debito honore fraudat Dominus, sed docet qua, vt ita dicam, maternitate Virgo sit beatissima. Si enim is, qui verbum Dei audit, & seruat, Dei est & frater, & soror, & mater: quorum vtrumque in eius matre inerat, perspicuum est matrem ipsius ex hac maternitatis ratione beatam dici oportuisse. Nam Dei sermonem audire, & exequi virtutis est, animaque puræ, quæ tota ad Deum spectet. Et quia non quamlibet fœminam elegit Deus, quæ Christi mater fieret, sed omnium fœminarum virtutibus excellentissimam: propterea Christus volebat, ob hanc virtutem prædicari matrem suam, per quam virtutem illa id assequuta fuisset, vt virgo mater fieret.* Hæc Iustinus, qui duas illas maternitates adstruit in Virgine, scilicet carnalem, & spiritualem: & ita inter se confert, vt dicat Virgini carnalem maternitatem concessam fuisse propter spiritualem: hæc enim ipsi dignitatem attulit ad illam, atque adeò spiritualem maternitatem, qua Christum animo concepit, ac gestauit, antiquiorem esse, ac potiorem. Quod Leo Magnus in sermone illo de Natiuitate conceptis verbis dixit: *Diuinam, humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore.* Accinit Diuus Ildephonsus in sermone 1. de Natiuitate: *Maria* (inquit) *fidei femine grauida prius & Christum mente, quam ventre concipiens.* Sed cur mente prius, & ventre posterius? Rationem offert Iustinus Martyr: quia nimirum hanc propter illam obtinnit: propterea enim Mariam electam esse dicit, vt Christum vtero suo virgo gestaret, quia illum per animi puritatem mente, & corde prius portauerat: atque adeò hoc anterius fuit, & illud posterius. Et sanè spiritualem hanc maternitatem eo vsque anteriorem fuisse, vt à Conceptione ipsa auspicari debeat, supra diximus cap. 27. ex Beda, cuius verba, & sententiam hunc ad locum asciscere licet.

Iustinus Martyr. Leo PP. Ildeph.

Non

12 *August.* Non solùm autem hæc spiritualis maternitas anterior fuit, ac prior, sed etiam potior, ac dignior. Diuus Augustinus in libro de Sancta Virginit. c.3. *Beatior Maria fuit percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi.* Per fidem autem gratiam intelligit. Et infrà c.5. *Hinc & Maria, & laudabilius, atq; beatius mater est Christi, quia fecit voluntatem Patris eius, qui in cœlis est.* Deinde verò idem Augustinus, postquam hoc maternitatis spiritualis genus alijs etiam conueniře dixit: *Commune* (inquit) *ac naturale est omnibus electis in cordibus illum deuotione gestare*: continuo adiecit hanc iustorum dignitatem infra corporalis maternitatis gloriam, qua Virgo resplenduit, non esse ponendam. *Mirabilius, si deferatur in ergastulo pectoris. Hinc considerandum est, quanta sit dignitas nostra, & quanta nobis proportio cũ Maria: concepit Maria Christum in vulua carnis, deferimus eum etiam & nos in visceribus mentis.* Hæc Augustinus. Iam ergo illud inquirendum videtur, an ita Virgini cum iustis, & electis commune sit Christum corde, & mente concipere, & eniti, vt in ea dignitate æquales sint, & compares? Cæcus hoc viderit, Mariam in hoc, spiritualis maternitatis genere reliquis iustis esse præferendam: nam cum in altero vincatur, nisi in hoc vinceret, vix esset vnde illius præstantiam colligeremus. Quomodo igitur, & quibus in rebus spiritualis maternitas, qua Virgo Christum mente concepit, ac peperit, reliquorum iustorum etiam spiritualem maternitatem superauit? Alteram victoriam agnouit Augustinus: illam verò in eo posuit, quod Virgo non vno tantum modo Christum mente, & spiritu concepit: sed vltra generalem illam rationem, quæ illi cum alijs electis communis est, hoc ipsi peculiare, ac proprium fuit, quod Christum etiam secundum corpus suum mysticum, cuius corporis membra sunt fideles omnes, ac iusti, spiritu suo parturijt. Ita enim idem Augustinus in cap. illo 5. cuius verba alibi dedimus, sed in hoc loco peculiarem energiam habent. *Et mater* (inquit) *spiritu nõ capitis nostri, quod est ipse saluator, à quo magis ipsa spiritualiter nata est.* (Neque verò negat hîc Augustinus, quod prius concesserat, sed alium modũ spiritualis maternitatis, quẽ Virgini erga mẽbra mystica tribuit, in Christum ipsum quadrare non posse dicit) Subdit ergo: *Sed planè mater spiritu membrorum eius, quod nos sumus, quia cooperata est charitate sua, vt fideles in Ecclesia nascerẽtur, qui illius capitis membra sunt.* Deinde etiam considerata maternitate illa spirituali præcisè, vt ad Christum per gratiã mente, spirituq; pariendum spectabat, Virgini præstantiam inter reliquos iustos, & electos tribuere necessum est, propter rationem illam Iustini Martyris: *Quia nõ quamlibet fœminam elegit Deus, quæ mater Christi fieret, sed omniũ fœminarum excellentissimam.* Loquitur *Iustinus Marty.* autẽ de excellentia, quã Virgo in eo maternitatis spiritualis genere præstare debuit.

Adeste igitur animis, & rẽ mecũ expendite. Profectò siue hoc, siue illo modo hęc spiritualis Deiparæ maternitas consideretur: siue illam cũ Christo pręcisè cõparemus, quatenus illũ per fidem, & gratiã in se ipsa concepit: siue eandẽ cũ corpore Christi mystico conferamus, quatenus illud spiritualiter etiã regenerauit: illud dico, quandã in eius animo integritatẽ, ac puritatẽ fateri necessũ esse ei adsimilẽ, qua corpus ad eundẽ Christũ corporaliter edendũ insignitum fuit. Ita visum grauissimis Patribus Augustino, & Cypriano: hic enim in ser. de Natiui. verba illa adiecit, quę superiori capite delibaui: *Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundãtior gloria, quæ carnis, & mentis integritate insignis spirituali, & corporali intus, & extrà, Christi præsentia fruebatur.* Vtramq; maternitatem cõplexus est Cyprian. qua Virgo Christũ mẽte, ac ventre cõcepit: & ad alteram quidẽ, quę ventris erat, Mariæ corpus virginitate insignitũ: ad alterã verò, quæ ad mentẽ spectabat, eiusdẽ Mariæ animũ gratiæ plenitudine donatũ asserit. Quorsum hæc? Certè vt pari corporis, & animi integritate prædita, vtrũq; spirituale, & corporeum partũ pari quoq; decẽtia perficeret. Atq; ita factũ, vt nõ minus integer esset animus sanctitate, & iustitia, quã corpus virginitate, & pudore: vt scilicet virgo esset animus, & virgo corpus: ille quidẽ sine corruptela culpæ: hoc verò sine libidinis corruptione. Accinit Damasc. in orat. 1. de Dormit. Deip. *Inuenisti* (inquit) *gratiam apud Dominũ. Inuenit Maria gratiæ abyssum, quæ duplicis Virginitatis nauem incolumẽ seruauerat, animãq; nõ minus, quã corpus incolumẽ custodierat.* Idem etiã in lib. 4. de Fid. orthod. c. 15. sic habet: *Cum Virginẽ vna cũ corpore animum cõseruasset, vt eam decebat, quæ Deũ in sinu suo exceptura erat: sanctus enim ipse cum sit, in sanctis requiescit.* Quibus locis perspicue admodũ sanctitatẽ perpetuã, & ab omni culpa liberam animi virginitatem appellauit. Eodem modo censuit Augustinus de altero maternitatis spiritualis genere, quo Virgo omnes Ecclesiæ fideles tanquam corporis Christi membra regenerauit: nam in eo cap. 5. sic habet: *Maria faciens voluntatem Dei corporaliter Christi tantũmodo mater est: spiritualiter autem, & soror, & mater: ac per hoc vna illa fœmina, non solũ corpore, verũ etiã spiritu, & mater, & virgo.* Et deinde subijcit illa verba præmissa. *Sed planè mater spiritu membrorum eius, &c.* Et infrà id ipsum ingeminat. *Sola ergo Maria, & spiritu, & corpore, & mater, & virgo.* Quid illustrius, aut dici, aut excogitari potuit? Expende verba: nam in vtroq; scilicet in corpore, & in spiritu matrem, & virginem esse dicit August. & in vtroq; etiã solã. Quia quemadmodum sola integro corpore, ita etiam sola integra mente Christũ conce-

Marginalia: 13; *August.* *Cyprian.*; *Damasc.*; *August.*

pit. Hinc verò constat per integritatem, seu virginitatem mentis omnimodam innocentiam intellexisse Augustinum, cuius illibatum florem cum virginitatis flore componit Sanctus Thomas, de quo supra. Nam si per hanc virginitatem mentis acciperemus eam, quæ à sola libidine mentem sequestrat, non esset Maria in ea virtute solitaria, cùm plures alios haberet socios. Obseruandum etiam est, hanc Augustini assertionem totam niti in ratione illa, quæ sumitur ab officio Mediatricis. Quia nimirum si Maria omnes alios spiritu suo regenerauit, ipsi certè regeneratione opus non fuit: cuius rationis vim habes suprà cap.21.

§. IIII.

14. *Maria propter gratiam originalem miraculum fuit, tàm Angelis, quàm hominibus.*

15. *Originalis firmitas, qua Virgo ab initio donata fuit, Angelis pro miraculo fuit.*

14 Apoc. 12. LTER Locus habetur Apocalyp.12. *Signum magnum apparuit in cœlo mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Ideò verò locus iste ad comprobandam Immaculatam Virginis Conceptionem merito assumi solet, quia solennis totius Ecclesiæ mos fert, vt Virgo in sua Cõceptione hoc simulachro expingatur Lunam pedibus premens, Sole vestita, & stellis coronata. Accedit etiam suffragium Diui Bernardi, qui in sermone super hæc verba plura immiscuit de Virginis immunitate ab omni culpa, quæ in decursu adnotauimus. Quapropter licet hæc mulier in sensu literali Ecclesiam adsignificet: tamen familiare admodum est Patribus integram illius descriptionem Virgini accommodare. Sed quamuis sensus accõmodatitius sit: quia tamen illum Ecclesiæ, ac Patrum authoritas commendat, plurimi haberi debet. Ait ergo Ioannes.

D.Epiph. *Signum magnum apparuit in cœlo.* D. Epiph. ad hæc verba in serm. de Laudibus Deiparæ. *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti: stupendum enim est miraculum in cœlis mulier gestans lucem in vlnis: stupendũ miraculum in cœlis alter thronus Cherubicus: stupendum miraculum in cælis mulieris filius, qui & ipsius, & sæculorum est pater: stupendum miraculum in cœlis thalamus Virginis habens filium Dei, Deum sponsum Christum: stupendum miraculum in cœlis Dominus Angelorum infans Virginis effectus.* Itaque Epiphanius nomine *signi* in hoc loco miraculum, seu prodigium accipiendum putat. Frustrà verò hic Patres enumerem, qui Mariam prodigium, miraculum, aut miraculorum officinam appellant. Illud subijcio, miraculum, vt docet Diuus Thomas 1.par.quęstion.110.art.4. id esse, *Quod sit præter ordinem, ac legem totius naturæ creatæ.* Additque Angelicus Doctor aliud esse miraculum simpliciter, aliud esse miraculum relate ad personas: nam plura (inquit) apud homines pro miraculis habentur, quæ Angelorum æstimatione non sunt miracula: quia cum homines consuetas, & naturales causas rerum satis compertas non habeant, sæpius censent, aliqua naturæ vim excedere, quæ quia Angeli naturalium causarum vi perfecta fuisse vident, mirari desinunt. Vt ergo constet reuera, & non tantum hominum opinione Virginem miraculum esse, ac prodigium, id signi in cœlo apparuisse dicitur. Vnde Epiphan. *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem adduxisti.* Sed cur Angelos in stuporem rapuit? Quia Maria præter ordinem, legemque naturæ facta, & procreata est: nam cum naturæ ipsius ordo, & lex esset, vt quicumque ab hominibus suam originem recenserent, naturæ ipsius vitium traherent: hanc legem in vna Virgine violatam videntes in stuporem acti sunt. Et quidem ego ita reor præcipuam rationem, propter quam Deipara miraculi nomen merito fert, esse Conceptionem ipsius supra omnes naturæ leges, & iura immaculatam, & puram. Huc spectasse videtur D. Ignatius in epistola illa ad Ioannem Euangelistã. *Sicut nobis à fide dignis narratur, humana natura naturę sanctitatis Angelica copulatur, & hęc talia excitauerunt viscera nostra, & cogunt desiderare aspectum huius, si fas est fari, cœlestis prodigij, & sacratissimi spectaculi.* Itaque Ignatius rationem prodigij, & miraculi in eo ponit, quod supra humanæ naturæ legem, & ordinem sanctitas Angelica, scilicet originalis, & ab omni peccati labe pura in fœmina spectabatur, quæ ab Adamo, atque Eua genus, & originem trahebat: sed de huius loci energia supra diximus c.3. Item Damascenus oratione 1. de Natiuitate Mariæ, postquam sic præmiserat. *Tota Spiritus Sancti thalamus, & gratiarum pelagus, tota pulchra, tota Deo propinqua.* Subdit. *O miraculum miraculorum omnium maximè nouũ.* Nimirum miraculi huius naturam in eo cõstituens, quod ita facta, vt nulla illi delicti labes adhæserit; atque adeò tota pulchra, & tota Deo propinqua fuerit.

S. Tho. / Epiphan. / Ignat. / Damasc.

15 Cæterum cum signum hoc, seu miraculum in cœlo apparuisse, atq; adeo Angelos ipsos rei nouitate obstupefecisse dicatur, vestigare oportet, quænã fuerit ista insolens nouitas, qua perculsi admirationem illam conceperunt. An noua ipsis erat originalis gratia?

Minimè

Minimè verò, quia illam in se ipsis agnoscebant, & primos etiam homines in gratia olim conditos non modo nouerant sed etiam videbant. Succedat igitur memoriæ id, quod supra diximus cap. 34. de Natura gratiæ, qua Virgo ab initio insignita fuit, quæ primam Angelorum, atque hominum originalem iustitiā in eo vicit (vt inibi diximus) quod ab initio constans, stabilis, & inconcussa fuerit: cum tamen prima illa Angelorum, & hominum iustitia aliquando vacillauerit, & in ruinæ discrimine posita prius nutauerit, quàm soliditatem obtinuerit. Illa igitur tam noua, & insolens Mariæ prima gratia ab initio solida, & confirmata in admirationem Angelos rapuit: ideòque illis Maria pro miraculo fuit, non solùm, quia in illa naturæ vitiatæ leges, & ordinem violatum videbant: sed etiam, quia supra omnia integræ naturæ humanæ, imò etiam Angelicæ iura in gratia omnimodā firmitatem, ac stabilitatem ab initio suæ conditionis acceperat. Huc mihi spectasse videtur Pseudo Augustinus in sermone. 5. de Assumptione. *Pseudo August.* *Circumda* (inquit) *omnem creaturam in cogitatione, & vide si est similis Dei genitrici Mariæ: circumi terram, aspice mare, sciscitare aerem, cœlum mente scrutare, inuisibiles virtutes cogita, & vide si est tale miraculum in omni creatura.* Prosequitur deinde Augustinus latissimam dissimilitudinem inter Mariam, & omnem creaturam, & illam in eo potissime statuit, quod Angeli, & omnis alia creatura coram Deo tremebunda concidit: Virgo autem omni tremore caret. Sic enim denique absoluit: *Et tamen inter innumerabilia magis, magisque mira Virginis victoria attollenda est: quoniam quem tota creatura timore, ac tremore laudauit, ista sola ineffabiliter thalamizauit.* Itaque Maria sola coram Deo impauida: quia Angeli habuerunt aliquando, vnde pauerent, quia eorum salus aliquando in discrimine fuit: Mariæ verò salus nunquam in discrimen vocata: ideòque ab Angelo illud accepit: *Ne timeas Maria*, vt supra habes.

§. V.

16. *Dictam gratiæ constantiam significat Luna sub pedibus Mariæ.*
17. *Item Luna sub pedibus symbolum est diaboli pedibus illius calcati.*
18. *Vbi ecclipsim passa est Eua Luna, ibi per originalem iustitiam plenitudinem habuit Luna Maria.*
19. *Mulier inter Solem, & Lunam significat Mariam inter Christum, & Ecclesiam, propter originalem gratiam mediatricis munere fungentem.*



ET *Luna sub pedibus eius.* Hæc verba alijs propterea præfero, quia primus illorum sensus ad superiorem sententiam reuocari debet: Luna enim inconstantiæ, & mutationis symbolum est. Gregorius lib. 34. Moral. cap. 7. *In Luna autem, quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur.* Virgo igitur Deipara Lunam pedibus conculcat, id est, omnem mutabilitatem, & inconstantiam sibi substernit, quia gratiam habuit ab initio constantem, confirmatam, & immutabilem. 16 *Gregor.*

Aliter Diuus Bernardus in sermone super hæc verba: nam primo cum per Lunam diabolum ipsum accepisset, sic statim adiungit. *Imò verò, & vnicus ille stultus, & totius stultitiæ princeps, qui vere mutatus, vt Luna sapientiam perdidit, in decore suo sub Mariæ pedibus conculcatus, & contritus miseram patitur seruitutem. Nimirum ipsa est, quondam à Deo promissa mulier serpentis antiquæ caput pede virtutis contritura, cuius plane calcaneo multis versutijs insidiatus est, sed sine causa.* Et quidem per diaboli, vel serpētis caput originale peccatū accipi debere sup. c. 19. ex Augustino, & alijs docuimus. Hoc igitur caput Virgo nō quidē supra se habuit, ita vt illi obnoxia, & subiecta, eiusq; incurrendi debitrix aliquando extiterit: sed ceu Lunam inconstantem, & variam infrà se positam calcat, & pedibus illi insistit: atque adeò non modo peccatum ipsum, sed omnes illius influxus, id est omnes eius reliquias, & effectus declinauit. 17 *Bernar.*

Sed vt constet quam apte Bernard. in Luna draconis caput cōtempletur, recolēda est vulgaris Astronomorū doctrina, qui docent primā sphæram, in qua est Luna, duobus circulis constare, quorū alter est cōcentricus, & *æquans* appellatur: alter est eccentricus, & *deferens* dicitur: figura verò intersectionis, quæ duos istos circulos quasi discludit, appellatur *Draco magnus* ob similitudinem: imitatur enim draconem in orbem ductū, quia lata est in medio, & angustior versus finē. Quid plura? Illud etiam apud ipsos ratū, ac certum Lunæ, tàm plenitudinē, quàm ecclipsim in capite, vel in cauda draconis, aut valde proximè semper euenire: & crebrius quidē in capite. Aduocādus ergo huc Anasthas. Synaita Anagog. contemp. in Hexameron lib. 4. non longè à medio: vbi Euam cū Luna contulit. *Luna* (inquit) *est Eua ænigma.* Et infrà sic habet. *Ecclipsis certè, seu defectus Lunæ est, quando Luna est plena.* Quod perinde est, ac si dicat hanc defectionem in capite draconis contingere: ibi enim eueniunt plenilunia. Deinde verò, qua ratione ecclipsis in Eua acciderit, describit his verbis. *Quod si ecclipsim, lucis defectum, & imminutionem, & rursus renouationem, sicut in Luna vis etiam videre in Eua, cogita Prophetam, qui dicit Deo: Lumen sunt præcepta tua super terram: quorum etiam defectum sustinuit* 18 *Anasthasius Syna.*

Eua propter inobedientiam: Adam enim non fuit deceptus, sicut dicit Apostolus: Eua autem decepta, cum à tenebrosi, & obscuri serpentis dominatu oppressum esset, ac defecisset eius lumen. Ecce inobediētis Euę ecclipsim in capite draconis, aut serpentis. Quæ verò statim subdit ad Virginis laudē, pulchra sunt: ideò subtexēda mihi putaui. *Eius tamen luminis defectū restituit lux vera, quæ ex ipsa processit: ex secūda, inquam, Eua Christus tanquā ex quapiam plena Luna Maria, quæ nunquā minuta fuit, aut defecit, aut priuata fuit essentiali lumine, nēpe sua virginitate, quando ei acclamauit Angelus: Gratia plena, propter Euam, quæ est luna, propter Euam, quæ fuit male habita, & vexata, & quæ ex suo defectu per inobedientiam fugerat, & se absconderat, & timuerat à ligno inobedientiæ, & transgressionis: gratia, inquam, repleta à Sole Iustitiæ nēpe à Deo.* Nihil illustrius pro innocentia, & pro pura Conceptione Virginis dici posset: quæ verba non parum confirmant ea, quæ diximus in superiori cap. §.2. ad illa verba *Gratia plena*, atq; adeò cum illis conferenda sunt. Nunc illud accipe ex Anasthasio: Eua luna fuit plena quidem in sua creatione per illam gratiæ plenitudinē, qua primū à Deo illustrata est: sed ocyùs ab ea plenitudine excidit cū per inobedientię tenebras in capite draconis, hoc est, à serpēte persuasa ecclipsim sustinuit: & exinde facta est hęc luna noxiū valde, ac pestiferū sydus mortem, & corruptelam in filios suos deriuans, & effundens. Ait ergo Ioan. *Et Luna sub pedibus eius*, id est, Eua ceu luna quędā deficiens ad pedes Mariæ demissa iacet, illā calcat, ac proterit: atq; adeò omnibus illius prauis, ac perniciosis influxibus altior est: dumq; huic lunæ pedibus suis insistit, serpētis etiā caput pessundat, ac conterit, in quo, ac per quod Euæ luna ad miseram illā defectionē adducta est. Ita enim ex Dei prouidentia contigit, vt in eodē capite draconis, vbi Eua ecclipsim, & defectionem passa est, inibi Maria fieret plena luna: plena inquā gratia, ad ipsum draconis caput opprimendum, & calcandum, &c.

19 *Bernar.* Aliter etiam D. Bernard. per lunam ipsam Ecclesiam accipi posse dicit: iuxta quam acceptionē ad hunc modū scribit. *Iam si Ecclesia lunę magis intelligenda videtur vocabulo, quod videlicet non ex se splendeat, sed ab eo, qui dicit: Sine me nihil potestis facere: habes mediatricem, quam tibi paulo ante commendauimus. Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius. Amplectamur Mariæ vestigia fratres mei, & deuotissima supplicatione beatis illius pedibus prouoluamur. Nempe mulier est inter Solem, & Lunā, Maria inter Christum, & Ecclesiam.* Et quidē Bernard. mulierem hanc mediam inter Solem, atq; Lunam ita sibi finxisse videtur, vt Sol radijs suis mulierem primùm cōuestiat: deinde verò quasi ex repercussione in Lunā resiliant, vt ita per hoc symbolum, aut simulachrū Officium Mediatricis apprimè significetur, quo Virgo fungitur inter Christum, & Ecclesiam: ex quo officio, quam valde eiusdem Virginis immunitas ab omni culpa comprobetur, sępe, ac sępius diximus. Sed hæc similitudo vim rationis non parum declarat. Quia Virgo inter Solem, & Lunam media ad illuminationem ita ponitur, vt supra Lunam euecta constituatur. Quid inde? Sanè vmbra, quæ ex interpositione terræ inter Solem, & Lunam efficitur, ipsam Lunam attingit, atque illam inficit, & obscurat: vlterius verò ad ea sydera, quæ supra Lunam sunt, nequaquam peruenit: propterea quod Soli semper patent, & eius luce assiduo collustrantur. Haud aliter in nostra thesi dicendum, vmbram illam, quæ ex interpositione primi illius peccati inter Deum, & homines effecta est, ad Lunam vtique, id est, ad vniuersam naturam humanam pertingere, & ab illa fuscari, & offundi: ad Mariam verò, quæ supra Lunam sublata est, minimè peruenire: atque adeò Mariam Soli nunquam non patuisse, atque eius lucem, & radios, id est, gratiam semper hausisse. Id sibi voluit idem Bernardus in eodem sermone, cum paulo ante de eadem Virgine sic scripsit. *Bernar.* *Nam & defectus omnis sub ea, & quidquid fragilitatis, & corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate præ cæteris omnibus excellit, vt merito sub illius pedibus Luna esse dicatur* (nomine autem *defectus* ecclipsim intelligit.) Et quidem ita decebat, vt illa, quæ illustrationis nostræ medium futura erat, nunquam defectioni, ecclipsi, ac tenebris locum faceret, sed perenni potius luce gauderet.

---

§. VI.

20. *Ex illis verbis* Amicta Sole *Maria originalis gratia comprobatur.*

21. *Duodecim stellæ caput illius circundantes eandem gratiam adumbrant.*



MICTA SOLE. De hac veste perelleganter Bernardus. 20 *Bernar.* *Quàm familiaris ei facta es Domina, quàm proxima, imò & quam intima fieri meruisti: quantam inuenisti gratiam apud Deum, in te manet, & tu in eo, & vestis eum, & vestiris ab eo.* Et paulò ante sic præmiserat. *Candidissimus sanè, seu calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tā excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea, non dico tenebrosum, sed ne obscurum saltem, vel minus lucidum: sed ne tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimum liceat suspicari.* Quid illustrius pro Virginis innocentia, aut di-

ci, aut

ci, aut excogitari posset? Et quidem nulla Virgini candidior, ac purior vestis accommodari poterat, cui nihil vnquam sordis adhæresceret. Nota est enim solis natura, quam luculenter descripsit Ruffinus in exposition. symboli. *Intuere* (inquit) *radios solis, si in cœni alicuius voraginem demergantur, nunquid inde aliquid pollutionis acquirunt? Aut ex obscœnorum illustratione quid soli cõuertitur in iniuriam?* Eadem habet Augustinus in tractatu illo de quinque hæresibus cap. 5. Vbi similem ad modum contendit solis radios nullis sordibus, aut fecibus contaminari posse. Ideo ergo Maria solis splendore vestita, & amicta dicitur, nequid labis, aut maculæ in ipsa suspicari liceat. *Ruffinus.*

22 *Et in capite eius corona duodecim stellarum.* Bernardus in stellis duodecim totidẽ Virginis Deiparæ priuilegia, & gratias contemplatur. Inter alia vero sic præfatur. *Dignum planè stellis coronari caput, quod & ipsis clarius micans, ornet eas potius, quam ornetur ab eis. Quid ni coronent sydera, quam sol vestit?* Sed aliquid ad rem nostram faciens subijcere est opus. Illud ergo merito inquirit Primasius, cur non potius ex stellis septem mulieris corona compacta sit, vt & in his septem planetarum simulachrũ agnoscere liceret, & per easdem septem illos Angelos capere possemus, de quibus in ipsius Apocalypsis fronte sic Christus ipse ad Ioannem. *Septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum.* Huic quæsito aliter satisfacit Primasius, vt sententiam verborum Ecclesiæ adaptet. Nos vero, vt eandẽ Virgini Deiparæ accommodemus, sic occurrimus. Propterea certe ex stellis septem diadema Virginis conformatum non est: ne si septẽ tantum recenseret eius gratias, & prærogatiuas, has quidem ad planetas septem referre, aut cum illis conferre liceret. Ideoq; duodecim numerantur, vt numerus ipse ad ipsas firmamenti stellas nos traduceret, quandoquidem duodenarius stellarum numerus non alibi nisi in firmamento reperiri potest. Et quidem primæ magnitudinis stellas, etsi plures quindecim, alij tamẽ duodecim enumerãt: vt propterea liceat has Virginis prærogatiuas, & gratias, quas duodecim illæ stellæ adumbrant, ad illas duodecim primæ magnitudinis stellas, quæ in firmamento visuntur, referre, & cum eisdem componere. Propterea vero Virginis præmissas gratias cũ stellis firmamenti, non autẽ cum planetis collatas fuisse dicemus: quia planetæ, vt ex ipso nomine proditur, erratici sunt varij, & mutabiles: at vero, quæ in firmamento promicãt stellæ, fixæ sunt, cõstantes, & immobiles. Iam intelligis quo tendam. Angeli certe merito ad planetas referuntur, & cum his cõponuntur: habuerunt enim gratiam ab initio quidem inconstantem, & mobilem, etiamsi postea per beatitudinem constantiam, & firmitatem adepti sunt. Tamen Dei genitrix Maria gratias obtinuit à suæ conditionis exordio velut stellas firmamenti aplanes, refixas & immobiles. Vnde Bernardus in Salue ad illa verba. *Et opera manuum tuarũ annunciat firmamentum. Fiat* (inquit) *firmamentum & diuidat aquas ab aquis. Omnibus firmamentis firmius tu Domina, quæ eum, quem cœli cœlorum capere non poterant, cepisti, & concepisti, portasti, & non defecisti.* Et in sermone de Beata Maria. *Hinc & in eius mente tanquam in quodam firmamento virtutes posuit tanquã stellas speciei omnimodæ.* Et Diuus Bonauentura sermone 1. de Beata semper Virgine Maria. *Domina* (inquit) *fuit firmamentum vniformiter semper motum, & cœlum stelliferum per omniũ donorũ, & gratiarum Dei copiositatem.* Et infra. *Sed nota, quod hoc cœlum, quod dicitur firmamẽtum, stellis est innumeris adornatũ, quia Domina nostra omnibus diuinis gratijs fuit plena, in nullo dono alicui sancto concesso penitus diminuta: vnde bene dictum in themate: Numera stellas, si potes: quasi dicat, Domina nostræ gratiæ sunt innumeræ, & soli Deo cognitæ.* Quod si roges vnde hæc virtutum, gratiarum, & donorum omnium soliditas, & firmitas in Maria? Sane id non aliunde accidit, nisi ex gratia, & iustitia originali, quæ illi soli, vt nuper dicebamus, ab initio constans, & immobilis donata est: in quo vincit omnes Angelos, & homines, & ideo illud diadema, quod ipsius regnũ, & imperium in vtranq; creaturã adsignificat, ex stellis firmamenti fixis, & immobilibus compactum dicitur. Vide quæ supra scripsimus cap. 32. vbi plura de hoc Regno Virginis, & gratiæ illius firmitate.

Bernard. *Primas.* *Apoca. 1.* *Bernard.* *Bonauen.*

AD TESTIMONIA SANctorum Patrum intelligenda Canones septem præmittuntur.

 CAP. XXXXI. 


NTEQVAM Patrũ testimonia, quibus puram Virginis Conceptionem videntur asserere, per sua sæcula disponam, & digerã: operæ pretium duxi aliqua prælibare, quæ ad illorum pleniorem intelligentiã facere possunt. Atq; adeò placet septem Canones præscribere, ex quibus de his omnibus, quæ postea subscribam, facile admodum sit decernere, ac statuere.

CAN. I.

1. *Patres generales propositiones sine exceptione aliqua protulerunt, quibus omnes homines originale peccatum incurrere affirmant.*
2. *Has propositiones nec de peccato filiorum in Adamo, nec de debito peccandi in ipsis recepto interpretari licet.*
3. *Per Concilium Tridentinum non à peccato solum, sed etiam à debito illius Virginem liberare licet.*
4. *Confirmatur amplius hoc assertum.*
5. *Illustriores Theologi ex his, qui interfuerũt Tridentino, Virginem à lege transfusionis liberam, & à debito peccati immunem senserunt.*
6. *Eandem sententiam tradiderunt alij Theologi non pauci.*
7. *Antiqui etiam Patres illam non leuiter insinuant.*
8. *Virginis mors non probat illam vniuersali transfusionis lege comprehensam.*
9. *Quomodo Virgo ab vniuersalibus propositionibus excipi debeat, docuit nos Concilium Tridentinum.*

1 
VNT Profectò apud Patres, quemadmodum in sacra pagina, positiones plures vniuersales, quibus absolute, & sine aliqua exceptione omnes in peccato concepti, satique dicuntur: quibus non aliter occurrendum est, quã ipsismet scripturæ testimonijs, quæ continent etiam vniuersales enuntiationes, vt supra c. 1. occurrendum esse diximus. Sed aliquid vlterius hic addere perplacet.

Ergo Patrum testimonia nequidquam hic adscribam, cum sint valde obuia, vnum tantum, aut alterũ ex robustioribus appingam, ex his enim reliqua statuere inaegrum est. Augustinus lib. 1. contra Iulianum, postquam aliquorum Patrum testimonia contulerat, quibus probauerat omnes homines peccatores esse, sic denique concludit. *Vna est omniũ Catholicorum firma fides, qui per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, in quo omnes peccauerunt, vno corde credunt, vno ore fatentur: & vestras nouitias præsumptiones catholica antiquitate subuertunt. Propter quam catholicam veritatem sancti, & beatissimi, & diuinorũ eloquiorum pertractatione clarissimi Sacerdotes Ireneus, Cyprianus, Rhetitius, Olympius, Hilarius, quibus velis nolis addo Hieronymum Presbiterum, vt eos omittam, qui nondum dormierunt, aduersus vos proferunt de omniũ hominum peccato originali obnoxia successione sententiam.* Diuus Ambrosius in Isaiam. *Seruatum est igitur, vt ex viro, & muliere per illam corporũ mixtionem nemo conceptus expers sit delicti: qui autẽ expers est delicti, expers est & eiusmodi conceptionis.* Mitto alia similia, quorũ vim magnam compilauit Bandelus pro contraria sententia. August. Ireneus. Cyprian. Rheticius Olympius Hilarius Ambros. Bandel.

His ergo, atque alijs testimonijs vt occurrat doctissimus Ægidius de Præsentatione, affirmat non de peccato originali in singulis Adę filijs contracto esse intelligenda, sed de peccato illo actuali eorundẽ in ipsomet Adamo, quod ipse comminiscitur: contra quem pugnauimus supra cap. 1. à §. 3. & deinceps Rursus alij graues, ac locupletes Doctores affirmant hæc Patrum testimonia, quemadmodum ea, quæ ex sacra pagina recitantur, non quidem significare actualẽ peccati transfusionem in posteros Adami: sed debitum, & obligationem illius incurrendi, non in Adamo, sed in ipsis posteris, ac minoribus eius receptum: quod ex præscriptis Augustini verbis nuper citatis colligi posse affirmant. *De omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam.* Quibus innuit veteres illos Patres, quorum sententias collegerat, nõ tam sensisse peccatum iuxta pactum cũ Adamo initum, & legẽ à Deo latã in omnes eius minores re ipsa deriuatum, quam eos huic transfusioni obnoxios mansisse. Itaque volunt isti Doctores tam Scripturæ, quam Patrum testimonijs non quidem actualem peccati effusionem in Adami prolem, sed eiusdẽ prolis obnoxiam conditionem comprobari. Absit vero, vt ego illis acquiescam. Contra hos authores, tum ratione, tum etiã authoritate Concilij Tridentini pugnaui etiam sup. c. 1. & 8. Nunc vero pugnã instaurare necesse est: eorum ergo interpretationem vnica ratione efficaciter elidam. Quia si verum esset præfatis scripturæ, & Patrum testimonijs non actualem peccati effusionẽ, sed tantum modo eiusdem impendentiam, & postero- Ægid. August.

tum

rum Adami conditionem illi obnoxiam significari: nihil esset, vel in Scriptura, vel in Patribus, ex quo reliquos homines præter Mariam peccatum originale re ipsa contraxisse, cōprobare liceret. Atque adeò qui libere, & audacter diceret plures alios à peccato originis præseruatos, neque contra Patres, neq; contra scripturam aliquid proferret: dummodo eos illius peccati contrahendi debito teneri nequaquam abnegaret. Namsi omnes propositiones vniuersales scripturæ, & Patrũ nō de actuali reatu, sed de debito accipiendæ sunt: qui debitũ agnouerit, etiamsi actualem reatum deneget, nec scripturæ, nec Patribus aduersarius erit. Quapropter inter alias rationes, quæ Virginem à communi pacto, & lege excipiendam esse suadent, hæc, me iudice, præstantissima est. Quia vt eos, qui dicerent præter vnam Mariam alios aliquos, vel etiam plures originale peccatum non contraxisse, aut hæresis, aut temeritatis insimulare possimus: asserere oportet tam Patrũ, quam scripturæ testimonia, & vniuersales propositiones, quibus transfusionis lex exprimitur, de actuali transfusione captari debere: ita vt significent peccatum reipsa, & non tantum aptitudine, in omnes Adæ posteros deriuari ob rationem dictam. Quia nullus temerarius, aut Hæreticus est, nisi is, qui contra apertam definitionem Ecclesiæ, aut contra scripturam, aut contra communem Patrum sententiam aliquid pronuntiat. Ergo vt assertores illi temeritatis, aut hæresis redargui possint, ad aliquam contradictionem ex præmissis compelli, adigique debent. Si igitur Patres cum dicunt omnes in Adam peccasse, significant legem transfusionis actualis: ergo vt Virginis immunitas à peccato originali defendi queat, illam ab ea lege prorsus excipere necessum est.

3 Sed vt rem melius teneamus, libet hic rursus ad trutinã vocare decretũ Concilij Tridentini de peccato originali: ex illo enim, me iudice, efficacissime colligitur id, quod volumus, Virginem scilicet in legem transfusionis nequaquam ingressam, & non solum à peccato originali, sed etiam à lege & debito illius immunitatem adeptã fuisse. Et quidem illud ponendum est, Patres Concilij peccati origiualis naturam, & transfusionis legem exacte admodum descripsisse: atq; adeò neque verba detorquenda sunt, neque aliter quam sonant, intelligenda. Textus igitur decreti sic habet. *Siquis Adæ præuicationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam, quã perdidit, sibi soli, & non nobis etiam perdidisse: aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatũ mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit. Cum contradicat Apostolo. Per vnum hominem peccatum intrauit, &c.* Et infra. *Siquis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest vnicuiq; proprium, &c.* Hæc sunt Concilij germana verba. Illud igitur inquiro, an Concilium definiat peccatum originale re ipsa in omnes Adæ posteros transfusum fuisse: an tantum debitum, & obligationem eiusdem peccati incurrendi, quam præfati authores commenti sunt: nam siue actualem transfusionẽ, siue aptitudinalem expresserit, non licebit aliter pactum, & legem confingere, quàm ab illo constitutum est. Si dicamus Concilium locutum fuisse de obligatione peccati, quæ posteros Adami debitores peccati, non vero peccatores actu constituit: ita vt lex, pactumque non de transfusione reali, & actuali, sed de aptitudinali intelligi debeat: cum idem Concilium sub finem illius Constitutionis expresse dixerit non esse intentionis suæ Virginem in eo decreto cōprehendere: fateri oportebit Concilij intentionem, & mentem fuisse Virginem in ea lege aptitudinalis transfusionis sua definitione non includere. Nam si putauit legem esse de transfusione aptitudinali, & aliunde etiã existimauit ipsam re vera obnoxiã fuisse peccato, & illius incurrendi debitum habuisse, non posset illam excipere; quin potius oppositum asserere deberet, scilicet suæ intentionis esse illam includere. Quod si aliter dicas, scilicet Concilium loqui de actuali peccati transfusione, lubentius acquiescam: verba enim ipsa deriuationem actualem in omne genus humanum, & peccatum in omnibus, ac singulis actu contractum sonare videntur. Sed tamen hoc posito, opus erit etiam aliud asserere, ac ponere, scilicet Paulum de actuali transfusione locutum tunc, cum dixit. *Per vnum hominem peccatũ intrauit in mundum, & per peccatũ mors: & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerũt.* Concilium enim manifeste dicit eos, qui aliter sentiunt, quam ipsum definierit, Paulo expresius cōtradicere: atque adeò non habebit locum illa prior expositio, qua præfati authores vniuersalem Pauli propositionem eludere volunt, affirmantes ipsum non loqui de actuali effusione peccati in posteros, sed de debito & dignitate contrahendi. Deinde si Paulum, & Cōciliũ de actuali trãsfusione locutos fuisse, vt necesse est, concedamus, non satis assequor rationem aliquam, ob quam isti authores aliter pactum, & legem transfusionis conformare, quàm vt in Paulo, & in Concilio continetur, sibi licere putant. Certe si Concilium & Paulũ de actuali transfusione culpæ originalis locutũ sentiunt, me iudice, pactum etiam de eadem actuali transfusione initum affirmare debent; nihil enim aliud subest, vnde pacti illius conditio, & natura melius peti queat, quã ex Paulo, & Concilio. Quid inde? Sane inde fit, quod si Concilium, vt hactenus docuimus, de actuali transfusione locu-

Tridenti. Concil.

Ad Ro. 5.

tum fuit, & pacti cum Adamo initi naturam, & conditionem exacte expressit, dum Virginem à suo decreto excepit, & exclusit, illam etiam à pacto, & à lege, atque adeò à debito & dignitate contrahendi excipi posse, cõstitutione sua indulsit,

4 Quod si aliquis dicat peccatum Adami in ordine ad transfusionem duplici modo considerari posse: scilicet aut impendens posteris, aut iam transfusum in posteros: ac rursus asserat vtrunq; statũ à Concilio assignatum: priorem quidem illis verbis. *Siquis Adam sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo iustitiam, & sanctitatem sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse; anathema sit* (per hanc enim iacturam gratiæ, & iustitiæ ad prolem deriuandæ ab Adamo factam filij eius debitores peccati constituuntur) posteriorem verò subinde ascriptam affirment, cum ait. *Aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem, & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit.* Atque infra. *Siquis hoc peccatum, quod origine vnum est, & propagatione, non imitatione trãsfusum omnibus inest, vnicuiq; proprium* (quæ verba actualem deriuationem sonant) nec non etiam velit vtrumque statum ab Apostolo descriptum hoc modo. *Per vnũ hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors*, scilicet quoad debitum: *& ita* (nota est consequentiæ, & illationis, quasi vnum ex altero fluat) *in omnes homines mors pertransÿt*, reipsa, & de facto, *in quo omnes homines peccauerunt.* Siquis inquam hoc doceat, affirmetque vtramq; illius legis partem definitam à Concilio in eo decreto, nimirum & propter peccatum Adami omnes illius posteros peccati debitores factos, & ex Dei permissione subinde omnes eiusdẽ peccati reos actualiter effectos: cum statim Concilium subijciat suæ intentionis non esse Virginem in eo decreto includere, aut comprehendere, mens certe illius fuit Mariã & à debito, & à reatu prorsus excipere. Itaq; quocunq; modo pactum, & legem disponamus, siue dicamus Concilium in solo aptitudinali deriuatione, siue in actuali etiam, siue in vtraque aptitudinali, & actuali transfusione pacti naturã constituisse, semper id relinquitur, quod Virginẽ Deiparã in pactũ non intrasse, atq; adeò ipsam non solum à culpa, sed etiam à debito illius immunem affirmari, per Concilium liceat. Id autem vsque adeò verũ existimo, vt credam hanc opinionem liberandi Virginem, non solum à peccato, sed etiam a lege, & debito illius incurrendi maxime celebratam in Concilio: quod aliquibus coniecturis suaderi potest.

5 Illa autem (mea quidem sententia) non leuis est, quia ex his, qui Cõcilio interfuere, nõ pauci, qui postea puram Virginis Conceptionem contutati sunt, doctissimi, ac grauissimi viri Mariam non solum à culpa, sed à lege etiam, & debito immunẽ esse docuerunt. Nam cum illis perspecta esset mens Concilij, atque adeò ita crederent legẽ, pactumq; intelligendum esse de actuali transfusione, & deriuatione culpæ: non aliter Virginẽ à culpa excipi posse existimarunt, nisi etiam illam à lege transfusionis excluderent. Ita sensit Catherinus in opusculo de Conceptione, & noster etiam Alphonsus de Salmeron, vt videre est in manuscriptis in Epistolam ad Roma. disput. 49. ab illis verbis. *Ac duobus quidem modis.* Nam quæ in excusis iam codicibus habentur ab illis verbis. *Quartus modus immunitatis est*: spuria sunt, & ab aliquo suffecta. Nam cæcus aliquis viderit stili diuersitatem, & eorum, quæ aliena sunt à proprijs, latam dissimilitudinem, & incohærentiam. Quod vel ex ipso supplementi capite colligere licet: ait enim. *Quartus modus*, cum non præcessisset secundus, nec tertius. Propterea vero posteriorem illam sententiam ipsi assutam puto, quia eo tempore, quo codices illius in lucem dati sunt, nimia leuitas quorundam Theologorum priori sententiæ grauem censuram, & notam vel temeritatis, vel hæresis inusserat. Sed cũ iam huius notæ iniuriam grauissimorũ Theologorum noua cẽsura diluerit, æquum est, vt veritas se se prodat. Accedat his Franciscus Turrianus in Epistola de peccato originali, quem in eadẽ fuisse sententia supra docuimus. His etiam enumerandus ẽst Iacobus Laynez nostræ societatis præpositus generalis, quem de Virginis Conceptione Immaculata per duas horas perorantem tota Tridentina Synodus admirata est, nec sine laboris compensatione: nam ex eo die quartana febris, qua grauiter angebatur, prorsus abijt: quod in fastos nostræ societatis ab Orlandino postea relatum fuit. Illum autem in nostra sententia fuisse mihi exploratum est, quia Pater Salmeron eius semper adhærebat placitis, & pleraque ex his, quæ scripsit, ex Laynio se accepisse vel ipse Salmeron affirmar in suorum librorum Isagoge. Quin imo vero simile etiam est, ipsum Catherinum, quem constat Salmeronis, & Laynij obseruatorem, & affectatorem fuisse, eam sententiã ab illis expressisse. Et quidem (absit verbo inuidia) eam exceptionem, quæ ad calcem decreti de peccato originali pro Virginis immunitate à Tridentino subiecta est, Lainio deberi constans fama tenet: atque ita Salmeronem, aliosq; nostræ Societatis Patres, qui Concilio interfuerunt, & alios etiam exteros dictitare solitos scripsit Ribadeneyra in Laynij vita, vbi asserit Cõcilij Patres eius oratione, & authoritate permotos exceptionem illam è vestigio addendã suis calculis censuisse. Sed quid inquies Layniũ, & alios præfatos in eã sẽtẽtiã impulit? Ego quidẽm ita conijcio. Recens erat de peccato originali decretũ, in quo om-

Con. Tri.

Ad Ro. 5.

Catherin.

Salmeron

Francis. Turria.

Iacob. Laynez.

nes Adami posteros peccati, ac mortis reos esse communi lege conspirantibus animis Patres constituerant, & transfusionis legem, vt verba ipsa sonant, de actuali deriuatione intellexerant: eapropter viri docti non aliter puram Virginis Conceptionem Deiparę solide posse defendi existimarunt, nisi à pacto, & à communi lege illam exceptam assereret.

Dominic. Soto. Et ni fallor, eadem fuit mens Dominici de Soto (qui etiam in Tridentino interfuit) de natura & gratia lib. 1. cap. 7. vbi sic præmittit. *Cum has, & id genus orationes vniuersales enunciauerimus, nollē, me quispiam de Conceptione sacratissimæ Virginis in suspicionem vocaret. Nam etsi Conciliū in præsens nihil de hac re definiendo, sed decretum Sixti Quarti consultissime innouando, ius cuique liberum fecerit in vtrāq; partem disserendi, nihil tamen mihi minus est cordi, &c.* Postquam autem hæc præfatus est per totum illud caput, & per ea, quæ sequuntur, serio admodum affirmat legem transfusionis intelligēdā esse de deriuatione actuali, & verba Scripturæ, & sacrorum Canonū esse interpretanda, vt sonant. *Ne (inquit) eorum adulteretur sinceritas.* Idem etiam in Epistolam ad Romanos cap. 5. expēdens illa. *In quo omnes peccauerunt*, cōmunem etiam legem de actuali transfusione intelligit: de Virgine autem ita scribit. *Absit, vt nullū hic verbum de sacratissima Virgine Dei genitrice faciam, vtrum videlicet hac sententia concludatur, nec ne. Nā etsi Concilium Tridentinum decretū Sixti innouando libertatem fecerit sentiendi in vtramque partem, est tamen exceptio Beatæ Virginis ab hac sententia Pauli vsq; adeò celebris nō modo inter plebes, sed etiam inter bonos Doctores, quales præcipuè sunt illustrissimi Parisienses, vt si qui hanc sibi exceptionem persuadere non possint, vt cui Paulus refragari videatur, haud tamen debeant publicitus talē prodere disputationem.* Vide quā aperte dicat Sotus Virginem exceptam à lege communi. Deinde cum Doctor iste vtrobique sentiat legem communē de actuali deriuatione peccati esse intelligendam, & aliunde Beatam Virginem ab vniuersalibus orationibus, & sententijs excipi posse annuat, planè fatetur eam communi lege minime inclusam fuisse. Quod argumentum supra cap. 8. non minus efficaciter de

D. Thom. sententia Diui Thomæ in 1. dist. 45. quæst. 1. art. 3. efformauimus, vt suaderemus illum, tunc cum de Conceptione Immaculata nobiscum sensit, eam à communi lege exceptam existimasse. His annumerandus Cornelius Musus Episcopus Bitontinus, cuius in

Cornel. Musus. Concilio Tridentino tantum valuit authoritas, vt ipsi decretorum compilatio à tota

Posseuin. Synodo commissa fuerit. Lege Posseuinum in Apparatu sacro. Hic ergo in cap. 5 Epistolæ ad Romanos clarissime, ac luculentissime Virginis exceptionem à lege vniuersali, & immunitatem à debito, & obligatione peccati incurrendi docuit, affirmans illam, quod ad transfusionem culpæ attinet, non fuisse Adami filiam: atque adeò de illius peccato non modo non infectam fuisse, sed neq; infici potuisse. Interfuit etiam aliquando Concilio è nostris etiam Petrus Canisius, quem

Canisius. aliqui ad hanc nostram sententiam allici posse existimarunt in lib. 1. de Virg. Deipara cap. 6. Addendus reliquis Luysius Carabasalius ex Ordine Minorū, cuius etiam Tridenti enituit authoritas, & cuius in hac replurimum valere debet testimonium, vt constat ex his, quæ diximus sup. c. 8. §. 3. Cum igitur constet grauissimos, ac doctissimos istos viros Cōcilio interfuisse, & de hac thesi ad Patres habuisse sermonem, ambigendū non est sententiam istam de exceptione Virginis à cōmuni lege, ac pacto inibi cum primis celebratam, & probatam. Vtinam liceret Concilij acta peruidere, hæc enim procul dubio suspicioni nostræ fidem facerent.

Luysius. Carab.

6 Sed præter allegatos Doctores suppetunt etiam alij locupletissimæ authoritatis viri, qui hanc exceptionem Virginis à communi lege nobis tradiderunt. Alter est Iodocus

Clicto. Clictobeus Neoportuensis Ecclesiæ Carnotensis Canonicus Theologus, qui scripsit Commentaria doctissima in Damascenum, cuius extant alia monumēta grauissima contra Lutherū, OEcolampadiū, & alios, vixitq; circa annum 1524. Hic ergo in libro de puritate Conceptionis Beatissimæ Virginis c. 8 & 9. perspicue admodum Virginem à lege transfusionis exceptam esse docet, & inter alia sic scribit. *Quid mirum, si obligatio contrahendi culpam in prima productione obstringat alios filios Adæ, eam tamen non detineat, quæ à Deo præordinata est, vt illud graue iugum scilicet mortis æternæ debitum à nobis tolleretur: nō igitur pro ea, sed pro omnibus cæteris hæc lex contrahenda ab origine culpæ posita est.* Vide ibi plura. Huic annumerandi recentiores plures, qui hanc sententiam expresse tuentur.

Mendez. Scilicet Presentatus Mendez Dominicanus in Mariali lib. 2. ca. 34. §. 2. & Ioan. Suarez in

2. Ioan. Suarez. Concionibus in Apocalipsim. Con. 23. Loaysa in tract. de pura Conceptione punct. 3. Citantur etiam ex nostris Cosmas Magalhanus in 1. ad Thimoth. cap. 2. sect. 3. & Barradas tom. 1. lib. 6. cap. 3. qui præfatam sententiam probabilitate non carere affirmant. Ita etiā docet Basilius Legionensis Augustinian. in quodlib. 1. p. fol. 546. vbi rigidos illius censores obiter obiurgat: & Ioannes Cartagena ex Ordine Minorum, qui in Homilijs catholicis vtriusque opinionis fundamenta perscrutatur, & problematis in morem defendit. Mitto alios huius ætatis grauissimos Doctores, qui oblatam sibi occasionem, & ansam de Virgine meliora, & digniora sentiendi arripientes, postquam supremi fidei censores eam à debito peccati, absque nota aliqua excipi posse annuerunt, præscriptam

3. Loaysa. 4. Cosmas Magal. Barradas Basilius. Legionen. Cartage.

senten-

sententiam studiosissime amplexati sunt.

Non solum autem hæc exceptio Virginis à lege communi præstantissimos illos viros, quos hactenus censuimus, habet patronos, sed etiam veterum Patrum perspicuis testimonijs roborari potest. Cypria. Diuus Cyprianus in Oratione de Natiuitate. *Nec sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus lassaretur iniurijs, quoniam plurimum à cæteris differens natura communicabat non culpa.* Imprimis enim Cyprianus inter Virginem, & alios homines solam naturæ humanæ communionem admittit, aliarum vero legũ consortium abnegat. Deinde cum ait, *non sustinebat iustitia,* manifeste declarat nullum esse ius, aut legem, per quam Virgo illis iniurijs esset obnoxia, alioqui non esset iustitiæ aduersum, sed maxime illi conforme eas perpeti. D. Augu. Diuus Augustinus in expositione Symboli, & Oratione Dominica, vt habetur in illius Milleloquio. *Cõueniens erat vt lege peccati nostri, quæ per duorum concubitum verificatur in prole, Dei mater nõ teneretur obnoxia.* Quæ verba infra in 4. sæculo, vbi sedem propriam habent, examini subijciemus. Sed clarissimè Ildephon. D. Ildephonsus in libro de Parturit. & Virginit. Deiparæ. *Alioquin quid est, quod legẽ naturę requirunt in Maria, vbi totum, quidquid in ea fuit, possedit Spiritus Sanctus.* Et infra. *Quæ nec Adam ad se admisit, nec ex Euę colluuione filium suscepit.* Sed clarissimè Diuus Ansel. D. Ansel. in Officio Nogerolis lect. 4. vbi sic habet: *Vas electionis S. Paulus omnes homines in Adam peccasse fatetur, vera vtiq; sententia, & cui contradici nefas esse pronuncio. Sed cum eminentiã gratiæ Dei in te Maria Virgo considero, sicut te nõ intra omnia, sed supra omnia, quæ facta sunt, ineffabili modo contueor, ita & te non lege naturæ aliorum in tua Conceptione deuinctam fuisse opinor.* Mitto alia plura Patrum testimonia, quia in sæculorum censu, quidquid huius argumẽti se se dederit, de industria adnotabo, & siquid etiam huic sententiæ aduersari videbitur, diluere etiam contendam.

8 Vnicam tantum obiectionem ex Patrum doctrina hic apponere libet, quia præ cæteris grauior, ac difficilior est. Patres enim passim docent Beatam Virginem propter naturæ humanæ consortium cum Adam, atque Eua communi hominum lege mortem obijsse. Cum ergo mors ex peccato fluxerit (teste Paulo. *Per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatũ mors, &c.*) inde confici videtur, Virginem sub communi peccati lege fuisse. Et quidem mortem illi ex cognatione cum Adamò, atque Eua accidisse, passim occurrit apud Patres. Chrysipp. Chrysippus in sermone de Laudibus Virginis de illius redanimatione post obitum, & de eius resurrectione verba faciens sic habet. *Surge Domine tu, & arca sanctificationis tuæ: cum enim tu indesurgeris, sigillabis arcã sanctificationis tuæ: tuncque arca cum omnibus exurget à lapsu, in quo vel illam constituit Eua cognatio.* Mitto Augustinum in sermone 3. de Assumptione, & Andręam Hierosolymitanũ Homil. 1. de dormitione Deiparæ, Damascenum in Oratione eodem titulo, & alios plures, qui Virginem communi hominum lege è vita concessisse affirmant. August. Andreas. Quod si corpus illius à corruptione, & vermibus liberum fuit, ex speciali priuilegio commune ius à Christo violatum asserunt, vt matri honorem deferret.

Cæterum nodus iste faciles habet explicatus. Et vt aliorum solutiones missas faciam, ponendum est primo id, quod alibi ex doctrina Augustini, & aliorum Patrum, nisi fallor, non probauimus tantum, sed euicimus, originalis peccati pœnas, quas omnes Adæ posteri sustinẽt, remotè quidẽ in Adami culpa, proximè verò in eo, quod vnicuiq; propriũ inest, originali peccato fundari: itaut si huius contractio per infusionem gratiæ impediatur, non maneat homo earum pœnarum debitor, hæ enim pœnæ ipsam peccati contractionem insequũtur. Quapropter hoc argumentum magis probat sanctissimã Deiparam originale peccatum non vitasse, quam lege vniuersali comprehensam fuisse. Tamen vt huius argumenti infirmitas, & imbecillitas constet. Supponendum est, mortem homini naturalẽ omnino esse, ipsi enim corruptionis semina natura ipsa inseuit, atq; adeò quãuis Adamus non peccaret, nec posteros de suo peccato inficeret, homines tandem aliquando mortem naturalem oppeterent, nisi illis præsto esset vitæ arbos, cuius esu vires, ac valetudinem in dies instaurarẽt. Si enim homini ante culpam naturale esset nunquam emori, frustra illi vitæ arbos ad tuendam vitam esset tributa: itaque cũ illum Dei sententia morti addixit, non naturam commutauit, sed vitæ seruandæ remediũ illi eripuit. Hęc sane exploratissima sunt apud Patres, & alios Scripturæ Sacræ interpretes. Videndus est Augustinus de Gene. ad litterã, quem alij interpretes sequuntur, & Sanctus Thomas. 1. par. quæst. 2. art. 3. & quæ in eum articulum conijciunt illius interpretes. Ex his ergo difficultati illi nullo negotio occurri potest. Dico ergo Virginem communi naturæ lege ex cognatione Adami, atque Euæ mortem subijsse, non quidem lege naturæ viciatæ, & corruptæ (omnes enim peccati leges Virgo ignorauit) sed naturæ ipsius iure, quæ ex conditione, ac constitutione sua morti obnoxia est. Ideo Patres quoties Virginem mortis lege obligatam affirmant, non culpę, sed naturæ tantum meminerunt. 3. Andr. Cretensis. Andreas Cretensis de dormitione Deiparę Virginis Mariæ. *In quo Deigenitrix nullo mutato ex his præscriptis, quæ sunt secundum naturam, nostræ legi seruijt, & sub ijsdem, quibus nos, terminis, quæ incarne erat, vitam finijt.* Audiendus rursus Damascenus in Oratione 1. de dormi- Damasce.

tione

tione Virginis. *Quonam (inquit) pacto quæ in partu naturæ leges excesserat, nunc ipsius legibus subest, atque immaculatum corpus morti subijcitur?* Occurrit autem sic. *Oportebat illud exuta mortalitate incorruptionem induere, præsertim cum ne ipse quidem naturæ Dominus mortis periculum facere recusauerit.* Quibus verbis naturæ meminit, non culpæ. Sed Augustinus etiam consulendus est, de Virginis Assumptione, sermone 3. *Memores enim conditionis humanæ mortem illam subijsse temporalem dicere non metuimus, quam idem certe eius filius, qui & Deus, & homo est, lege sortis humanæ sustinuit, & hoc, quia homo de eius susceptus, & profusus est vtero.* Cum igitur Augustinus eadem lege Christum, & Mariam demortuos fuisse affirmet, manifestum est ipsum non loqui de iure aliquo culpæ, sed de humanæ cōditionis lege, quæ ex naturali sua cōstitutione in mortem pendet. Sed obijcies Augustinum in Psalmum 34. vbi sic habet. *Etenim vt celerius dicam, Maria ex Adam mortua propter peccatum Adæ. Adam mortuus est propter peccatum. Et caro Domini ex Maria mortua est, propter delenda peccata.* Quibus verbis eandem Mariæ, atque Adami legem, & debitum agnoscere: inter Christum vero, ac Deiparam longe diuersum ius statuere videtur. Aliqui ergo hæc Augustini verba de spirituali morte interpretantur. Sed non audiendi, cum Sanctus doctor de naturali interitu perspicue loquatur. Dicendum ergo est B. Virginem non ideo propter peccatū ab Augustino demortuam dici, quia peccati rea fuerit, atq; inde moriendi necessitatem incurrerit: non item, quia debito peccandi obstricta, mortis quoque debitrix fuerit: sed quia cum peccatum omnibus hominibus remedium eripuisset, quo vitam perennem facere possent (scilicet vitæ arborem) ipsa quidē Virgo ex hominibus, & inter homines nata eo etiam remedio caruit, atque adeò ex naturali sua conditione morti subiacebat. Christus vero in eo à Virgine dispar est, quia licet mortale corp⁹ induisset, eius tamē anima beata erat: atq; adeò animæ beatitudo cōnaturaliter poscebat, vt corpus illius inter alias gloriæ dotes immortalitatem capesseret. Tum etiam Deus, & homo erat, atque adeò suam ipse vitam tueri, atque in æuum producere poterat. Ideo solus inter mortuos liber, quia videlicet nulla illum lex, nullū ius ad mortem subeundam adigebat: sed ipsi emori liberum prorsus, ac voluntarium fuit. Et quidem omnia, quæ in hoc capite hactenus dixi, conferenda sunt cum his, quæ supra scripsimus c. 18. & 24.

Igitur vt ad rem nostram redeamus, omnino repudianda est prior expositio, quæ vniuersales illas orationes, & propositiones, quibus omnes homines in Adamo peccasse, & omnes reos culpæ, ac mortis esse tā Scriptura, quam Patres serio affirmant, eatenus etiam Virginem comprehendere dicit, quatenus non significant actum, sed aptitudinē: non peccatum reipsa contractum, sed debitum illius. Quia vt ex dictis constat, illæ orationes vniuersales actualem peccati deriuationem sonant: tum etiam, quia valde probabile est Virginem Deiparam neque debitum peccati contraxisse, neq; lege transfusionis, & pacto communi, vllo sensu fuisse comprehensam.

9 Mariam vero ab omnibus vniuersalibus propositionibus excludendi, Concilium ipsum Tridentinum modum optimum perdocuit. Nam cum præmisisset *Adamum peccatū in omne genus humanum transfudisse*, & rursum dixisset, *peccatum propagatione transfusum omnibus inesse*, ad decreti calcem attexit, suæ intentionis non esse Virginē in eo decreto cōprehendere. Eodem ergo modo de Scripturæ, & Sanctorum Patrum intentione deliberandum est. Vnde Augustinus loco citato. *Non immeritò (inquit) Maria excipitur à quibusdam generalibus vera existimatione, quam tanta seruat gratia, & attollit dignitatis prærogatiua.* Et paulò ante. *Promeruit hoc singularis sanctitas eius, & singularis gratia.* Quasi dicat: cū Virginis gratia, sanctitas, & dignitas fuerit singularis, non debemus illam generalibus legibus, aut enunciationibus admetiri. Ad hanc rem est illud, quod Assuerus ad Esther, quæ coram ipso contra legem latam non vocata comparuerat. *Hæc lex non pro te, sed pro omnibus lata est.* Nam si pro omnibus, quomodo non etiam pro illa? Quia nimirum illa non debuit in omniū censum cōmuni æstimatione referri. Quod longe melius quadrat in Mariam, quam Deus adeò supra omnes homines, & Angelos euexit, vt non modo hominum, sed ne Angelorū quidē legibus, ac iuribus eius perfectio debeat mensurari: quamq; ita post peccati, ac Christi præscientiam, à Deo cōdi decretam asserimus, vt eam pactum cōmune, ac generale comprehendere non posset: hoc enim eorum omnium, quos inclusit, præuisio antecessit, atque præcurrit, vt docuimus supra cap. 24. §. 5.

Margin notes: August. — August. — Concil. Trident. — August. — Esther.

APPENDIX PRO cōfirmatione eius doctrinæ, quam in eo §. 5. capitis 24. tradidimus: nimirum pactum Dei cum Adamo initum præscientiam futurorum præsupposuisse.

10. Pactum transfusionis non solum peccatum, aut perseuerantiam Adami, sed etiam filio-

rum

lesta esse soleant marrum tædia, mœrores, & labores, ambigendum non est, quin has molestias lata in mulierem Dei sententia etiam incluserit. Ait ergo mulier illa. *Beata vbera, quæ suxisti.* Id ergo beatum esse dicit in Maria, scilicet lactare, ac nutrire filium, quod in alijs matribus post naturæ vitium non paruam maledictionis partem cōtinet. Ergo non idem modus lactandi,& alendi in Maria, & in alijs matribus: ita plane. Caruit enim omni tædio, labore, & angore, quibus Dei maledictio reliquas nutrices subiecit. Igitur pari ratione ex hoc discrimine argumentari licet. Quia si Maria aliarum fœminarum ritu filium suum nec cum tædio lactauit, nec cum molestia aluit: ergo vitiatæ naturæ leges non sustinuit: atque adeò peccatum illud ignorauit, quod seueras illas leges reliquis mulieribus imposuit. Ad alia.

§. III.

11. *Christus Dominus per illa verba*: Quinimò beati, qui audiunt, &c. *non extenuauit, sed auxit dignitatem matris suæ.*

12. *Spiritualis Mariæ maternitas erga Christum prior, ac potior fuit, quā corporalis, & aliorum iustorum etiam spirituali maternitati duplici nomine præfertur.*

13. *Spiritualis maternitas magis animi integritatem, quam corporalem incorruptionem postulauit.*

11 VINIMO *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Hæc verba, de quibus aliquid supra præmisimus cap. 27. ad comprobandā Virginis innocentiam idonea magis, & opportuna sunt, & (ni fallor) in his potissimum innixa est huius Euangelij ad puram Conceptionem accommodatio in Ecclesia olim solennis. Imprimis autem id constituendum ex communi Patrum, & interpretum omnium consensu, illud: *Quinimò*, non esse aduersatiuum: ita vt Christus Dominus matris suæ elogium, & laudē à muliere vsurpatam repudiare, aut refellere voluerit: sed esse comparationis notam hoc sensu. *Quinimò beati, &c.* Quasi dicat: fœlicissimum quidem est, Deum parere, & lactare, sed illud fœlicius, Dei monitis, ac præceptis acquiescere, ac propterea illi placere. Nec dissimile est illud, quod paulò post idem Christus adiecit: nam cū alius quispiam iterum ingeminaret illud: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.* Subiecit saluator: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Quod sic etiam accipi debet, non quasi matrem repulerit, aut Discipulos quos hæc dicens, manu, aut digito indicauit, matri suæ præferendos duxerit: sed ipsam potius colens, & honore afficiens, quid in illa maximum, & dignissimum esset, aperuerit: sic Guerricus Abbas in hunc locum. *Mariam, quæ secundum carnem mater erat, alia quoque ratione matrem sibi IESVS probat: quandoquidem & ipsa voluntatem Patris in tantum faciebat, vt de ipsa prædiceret Pater. Vocaberis voluntas mea. Igitur vbi eam filius negligere videtur, ibi amplius bonorasse inuenitur, dum ei scilicet materni nominis honor duplicatur: pro eo quod eundem filium, quem in aluo gestauerat incarnatum, etiam animo gestabat inspiratum.* Guerric. Abbas.

Paria sensit, ac scripsit Iustinus Martyr, quæstione 136. *Non* (inquit) *matrem debito honore fraudat Dominus, sed docet quā, vt ita dicam, maternitate Virgo sit beatissima. Si enim is, qui verbum Dei audit, & seruat, Dei est & frater, & soror, & mater: quorum vtrumque in eius matre inerat, perspicuum est matrem ipsius ex hac maternitatis ratione beatam dici oportuisse. Nam Dei sermonem audire, & exequi virtutis est, animaque puræ, quæ tota ad Deum spectet. Et quia non quamlibet fœminam elegit Deus, quæ Christi mater fieret, sed omnium fœminarum virtutibus excellentissimam: propterea Christus volebat, ob hanc virtutem prædicari matrem suam, per quam virtutem illa id assequuta fuisset, vt virgo mater fieret.* Hæc Iustinus, qui duas illas maternitates adstruit in Virgine, scilicet carnalem, & spiritualem: & ita inter se confert, vt dicat Virgini carnalem maternitatem concessam fuisse propter spiritualem: hæc enim ipsi dignitatem attulit ad illam, atque adeò spiritualem maternitatem, qua Christum animo concepit, ac gestauit, antiquiorem esse, ac potiorem. Quod Leo Magnus in sermone illo de Natiuitate conceptis verbis dixit: *Diuinam, humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore.* Iustinus Martyr. Leo PP.

Accinit Diuus Ildephonsus in sermone 1. de Natiuitate: *Maria* (inquit) *fidei semine grauida prius & Christum mente, quam ventre concipiens.* Sed cur mente prius, & ventre posterius? Rationem offert Iustinus Martyr: quia nimirum hanc propter illam obtinuit: propterea enim Mariam electam esse dicit, vt Christum vtero suo virgo gestaret, quia illum per animi puritatem mente, & corde prius portauerat: atque adeò hoc anterius fuit, & illud posterius. Et sanè spiritualem hanc maternitatem eo vsque anteriorem fuisse, vt à Conceptione ipsa auspicari debeat, supra diximus cap. 27. ex Beda, cuius verba, & sententiam hunc ad locum ascisecre licet. Ildeph.

Non

12 *Auguſt.* Non ſolùm autem hæc ſpiritualis maternitas anterior fuit, ac prior, ſed etiam potior, ac dignior. Diuus Auguſtinus in libro de Sancta Virginit. c.3. *Beatior Maria fuit percipiendo fidem Chriſti, quam concipiendo carnem Chriſti.* Per fidem autem gratiam intelligit. Et infrà c.5. *Hinc & Maria, & laudabilius, atq; beatius mater eſt Chriſti, quia fecit voluntatem Patris eius, qui in cœlis eſt.* Deinde verò idem Auguſtinus, poſtquam hoc maternitatis ſpiritualis genus alijs etiam conueni re dixit: *Commune* (inquit) *ac naturale eſt omnibus electis in cordibus illum deuotione geſtare*: continuo adiecit hanc iuſtorum dignitatem infra corporalis maternitatis gloriam, qua Virgo reſplenduit, non eſſe ponendam. *Mirabilius, ſi deferatur in ergaſtulo pectoris. Hinc conſiderandum eſt, quanta ſit dignitas noſtra, & quanta nobis proportio cũ Maria: concepit Maria Chriſtum in vulua carnis, deferimus eum etiam & nos in viſceribus mentis.* Hæc Auguſtinus. Iam ergo illud inquirendum videtur, an ita Virgini cum iuſtis, & electis commune ſit Chriſtum corde, & mente concipere, & eniti, vt in ea dignitate æquales ſint, & compares? Cæcus hoc viderit, Mariam in hoc, ſpiritualis maternitatis genere reliquis iuſtis eſſe præferendam: nam cum in altero vincatur, niſi in hoc vinceret, vix eſſet vnde illius præſtantiam colligeremus. Quomodo igitur, & quibus in rebus ſpiritualis maternitas, qua Virgo Chriſtum mente concepit, ac peperit, reliquorum iuſtorum etiam ſpiritualem maternitatem ſuperauit? Alteram victoriam agnouit Auguſtinus: illam verò in eo poſuit, quod Virgo non vno tantum modo Chriſtum mente, & ſpiritu concepit: ſed vltra generalem illam rationem, quæ illi cum alijs electis communis eſt, hoc ipſi peculiare, ac proprium fuit, quod Chriſtum etiam ſecundum corpus ſuum myſticum, cuius corporis membra ſunt fideles omnes, ac iuſti, ſpiritu ſuo parturijt. Ita enim idem Auguſtinus in cap. illo 5. cuius verba alibi dedimus, ſed in hoc loco peculiarem energiam habent. *Et mater* (inquit) *ſpiritu nõ capitis noſtri, quod eſt ipſe ſaluator, à quo magis ipſa ſpiritualiter nata eſt.* (Neque verò negat hic Auguſtinus, quod prius conceſſerat, ſed alium modũ ſpiritualis maternitatis, quẽ Virgini erga mẽbra myſtica tribuit, in Chriſtum ipſum quadrare non poſſe dicit). Subdit ergo: *Sed planè mater ſpiritu membrorum eius, quod nos ſumus, quia cooperata eſt charitate ſua, vt fideles in Eccleſia naſcerẽtur, qui illius capitis membra ſunt.* Deinde etiam conſiderata maternitate illa ſpirituali præciſe, vt ad Chriſtum per gratiã mente, ſpirituq; pariendum ſpectabat, Virgini præſtantiam inter reliquos iuſtos, & electos tribuere neceſſum eſt, propter rationem illam *Iuſtinus Marty.* Iuſtini Martyris: *Quia nõ quamlibet fœminam elegit Deus, quæ mater Chriſti fieret, ſed omniũ fœminarum excellentiſſimam.* Loquitur autẽ de excellentia, qua Virgo in eo maternitatis ſpiritualis genere præſtare debuit.

Adeſte igitur animis, & rẽ mecũ expendite.
Profecto ſiue hoc, ſiue illo modo hęc ſpiritua 13
lis Deiparæ maternitas conſideretur: ſiue illam cũ Chriſto pręciſe cõparemus, quatenus illũ per fidem, & gratiã in ſe ipſa concepit: ſiue eandẽ cũ corpore Chriſti myſtico conferamus, quatenus illud ſpiritualiter etiã regenerauit: illud dico, quandã in eius animo integritatẽ, ac puritatẽ fateri neceſſũ eſſe ei adſimilẽ, qua corpus ad eundẽ Chriſtũ corporaliter edendũ inſignitum fuit. Ita viſum grauiſſimis Patribus Auguſtino, & Cypriano: hic *Auguſt. Cyprian.* enim in ſer. de Natiui. verba illa adiecit, quę ſuperiori capite delibaui: *Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundãtior gloria, quæ carnis, & mentis integritate inſignis ſpirituali, & corporali intus, & extrà, Chriſti præſentia fruebatur.* Vtramq; maternitatem cõplexus eſt Cyprian. qua Virgo Chriſtũ mẽte, ac ventre cõcepit: & ad alteram quidẽ, quę ventris erat, Mariæ corpus virginitate inſignitũ: ad alterã verò, quæ ad mentẽ ſpectabat, eiuſdẽ Mariæ animũ gratiæ plenitudine donatũ aſſerit. Quorſum hæc? Certè vt pari corporis, & animi integritate prædita, vtrũq; ſpiritualẽ, & corporeum partũ pari quoq; decẽtia perficeret. Atq; ita factũ, vt nõ minus integer eſſet animus ſanctitate, & iuſtitia, quã corpus virginitate, & pudore: vt ſcilicet virgo eſſet animus, & virgo corpus: ille quidẽ ſine corruptela culpæ: hoc verò ſine libidinis corruptione. Accinit Damaſc. in orat. 1. *Damaſc.* de Dormit. Deip. *Inueniſti* (inquit) *gratiam apud Dominũ. Inuenit Maria gratiæ abyſſum, quæ duplicis Virginitatis nauem incolumẽ ſeruauerat, animãq; nõ minus, quã corpus incolumẽ cuſtodierat.* Idem etiã in lib. 4. de Fid. orthod. c. 15. ſic habet: *Cum Virginẽ vna cũ corpore animum cõſeruaſſet, vt eam decebat, quæ Deũ in ſinu ſuo exceptura erat: ſanctus enim ipſe cum ſit, in ſanctis requieſcit.* Quibus locis perſpicue admodũ ſanctitatẽ perpetuã, & ab omni culpa liberam animi virginitatem appellauit. Eodem modo cenſuit Auguſtinus de altero ma- *Auguſt.* ternitatis ſpiritualis genere, quo Virgo omnes Eccleſiæ fideles tanquam corporis Chriſti membra regenerauit: nam in eo cap. 5. ſic habet: *Maria faciens voluntatem Dei corporaliter Chriſti tantũmodo mater eſt: ſpiritualiter autem, & ſoror, & mater: ac per hoc vna illa fœmina, non ſolũ corpore, verũ etiã ſpiritu, & mater, & virgo.* Et deinde ſubijcit illa verba præmiſſa. *Sed planè mater ſpiritu membrorum eius, &c.* Et infrà id ipſum ingeminat. *Sola ergo Maria, & ſpiritu, & corpore, & mater, & virgo.* Quid illuſtrius, aut dici, aut excogitari potuit? Expende verba: nam in vtroq; ſcilicet in corpore, & in ſpiritu matrem, & virginem eſſe dicit Auguſt. & in vtroq; etiã ſolã. Quia quemadmodum ſola integro corpore, ita etiam ſola integra mente Chriſtũ conce-

pit. Hinc verò constat per integritatem, seu virginitatem mentis omnimodam innocentiam intellexisse Augustinum, cuius illibatum florem cum virginitatis flore componit Sanctus Thomas, de quo supra. Nam si per hanc virginitatem mentis acciperemus eam, quæ à sola libidine mentem sequestrat, non esset Maria in ea virtute solitaria, cùm plures alios haberet socios. Obseruandum etiam est, hanc Augustini assertionem totam niti in ratione illa, quæ sumitur ab officio Mediatricis. Quia nimirum si Maria omnes alios spiritu suo regenerauit, ipsi certè regeneratione opus non fuit: cuius rationis vim habes suprà cap. 21.

§. IIII.

14. Maria propter gratiam originalem miraculum fuit, tàm Angelis, quàm hominibus.

15. Originalis firmitas, qua Virgo ab initio donata fuit, Angelis pro miraculo fuit.

14 Apoc. 12. ALTER Locus habetur Apocalyp. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Ideò verò locus iste ad comprobandam Immaculatam Virginis Conceptionem merito assumi solet, quia solennis totius Ecclesiæ mos fert, vt Virgo in sua Cõceptione hoc simulachro expingatur Lunam pedibus premens, Sole vestita, & stellis coronata. Accedit etiam suffragium Diui Bernardi, qui in sermone super hæc verba plura immiscuit de Virginis immunitate ab omni culpa, quæ in decursu adnotauimus. Quapropter licet hæc mulier in sensu literali Ecclesiam adsignificet: tamen familiare admodum est Patribus integram illius descriptionem Virgini accommodare. Sed quamuis sensus accõmodatitius sit: quia tamen illum Ecclesiæ, ac Patrum authoritas commendat, plurimi haberi debet. Ait ergo Ioannes.

D. Epiph. *Signum magnum apparuit in cœlo.* D. Epiph. ad hæc verba in serm. de Laudibus Deiparæ. *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti: stupendum enim est miraculum in cœlis mulier gestans lucem in vlnis: stupendũ miraculum in cœlis alter thronus Cherubicus: stupendum miraculum in cœlis mulieris filius, qui & ipsius, & sæculorum est pater: stupendum miraculum in cœlis thalamus Virginis habens filium Dei, Deum sponsum Christum: stupendum miraculum in cœlis Dominus Angelorum infans Virginis effectus.* Itaque Epiphanius nomine *signi* in hoc loco miraculum, seu prodigium accipiendum putat. Frustrà verò hic Patres enumerem, qui Mariam prodigium, miraculum, aut miraculorum officinam appellant. Illud subijcio, miraculum, vt docet Diuus Thomas 1. par. quæstion. 110. art. 4. id esse, *Quod fit præter ordinem, ac legem totius naturæ creatæ.* Additque Angelicus Doctor aliud esse miraculum simpliciter, aliud esse miraculum relate ad personas: nam plura (inquit) apud homines pro miraculis habentur, quæ Angelorum æstimatione non sunt miracula: quia cum homines consuetas, & naturales causas rerum satis compertas non habeant, sæpius censent, aliqua naturæ vim excedere, quæ quia Angeli naturalium causarum vi perfecta fuisse vident, mirari desinunt. Vt ergo constet reuera, & non tantum hominum opinione Virginem miraculum esse, ac prodigium, id signi in cœlo apparuisse dicitur. Vnde Epiphan. *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem adduxisti.* Sed cur Angelos in stuporem rapuit? Quia Maria præter ordinem, legemque naturæ facta, & procreata est: nam cum naturæ ipsius ordo, & lex esset, vt quicumque ab hominibus suam originem recenserent, naturæ ipsius vitium traherent: hanc legem in vna Virgine violatam videntes in stuporem acti sunt. Et quidem ego ita reor præcipuam rationem, propter quam Deipara miraculi nomen merito fert, esse Conceptionem ipsius supra omnes naturæ leges, & iura immaculatam, & puram. Huc spectasse videtur D. Ignatius in epistola illa ad Ioannem Euangelistã. *Sicut nobis à fide dignis narratur, humana natura naturę sanctitatis Angelica copulatur, & hęc talia excitauerunt viscera nostra, & cogunt desiderare aspectum huius, si fas est fari, cœlestis prodigij, & sacratissimi spectaculi.* Itaque Ignatius rationem prodigij, & miraculi in eo ponit, quod supra humanæ naturæ legem, & ordinem sanctitas Angelica, scilicet originalis, & ab omni peccati labe pura in fœmina spectabatur, quæ ab Adamo, atque Eua genus, & originem trahebat: sed de huius loci energia supra diximus c. 3. Item Damascenus oratione 1. de Natiuitate Mariæ, postquam sic præmiserat. *Tota Spiritus Sancti thalamus, & gratiarum pelagus, tota pulchra, tota Deo propinqua.* Subdit. *O miraculum miraculorum omnium maximè nouũ.* Nimirum miraculi huius naturam in eo cõstituens, quod ita facta, vt nulla illi delicti labes adhæserit: atque adeò tota pulchra, & tota Deo propinqua fuerit.

Cæterum cum signum hoc, seu miraculum in cœlo apparuisse, atq; adeo Angelos ipsos rei nouitate obstupefecisse dicatur, vestigare oportet, quænã fuerit ista insolens nouitas, qua perculsi admirationem illam conceperunt. An noua ipsis erat originalis gratia? 15

Margin notes (right column): S. Tho. — Epiphan. — Ignat. — Damasc.

Minimè verò, quia illam in se ipsis agnoscebant, & primos etiam homines in gratia olim conditos non modo nouerant sed etiam viderant. Succedat igitur memoriæ id, quod supra diximus cap. 34. de Natura gratiæ, qua Virgo ab initio insignita fuit, quæ primam Angelorum, atque hominum originalem iustitiã in eo vicit (vt inibi diximus) quod ab initio constans, stabilis, & inconcussa fuerit: cum tamen prima illa Angelorum, & hominum iustitia aliquando vacillauerit, & in ruinæ discrimine posita prius nutauerit, quàm soliditatem obtinuerit. Illa igitur tam noua, & insolens Mariæ prima gratia ab initio solida, & confirmata in admirationem Angelos rapuit: ideòque illis Maria pro miraculo fuit, non solùm, quia in illa naturæ vitiatæ leges, & ordinem violatum videbant: sed etiam, quia supra omnia integræ naturæ humanæ, imò etiam Angelicæ iura in gratia omnimodã firmitatem, ac stabilitatem ab initio suæ conditionis acceperat. Huc mihi spectasse videtur Pseudo Augustinus in sermone. 5. de Assumptione. *Pseudo August.* *Circumda* (inquit) *omnem creaturam in cogitatione, & vide si est similis Dei genitrici Mariæ: circumi terram, aspice mare, sciscitare aerem, cœlum mente scrutare, inuisibiles virtutes cogita, & vide si est tale miraculum in omni creatura.* Prosequitur deinde Augustinus latissimam dissimilitudinem inter Mariam, & omnem creaturam, & illam in eo potissime statuit, quod Angeli, & omnis alia creatura coram Deo tremebunda concidit: Virgo autem omni tremore caret. Sic enim denique absoluit: *Et tamen inter innumerabilia magis, magisque mira Virginis victoria attollenda est: quoniam quem tota creatura timore, ac tremore laudauit, ista sola ineffabiliter thalamizauit.* Itaque Maria sola coram Deo impauida: quia Angeli habuerunt aliquando, vnde pauerent, quia eorum salus aliquando in discrimine fuit: Mariæ verò salus nunquam in discrimen vocata: ideòque ab Angelo illud accepit: *Ne timeas Maria*, vt supra habes.

---

§. V.

16. *Dictam gratiæ constantiam significat Luna sub pedibus Mariæ.*
17. *Item Luna sub pedibus symbolum est diaboli pedibus illius calcati.*
18. *Vbi ecclipsim passa est Eua Luna, ibi per originalem iustitiam plenitudinem habuit Luna Maria.*
19. *Mulier inter Solem, & Lunam significat Mariam inter Christum, & Ecclesiam, propter originalem gratiam mediatricis munere fungentem.*


T *Luna sub pedibus eius.* Hæc verba alijs propterea præfero, quia primus illorum sensus ad superiorem sententiam reuocari debet: Luna enim inconstantiæ, & mutationis symbolum est. Gregorius lib. 34. Moral. cap. 7. *In Luna autem, quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur.* Virgo igitur Deipara Lunam pedibus conculcat, id est, omnem mutabilitatem, & inconstantiam sibi substernit, quia gratiam habuit ab initio constantem, confirmatam, & immutabilem. 16 *Gregor.*

17 *Bernar.* Aliter Diuus Bernardus in sermone super hæc verba: nam primo cum per Lunam diabolum ipsum accepisset, sic statim adiungit. *Imò verò, & vnicus ille stultus, & totius stultitiæ princeps, qui vere mutatus, vt Luna, sapientiam perdidit, in decore suo sub Mariæ pedibus conculcatus, & contritus miseram patitur seruitutem. Nimirum ipsa est, quondam à Deo promissa mulier serpentis antiquæ caput pede virtutis contritura, cuius plane calcaneo multis versutijs insidiatus est. f. d. fine causa.* Et quidem per diaboli, vel serpẽtis caput originale peccatũ accipi debere sup. c. 19. ex Augustino, & alijs docuimus. Hoc igitur caput Virgo nõ quidẽ supra se habuit, ita vt illi obnoxia, & subiecta, eiusq; incurrendi debitrix aliquando extiterit: sed ceu Lunam inconstantem, & variam infrà se positam calcat, & pedibus illi insistit: atque adeò non modo peccatum ipsum, sed omnes illius influxus, id est omnes eius reliquias, & effectus declinauit.

18 Sed vt constet quam apte Bernard. in Luna draconis caput cõtempletur, recolẽda est vulgaris Astronomorũ doctrina, qui docent primã sphæram, in qua est Luna, duobus circulis constare, quorũ alter est cõcentricus, & *æquans* appellatur: alter est eccentricus, & *deferens* dicitur: figura verò intersectionis, quæ duos istos circulos quasi discludit, appellatur *Draco magnus* ob similitudinem: imitatur enim draconem in orbem ductũ, quia lata est in medio, & angustior versus finẽ. Quid plura? Illud etiam apud ipsos ratũ, ac certum Lunæ, tàm plenitudinẽ, quàm ecclipsim in capite, vel in cauda draconis, aut valde proximè semper euenire: & crebrius quidẽ in capite. Aduocãdus ergo huc Anasthas. Synaita Anagog. contemp. in Hexameron lib. 4. non longè à medio: vbi Euam cũ Luna contulit. *Luna* (inquit) *est Eua ænigma.* Et infrà sic habet. *Ecclipsis certè, seu defectus Lunæ est, quando Luna est plena.* Quod perinde est, ac si dicat hanc defectionem in capite draconis contingere: ibi enim eueniunt plenilunia. Deinde verò, qua ratione ecclipsis in Eua acciderit, describit his verbis. *Quod si ecclipsim, lucis defectum, & imminutionem, & rursus renouationem, sicut in Luna vis etiam videre in Eua, cogita Prophetam, qui dicit Deo: Lumen sunt præcepta tua super terram: quorum etiam defectum sustinuit* *Anasthasius Syna.*

Eua propter inobedientiam: Adam enim non fuit deceptus, sicut dicit Apostolus: Eua autem decepta, cum à tenebrosi, & obscuri serpentis dominatu oppressum esset, ac defecisset eius lumen. Ecce inobedientis Euę ecclipsim in capite draconis, aut serpentis. Quæ verò statim subdit ad Virginis laudē, pulchra sunt: ideò subtexēda mihi putaui. *Eius tamen luminis defectū restituit lux vera, quæ ex ipsa processit: ex fectū da, inquam, Eua Christus tanquā ex quapiam plena Luna Maria, quæ nunquā minuta fuit, aut defecit, aut priuata fuit essentiali lumine, nēpe sua virginitate, quando ei acclamauit Angelus: Gratia plena, propter Euam, quæ est luna, propter Euam, quæ fuit male habita, & vexata, & quæ ex suo defectu per inobedientiam fugerat, & se absconderat, & timuerat à ligno inobedientiæ, & transgressionis: gratia, inquam, repleta à Sole Iustitiæ nēpe à Deo.* Nihil illustrius pro innocentia, & pro pura Conceptione Virginis dici posset: quæ verba non parum confirmant ea, quæ diximus in superiori cap. §.2. ad illa verba *Gratia plena*, atq; adeò cum illis conferenda sunt. Nunc illud accipe ex Anasthasio: Eua luna fuit plena quidem in sua creatione per illam gratiæ plenitudinē, qua primū à Deo illustrata est: sed ocyùs ab ea plenitudine excidit cū per inobedientię tenebras in capite draconis, hoc est, à serpēte persuasa ecclipsim sustinuit: & exinde facta est hęc luna noxiū valde, ac pestiferū sydus mortem, & corruptelam in filios suos deriuans, & effundens. Ait ergo Ioan. *Et Luna sub pedibus eius*, id est, Eua ceu luna quędā deficiens ad pedes Mariæ demissa iacet, illā calcat, ac proterit: atq; adeò omnibus illius prauis, ac perniciosis influxibus altior est: dumq; huic lunæ pedibus suis insistit, serpētis etiā caput pessundat, ac conterit, in quo, ac per quod Euæ luna ad miseram illā defectionē adducta est. Ita enim ex Dei prouidentia contigit, vt in eodē capite draconis, vbi Eua ecclipsim, & defectionem passa est, inibi Maria fieret plena luna: plena inquā gratia, ad ipsum draconis caput opprimendum, & calcandum, &c.

19 *Bernar.* Aliter etiam D. Bernard. per lunam ipsam Ecclesiam accipi posse dicit: iuxta quam acceptionē ad hunc modū scribit. *Iam si Ecclesia lunę magis intelligenda videtur vocabulo, quod videlicet non ex se splendeat, sed ab eo, qui dicit: Sine me nihil potestis facere: habes mediatricem, quam tibi paulo ante commendauimus. Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius. Amplectamur Mariæ vestigia fratres mei, & deuotissima supplicatione beatis illius pedibus prouoluamur. Nempe mulier est inter Solem, & Lunā, Maria inter Christum, & Ecclesiam.* Et quidē Bernard. mulierem hanc mediam inter Solem, atq; Lunam ita sibi finxisse videtur, vt Sol radijs suis mulierem primùm cōuestiat: deinde verò quasi ex repercussione in Lunā resiliant, vt ita per hoc symbolum, aut simulachrū Officium Mediatricis apprimè significetur, quo Virgo fungitur inter Christum, & Ecclesiam: ex quo officio, quam valdè eiusdem Virginis immunitas ab omni culpa comprobetur, sępe, ac sępius diximus. Sed hæc similitudo vim rationis non parum declarat. Quia Virgo inter Solem, & Lunam media ad illuminationem ita ponitur, vt supra Lunam euecta constituatur. Quid inde? Sanè vmbra, quæ ex interpositione terræ inter Solem, & Lunam efficitur, ipsam Lunam attingit, atque illam inficit, & obscurat: vlterius verò ad ea sydera, quæ supra Lunam sunt, nequaquam peruenit: propterea quod Soli semper patent, & eius luce assiduo collustrantur. Haud aliter in nostra thesi dicendum, vmbram illam, quæ ex interpositione primi illius peccati inter Deum, & homines effecta est, ad Lunam vtique, id est, ad vniuersam naturam humanam pertingere, & ab illa fuscari, & offundi: ad Mariam verò, quæ supra Lunam sublata est, minimè peruenire: atque adeò Mariam Soli nunquam non patuisse, atque eius lucem, & radios, id est, gratiam semper hausisse. Id sibi voluit idem Bernardus in eodem sermone, cum paulo ante de eadem Virgine sic scripsit. *Bernar.* *Nam & defectus omnis sub ea, & quidquid fragilitatis, & corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate præ cæteris omnibus excellit, vt merito sub illius pedibus Luna esse dicatur* (nomine autem *defectus* ecclipsim intelligit.) Et quidem ita decebat, vt illa, quæ illustrationis nostræ medium futura erat, nunquam defectioni, ecclipsi, ac tenebris locum faceret, sed perenni potius luce gauderet.

---

§. VI.

20. *Ex illis verbis* Amicta Sole *Maria originalis gratia comprobatur.*

21. *Duodecim stellæ caput illius circundantes eandem gratiam adumbrant.*


MICTA SOLE. De hac veste pereleganter Bernardus. 20 *Bernar.* *Quàm familiaris ei facta es Domina, quàm proxima, imò & quam intima fieri meruisti: quantam inuenisti gratiam apud Deum, in te manet, & tu in eo, & vestis eum, & vestiris ab eo.* Et paulò ante sic præmiserat. *Candidissimus sanè, seu calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tā excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea, non dico tenebrosum, sed ne obscurum saltem, vel minus lucidum: sed ne tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimum liceat suspicari.* Quid illustrius pro Virginis innocentia, aut di-

ci, aut

ci, aut excogitari posset? Et quidem nulla Virgini candidior, ac purior vestis accommodari poterat, cui nihil vnquam sordis adhæresceret. Nota est enim solis natura, quam luculenter descripsit Ruffinus in expositione symboli. *Intuere* (inquit) *radios solis, si in cœni alicuius voraginem demergantur, nunquid inde aliquid pollutionis acquirunt? Aut ex obscœnorum illustratione quid soli cõuertitur in iniuriam?* Eadem habet Augustinus in tractatu illo de quinque hæresibus cap. 5. Vbi similem ad modum contendit solis radios nullis sordibus, aut fæcibus contaminari posse. Ideo ergo Maria solis splendore vestita, & amicta dicitur, nequid labis, aut maculæ in ipsa suspicari liceat.

Ruffinus.

22 *Et in capite eius corona duodecim stellarum.* Bernardus in stellis duodecim totidẽ Virginis Deiparæ priuilegia, & gratias contemplatur. Inter alia vero sic præfatur. *Dignum planè stellis coronari caput, quod & ipsis clarius micans, ornet eas potius, quam ornetur ab eis. Quid ni coronent sydera, quam sol vestit?* Sed aliquid ad rem nostram faciens subijcere est opus. Illud ergo merito inquirit Primasius, cur non potius ex stellis septem mulieris corona compacta sit, vt & in his septem planetarum simulachrũ agnoscere liceret, & per easdem septem illos Angelos capere possemus, de quibus in ipsius Apocalypsis fronte sic Christus ipse ad Ioannem. *Septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum.* Huic quæsito aliter satisfacit Primasius, vt sententiam verborum Ecclesiæ adaptet. Nos vero, vt eandẽ Virgini Deiparæ accommodemus, sic occurrimus. Propterea certe ex stellis septem diadema Virginis conformatum non est: ne si septẽ tantum recenseret eius gratias, & prærogatiuas, has quidem ad planetas septem referre, aut cum illis conferre liceret. Ideoq; duodecim numerantur, vt numerus ipse ad ipsas firmamenti stellas nos traduceret, quandoquidem duodenarius stellarum numerus non alibi nisi in firmamento reperiri potest. Et quidem primæ magnitudines stellas, etsi plures quindecim, alij tamẽ duodecim enumerãt: vt propterea liceat has Virginis prærogatiuas, & gratias, quas duodecim illæ stellæ adumbrant, ad illas duodecim primæ magnitudinis stellas, quæ in firmamento visuntur, referre, & cum eisdem componere. Propterea vero Virginis præmissas gratias cũ stellis firmamenti, non autẽ cum planetis collatas fuisse dicemus: quia planetæ, vt ex ipso nomine proditur, erratici sunt varij, & mutabiles: at vero, quæ in firmamento promicãt stellæ, fixæ sunt, cõstantes, & immobiles. Iam intelligis quo tendam. Angeli certe merito ad planetas referuntur, & cum his cõponuntur: habuerunt enim gratiam ab initio quidem inconstantem, & mobilem, etiamsi postea per beatitudinem constantiam, & firmitatem adepti sunt. Tamen Dei genitrix Maria gratias obtinuit à suæ conditionis exordio velut stellas firmamenti aplanes, refixas & immobiles. Vnde Bernardus in Salue ad illa verba. *Et opera manuum tuarũ annunciat firmamentum. Fiat* (inquit) *firmamentum & diuidat aquas ab aquis. Omnibus firmamentis firmius tu Domina, quæ eam, quem cœli cœlorum capere non poterant, cepisti, & concepisti, portasti, & non defecisti.* Et in sermone de Beata Maria. *Hinc & in eius mente tanquam in quodam firmamento virtutes posuit tanquã stellas speciei omnimodæ.* Et Diuus Bonauentura sermone 1. de Beata semper Virgine Maria. *Domina* (inquit) *fuit firmamentum vniformiter semper motum, & cœlum stelliferum per omniũ donorũ, & gratiarum Dei copiositatem.* Et infra. *Sed nota, quod hoc cœlum, quod dicitur firmamẽtum, stellis est innumeris adornatũ, quia Domina nostra omnibus diuinis gratijs fuit plena, in nullo dono alicui sancto concesso penitus diminuta: vnde bene dictum in themate: Numera stellas, si potes: quasi dicat, Domina nostræ gratiæ sunt innumeræ, & soli Deo cognitæ.* Quod si roges vnde hæc virtutum, gratiarum, & donorum omnium soliditas, & firmitas in Maria? Sane id non aliunde accidit, nisi ex gratia, & iustitia originali, quæ illi soli, vt nuper dicebamus, ab initio constans, & immobilis donata est: in quo vincit omnes Angelos, & homines, & ideo illud diadema, quod ipsius regnũ, & imperium in vtranq; creaturã adsignificat, ex stellis firmamenti fixis, & immobilibus compactum dicitur. Vide quæ supra scripsimus cap. 32. vbi plura de hoc Regno Virginis, & gratiæ illius firmitate.

Bernard. Primas. Apoca. 2. Bernard. Bonauen.

AD TESTIMONIA SANctorum Patrum intelligenda Canones septem præmittuntur.

CAP. XXXXI.



NTEQVAM Patrũ testimonia, quibus puram Virginis Conceptionem videntur asserere, per sua sæcula dis ponam, & digerã: operæ pretium duxi aliqua prælibare, quæ ad illorum pleniorem intelligentiã facere possunt. Atq; adeò placet septem Canones præscribere, ex quibus de his omnibus, quæ postea subscribam, facile admodum sit decernere, ac statuere.

CAN. I.

1. *Patres generales propositiones sine exceptione aliqua protulerunt, quibus omnes homines originale peccatum incurrere affirmant.*
2. *Has propositiones nec de peccato filiorum in Adamo, nec de debito peccandi in ipsis recepto interpretari licet.*
3. *Per Concilium Tridentinum non à peccato solum, sed etiam à debito illius Virginem liberare licet.*
4. *Confirmatur amplius hoc assertum.*
5. *Illustriores Theologi ex his, qui interfuerũt Tridentino, Virginem à lege transfusionis liberam, & à debito peccati immunem senserunt.*
6. *Eandem sententiam tradiderunt alij Theologi non pauci.*
7. *Antiqui etiam Patres illam non leuiter insinuant.*
8. *Virginis mors non probat illam vniuersali transfusionis lege comprehensam.*
9. *Quomodo Virgo ab vniuersalibus propositionibus excipi debeat, docuit nos Concilium Tridentinum.*

1 VNT Profectò apud Patres, quemadmodum in sacra pagina, positiones plures vniuersales, quibus absolute, & sine aliqua exceptione omnes in peccato concepti, satique dicuntur: quibus non aliter occurrendum est, quã ipsismet scripturæ testimonijs, quæ continent etiam vniuersales enuntiationes, vt supra c. 1. occurrendum esse diximus. Sed aliquid vlterius hic addere perplacet.

Ergo Patrum testimonia nequidquam hic adscribam, cum sint valde obuia, vnum tantum, aut alterũ ex robustioribus appingam, ex his enim reliqua statuere inaegrum est. Augustinus lib. 1. contra Iulianum, postquam aliquorum Patrum testimonia contulerat, quibus probauerat omnes homines peccatores esse, sic denique concludit. *Vna est omniũ Catholicorum firma fides, qui per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, in quo omnes peccauerunt, vno corde credunt, vno ore fatentur: & vestras nouitias præsumptiones catholica antiquitate subuertunt. Propter quam catholicam veritatem sancti, & beatissimi, & diuinorũ eloquiorum pertractatione clarissimi Sacerdotes Ireneus, Cyprianus, Rhetitius, Olympius, Hilarius, quibus velis nolis addo Hieronymum Presbiterum, vt eos omittam, qui nondum dormierunt, aduersus vos proferunt de omniũ hominum peccato originali obnoxia successione sententiam.* Diuus Ambrosius in Isaiam. *Seruatum est igitur, vt ex viro, & muliere per illam corporũ mixtionem nemo conceptus expers sit delicti: qui autẽ expers est delicti, expers est & eiusmodi conceptionis.* Mitto alia similia, quorũ vim magnam compilauit Bandelus pro contraria sententia. August. Ireneus. Cyprian. Rheticius Olympius Hilarius Ambros. Bandel.

His ergo, atque alijs testimonijs vt occurrat doctissimus Ægidius de Præsentatione, affirmat non de peccato originali in singulis Adę filijs contracto esse intelligenda, sed de peccato illo actuali eorundẽ in ipsomet Adamo, quod ipse comminiscitur: contra quem pugnauimus supra cap. 1. à §. 3. & deinceps Rursus alij graues, ac locupletes Doctores affirmant hæc Patrum testimonia, quemadmodum ea, quæ ex sacra pagina recitantur, non quidem significare actualẽ peccati transfusionem in posteros Adami: sed debitum, & obligationem illius incurrendi, non in Adamo, sed in ipsis posteris, ac minoribus eius receptum: quod ex præscriptis Augustini verbis nuper citatis colligi posse affirmant. *De omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam.* Quibus innuit veteres illos Patres, quorum sententias collegerat, nõ tam sensisse peccatum iuxta pactum cũ Adamo initum, & legẽ à Deo latã in omnes eius minores re ipsa deriuatum, quam eos huic transfusioni obnoxios mansisse. Itaque volunt isti Doctores tam Scripturæ, quam Patrum testimonijs non quidem actualem peccati effusionem in Adami prolem, sed eiusdẽ prolis obnoxiam conditionem comprobari. Absit vero, vt ego illis acquiescam. Contra hos authores, tum ratione, tum etiã authoritate Concilij Tridentiui pugnaui etiam sup. c. 1. & 8. Nunc vero pugnã instaurare necesse est: eorum ergo interpretationem vnica ratione efficaciter elidam. Quia si verum esset præfatis scripturæ, & Patrum testimonijs non actualem peccati effusionẽ, sed tantummodo eiusdem impendentiam, & postero- Ægid. August.

tum

rum Adami conditionem illi obnoxiam significari: nihil esset, vel in Scriptura, vel in Patribus, ex quo reliquos homines præter Mariam peccatum originale re ipsa contraxisse, cõprobare liceret. Atque adeò qui libere, & audacter diceret plures alios à peccato originis præseruatos, neque contra Patres, neq; contra scripturam aliquid proferret: dummodo eos illius peccati contrahendi debito teneri nequaquam abnegaret. Nam si omnes propositiones vniuersales scripturæ, & Patrũ nõ de actuali reatu, sed de debito accipiendæ sunt: qui debitũ agnouerit, etiamsi actualem reatum deneger, nec scripturæ, nec Patribus aduersarius erit. Quapropter inter alias rationes, quæ Virginem à communi pacto, & lege excipiendam esse suadent, hæc, me iudice, præstantissima est. Quia vt eos, qui dicerent præter vnam Mariam alios aliquos, vel etiam plures originale peccatum non contraxisse, aut hæresis, aut temeritatis insimulare possimus: asserere oportet tam Patrũ, quam scripturæ testimonia, & vniuersales propositiones, quibus transfusionis lex exprimitur, de actuali transfusione captari debere: ita vt significent peccatum reipsa, & non tantum aptitudine, in omnes Adæ posteros deriuari ob rationem dictam. Quia nullus temerarius, aut Hæreticus est, nisi is, qui contra apertam definitionem Ecclesiæ, aut contra scripturam, aut contra communem Patrum sententiam aliquid pronuntiat. Ergo vt assertores illi temeritatis, aut hæresis redargui possint, ad aliquam contradictionem ex præmissis compelli, adigique debent. Si igitur Patres cum dicunt omnes in Adam peccasse, significant legem transfusionis actualis: ergo vt Virginis immunitas à peccato originali defendi queat, illam ab ea lege prorsus excipere necessum est.

3 Sed vt rem melius teneamus, libet hic rursus ad trutinã vocare decretũ Concilij Tridentini de peccato originali: ex illo enim, me iudice, efficacissime colligitur id, quod volumus, Virginem scilicet in legem transfusionis nequaquam ingressam, & non solum à peccato originali, sed etiam à lege & debito illius immunitatem adeptã fuisse. Et quidem illud ponendum est, Patres Concilij peccati originalis naturam, & transfusionis legem exacte admodum descripsisse: atq; adeò neque verba detorquenda sunt, neque aliter quam sonant, intelligenda. Textus igitur decreti sic habet. *Siquis Adæ præuaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam, quã perdidit, sibi soli, & non nobis etiam perdidisse: aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatũ mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit. Cum contradicat Apostolo. Per vnum hominem peccatum intrauit, &c.* Et infra. *Siquis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest vnicuiq; proprium, &c.* Hæc sunt Concilij germana verba. Illud igitur inquiro, an Concilium definiat peccatum originale re ipsa in omnes Adæ posteros transfusum fuisse: an tantum debitum, & obligationem eiusdem peccati incurrendi, quam præfati authores commenti sunt: nam siue actualem transfusionẽ, siue aptitudinalem expresserit, non licebit aliter pactum, & legem confingere, quàm ab illo constitutum est. Si dicamus Concilium locutum fuisse de obligatione peccati, quæ posteros Adami debitores peccati, non vero peccatores actu constituit: ita vt lex, pactumque non de transfusione reali, & actuali, sed de aptitudinali intelligi debeat: cum idem Concilium sub finem illius Constitutionis expresse dixerit non esse intentionis suæ Virginem in eo decreto cõprehendere: fateri oportebit Concilij intentionem, & mentem fuisse Virginem in ea lege aptitudinalis transfusionis sua definitione non includere. Nam si putauit legem esse de transfusione aptitudinali, & aliunde etiã existimauit ipsam re vera obnoxiã fuisse peccato, & illius incurrendi debitum habuisse, non posset illam excipere: quin potius oppositum asserere deberet, scilicet suæ intentionis esse illam includere. Quod si aliter dicas, scilicet Concilium loqui de actuali peccati transfusione, lubentius acquiescam: verba enim ipsa deriuationem actualem in omne genus humanum, & peccatum in omnibus, ac singulis actu contractum sonare videntur. Sed tamen hoc posito, opus erit etiam aliud asserere, ac ponere, scilicet Paulum de actuali transfusione locutum tunc, cum dixit. *Per vnum hominem peccatũ intrauit in mundum, & per peccatũ mors: & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerũt.* Concilium enim manifeste dicit eos, qui aliter sentiunt, quam ipsum definierit, Paulo expressius cõtradicere: atque adeò non habebit locum illa prior expositio, qua præfati authores vniuersalem Pauli propositionem eludere volunt, affirmantes ipsum non loqui de actuali effusione peccati in posteros, sed de debito & dignitate contrahendi. Deinde si Paulum, & Cõciliũ de actuali trãsfusione locutos fuisse, vt necesse est, concedamus, non satis assequor rationem aliquam, ob quam illi authores aliter pactum, & legem transfusionis conformare, quàm vt in Paulo, & in Concilio continetur, sibi licere putant. Certe si Concilium & Paulũ de actuali transfusione culpæ originalis locutũ sentiunt, me iudice, pactum etiam de eadem actuali transfusione initum affirmare debent; nihil enim aliud subest, vnde pacti illius conditio, & natura melius peti queat, quã ex Paulo, & Concilio. Quid inde? Sane inde fit, quod si Concilium, vt hactenus docuimus, de actuali transfusione locutum

Tridenti. Concil.

Ad Ro. 5.

tum

tum fuit, & pacti cum Adamo initi naturam, & conditionem exacte expressit, dum Virginem à suo decreto excepit, & exclusit, illam etiam à pacto, & à lege, atque adeò à debito & dignitate contrahendi excipi posse, cõstitutione sua indulsit,

4 Quod si aliquis dicat peccatum Adami in ordine ad transfusionem duplici modo considerari posse: scilicet aut impendens posteris, aut iam transfusum in posteros: ac rursus asserat vtrunq; statū à Concilio assignatum: priorem quidem illis verbis. *Siquis Adam sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo iustitiam, & sanctitatem sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse; anathema sit* (per hanc enim iacturam gratiæ, & iustitiæ ad prolem deriuandæ ab Adamo factam filij eius debitores peccati constituuntur) posteriorem verò subinde ascriptam affirment, cum ait. *Aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem, & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit.* Atque infra. *Siquis hoc peccatum, quod origine vnum est, & propagatione, non imitatione trāsfusum omnibus inest, vnicuiq; proprium* (quæ verba actualem deriuationem sonant) nec non etiam velit vtrumque statum ab Apostolo descriptum hoc modo. *Per vnū hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors*, scilicet quoad debitum: *& ita* (nota est consequentiæ, & illationis, quasi vnum ex altero fluat) *in omnes homines mors pertransijt*, reipsa, & de facto, *in quo omnes homines peccauerunt*. Siquis inquam hoc doceat, affirmetque vtramq; illius legis partem definitam à Concilio in eo decreto, nimirum & propter peccatum Adami omnes illius posteros peccati debitores factos, & ex Dei permissione subinde omnes eiusdē peccati reos actualiter effectos: cum statim Concilium subijciat suæ intentionis non esse Virginem in eo decreto includere, aut comprehendere, mens certe illius fuit Mariā & à debito, & à reatu prorsus excipere. Itaq; quocunq; modo pactum, & legem disponamus, siue dicamus Concilium in solo aptitudinali deriuatione, siue in actuali etiam, siue in vtraque aptitudinali, & actuali transfusione pacti naturā constituisse, semper id relinquitur, quod Virginē Deiparā in pactū non intrasse, atq; adeò ipsam non solum à culpa, sed etiam à debito illius immunem affirmari, per Concilium liceat. Id autem vsque adeò verū existimo, vt credam hanc opinionem liberandi Virginem, non solum à peccato, sed etiam a lege, & debito illius incurrendi maxime celebratam in Concilio: quod aliquibus coniecturis suaderi potest.

5 Illa autem (mea quidem sententia) non leuis est, quia ex his, qui Cōcilio interfuere, nō pauci, qui postea puram Virginis Conceptionem contutati sunt, doctissimi, ac grauissimi viri Mariam non solum à culpa, sed à lege etiam, & debito immunē esse docuerunt. Nam cum illis perspecta esset mens Concilij, atque adeò ita crederent legē, pactumq; intelligendum esse de actuali transfusione, & deriuatione culpæ: non aliter Virginē à culpa excipi posse existimarunt, nisi etiam illam à lege transfusionis excluderent. Ita sensit Catherinus in opusculo de Conceptione, & noster etiam Alphonsus de Salmeron, vt videre est in manuscriptis in Epistolam ad Roma. disput. 49. ab illis verbis. *Ac duobus quidem modis.* Nam quæ in excusis iam codicibus habentur ab illis verbis. *Quartus modus immunitatis est*: spuria sunt, & ab aliquo suffecta. Nam cæcus aliquis viderit stili diuersitatem, & eorum, quæ aliena sunt à proprijs, latam dissimilitudinem, & incohærentiam. Quod vel ex ipso supplementi capite colligere licet: ait enim. *Quartus modus*, cum non præcessisset secundus, nec tertius. Propterea vero posteriorem illam sententiam ipsi assutam puto, quia eo tempore, quo codices illius in lucem dati sunt, nimia seueritas quorundam Theologorum priori sententiæ grauem censuram, & notam vel temeritatis, vel hæresis inusserat. Sed cū iam huius notæ iniuriam grauissimorū Theologorum noua cēsura diluerit, æquum est, vt veritas se se prodat. Accedat his Franciscus Turrianus in Epistola de peccato originali, quem in eadē fuisse sententia supra docuimus. His etiam enumerandus est Iacobus Laynez nostræ societatis præpositus generalis, quem de Virginis Conceptione Immaculata per duas horas perorantem tota Tridentina Synodus admirata est, nec sine laboris compensatione: nam ex eo die quartana febris, qua grauiter angebatur, prorsus abijt: quod in fastos nostræ societatis ab Orlandino postea relatum fuit. Illum autem in nostra sententia fuisse mihi exploratum est, quia Pater Salmeron eius semper adhærebat placitis, & pleraque ex his, quæ scripsit, ex Laynio se accepisse vel ipse Salmeron affirmat in suorum librorum Isagoge. Quin imo vero simile etiam est, ipsum Catherinum, quem constat Salmeronis, & Laynij obseruatorem, & affectatorem fuisse, eam sententiā ab illis expressisse. Et quidem (absit verbo inuidia) eam exceptionem, quæ ad calcem decreti de peccato originali pro Virginis immunitate à Tridentino subiecta est, Lainio deberi constans fama tenet: atque ita Salmeronem, aliosq; nostræ Societatis Patres, qui Concilio interfuerunt, & alios etiam exteros dictitare solitos scripsit Ribadeneyra in Laynij vita, vbi asserit Cōcilij Patres eius oratione, & authoritate permotos exceptionem illam è vestigio addendā suis calculis censuisse. Sed quid inquies Layniū, & alios præfatos in eā sentētiā impulit? Ego quidem ita conijcio. Recens erat de peccato originali decretū, in quo omnes

Con. Tri.

Ad Ro. 5.

Catherin.

Salmeron

Francis. Turria.

Iacob. Laynez.

nes Adami posteros peccati, ac mortis reos esse communi lege conspirantibus animis Patres constituerant, & transfusionis legem, vt verba ipsa sonant, de actuali deriuatione intellexerant: eapropter viri docti non aliter puram Virginis Conceptionem Deiparæ solide posse defendi existimarunt, nisi à pacto, & à communi lege illam exceptam assereret.

Et ni fallor, eadem fuit mens Dominici de Soto (qui etiam in Tridentino interfuit) de natura & gratia lib. 1. cap. 7. vbi sic præmittit. *Cum has, & id genus orationes vniuersales enunciauerimus, nollē, me quispiam de Conceptione sacratissimæ Virginis in suspicionem vocaret. Nam etsi Conciliū in præsens nihil de hac re definiendo, sed decretum Sixti Quarti consultissime innouando, ius cuique liberum fecerit in vtrāq; partem differendi, nihil tamen mihi minus est cordi, &c.* Postquam autem hæc præfatus est per totum illud caput, & per ea, quæ sequuntur, serio admodum affirmat legem transfusionis intelligēdā esse de deriuatione actuali, & verba Scripturæ, & sacrorum Canonū esse interpretanda, vt sonant. *Ne (inquit) eorum adulteretur sinceritas.* Idem etiam in Epistolam ad Romanos cap. 5. expēdens illa. *In quo omnes peccauerunt*, cōmunem etiam legem de actuali transfusione intelligit: de Virgine autem ita scribit. *Absit, vt nullū hic verbum de sacratissima Virgine Dei genitrice faciam, vtrum videlicet hac sententia concludatur, nec ne. Nā etsi Concilium Tridentinum decretū Sixti innouando libertatem fecerit sentiendi in vtramque partem, est tamen exceptio Beatæ Virginis ab hac sententia Pauli ipsq; adeò celebris nō modo inter plebes, sed etiam inter bonos Doctores, quales præcipuè sunt illustrissimi Parisienses, vt si qui hanc sibi exceptionem persuadere non possint, vt cui Paulus refragari videatur, haud tamen debeant publicitus talē prodere disputationem.* Vide quā aperte dicat Sotus Virginem exceptam à lege communi. Deinde cum Doctor iste vtrobique sentiat legem communē de actuali deriuatione peccati esse intelligendam, & aliunde Beatam Virginem ab vniuersalibus orationibus, & sententijs excipi posse annuat, planè fatetur eam communi lege minime inclusam fuisse. Quod argumentum suprà cap. 8. non minus efficaciter de sententia Diui Thomæ in 1. dist. 45. quæst. 1. art. 3. efformauimus, vt suaderemus illum, tunc cum de Conceptione Immaculata nobiscum sensit, eam à communi lege exceptam existimasse. His annumerandus Cornelius Musus Episcopus Bitontinus, cuius in Concilio Tridentino tantum valuit authoritas, vt ipsi decretorum compilatio à tota Synodo commissa fuerit. Lege Posseuinum in Apparatu sacro. Hic ergo in cap. 5 Epistolæ ad Romanos clarissime, ac luculentissime Virginis exceptionem à lege vniuersali, & immunitatem à debito, & obligatione peccati incurrendi docuit, affirmans illam, quod ad transfusionem culpæ attinet, non fuisse Adami filiam: atque adeò de illius peccato non modo non infectam fuisse, sed neq; inficî potuisse. Interfuit etiam aliquando Concilio è nostris etiam Petrus Canisius, quem aliqui ad hanc nostram sententiam allici posse existimarunt in lib. 1. de Virg. Deipara cap. 6. Addendus reliquis Luysius Carabasalius ex Ordine Minorū, cuius etiam Tridenti enituit authoritas, & cuius in hac replurimum valere debet testimonium, vt constat ex his, quæ diximus sup. c. 8. §. 3. Cum igitur constet grauissimos, ac doctissimos illos viros Cōcilio interfuisse, & de hac thesi ad Patres habuisse sermonem, ambigendū non est sententiam illam de exceptione Virginis à cōmuni lege, ac pacto inibi cum primis celebratam, & probatam. Vtinam liceret Concilij acta peruidere, hæc enim procul dubio suspicioni nostræ fidem facerent.

Sed præter allegatos Doctores suppetunt 6
etiam alij locupletissimæ authoritatis viri, qui hanc exceptionem Virginis à communi lege nobis tradiderunt. Alter est Iodocus Clictobeus Neoportuensis Ecclesiæ Carnotensis Canonicus Theologus, qui scripsit Commentaria doctissima in Damascenum, cuius extant alia monumēta grauissima contra Lutherū, OEcolampadiū, & alios, vixitq; circa annum 1524. Hic ergo in libro de puritate Conceptionis Beatissimæ Virginis c. 8 & 9. perspicue admodum Virginem à lege transfusionis exceptam esse docet, & inter alia sic scribit. *Quid mirum, si obligatio contrahendi culpam in prima productione obstringat alios filios Adæ, eam tamen non detineat, quæ à Deo præordinata est, vt illud graue iugum scilicet mortis æternæ debitum à nobis tolleretur: nō igitur pro ea, sed pro omnibus cæteris hæc lex contrahenda ab origine culpæ posita est.* Vide ibi plura. Huic annumerandi recentiores plures, qui hanc sententiam expresse tuentur. Scilicet Presentatus Mendez Dominicanus in Mariali lib. 2. ca. 34. § 2. & Ioan. Suarez in Concionibus in Apocalipsim. Con. 23. Loaysa in tract. de pura Conceptione punct. 3. Citantur etiam ex nostris Cosmas Magallianus in 1. ad Thimoth. cap. 2. sect. 3. & Barradas tom. 1. lib. 6. cap. 3. qui præfatam sententiam probabilitate non carere affirmant. Ita etiā docet Basilius Legionensis Augustinian. in quodlib. 1. p. fol. 546. vbi rigidos illius censores obiter obiurgat: & Ioannes Cartagena ex Ordine Minorum, qui in Homilijs catholicis vtriusque opinionis fundamenta perscrutatur, & problematis in morem defendit. Mitto alios huius ætatis grauissimos Doctores, qui oblatam sibi occasionem, & ansam de Virgine meliora, & digniora sentiendi arripientes, postquam supremi fidei censores eam à debito peccati, absque nota aliqua excipi posse annuerunt, præscriptam

senten-

Dominic. Soto. — *D. Thom.* — *Cornel. Musus.* — *Posseuin.* — *Canisius.* — *Luysius. Carab.* — *Clicto.* — *Mendez. 2. Ioan. Suarez. 3. Loaysa. 4. Cosmas Magal. Barradas Basilius. Legionen. Cartage.*

tione Virginis. *Quonam* (inquit) *pacto quæ in partu naturæ leges excesserat, nunc ipsius legibus subest, atque immaculatum corpus morti subijcitur?* Occurrit autem sic. *Oportebat illud exuta mortalitate incorruptionem induere, præsertim cum ne ipse quidem naturæ Dominus mortis periculum facere recusauerit.* Quibus verbis naturæ meminit, non culpæ. Sed Augustinus etiam consulendus est, de Virginis Assumptione, sermone 3. *Memores enim conditionis humanæ mortem illam subijsse temporalem dicere non metuimus, quam idem certe eius filius, qui & Deus, & homo est, lege fortis humanæ sustinuit, & hoc, quia homo de eius susceptus, & profusus est vtero.* Cum igitur Augustinus eadem lege Christum, & Mariam demortuos fuisse affirmet, manifestum est ipsum non loqui de iure aliquo culpæ, sed de humanæ cõditionis lege, quæ ex naturali sua cõstitutione in mortem pendet. Sed obijcies Augustinum in Psalmum 34. vbi sic habet. *Etenim vt celerius dicam, Maria ex Adam mortua propter peccatum Adæ. Adam mortuus est propter peccatum. Et caro Domini ex Maria mortua est, propter delenda peccata.* Quibus verbis eandem Mariæ, atque Adami legem, & debitum agnoscere: inter Christum vero, ac Deiparam longe diuersum ius statuere videtur. Aliqui ergo hæc Augustini verba de spirituali morte interpretantur. Sed non audiendi, cum Sanctus doctor de naturali interitu perspicue loquatur. Dicendum ergo est B. Virginem non ideo propter peccatũ ab Augustino demortuam dici, quia peccati rea fuerit, atq; inde moriendi necessitatem incurrerit: non item, quia debito peccandi obstricta, mortis quoque debitrix fuerit: sed quia cum peccatum omnibus hominibus remedium eripuisset, quo vitam perennem facere possent (scilicet vitæ arborem) ipsa quidẽ Virgo ex hominibus, & inter homines nata eo etiam remedio caruit, atque adeò ex naturali sua conditione morti subiacebat. Christus vero in eo à Virgine dispar est, quia licet mortale corp' induisset, eius tamẽ anima beata erat: atq; adeò animæ beatitudo cõnaturaliter poscebat, vt corpus illius inter alias gloriæ dotes immortalitatem caperet. Tum etiam Deus, & homo erat, atque adeò suam ipse vitam tueri, atque in æuum producere poterat. Ideo solus inter mortuos liber, quia videlicet nulla illum lex, nullũ ius ad mortem subeundam adigebat: sed ipsi emori liberum prorsus, ac voluntarium fuit. Et quidem omnia, quæ in hoc capite hactenus dixi, conferenda sunt cum his, quæ supra scripsimus c. 18. & 24.

August.

August.

Igitur vt ad rem nostram redeamus, omnino repudianda est prior expositio, quæ vniuersales illas orationes, & propositiones, quibus omnes homines in Adamo peccasse, & omnes reos culpæ, ac mortis esse tã Scriptura, quam Patres serio asseuerant, catenus etiam Virginem comprehendere dicit, quatenus non significant actum, sed aptitudinẽ: non peccatum reipsa contractum, sed debitum illius. Quia vt ex dictis constat, illæ orationes vniuersales actualem peccati deriuationem sonant: tum etiam, quia valde probabile est Virginem Deiparam neque debitum peccati contraxisse, neq; lege transfusionis, & pacto communi, vllo sensu fuisse comprehensam.

9 Mariam vero ab omnibus vniuersalibus propositionibus excludendi, Concilium ipsum Tridentinum modum optimum perdocuit. Nam cum præmisisset *Adamum peccatũ in omne genus humanum transfudisse*, & rursum dixisset, *peccatum propagatione transfusum omnibus inesse*, ad decreti calcem attexit, suæ intentionis non esse Virginẽ in eo decreto cõprehendere. Eodem ergo modo de Scripturæ, & Sanctorum Patrum intentione deliberandum est. Vnde Augustinus loco citato. *Non immeritò* (inquit) *Maria excipitur à quibusdam generalibus vera existimatione, quam tanta seruat gratia, & attollit dignitatis prærogatiua.* Et paulò ante. *Promeruit hoc singularis sanctitas eius, & singularis gratia.* Quasi dicat: cũ Virginis gratia, sanctitas, & dignitas fuerit singularis, non debemus illam generalibus legibus, aut enunciationibus admetiri. Ad hanc rem est illud, quod Assuerus ad Esther, quæ coram ipso contra legem latam non vocata comparuerat. *Hæc lex non pro te, sed pro omnibus lata est.* Nam si pro omnibus, quomodo non etiam pro illa? Quia nimirum illa non debuit in omniũ censum cõmuni æstimatione referri. Quod longe melius quadrat in Mariam, quam Deus adeò supra omnes homines, & Angelos euexit, vt non modo hominum, sed ne Angelorũ quidẽ legibus, ac iuribus eius perfectio debeat mensurari: quamq; ita post peccati, ac Christi præscientiam, à Deo cõdi decretam asserimus, vt eam pactum cõmune, ac generale comprehendere non posset: hoc enim eorum omnium, quos inclusit, præuisio antecessit, atque præcurrit, vt docuimus supra cap. 24. §. 5.

Concil. Trident.

August.

Esther.

APPENDIX PRO cõfirmatione eius doctrinæ, quam in eo §. 5. capitis 24. tradidimus: nimirum pactum Dei cum Adamo initum præscientiam futurorum præsupposuisse.

10\. *Pactum transfusionis non solum peccatum, aut perseuerantiam Adami, sed etiam filiorum*

crario: tunc autem vtrumque exequi ad pollicitantē pertinet. Vel ita quidem polliceri potest. Si operas tuas in vinea mihi nauaueris, habebis mercedis loco quatuor nūmos: tunc enim conditionem apponere pertinet ad promissarium. Illud igitur nunc in quæstionē venit, an eodem modo de Deo statuere oporteat: an scilicet similem ad modum duplicem conditionalium promissionum speciem in Deo ponere liceat sub eadem differentia conditionum, ab ipso tantum, vel à libertate creaturæ pendentium. Et sanè vtrumq; promissionū genus in Deo inueniri, ipsamet exempla persuadere videntur. Fingamus enim Deum ita polliceri. Si Petrū per primā gratiā excitauero, hoc ipso non expectans cooperationē illius, conferā illi gloriā, & beatitudinē. Certè in hoc casu illa conditio excitationis per primā gratiam à solo Deo, qui fidem suā promittendo obligat, perfici potest. Vel aliter promissionem suā ita instituere potest Deus. Si Petrus eleemosynam erogauerit, præparabo illi auxilia efficacia ad iustificationem. In hoc enim, & alijs similib⁹ exēplis adimpletio cōditionis ex libera hominis voluntate pendet: atque adeò ipsam apponere ad hominem cooperante Deo spectat.

Cæterū quidquid sit de promissione ab hominibus facta (De his enim etiā non pauci, nec indocti viri senserunt promissionē factā sub conditione, cuius adimpletio ad promittentē pertinet, sine voluntate adimplēdi talē conditionē, neq; verā promissionē esse, nec obligationē inducere: sicut etiā de promissione facta sine volūtate implendi, aut sub cōditione impossibili decernūt.) Certè quod ad Deū attinet, sic aio. Impossibilis est in Deo aliquis actus voluntatis, qui sit promissio cōditionata sub cōditione aliqua ex his, quæ ab eius volūtate sola pēdent, & nō indigēt cooperatione libera creaturæ, siue habeat voluntatē adimplēdi talē conditionē, siue non habeat. Verbi gratia, non potest Deus promissionē illā facere: si semel Petrū gratia prima excitauero, sine aliqua cooperatione illius deferā illi beatitudinē: siue adsit illi volūtas donādi illi talē gratiā, siuè ea voluntate careat. Imprimis enim si adsit voluntas, nō potest esse hæc promissio cōditionalis. Id verò vt intelligas, cōstitue apud te, in cōditionali promissione, cui adest voluntas adimplendi cōditionem, duo decreta intercedere: alterum est decretum promittendi: alterum est decretum apponendi cōditionē. Hæc verò decreta ita cōcurrere debēt, vt voluntas promittēdi sit prior, voluntas autē apponendi cōditionē sit posterior secundū rationē: nā si hæc præcedat, vel simul sit re & ratione cū alia, in nullo signo verū erit dicere illam voluntatem promittendi esse conditionalē, cū nunquam non conditio purificata, & apposita intelligatur. Sed quoties conditionis appositio à solo Deo pēdet, inter duo illa decreta Dei nō potest esse ordo prioris, ac posterioris: ergo non potest esse promissio conditionalis. Minor probatur: quia non licet apprehendere vnum decretū prius, & aliud posteriùs, nisi obiecta eorū, seu effectus eū ordinē habeāt. Illa verò duo decreta: volo promittere gloriā, & volo donare primā gratiā, non habent inter se ordinem prioris & posterioris: nā voluntas donandi primā gratiam non supponit necessariò voluntatē promittendi: quia etiāsi Deus non habuisset talem voluntatē promittendi gloriam, posset donare Petro primam gratiā. Rursus voluntas promittendi gloriam prædicto modo non infert aliam voluntatē donandi gratiā: quia qui promittit sub conditione, non spondet simul appositionē conditionis: ergo istæ duæ voluntates in Deo sunt simul re, & ratione: & ex consequenti voluntas illa promittendi nunquā est conditionalis, cū in nullo signo possit intelligi suspensa, ac pēdens: nā cū primū apprehēditur voluntas promittendi, simul vnàq; intelligitur purificatio cōditionis. Quapropter neq; decretū promittēdi gloriā potest dici cōditionale, neq; donationem gloriæ conditionem appellare licet.

Quod si ei voluntati, aut decreto promittendi sub cōditione non accedat voluntas apponendi conditionē illā, cuius adimpletio à solo Deo pendet, non modo decretū illud nō erit promissio, sed quod caput est, talē actum voluntatis in Deo impossibilem, atq; commentitium esse reor. Ratio est in promptu: quia promissio sub conditione impossibili facta, etiā in hominibus nō est promissio, sed nugatio. Vnde in iure eiusmodi pollicitatio; *Si digito cælum tetigerit, lego Titio centum aureos*: non solū irrita prorsus, ac nulla reputatur, sed etiā indigna prudenti, & cordato viro censetur. Sed eiusmodi esset in Deo decretum promittendi sub conditione aliqua, cuius adimpletio ab ipso tantummodo penderet sine voluntate apponendi talem conditionem: ergo talis voluntas indecora ipsi Deo, indigna, atque impossibilis est. Minor persuadetur, quia posita voluntate, vel dissensu, quo Deus efficaciter constituit talē conditionem non apponere, prout sic impossibilis efficitur talis conditio: ergo voluntas ex tali conditione dependens in Deo esse nō potest. An non turpis, imò impossibilis esset Deo eiusmodi voluntas. Si Chymeram produxero, conseruabo illam per decem annos? Ita profectò: sed posita illa voluntate efficaci in Deo non ponendi prædictam conditionem, cuius adimpletio ab ipso tantum fieri potest, non minus impossibilis redditur talis conditio, quàm Chymeræ productio: ergo non minùs indecorus, atque impossibilis esset Deo actus iste, quàm ille.

Sed dices voluntatem hanc non apponendi prædictam conditionem esse posteriorem voluntate promittendi. Addes etiam per ef-

efficacem voluntatem Dei non apponendi talem conditionem non reddi simpliciter impossibilem, sed ex suppositione: ergo nihil prohibet priorem illam voluntatem promittendi esse in Deo. Quin idem omninò accidere videtur in promissione conditionali à Deo facta, cuius conditio à creatura liberè exequi, & impleri debet. Nam ex suppositione, quod creatura conditionem adimplere detrectet, conditio etiam redditur impossibilis: id tamen non prohibet, quominus prior voluntas efficax promittendi sub tali conditione sine aliquo dedecore in Deo sit. Huius obiectionis dissolutio petenda est ex superiori assertione. Nam quemadmodum si ita liceret duas voluntates affirmatiuas in Deo ponere, alterã promittendi sub cõditione, & alterã implendi cõditionẽ à sola Dei voluntate pendentem, non esset vna prior, & altera posterior, sed simul in eodem rationis signo conuenirent: ita etiam de duplici hac voluntate, altera affirmatiua promittendi sub conditione, altera negatiua non adimplendi conditionem, decernendum est: quia vna non præsupponit aliam, neque ex vna altera inferri potest. Nam bene constat iuxta superius illud exemplum à nobis adductum, vt Deus non conferat Petro primã gratiam, etiamsi illi gloriam ante nõ promisisset: recte etiam fieri posset, vt Deus promisisset Petro gloriam prædicto modo, etiamsi primã gratiam donare prorsus nollet: nam promissio conditionalis non inducit necessariam adimpletionem conditionis: ergo in tali casu duæ illæ voluntates, promittendi sub dicta conditione, & eandẽ non adimplendi, vnã simulq; essent secundum rem, & secundum rationem. Id autem impossibile est: quia hoc posito, in signo illo decretorũ Dei, in quo verum esset dicere: Deus promittit sub conditione, verum quoq; esset affirmare: conditio impossibilis est: atque adeò illud etiam enunciare integrum esset, Deus promittit sub conditione impossibili: quod in hominibus, nedum in Deo turpem repugnantiam inuoluit.

Hinc autem licet colligere differentiam illam, quæ versatur inter promissionẽ sub conditione, quę à solo Deo exequi debet, & eam, quæ pendet ex operatione libera creaturæ. Nam inter voluntatẽ promittendi conditionalem, quæ est in Deo, & voluntatẽ exequendi conditionem, quæ pendet ex creatura, est ordo prioris, ac posterioris: atque adeò in eo signo, in quo Deus habet voluntatem promittendi, nondum intelligitur conditio, sed in alio posteriori post præuisionem consensus ipsius creaturæ, quæ illam liberè apponere debet. Inde etiam integrum est aucupari, quid intersit inter promissiones Dei, atque hominum: nam homo rectè potest aliquid polliceri sub conditione, quam ipse independenter à quocunque alio exequi debet, siue adsit illi voluntas actualis implendi conditionẽ, siue desit: nam quamuis adsit ea voluntas, talis tamen naturæ est, vt mutari possit: atque adeò quandiu re ipsa non est adimpleta conditio, tãdiu pendet obligatio nata ex promissione: quod si desit prædicta voluntas exequẽdi conditionem, ea tamen hominis conditio existit, vt possit similiter mutari, & paulò post velle, quod tunc non vult: atque adeò tamdiu pendet effectus, & obligatio promissionis, donec præterit occasio cõditionis adimplendæ, redditurq; impossibilis eius adimpletio. In Deo verò neutrũ accidit: nam cũ non sit nostris mutationibus obnoxius, si adsit semel voluntas efficax adimplendi conditionem, non potest non semper adesse: & si etiã semel sit voluntas non implendi, nõ potest non semper hæc perseuerare, atque efficax eius voluntas effectu suo carere non potest.

Sed quorsum hæc? Certè eò tendunt, vt constet in Deo promissionem conditionalẽ nõ priùs intelligi posse, quoad omnibus his, quæ à Deo solo pendent, executioni mandatis, incipit Dei voluntas pendere, & quasi subesse liberæ volũtati alicuius creaturę, quatenus illi se sponte subiecit. Nam promissio conditionalis in Deo est prior ratione voluntate adimplendi conditionem: nulla autem voluntas perficiendi rem, quam Deus per se ipsum independenter à cooperatione libera creaturæ exequi potest, habet eam prioritatẽ, vt ex dictis patet. Addo etiã quod ex dictis liquidũ manet, promissionẽ cõditionalẽ Dei nõ priùs cõcipi, quam intelligatur possibilis executio cõditionis à creatura, quę illã liberè adimplere debet: impossibilis enim cõditio vanã, & irritã reddit promissionẽ. Hæc autẽ attẽte cogitanda sunt, quippe quæ ad ea, quæ subinde dicturi sumus, pernecessaria sunt.

Iam igitur dicamus de secundo membro illius diuisionis, quam suprà præmisi, quod continet promissiones Dei conditionales, quarum scilicet conditiones non sine cooperatione libera creaturæ exequi debent. In primis ergo obseruandum, ex recentioribus Theologis fuisse nonnullos, qui vt defenderent electionem efficacem prædestinatorum ad gloriam antecedere præuisionem meritorum, quædam decreta conditionalia efficacia in Deo commenti sunt ad hunc modum. Si Petrus, vel Ioannes perseuerauerint in gratia, iam nunc decerno beatitudinẽ illis conferre: nã eiusmodi (inquiunt) decreta sũt efficacia, & versantur circa gloriã, atq; præcedunt præuisionẽ meritorum: ergo electio efficax ad gloriã meritorũ præsciẽtiã antecedit. Quod si obijcias illis ista decreta cõditionalia cõmunia esse prædestinatis, ac reprobis: nam similem ad modum circa salutẽ Iudæ, ante præscientiam demeritorũ eius habuit Deus hoc decretum. Si Iudas, qui à me vocatus est, perseuerauerit, iam nunc volo illi gloriam æternam deferre. Subijciunt inter reprobos, & prædestinatos hoc

interesse, quod decretum illud circa prædestinatos est causa donationis auxiliorum efficacium, quibus eam perseuerantiam obtinere debent: circa reprobos autem non ita. Cæterùm ista decreta conditionalia omninò cõmentitia sunt, & conficta: & licet reuera essent in Deo, non posset dici per illa homines eligi, aut destinari ad gloriam. Vtrumq; constat ex dictis. Nam primò authores isti non aliunde colligunt eiusmodi decreta, nisi ex eo quod Deus iustis omnibus promisit gloriam sub ea conditione, si in gratia constantes forent. Atqui promissio conditionalis, vt initio dicebamus, propriè est actus intellectus connotans duas voluntates, alteram præsentem & actualem promittendi, altera futuram, aut consequentem donandi rem promissam, quæ purificata conditione esse incipit. Omnis autem alia voluntas pendente conditione circa rem promissam, quæ explicetur per verbum *volo*, de præsenti, aut per verbum *vellem*, vana, atque ficta est, vt perspicuè docent Pater Vazquez, & Pater Arrubal locis citatis. Sed quamuis concederemus eiusmodi decreta conditionalia, quæ essent actuales volitiones circa rem futurã sub conditione, non possent certè hæc habere rationem prædestinationis, aut electionis efficacis. Ratio est in promptu, quia primæ gratiæ donatio, ex omniũ Theologorum consensu, est effectus primus prædestinationis: sed hæc non est effectus illius decreti, aut voluntatis conditionalis: ergo illa voluntas non est prædestinatio. Minorem propositionem ex supra dictis comprobare procliuè est: quia cum illo decreto, quod ita explicatur. Si Petrus perseuerauerit in iustitia, iam nunc decerno dare illi gratiam, optimè constare potest denegatio primi auxilij efficacis ad salutem, vt per se patet: ergo neque illud efficit, neq; illud includit. Non solum autem donatio primi auxilij non potest habere rationem effectus respectu illius voluntatis conditionalis, sed neque rationem conditionis: quia vt nuper dicebamus, non potest habere vim conditionis determinantis diuinam voluntatem id, cuius effectio à Deo exequi debet independenter à cooperatione libera creaturæ: sed eiusmodi est primum auxilium gratiæ efficacis: ergo non potest esse conditio voluntatem diuinam restringens. Quapropter conditionalis illa propositio non est ita conformanda. Si ego vocauero Ioannem gratia efficaci, & si ipse vocationi acquieuerit, gloriam ipsi donabo: ita vt voluntas dandi primam gratiam sit conditio voluntatis dandi gloriam: sed ita instituenda est. Si Petrus, quem ego vocare decreui per gratiam efficacem, huic vocationi responderit, &c. deferam eidem beatitudinem. Denique tantùm abest, vt donatio primæ gratiæ esse possit effectus eius voluntatis conditionalis, & ipsa posterior, vt potius sit aliquid omninò prius, & præsuppositum ad illam. Quod ex forma præfatæ conditionalis colligere fas est. *Si Petrus, quem vocare, aut excitare decreui, acquieuerit, &c.* In qua decretum excitationis præcedit voluntatem conditionalem: nam voluntas pendens à conditione non priùs intelligi incipit, quàm intelligatur possibilis conditio: sed id, quod habet rationem conditionis respectu illius voluntatis conditionatæ, est cooperatio creaturæ, quæ non prius vt possibilis incipit apprehendi, quàm intelligatur facta vocatio, & excitatio Dei: ergo in præuisione Dei decretum illud conditionale post prædictam excitationem esse, atque intelligi necesse est.

Secundò dicendum est voluntates conditionales, quæ postulant conditiones liberè impleri à creaturis, non posse versari circa obiecta confusa, & indeterminata. Quia verò exempla res illustrant, illud inquiro, an Deus circa salutem Petri habeat eiusmodi voluntatem in vniuersum. *Si Petrus in bonis operibus se exercuerit, & piè, ac sanctè vixerit vsque ad finem vitæ, ego illi loco præmij deferam beatitudinem.* Cogita ergo formã illius promissionis: quia si accipiatur, vt sonat, non determinat particulares actiones, aut opera, quæ Petrũ exequi oporteat: sed generaliter omnes actiones, & opera virtutis respicit, quæcumque Petrus perficere potest, ita vt ratione illius, etiamsi Petrus, data hac hypothesi, infinita virtutis opera exequeretur, ex vi illius promissionis diuina fides obstricta esset, vt omnibus, ac singulis beatitudinis præmium referret. Nam cum prædicta voluntas non designet singularia opera in indiuiduo, nec illorum numerum præfigat, quibus præmium pollicetur, necesse est, vt ad omnia possibilia referatur: ita vt ex infinitis operibus virtutis, quorum singula non repugnat fieri à Petro, nullum sit, cui ratione prædictæ promissionis non debeat Deus præmiũ ex fidelitate, si quidẽ re ipsa à Petro perficeretur.

Promissionem istam conditionalem generalem, & confusam eo modo, quo à me perscripta est, erga singulos tam prædestinatos, quàm reprobos concedendam esse Theologi quidam arbitrantur. Quod probari potest efficaci ratione: quia promissio conditionalis præmij, aut comminatio supplicij, per quas Deus fidem suam obstringit, præcedit necessariò præuisionem meritorum, aut demeritorum: omnis enim voluntas conditionalis suam conditionem antecedit. Cum igitur Deus, tunc cum promissionem facit, aut comminationem intendit, needum bona, vel mala opera, merita vel demerita sigillatim præuideat, necesse est, vt tam promissio, quàm comminatio ea confusè, & in vniuersum respiciat.

Hæc doctrina vſque adeò mihi falſa videtur, vt putem eam non ſine aliqua diuini intellectus, & voluntatis iniuria ab his Theologis pronunciari. Illam autem non vna ratione ſubuertere licet. Prima eſt illa, quã ſæpè aliàs conformaui ad hunc modum. Deus nihil cognoſcit confuſè, in communi, & in vniuerſum: ergo circa obiectum confuſum, vniuerſale, & indeterminatum nihil omninò conſtituere, aut decernere poteſt. Sed promiſſio hæc, quam prædicti Doctores adſtruunt, habet obiectum confuſum, vniuerſale, & indeterminatum: ergo in Deo reperiri non poteſt. Huius rationis vim declinare volentes aduerſarij aiunt voluntati diuinæ, vt ſic, prout ſimplex quædam rerum omnium volitio eſt, non poſſe adſcribi, aut aſſignari obiectum vniuerſale, & confuſum; tamen cum in Deo diuerſas voluntates diſtinguimus, vnam priorem, & aliam poſteriorem, nihil prohibere, quominus in aliquo ſigno rationis adiudicemus illi obiectum aliquod confuſum modo dicto. Hæc tamen ſolutio accommodata non eſt, quia quamuis nobis integrum ſit adæquatum obiectum voluntatis diuinæ quaſi in partes ſecare, quarum aliæ priores, aliæ poſteriores ſint, & per ordinem ad eiuſmodi partes obiecti diuerſa Dei decreta comminiſci, alia priora, & alia poſteriora ſecundum rationem, ac per hæc in præfinitionibus Dei diuerſa ſigna conſtituere: tamen integrum non eſt in aliquo ſigno rationis, aut menti, aut voluntati diuinæ aliquod partiale obiectum tribuere, quod ſub adæquato non comprehendatur. Sed nihil vniuerſale, & confuſum clauditur ſub adæquato obiecto ſimpliciſſimi intellectus, ac voluntatis diuinæ: ergo in nullo inſtanti, aut momento rationis poſſumus illi tale quidpiam obiecti loco accommodare.

Secunda ratio petenda eſt ex ſuprà dictis: quia promiſſio conditionalis, cuius ſcilicet conditio impoſsibilis eſt, non tantùm Deo indecora eſt, ſed etiã ex terminis ſuis repugnat: ſed talis eſt eiuſmodi promiſsio circa obiectum confuſum: ergo Deo tribui non poteſt. Minorem propoſitionem ſic oſtendo. Per promiſsionem illam (vt authores illius dogmatis ſponte fatẽtur) pollicitus eſt Deus præmium infinitis operibus, ita vt ſi Petrus infinita opera exequatur, dè facto ex vi illius promiſsionis omnibus illis Deus præmium ex fidelitate deberet: ſed impoſsibile eſt Petrum infinita virtutis opera exequi: ergo conditio impoſsibilis eſt. Confirmatur hæc ratio: quia Deus habet voluntatem expreſſam non excitandi voluntatem Petri, nec concurrendi cum eo ad infinita opera: hæc autem voluntas non pendet ex voluntate promittendi: tanquam à cauſa: quia etiamſi nulla intercederet promiſsio Dei, poſſet nihilominus habere eam voluntatem non excitandi, nec concurrendi. Rurſus illam etiam ex voluntate promittendi tanquam ex aliquo præſuppoſito inferre non licet, quia conſtante promiſsione, poſſet eſſe contraria voluntas concurrendi ad infinitas actiones: ergo iſtæ duæ voluntates vnà ſimulque ſunt in Deo: ergo in eodem ſigno rationis verum eſt dicere: Deus promittit præmium infinitis operibus Petri, ſi Petrus illa exequatur: nec non etiam illud: Petrum infinita opera exequi impoſsibile eſt: atque adeò vnà ſimulque promittit, & conditionẽ impoſsibilem reddit. Confirmatur vlterius hoc à ſimili. Si homo aliquis promitteret ſe daturum eleemoſynam infinitis pauperibus, ſi infiniti pauperes ſtipem ab ipſo petant: talis promiſsio cenſeretur inanis, atque irrita, ratione conditionis impoſſibilis: tum quia fieri non poteſt, vt infiniti pauperes ab ipſo petant eleemoſynam: tum etiam quia ſi peterent, non haberet fortunas, vnde omnibus ſtipem conferret. Sed poſito decreto, quo Deus ſtatuit non excitare voluntatem Petri ad infinitos actus virtutis, nec concurrere cum illo, non minùs impoſsibile eſt hominem infinita virtutis opera pręſtare, quã dare eleemoſynam infinitis pauperibus. Ergo promiſsio præmij facta ſub ea conditione, irrita efficeretur, & vana. Argumentum autem, quod de infinitis operibus virtutis efformaui, eodem modo de vno tantum actu cõfici poteſt ex his, quæ ideò à Petro præſtita non fuerunt, nec præſtari potuerunt, quia Deus illius voluntatem non excitauit: nam hoc ipſo antecedenter impoſsibilis efficitur.

Tertia ratio ſic habet: quia Deum promittere præmiũ eo modo infinitis actibus, perinde eſt atque ex ſe paratum eſſe ad illud præmium conferendum: nam Deus promittens præmiũ vni actioni virtutis, omnino demonſtrat, ac profitetur ſe velle, ac deſiderare, quãtum in ipſo eſt, talem actionem ab homine præſtari: ergo promittens præmium infinitis operibus honeſtis, declarat etiã, ac profitetur, quod ad ipſum ſpectat, velle ſe infinitos actus virtutis. Sed decernens non excitare voluntatem Petri ad infinitos actus, nec concurrere cum illa, ſimilẽ ad modum profitetur Deus, quantum in ipſo eſt, ſe nolle Petrum perficere tales actus: ergo pugnant inter ſe actus iſti, quia contradictionem inuoluit Deũ optimum maximum eandem rem inuariatam, quantum in ipſo eſt, velle ſimul, ac nolle, amare & detrectare.

Quarta ratio pendet ex ſuprà dictis: quia non prius incipit conditionalis promiſsio, quàm Dei voluntas expletis omnibus, quæ ſe ſolo facere debet, incipit ſubeſſe operationi liberæ. Atqui non priùs intelligitur Dei voluntas eo modo, his, quæ ad ipſum pertinent, executis, libertati creaturæ ſubiacere, quam facta fuerit in voluntate creaturæ excitatio ad opus, cui præmium promittitur:

ergo

ergo talis promissio conditionalis hanc excitationem præsupponit. Sed excitatio Dei fit pro determinatis operibus: ergo promissio Dei ad determinata opera refertur.

Quinta ratio robustissima est: quia promissio illa conditionalis, qua Deus Petro pro singulis eius operibus præmium pollicitus est, facta fuit à Deo post præuisionem meritorum Christi: nulla enim gratia ad bonum opus præstandum, aut præmium pro opere honesto præstito cuiquam promissum est, cuius promissionem Christus oratione, & applicatione suorum meritorum non impetrauerit. Sed Christus non orauit, neque obtulit merita sua, vt Petrus infinita virtutis opera exequeretur: sed ad determinata, numerata, & singularia opera gratiam, & respondens illis operibus præmium postulauit. Ergo promissio præmij pro determitatis, numeratis, ac singularibus operibus, non pro indeterminatis, aut infinitis effecta est.

Hinc autem petenda est solutio argumenti, quo inducti sunt authores isti, vt promissioni diuinę confusum obiectum accommodarent. Aio enim in eo signo, cum intelligitur conditionalis promissio præmij facta Petro, necdum præuideri opera illius bona, quæ conditionis rationem obtinent: tamen dico iam tunc præuideri gratiam, & auxilia, quibus Deus Petri voluntatem excitare apud se decreuit ad singularia, & determinata opera. Itaque diuina promissio non sic instituta est in vniuersum. Si Petrus bona opera executus fuerit, qualiacumq; illa sint, & perseuerauerit vsque ad vitæ finem, præmium pro singulis reportabit: hic enim promittendi modus Deo indignus, & contumeliosus esset. Sed ita: Si Petrus ea opera singularia, & determinata perfecerit, ad quæ illum per auxilia vocare, & excitare decerno, deferam illi pro singulis præmij loco gloriam. Numerus autem determinatus istorum operum aut desumendus est remotè ex oratione Christi, qui omnibus, quæ circa Petrum euenire oportebat, per conditionalem scientiam ante præscitis, pro determinatis, ac singularibus illius operibus gratiam illi deprecatus est, non pro omnibus, aut pro infinitis: proximè autem ex prædestinatione Dei præparantis gratiam eidem Petro, non quidem ad omnes (id enim alienum est à voluntate Dei) sed ad singulares, & determinatas actiones. Nam vt nuper dicebam, promissio præmij conditionalis à Deo facta non præcedit, sed sequitur decretum excitandi voluntatem humanam ad opus honestum: quia non prius intelligitur conditionalis voluntas Dei donandi præmium pro bonis operibus, quàm conditio intelligitur possibilis, & ab humana voluntate pendere incipit: hæc autem dependentia non est ante donationem excitantis gratiæ. Quapropter eo ordine, ac dispositione, & ad eos actus in singulari intelligitur facta promissio, aut comminatio Dei, quo meritis Christi inducta diuina voluntas decreuit excitare voluntates singulorum. Nam si quis dicat mihi promissum præmium per Christum pro opere illo, ad quod ideò Deus voluntatem meam non est excitaturus, quia Christus id non postulauit, ex terminis ipsis pugnantia dicere prorsus ostendet.

Ex his, quæ hactenus præfati sumus de duplici conditionalium promissionum differentia, facile admodum, ac procliue est constituere, quid de pacto illo conditionali censendum sit, quod aduersarij ita comminiscuntur, vt promissio iustitiæ originalis, & comminatio spoliationis eiusdem iustitiæ non solum habuerit pro conditione pendente in futurum perseuerantiam, aut lapsum Adami, sed etiam existentiam filiorum ex ipso per naturalem propagationem. In primis enim dicendum est promissionem illam non includere aliquod decretum conditionale præsens, & actuale, quod significetur per verbum *volo*, aut *vellem*, vt constat ex dictis in quarta Notatione. Et licet illud admitteremus, eodem modo, imò multò magis pugnarent contra illud sequentes rationes, quàm contra promissionem conditionalem, vt ex dicendis liquidum fiet. Deinde cogitandum iuxta horum Doctorũ sententiam, triplici modo hanc promissionem, aut pactum conformari potuisse. Vel ita vt Deus primam conditionem, nempe existentiam omnium futurorum hominum ex meritis ipsius Adami, Christi, aut alterius pendere voluerit: aut ita vt dictam omnium existentiam independenter à meritis, & voluntate alicuius creaturæ statim post factam promissionem solus per se decerneret: aut denique, ita vt plurimorum hominum primam conditionem per se ipsum independenter ab alio: paucorum verò, quorum generationem maraculosam fore oportebat, procreationem ideò distulerat, quia non nisi dependenter à meritis parentum, & ipsius Christi definire vellet. Quocunque autem ex tribus hisce modis prædictis diuina promissio, aut comminatio facta dicatur, repugnantiam manifestam includit. Pergo per singula, & ad superiores rationes reuoco.

Si quis assereret pactum, & promissionem Dei conditam primo modo, consequenter fateri deberet Christum Dominum existentiam, & primum creationis beneficium cunctis Adami filijs meritis suis obtinuisse: quod pugnat cum doctrina Diui Augustini, & definitione Concilij Arauxicani, vt suprà cap. 24. §. 3. sect. 1. fusè probauimus. Rursus vti modus iste

ordinandi Dei decreta defendi possit, consectariè dicendum est promissionem Dei, & pactum eius in primo signo ante conditionem expletam ad omnes in vniuersum possibiles homines directum fuisse eo modo, quo ipsimet aduersarij in propositione argumenti sponte concedunt. Hæc autem doctrina habet sibi contrarias tres illas priores rationes, quas in 4. Notatione præscripsimus eo modo, quo infrà subscribemus. Sed quia hic modus dicendi alienus est à mente horum Doctorum, ad alia excurro.

Si quis etiam diceret pactum initum secundo modo, ita vt Deus futurorum hominum primam productionem ideò distulerit in aliud signum, vt ipse per se hos potius, quàm illos, quoscumque vellet, ex possibilibus independenter à meritis, & voluntate libera creaturarum efformari decerneret: pugnarent certè contra illum omnia, quæ diximus in secunda Notatione, in qua perspicuè probauimus prædictam voluntatem circa illos, quorum productionem Deus re ipsa, & de facto voluit, conditionalem esse non potuisse: circa illos verò, quorum conditionem nunquam voluit, esse impossibilem: conditio autem impossibilis in hominibus quidem vanam, & irritam, in Deo autem impossibilem promissionem efficit, vt in ea Notatione robustissima ratione confecimus. Sed neque id sibi volunt prędicti authores, qui promissionem conditionalem adstruunt.

Mens igitur illorum est, pactum conformatum fuisse tertio modo: ita nimirum, vt conditio futuræ existentiæ promissionem transfusionis gratiæ efficacem propterea restrinxerit, ac determinauerit, vt subinde idem Deus plures quidem per se ipsum sine meritis: paucos verò pro meritis producere posset sine iniuria efficacis decreti, & pacti cum Adamo initi. Cæterùm contra modum istum pasciscendi pugnant ea omnia, quæ per tres Notationes sparsimus. Nam quod spectat ad illos plures, quorum productionem à Deo solo independenter à meritis decretam asserunt, ex dictis in secunda Notatione constat, eam promissionem conditionalem esse non potuisse. Quia cum voluntas promittendi illis gratiam, & iustitiam originalem, & voluntas illos creandi, nullum inter se ordinem habeant prioris, ac posterioris, non potest vna habere rationem conditionis respectu alterius. Quapropter quotquot ita senserint, coguntur pactum quoddam bimembre adstruere: quod nimirum altera ex parte absolutum sit, altera verò ex parte conditionatum: id verò non parum deforme videtur.

Quod verò attinet ad alios, quorum futuritionem postea ex meritis Christi denitam voluit, vt illos in pacti generalis conditiones venisse defendant, consectariè dicunt pactum, & promissionem ita constitutam fuisse, vt in hoc signo suæ constitutionis, antequam præuideatur existentia futurorum, quam conditionis loco ponunt, promissio Dei ad omnes possibiles referatur indeterminatè, atque indiscretè: ita vt nullus homo possibilis sit, qui si existeret, ex vi prioris voluntatis, labascente Adamo, non esset spoliandus gratia debita, atque adeò reus originalis peccati futurus: aut eodem perseuerante, gratiam, & iustitiam originalem non esset accepturus. Quod nulla ratione diffiteri possunt: quia cum in eo signo nondum præuideantur merita Christi, neque preces parentum, per quas demum obtinendum erat, vt hi potius, quam illi, tot & non plures ex possibilibus conderentur, omnium possibilium eadem erat conditio, & alea: atque adeò promissio omnes complectebatur. Cæterùm hanc doctrinam euertunt prorsus quatuor illæ rationes in quarta Notatione suprà adscriptæ. Nam primò cum ista promissio respiciat obiectum vniuersale, & confusum, in Deum cadere non potest, vt inibi luculenter demonstrauimus. Secundò, quia conditio impossibilis impossibilem quoque reddit promissionem conditionatam. At enim fieri non potest, vt omnes homines possibiles per merita, aut preces parentum existentiam obtineant: quia vt infiniti homines, qui ea ratione possibiles sunt, per merita, & preces existerent, necessarium fuit, vt Deus Christi, & parentum mentes ad petendum infinitos filios excitaret. Sed constat potius Deum apud se statuisse, ac decreuisse, neque Christi, neque parentum mentes ad petendos infinitos filios excitare, aut mouere: ergo impossibile est, vt infiniti filij per merita parentum existentiam obtineant: atque adeò conditio illius promissionis, aut pacti per ipsam Dei voluntatem redditur antecedenter impossibilis: ergo ipsa quoque promissio impossibilitatem, & repugnantiam inde trahit. Tertiò, quia inde etiam sequitur Deum in eodem signo rationis, quantum est ex se, voluisse, vt omnes illi homines possibiles, qui nunquam futuri sunt, haberent gratiam per Adamum in ipsos deriuandam (id enim est de ratione promissionis) & rursus etiam, quantum in ipso est, noluisse, vt eam gratiam obtinerent (id enim proprium quoque est eius, qui conditionem promissionis ab ipso solo pendentem apponere non vult, vt ex terminis ipsis constat) sequitur (inquam) quantū est ex se, id noluisse: quia ad hoc vt subsisteret illa conditio, nempe existentia possibiliū per merita,

& preces parta, necessum erit, vt Deus mentes parentum ad petendos omnes filios possibiles excitaret: cum vero Deus ex se, & quantum in ipso est, id præstare nolit: consequenter efficitur ipsum quoque, quantum in ipso est, tam conditionem, quam id, quod ex positione conditionis futurum erat, noluisse, ac refutasse. Adde etiam quartam aliam rationem, quæ ex dictis etiam in 4. Notatione peti potest. Quia non potest promissio Dei conditionalis incipere, aut intelligi, nisi ex eo momento in quo conditio incipit pendere à libera voluntate creaturæ (vt inibi probatum manet) Atqui prædicta conditio existentiæ per merita obtinendæ non potuit pendere à libertate creaturæ, nisi post præuisam excitationem voluntatis Christi liberaliter à Deo factam, & parentum etiam per Christum, vt hos, vel illos filios à Deo postularent: ista verò excitatio præsupponit necessariò existentiam Christi. Ergo talis promissio etiam respectu futurorum non potuit subsistere ante præscientiam, & prædestinationem Christi: & consequenter omnes quotquot ea ratione forent, non possent in pacti illius conditiones venire, quod ante Christi præuisionem initum intelligitur.

15 Non video qua ratione aduersatij manifestissimam horum argumentorum vim declinare possint, nisi fortè ad solutionem quandam valde inermem se se recipiant, quam aliqui ad defendendam efficacem electionem prædestinatorum ad gloriam ante præuisionem meritorum commenti sunt. Itaque dicere possunt promissionem illam ab ipsis excogitatam, quæ existentiam futurorum per merita parentum obtinendam conditionis loco habet, non ita quidem instituendam esse, vt in eo primo signo suæ constitutionis respiciat omnes homines collectiuè, sed distributiuè, hos nimirum, aut illos (sicut de meritis in communi præuisis præcitati Theologi decreuerunt) Quãobrem quandam pacti, & promissionis formam confingere possunt ad hunc modum: Si Adamus perseuerauerit, omnes filij, quos ego ab ipso propagari iam nunc decerno, & siqui alij ex cunctis possibilibus, hi, vel illi per merita parentum acceperint, vt sint, his quidem, vel illis disiunctiuè promitto gratiam, & iustitiam originalem. Pacto autem hunc ad modum constituto, non sine astu vis superiorum argumentorum declinata videtur: nam tollitur illa generalitas promissionis, fitque, vt eos tantummodo pactum respiciat, qui denique futuri sunt.

Cæterum huius solutionis infirmitas facilè admodum eludi potest. Imprimis enim non euitat confusionem illam ex parte obiecti, aut termini, quam primum argumentum efficaciter probat in Deum cadere non posse: imo aliam fortasse inducit longè deteriorem ex illa disiunctione profectam. Rursus non effugit vim quartæ rationis, quæ perspicuè ostendit promissionem illam conditionalem non posse incipere, nisi post excitationem voluntatis Christi liberaliter à Deo factam, quæ ipsiusmet Christi existentiam præsupponit. Sed quod caput est, grauiori alia difficultate se se implicat. Nam demus illis pactum, & promissionem Dei eo modo constitutam fuisse: profectò ista promissio facta ad eum modum per disiunctionem non determinaret voluntatem Dei ad aliquem numerum hominum producendum: sed determinatio indiuiduorum, ac numeri ipsorum tunc dilata esset, vt per merita parentum obtineri posset. Supponamus ergo id factum, quod fieri non potest, sed tamen cum priori decreto non pugnat: vt scilicet Deus per parentum merita, & preces inductus non quidem hos, vel illos ex possibilibus, sed hos, atque illos, nempe omnes possibiles homines de facto per generationem naturalem acceleratis partubus produceret. Quid tunc futurum putabimus? Certè in angustias redacti sumus: non enim licet affirmare omnes illos, perseuerante Adamo, ex vi prioris promissionis habituros esse gratiam originalem, quia promissio illa non est facta ad omnes, sed disiunctiuè ad hos, vel illos: non aliquos in particulari, quia promissio non determinauit singularia, & indiuidua: ergo nullus ei legi, & promissioni subiacebit. Sed ne quis putet vim huius argumentationis ex suppositione illa impossibili eludi: quia nimirum sentit Deum de potentia absoluta infinitum numerum hominum per naturalem propagationem producere non posse: illud certè in numero aliquo determinato eodem modo conformari licet. Nam ponamus promissionem illam supradictam ad mille tantum homines possibiles sub disiunctione à Deo directam fuisse: vt nimirum ex illis aliquot, hi, vel illi quotquot per naturalem generationem ex meritis parentum producerentur, gratiam ex Adamo deriuatam obtinerent. Certè cum hoc decreto non pugnat, vt Deus postea meritis parentum excitatus omnes illos mille ad vnum produceret, reditque eadem difficultas: sequitur enim nullum ex prædictis mille hominibus ex vi prioris illius promissionis gratiam ex Adamo deriuatam obtenturum esse. Sed dices id argumentum tunc vim habere, cum formatur de infinita multitudine actuali, aut de numero finito, & determinato: eius tamẽ vim elidi, si efformetur de infinito syncategorematico hominũ, quod Deus tantum producere, ac condere potest, scilicet non tot, quin plures alios post alios successiuè. Veruntamẽ de hoc infinito idẽ argumentũ robustius cõfici potest.

Quia Deus non potuit etiam sub disiunctione promissionem suam intendere, nisi ad eos tantum, quos producere, & quibus existentiam conferre poterat: ita enim supponimus existentiam esse conditioné istius promissionis, atque adeò disiunctio illa cadere debet super eos præcise, quos potentia Dei eo modo per generationem naturalem procreare valet: vt nimirum ex illis, qui produci possunt, hi, vel illi gratiam ex Adamo fluentem obtinere debeant, aliter enim conditio esset impossibilis. Iam igitur redit superius illud argumentũ. Cum promissione illa ad eũ modum conformata non pugnabat, vt Deus meritis parẽtũ exoratus infinitos homines syncategorematicè per naturalé generationem produci iuberet, scilicet nõ tot, quin plures, omnes nimirũ, quos posset. Ponamus igitur ita factum, tunc sic inquiro: an omnes quotquot eo modo procrearentur, iustitiã ex Adamo habituri essent, an ex his aliqui: non omnes, quia promissio facta est disiunctiuè ad hos, vel illos, quos Deus producere poterat: non aliquos, quia dicta promissio nec numerũ, nec singularia determinauit: ergo ad nullũ iustitia deflueret. Manet ergo, promissioné istam sub disiunctione factã vanã prorsus, commentitiam, & Deo repugnantem esse. Et quidem omnes istę rationes plurimum obscurari debent, quia doctrinam eorũ labefactant, qui ad defendendam efficacem electionem, siue prædestinatorum ad gloriam, siue Virginis ad maternitatem ante merita præuisa, & ad alia permulta confusa, & indeterminata obiecta diuinæ voluntati, aut intellectui tribuunt, quæ nec habet, neque omninò habere potest.

Ex his liquet, sartam, tectamque manere eam doctrinam, quam propugnandam ab initio huius libi desumpsimus, scilicet legem transfusionis, & pactum cum Adamo initum supponere præscientiam futurorum: ita vt nullus omnino ex his, quorum existentia ante constitutionem pacti non præuidebatur, in eam legem ingredi potuerit. Atque adeò certũ, ratumque manet, solam, & vnam sanctissimam Virginem Deiparam primæ suæ conditionis, & creationis beneficium post peccati, & Christi præscientiam per ipsius Christi merita obtinuisse: atque adeò vnam, & solam à lege illa generali liberã, & à conditionibus eius immunem fuisse: & ex consequenti peccatũ, ac peccati debitũ ignorasse.

CAN. II.

16. Vniuersales propositiones, quæ solum Christum expressè excipiunt à peccato familiares sunt Patribus.

17. Inter sanctitatem Christi, & cuiuslibet alterius puræ creaturę sanctitatem plura differentiæ capita obseruantur.

18. Ex his differentijs pleraque Patrum testimonia interpretari integrum est, quæ quatenus solum Christum excipiunt, Virginem includere videntur.

19. Speciale quoddam ius immunitatis ab omni culpa in Christo ratione suæ Cõceptionis ex Virgine agnouerunt Patres, quo Virgo ipsa caruit.

20. Quid sibi velint Patres, cum aiunt Christum non euitaturum omninò peccatum, si ex peccatrice matre natus fuisset.

21. A generalibus illis enunciationibus, in quibus Christus explicitè excipitur, implicitè simul cum Christo mater excipitur.



16 NON Solum in Scriptura, & Patribus occurrunt enunciationes vniuersales, quæ absolute tradunt omnes homines in Adamo, & ex Adamo peccato infectos fuisse: sed quædam aliæ propositiones eueniunt, quæ expresse asserunt Christum tantummodo ab his generalibus, & vniuersalibus orationibus excipiẽdum esse. Et allegant commune iuris peritorum effatum. *Exceptio firmat regulam in contrarium.* Nam cum legislator (inquiunt) aliquẽ expresse excipit, & pro reliquis legem vniuersalem condit, nullum alium vlterius excipi debere eo argumento declarat. Difficile admodum, ac longum esset omnes Patrũ locos colligere, in quibus docent solũ Christum iustum, insontem, innocentem, & à peccato prorsus immunẽ fuisse. Nonnullos seligam, ex quibus de alijs statuere integrum erit. D. Hilarius ab August. citatus in lib. 1. contra Iulianum. *Hilar.* *Omnis* (inquit) *caro* (*excepta illa, quæ sine peccato venit in similitudinẽ carnis peccati*) *sub peccati origine, & sub peccati lege nata est.* *Origen.* Orig. Hom. 7. in Leuit. *Omnis ergo homo in patre, & matre pollutus est, solus autem Dominus noster Iesus Christus in hanc generationẽ mundus ingressus est.* *Leo Pap.* Leo Papa serm. 5. de Natiuitate Saluatoris. *Cũ regnaret mors ab Adam vsque in finẽ, & super omnes homines condẽnatio insolubilis promaneret, cum de sola conditione nascendi vna esset cunctis causa pereundi: solus itaque inter filios hominum Dominus Iesus innocens natus est, quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus.* *August.* *Ambrof.* *Hierony.* *Bandel.* Similia verba habet sermo. 2. & sermo. 8. Mitto Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, Gregorium, & alios innumeros, quos relegere licet apud Bandellum (quamuis hic author non semel Sanctorum Patrum loca adulteret, vt ad suã sententiam inuita pertrahat: atque adeò caute admodum legendus est.)

17 His vt respondeam, præmittere oportet inter sanctitatem Christi, & cuiuslibet alterius creaturæ sanctitatem, & iustitiam aliquas differentias intercedere, per quas vna

ab altera latisſime discrepat. Prima differentia est, quod Christus inter alios homines iustos, & sanctos est primus iustus, & sanctus. primus nimirum ad sanctitatem electus, & prædestinatus: reliqui verò post ipsum, & per ipsum. Secunda differentia est, quod nos ex adoptione iustitiã, & sanctitatem habemus: Christo autem naturalis est sanctitas. Id est. Quia nimirum ex duabus naturis in eadem hypostasi non per affectum, sed per naturalẽ, & realem vnionẽ copulatis constituitur homo Deus: atque adeò naturaliter sanctus, & D. Thom. filius Dei naturalis, vt ad 3. par. D. Thom. q. 7. art. 1. docent Theologi, sed ante alios Pat. Vazquez disp. 41. cap. 3. Hinc fluit tertia differentia, quod solus Christus iure suæ Natiuitatis, & Conceptionis, sine aliqua alia superaddita iustitia sanctus, & iustus est: quia nimirum illũ diuinitas ipsa sanctum reddebat, cui in vnitate eiusdem suppositi humanitas agglutinata erat, ac tanta necessitate efficiebat sanctum, vt sine hac sanctitate ipsa humanitas Christi existere nõ posset: quippè quæ ablata propria subsistentia, sine diuina hypostasi, ex qua in illam sanctitas per diuinitatẽ redũdabat, existentiam accipere nõ poterat. Alij verò sanctitatem subinde post acceptam naturam gratiose, & liberaliter accipiunt. Adde etiam quartam differentiam huic valde affinem: quia Christus Dominus etiam iure ipso naturalis Cõceptionis, quatenus sine viri concubitu, Spiritus Sancti virtute genitus, ac procreatus est, à culpa liber, & immunis extitit: quo iure nullus alius, nec Virgo ipsa Deipara gaudet: hæc enim, si Cõceptionis modum spectes, nisi aliunde à pacto, & lege transfusionis libera esset, peccato originali, ac debito illius prorsus subiaceret. Hæc omnia exploratisſima sunt.

18 Quibus prælibatis, refellenda imprimis est illorum sententia, qui his Patrum testimonijs non aliter sibi occurrendũ existimãt, quàm superioribus, asserentes omnes alios homines sub peccati originalis obligatione, ac debito comprehendi, ac constringi: solum autem Christum ab eo debito immunem esse. Quam interpretationem superioris Canonis doctrina prorsus elidit. Reiecta igitur hac expositione, assero primo omnia Patrum testimonia, in quibus Christus ab omnibus alijs secernitur, & solus ipse sanctus, solus innocens affirmatur, ad aliquam ex supra adscriptis differentijs referri posse. De singulis exempla subscribam, vt ex his ad alia loca similiter diluẽda ars tibi præsto sit. Ex prima igitur differentia desumẽda est interpretatio Cyrilli Alexandrini in Ioannem. Cyrillus Alexand. *Quando venit* (inquit) *Saluator, nullus erat iustus super terram, sicut docet Apostolus dicens: Non enim est distinctio: omnes enim peccauerũt, & egent gloria Dei; id est, Christo, qui solus fuit sine peccato.* Quæ verba, vt bonum ad sensum vocentur, ad Dei prædestinationem referenda sunt, in qua nullus ante Christum sanctus præuisus fuit, sed omnes post ipsum, & per ipsum ad iustitiam electi: atque adeò solus sine peccato dicitur, cui scilicet hoc proprium, & primum sit peccato vacare: omnes enim alij ab ipso, & per ipsum id habent.

Ex secunda differentia lucem afferre licet Athanasio in Lucam, ex quo proferuntur hæc verba. Athanas. *Christus singulariter sanctus erat, & in hoc ab alijs sanctis sanctitate disſimilis, quod sanctitatem simul cum natura suscepit*, id est, in hoc ab alijs sanctis plurimũ distabat, quod nimirũ sanctitas illi non aliunde ascita, aut infusa, sed naturalis ex duarum naturarum societate in vna hypostasi, vt nuper dicebamus: cuius loci fusiorem interpretationem habes infrà cap. seq. sæculo 4. in Epiphanio.

Tertia, & quarta differentia, ad plæraque Patrum testimonia edisserenda, assumi potest, quatenus solum Christum sanctum, & sine peccato conceptum, aut natum dicunt. D. Gregor. in cap. 18. Iob, ad illud, Gregor. *Non adæquabitur ei aurum*, &c. *Ille* (inquit) *solus veraciter sanctus est natus, qui vt ipsam naturæ corruptibilis conditionem vinceret, ex corruptione carnalis copulæ non est conceptus.* Quasi dicat: solus ille suæ Natiuitatis, & Cõceptionis iure sanctitatem habuit, & peccatum declinauit. Ambrosius in Lucam, qui citatur ab Augustino Ambros. contra Iulianum: *Solus* (inquit) *per omnia ex natis de fœmina sanctus in Conceptione fuit Dominus IESVS, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non sensit*, id est, singularis Christus hoc habuit, vt quatenus Deus, & homo conceptus est, sanctus à Conceptione esset, & quatenus ex Virginis omnis corruptelæ expertis vtero susceptus est, culpæ contagia nesciret. Quasi dicat: tam modus sanctificationis, quam vitandi, declinandiq; peccati ratio in Christo peculiaris, ac propria fuit. Sunt & alia valde obuia id genus testimonia apud Patres, quæ hoc sensu necessariò donari debent, ne si alium ad sensum vocemus, aliquem illis errorem affigere opus sit. Quia illud proculdubio ad fidem Catholicam pertinet: quod nimirum licet Christus ex matre non virgine iuxta naturalem propagandæ humanitatis rationem procreatus foret, propter solam diuinitatis vnctionem sanctus nihilominus nasceretur. Quapropter cum sæpius Patres ideò solum sine peccato Christum conceptum asserunt, quia solus de Virgine genitus fuit, quasi tota ratio illius contagij declinãdi fuerit partus, & conceptio virginalis, cautius legendi, & intelligendi sunt: & vti bonum ad sensum aduocentur, dicendum prorsus illos id sibi velle, quod solus Christus iure sua conceptionis à peccato immunis fuit: ita vt licet aliàs ex suppositione vnio hypostatica ab omni peccato liberum illum non redderet, sola generationis ratio immunitatẽ ipsi concederet. Præterea illud etiã suadet eiusmodi

Patrum testimonia sępius eo sensu donanda esse, vt significent solum Christum innocentiam, & sanctitatem eo iure obtinuisse, quatenus ex Virgine procreatus fuit: quia sæpius Patres eodem modo, quo Christum solum inter alios sanctum, & innocentē in sua Cōceptione fuisse dictitant: solum etiam innocentem, & sanctum natum asserunt. Cum autem constet Virginem, & Ioannem Baptistam in sua quoque Natiuitate sanctos, & iustos fuisse, aut cogimur asserere eiusmodi vniuersales enūciationes, quæ exceptionē Christi continent, non esse omnino rigorose accipiendas: aut certè dicendum Sanctos Patres loqui de illis, quæ Christo propria sunt, neque cum alijs communia: ita nimirum, vt Christum solum in Natiuitate sua innocentē fuisse dicant, quia solus ex virgine, solus Deus, & homo natus est: atq; adeò solus suæ Natiuitatis iure sanctus, & à peccato immunis extitit.

19 Sed vt modum loquendi Patrum melius calleamus, operęprętium erit animaduertere illis perquam familiare esse ita de Christi innocentia loqui, vt integram rationem, propter quam Christus à peccati originalis contagio liber conceptus, natusq; fuit, sępius ex eo petant, quia non ex naturali propagatione maris, & fœminæ, sed ex virgine supra omnem naturæ vim procreatus fuit: ita vt aliquando id innuere videantur, futurum certè, vt si Christus ex viro, ac fœmina consueto naturæ modo gigneretur, peccati contagium non effugeret. D. Ildephon. in lib. de Partur. Virg. Mariæ. *Quoniam si esset* (inquit) *in eo partu aliqua corruptio, esset peccati contaminatio, pro quo desæuiret in Maria antiqua maledictio: quod si maledictio illa in Maria viguit, adhuc & ipse Christus sub maledicto fuit, vt sæpe dictum est.* Et quidem id ipsum in eo libro sæpè ac sæpius repetit. Et id etiam sonare vidētur verba Leonis Papæ in ser. 2. de Natiuit. Saluatoris. *Et cum in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio: hæc inde purgationē traxit, vnde concepit. Quo enim paterni seminis transfusio non peruenit, peccati se illic origo non miscuit: assumpta est de matre hominis natura, non culpa, &c.* Et infrà: *Cum sola conditio nascendi vna cunctis esset causa pereundi, solus inter filios hominum Dominus IESVS innocens natus est, quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus.* D. August. lib. 5. contra Iulianum, cap. 15. *Hinc apparet* (ait) *illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propagationē mali: quia Maria corpus licet inde venerit: non tamen traiecit in corpus, quod non inde concepit.* Quæ Augustini ratio, vt vim aliquam habeat, videtur id supponere futurum, vt Christus ex concupiscentia, ac libidine per seminalem propagationem genitus traducis vitia non effugeret. Et idem August. in Epist. ad Euodium 99. *Sumpsit* (inquit) *ex Virgine veram quidem carnis substantiam: non tamen peccati carnem, quia non ex carnali concupiscentia siue seminatam, siue conceptam, &c.* Missa facio alia aliorum Patrum testimonia eiusdem argumenti, quæ id innuere videntur, nasci ex Virgine adæquatam, integramq; causam cōtinuisse, ob quam Christo peccati originalis sordes non adhæserunt.

[Margin: Ildeph. — Leo PP. — August. — August.]

Ergo cum constet Natiuitatem Christi ex Virgine ita Christum à peccati originalis contagio immunem fecisse, vt ex alio potiori, & digniori iure, nempe ex diuinitatis, & humanitatis vnione, eam immunitatem obtinuerit: quid causæ est, quod Patres tanto consensu hanc immunitatē ex virginali partu aucupati sunt? Neque verò putandum digniorem illam, & potiorē rationem, quæ Christum ab originali culpa reddebat liberū, Patribus ignotā fuisse. Nam Leo Magnus, qui illam immunitatis radicem ex matris virginitate petitam non semel attingit, & ex illa quasi ex sola, & vnica causa Christi innocentiam deducit, alteram non suppressit in ser. 8 de Natiuit. *Dominus* (inquit) *Dauid factus est filius Dauid, & de promissi generis fructu proles est orta sine vitio, in vnam personam genuina cōueniente natura, vt eodem conceptu, eodemq; partu gigneretur Dominus noster IESVS Christus, cui vera inesset Deitas ad miracula operum, & vera humanitas ad tolerantiam passionum.* Et August. in lib. 2. de Baptismo. *Solus* (inquit) *ille etiam homo factus manens Deus peccatum nullum habuit.* Et luculentius Tertull. in lib. de Carne Christi. *Ergo* (inquies) *si nostram induit, peccatrix fuit caro Christi? Noli constringere inexplicabilem sensum: nostram enim induens suam fecit, suam faciens non peccatricē eam fecit.* Mitto alios. Aliqui ergo sic occurrunt, Sanctos Patres ad probandam Christi innocentiam ex partu virgineo propterea argumentum deriuasse, quia id notissimum erat. Sed tamen hæc solutio obiectam difficultatē non diluit: quia Patres non modo eam, quæ ex virgineo partu ducitur, immunitatis rationem probant, & vsurpant, sed etiam innuunt ea sublata futurum, vt Christus aliqua ratione sub maledicto esset, & peccati originalis iniuriæ subiaceret. Quapropter ego ita reor Sanctos Patres nequaquam id voluisse, Christū Dominum, si ex matre violata, & corrupta virili ex semine ortum duceret, peccati originalis reum futurum. Quandoquidem, ipsis etiam annuentibus, sola diuinitas omne peccatum ab illo quamlongissime arcebat: sed mētem eorū hanc fuisse reor, Christū, si ea ratione genit⁹, ac procreatus fuisset, non cariturum eo, quod in nobis proximum peccati originalis fundamentum est: atq; adeò ea ex parte quodammodo sub maledicto futurum: non quia id illum peccati reum præstare posset. Absit: sed quia ea ex parte illi non eueniret libertas à peccato. Luculentius dicam; non satis putarunt Pa-

[Margin: Leo PP. — August. — Tertull.]

tres illi, quod hæc immunitas à peccato ex diuinitate in humanitatem redundaret: sed vti omnino à peccati huius contagio, & obligatione alienus foret, necessariũ etiam existimarunt, vt humanitas etiam ipsa proprio iure, eam immunitatem capesseret: ita vt nihil ipsi inesset cum alijs cõmune, quod, sublato etiam diuinitatis commercio, humanitatem peccato obnoxiam vtcumque redderet, nihilq; in ea eueniret, quod peccati fundamentum, nedum peccatũ dici posset. Horum enim quidpiam Christo affigere, aut accommodare nefas putarunt.

Hinc autem dispicere licet, quid discriminis Mariam inter, ac Christum intersit: Christus enim tam longè à peccati originalis cõtagio abfuit, vt nullum, ne remotissimum quidem illius fundamentum in eo fuerit: in Virgine autem aliquod huius culpæ fundamentum remotum extitit, scilicet naturalis, & consueta generatio, quæ alios peccati reos fecit: non quia hæc illam peccati debitricem proximè statueret: sed quia cũ debitũ illud in his, quos lex, pactumque cum Adamo initum comprehendit, in seminali propagatione fundetur, hæc in ipsa nõ defuit, quę, si lex, pactumq; accederet, culpæ debitricem omnino faceret. Et hoc est debitum illud remotum, quod in Virgine agnoscũt authores superiori Canone citati: de quo nos supra c.1. & 24. vbi illud debiti nomen haud mereri decreuimus.

20 Hinc etiam lucem accipit modus alter loquendi apud Patres non insuetus, qui ita nonnunquam asserunt Virginẽ caruisse peccato originali: quia si ipsa aliquid huiusce peccati habuisset, Christus etiam non omnino à peccato alienus esset. Hanc rationem non semel vsurpat D. Ildephon. in libello de Virginit. & Parturit. vbi sic ait. *Alioquin si nõ eodem spiritu sanctificata est, & emundata, quomodo eius caro non caro peccati fuit? Etsi caro eius de massa primæ præuaricationis venit, quomodo Christus Verbũ caro sine peccato fuit, qui de carne peccati carnẽ assumpsit?* Et infrà: *Quia si ita peperit, ergo adhuc, ac si in massa primæ damnationis contra Angeli vocem maledictioni subiacuit, & Verbum Patris de carne peccati, quod absit, vt caro fieret, hominẽ assumpsit.* Ambros. in c.8. Epist. ad Roman. *Expiata est caro Domini ab Spiritu Sancto in Virgine, vt in tali corpore nasceretur, quale fuit corpus Adæ ante peccatum.* Alia eiusmodi passim occurrũt apud Patres, qui eodem sensu donandi sunt, quo nuper illos interpretati sumus. Nam peccatum originale è parentibus ad filios decidit: ideò enim filij peccatores procreari putantur, quia ex peccatoribus fluunt: vnde parentum culpa ad filios transire dicitur. Quamuis ergo Christus ex alio iure, quaten⁹ Deus, & homo erat, ita ab omni peccato liber fuerit, vt quamlibet ex peccatrice matre ortum duceret, nihilominus ipsi culpa adhærescere

Ildephon.

Ambros.

nõ posset: tamen ne id quidem, quod in alijs hominibus peccati transfundendi radix est, scilicet ex peccatoribus nasci, ac procreari, in semetipso sustinuit: ne vel hoc quamuis remotum fundamentum contrahendæ culpæ in ipso agnoscere liceret. Quia cum non modo vellet eam immunitatem ex diuinitate in humanitatem refundi, vt nuper dicebamus, sed etiam singulari, & proprio iure ab humanitate obtineri, matrem sibi delegit à peccato permundam, ne si aliarum similis peccatrix fuisset, ea ex parte peccato subiacere videretur. Quapropter cum Ildephonsus dixit: *Quomodo Christus Verbũ caro sine peccato fuit, qui de carne peccati carnem assumpsit?* non ita interpretandus est, quasi velit natum ex matre peccatrice peccatorem futurum (id enim absurdum esset, ne dicam hæreticum) sed hoc dato, quod ex carne peccatrice carnem assumeret, ea ex parte peccato obnoxium futurum, quatenus aliquid in ipso erat, quod in alijs transfusionis, atq; peccati fundamẽtum continebat: id verò in Christo fateri nefas duxit Sanctissimus Præsul. In quo etiã Christus à Virgine ipsa plurimum differt, quia licet ipsa peccato caruerit, tamen peccatores parẽtes sibi numerauit: atq; adeò ea ex parte commune nobiscum fundamentum contrahendi peccatum habuit.

Ildephon.

Ex his sequitur Christum Dominũ in plęrisque rebus solitarium fuisse, ac multas habuisse sibi proprias, nec cum alijs communes rationes, propter quas Patres illum solum innocentem, & sanctum asserunt. Inde etiã fit satis illi argumento, cui plurimũ tribuunt oppositæ sententiæ Doctores: quia nimirum qui Virginem à peccato originali ad eum modum liberam asserunt, excellentiam quãdam Christi propriam extenuãt, atq; eleuãt, dum in illius societatem Virgo vocatur. Cõstat enim hac in parte multa esse in Christo nobilissima, & dignissima, quibus ille solus gaudet, & quæ immunitatem illius à culpa supra illam, quæ Virgini à Deo concessa est, mirum in modum extollunt.

Quod si aliqua sint testimonia Patrum, quę ex præmissis interpretationibus aliquam nõ recipiant: aut dicendum erit propositiones vniuersales, quæ cæteros alios præter vnum Christum sub culpa concludunt, non esse rigide accipiendas, sed vlterius Virginem excipere fas esse (nam quo ad hoc non videtur maior ratio harum enunciationũ, quæ Christum solum excipiunt, & aliarum) Id enim quod ex iure profertur, scilicet exceptionibus firmari regulas in contrarium, non habet eum sensum, quem sibi authores isti fingunt, scilicet per exceptionem vnius, quæ in lege exprimitur, robur legi afferri, vt alios omnes comprehendat: sed hoc sibi vult, exceptionibus factis regulam generalem certiorẽ reddi, quatenus per particulares casus falsa non redditur: quod contra accideret, si 21

excep-

exceptiones additę nō essent. Vel aliter dici potest, toties quoties in illis generalibus enunciationibus Christus Dominus exceptus, & exclusus dicitur, cum Christo matrem quoq; ipsius excipi, & excludi. Nam cum Christus, & mater vnum quid essent non solùm spiritu, sed etiam carne, fas est ita sentire in quibusdam rebus, in quibus nulla appareat repugnantia, matrem in filio intelligi debere, ad eundem modum, quo August. contra Pelagium Euam in Adamo accipiendam in plęrisq; dixit. Nam cū obiecisset Pelagius Apostolum non dixisse per duos homines peccatum in mundum ingressum fuisse, sed per vnū hominem: atq; inde conficere vellet Paulum non esse intelligendum de peccato originali: ipse quidem ita argute satisfecit. *Si cordis oculos non amisistis, attendite dictum fuisse, iam non duo, sed vna caro. Nam verè per vnum hominem dixit Apostolus, quia cum in viro suo mulier sit vna caro, in semine progenies imputatur.* Accinit etiam D. Hierony. & alij plures, qui aiunt, plærasq; sententias ex his, quæ Genes. 2. & 3. de viro dictę sunt, ad mulierem extēdi, & ampliari. Nimirum illa: *Ad similitudinem Dei fecit illum.* Et rursus illud: *In labore vultus tui vesceris pane tuo.* Necnon illud: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Cum ergo primus ille Adam fuerit vmbra secundi, & Euæ quoque Maria similitudinem gesserit, haud ineptè dicemus in Christo simul excipi, & excludi Mariā ab vniuersalibus legibus, quæ reliquos homines sub peccato concludunt.

August. Hieron. Genes. 2. & 3.

CAN. III.

22. *Aliqui Patres Beatam Virginem carnē peccati, alij naturam carnis peccati habuisse dicunt.*
23. *Illorum Patrum aptior explicatio.*
24. *De Christo id etiam pronunciarunt Tertullianus, & Ambrosius.*
25. *Satius tamen est id negare de Christo, etiamsi de Virgine concedatur.*
26. *Imò & de Virgine id etiam negare cum S. Ildephonso satius ducimus.*

22 SVNT Præterea alia Patrum testimonia, quæ clarius, & apertius Virgini Deiparæ peccatum originis affigere videntur. Hæc sunt illa, in quibus caro Mariæ caro peccati ab illis appellatur. D. August. lib. 5. contra Iulianum, c. 15. *Quod si dementis est dicere, & sine dubio caro Christi non est caro peccati: quid restat, vt intelligamus, nisi ea excepta omnem reliquam humanam carnem esse peccati: & hinc apparet illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propagationem mali, quia Maria corpus, quamuis inde venerit, tamen eam non traiecit in corpus, quod non inde concepit.* Et in lib. Hypognost. cōtra Pelagium. *In peccato* (inquit) *damnauit peccatū in carne, quia de humana carne peccatrice carnem absq; culpa suscipiens, & hanc innoxiā crucifigens, peccatum, quod nos damnauerat per inobedientiam Adæ, pro nobis patiendo damnauit.* Eadem verba iterum scribit in lib. Cur Deus homo, c. 10. idem etiam in 2. lib. de Peccatorum meritis, c. 24. *Solus* (inquit) *ille etiam homo factus manens Deus peccatum nullum vnquā habuit, nec sumpsit carnem peccati, quamuis ex materna carne peccati.* Deniq; grauiora quædā verba scripsit idem August. lib. 10. de Genes. ad litt. cap. 18. vbi sic fatur: *Et quid incoinquinatius illo vtero Virginis, cuius caro etiamsi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagatione concepit?* Et paucis interiectis. *Proinde corpus Christi, quamuis ex carne fœminæ assumptum est, quæ de illa carnis propagatione concepta fuerat: tamen quoniam non sic in ea conceptum est, quo modo fuerat illa concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati.* His etiam valde similia scribit Fulgent. Fulgen. de Incarnat. & Gratia Christi, c. 7. *Caro quippe Mariæ, quæ in iniquitatibus fuerat humana solennitate concepta, caro fuit vtique peccati, quæ filium Dei genuit in similitudinem carnis peccati.* Item D. Ildephon. in lib. de Virginitat. & Ildeph. Parturit. Mariæ sic habet. *At verò B. Maria, licet ipsa de carne peccati sit nata, & procreata, ipsaq; quamuis caro peccati sit, &c.* Alia etiam satis difficilia Ambrosij verba infrà subtexā.

August.

Nihil producunt aduersarij ex Patribus æque forte, sed si mentem eorū penitius inspiciamus, nihil inde contra nostram sententiam conficere licet. Ergo aliqui ad communem illam interpretationem se recipiunt, affirmantes carnem Virginis, peccati carnem propterea dici, quia ex se, & suapte natura peccato erat obnoxia per debitum illius cōtrahendi, quamuis ex Dei beneficio, & gratia seruata fuerit. Sed tamen huius expositionis insufficientiam supra dedimus can. 1. atq; adeò aliter occurrere opus est.

Præmittere autem oportet carnem dupli- 23
ci sensu accipi posse: alio modo pro singulari carne vnius: alio verò in vniuersum pro omni carne. Verbi gratia, in hac propositione, *Virgo habet carnem humanam*, nomen *caro* potest accipi in singulari pro ipsius carne, vt sensus sit: habet hanc carnem singularem: & potest etiam accipi pro vniuersali carne, vt sensus sit, habet carnem cum omnibus alijs communem: si ergo nomen *caro* accipitur in singulari de propria ipsius carne, ea tantum de illa enunciare licet, quæ ipsi conueniunt, prout singularis caro est: si autem accipiatur pro carne vniuersali, & communi, de tali carne ea omnia dici possunt, quæ secundum rationem

tionem communem carnis humanæ in illam quadrant. Quapropter inde fit, illam propositionem: *Maria habet carnem peccati:* in altero sensu verã, & in altero falsam esse: si enim sensus sit: Maria habet hanc carnem peccatricem, falsa est positio: si autẽ sensus sit: Maria habet carnem humanam, quæ ex ratione communi peccati rea est, non est falsa, sed vera omnino positio. Quemadmodum si de homine cæco dicas: *Hic habet corpus videns*: si corpus accipiatur in singulari, falsum enunciabis: si autem capiatur in vniuersum pro natura corporea communi secundum speciem, verum omnino proferes: nam sensus erit, hic habet corpus, quod secundum speciem visu præditum esse solet.

Ex hac notatione lucem accipiunt aliqua Patrum testimonia ex præcitatis, quæ plane loquuntur de carne secundum speciem communem, ita vt sensus sit illam carnem habuisse, quæ ex specie sua inquinata, & infecta in alijs esset solet: atque adeò nihil conficere licet ex verbis Augustini in Hipognostico,
August. vbi sic ait: *Quia de humana carne peccatrice carnem absque culpa suscipiens, & hanc innoxiam crucifigens, &c.* Quæ verba ad naturam carnis communem pertinent, non ad singularẽ matris carnem. Id etiam quod August. scripsit in lib. 2. de Baptismo Paruul. similem ad sensum vocari debet: *Nec sumpsit carnem peccati, quamuis ex materna carne peccati*. Hic enim locus corruptus fuit à Bandello, mendoseq; citatur ab aduersarijs: sic verò restituendus est, *quamuis de natura carnis peccati*: atq; adeò præmissum sensum perspicue reddit.

At inquies iuxta præmissum sensum integrum esse affirmare Christum Dominum habuisse carnem peccati: carnem enim induit
24 eiusdem speciei cum illa, quæ peccato contaminata est: carnem assumpsit, quæ in antiquis parentibus contagium habuerat peccati. Ita docet Tertull. de carne Christi, c. 16.
Tertull. *Quod ipsa (inquit) non peccatrix caro Christi eius fuit par, cuius erat peccatum genere, non vitio Adæ, quãdo hinc etiã confirmamus eam fuisse carnem in Christo, cuius natura est in homine peccatrix.* Et D. Ambros. in Psal. 118. naturam humanam inducit ita suadentem filio Dei, vt ipsam assumat. *Suscipe me in carne, quæ in Adã lapsa est: suscipe me non ex Sara, sed ex Maria.* Vbi caro Christi in Adamo lapsa dicitur: non quidem ita vt singularis ipsius caro quomodolibet Adami lapsibus esset obnoxia: sed quia reliqua eiusdẽ naturæ caro verè in Adã
Ambros. ceciderat. Accedit etiam id, quod ait Ambros. in Psal. 118. *Nemo hominum sine peccato, nisi solus Dominus IESVS venit enim, & in carne, quæ peccato in matre fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit.* Vitiauit etiam locũ istum Bandelus: nullus enim codex habet. *In carne, quæ peccato in matre fuerat obnoxia*: Sed absolute: *In carne, quæ peccato fuerat obnoxia*: atque adeò hæc verba superiorem doctrinam roborant: cum enim Ambrosius dicit carnẽ Christi obnoxiam peccato, loquitur plane de carne secundũ speciẽ ex sua ratione vniuersali, vt hactenus diximus: & quid consequenter dicendum sit, aperit. Ad obiectionẽ ergo sic respondeo, Christum, & Mariam carnem habuisse, quæ ex specie sua in alijs hominibus infecta erat, & id vtriq; commune esse. Quapropter aliquo etiam sensu, caute tamẽ, ac prouidè affirmare licet Christi carnem esse carnem peccati, scilicet quatenus habet carnem, vt ait Tertull. *Cuius natura est in homine peccatrix*: præsertim cum certum sit non omnino abstinuisse Patres ab hoc modo loquendi, vt ex Ambrosio constat, qui dicere veritus non est carnẽ Christi in Adamo lapsam: *Suscipe me in carne, quæ in Adam lapsa est*. Et alibi dicit Christum venisse *in carne, quæ peccato fuerat obnoxia*.

Cæterum vt decentia seruetur in verbis, puto ab eo modo dicendi prorsus abstinendum: ita vt licet dicamus Mariã habuisse car- 25
nem peccati, id de Christo nequaquam enũciari debeat. Nam vt aliqua dicatur caro peccati, non satis est, vt quæ illi specie coniuncta est, naturęsit peccatricis: sed si modũ loquẽdi Patrũ teneam*, vlterius requiritur, vt ipsa in se habeat capacitatem, vel fundamentũ aliquod peccati. Id mihi colligere videor ex Au- August.
gustino, qui in Epist. 99. ad Euodium sic scribit: *Sumpsit* (inquit) *ex Virgine veram quidem carnis substantiam, non tamen peccati carnem, quia non ex carnali concupiscentia siue seminatã siue conceptam.* An non potius diceret, quia erat caro Dei, & hominis, ideò non erat caro peccati? An si Christus, id est, Deus, & homo ex carnali cõcupiscentia procreatus fuisset, peccati contagium inde traheret? An dicemus errasse Augustin. cum affirmat vnam, & solam libertatis à peccato causam in Christo fuisse conceptionem ipsius singularem ex Virgine matre: cum ipsum ex solo diuinitatis commercio quomodolibet factũ eandem libertatem obtinere oporteret? Minimè verò. Quid ergo dicendum? Memoria recolere opus est id, quod Canone superiori dixi. August. enim, & alij Patres non satis putarunt Christi carnem propter sanctitatem, quæ in ipsam à diuinitate effundebatur, à peccato liberam, & immunem fuisse, vt non diceretur caro peccati: sed vlterius voluerunt, vt ipsa proprio iure à peccati lege libera esset: ita vt nihil haberet, quod qualibet ratione esset fundamentum peccati. Quapropter Patres, si Christus ex concupiscentia viri, atq; fœminæ procreatus esset, ob sanctitatem à diuinitate refusam, planè assererent illum peccatum ignorasse: tamen eum habuisse carnem peccati nequaquam abnuerent, ea solum ratione, quia in eo casu exemptionem illã omnimodam à peccato haberet vtiq; ex diuinitate: non autem ex proprio humanitatis suæ iure, & conditione. Propterea Augustinus in

præscrip-

præscriptis verbis rationem, propter quam Christus non habuit carnem peccati, sed similitudinẽ carnis peccati, ex eo ducit, quia caro eius ex carnali concupiscentia non est procreata. Eundem sensum reddunt verba illa suprà citata ex Genesi ad literam. *Et quid incoinquinatius illo vtero Virginis, cuius caro etiamsi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagatione concepit?* Et post pauca. *Proinde corpus Christi quamuis ex carne fœminæ assumptum est, quæ de illa carnis propagine concepta fuerat: quoniam verò non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta: nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati.* Quid illustrius? Item D. Fulgentius Augustini discipulus mentem magistri tenens cum Virgini carnẽ dedit, ex eo certe dedit, quia eius caro fuerat consueta generationis lege concepta: sic enim ait. *Caro quippe Mariæ quæ in iniquitatibus fuerat humana solennitate concepta, caro fuit vtique peccati.* Idest propterea caro peccati fuit, quia naturali modo ex concupiscentia viri, ac fœminę procreata est, atque adeo ea ex parte non carebat fundamẽto peccati. Et infra rem vrgens, rationẽ, propter quam Christus non habuit carnem peccati, sed similitudinẽ tantum carnis peccati, ex eo petit, quia ex Virgine sine libidine progenitus est. Et hæc est certissima, & compertissima diuersitas inter matrem, & filium. Quapropter compendio vsus dico carnẽ Virginis carnem peccati non ideò fuisse appellatam ab August. & Fulgent. quia peccato infecta, aut quia peccati debito obærata fuerit: sed quia ex concupiscentia parentum progenita non omninò caruit fundamento aliquo peccati, vt posset eadem lege cum alijs simul comprehendi: & ob eandem rationem negasse Christo carnem peccati: nimirũ quia eius caro ex proprio iure, & ex propria conditione omnimodam libertatem, & immunitatẽ à peccato habuit: adeò vt nullũ etiam remotissimum peccati fundamentum in ipso agnoscere liceat. Quam explicationem vsque adeò germanam esse reor, vt credam præmissos Patres, nisi eo donentur sensu, ab aliquo graui errore vendicari non posse, dum integram, & adæquatam rationem, propter quã Christus à peccato liber fuit, ex eo petunt, quia non ex consueta viri, ac fœminę propagatione procreatus fuit, quasi alioqui futurũ esset, vt peccato minimè careret.

Sed tamen quamuis in hoc sensu sine aliqua Virginis iniuria fateri liceat, ipsam habuisse peccati carnem: tamen vt ab illis verbis abstineamus, quæ quomodolibet impuritatem sonant, libentiùs sentio cum D. Illephonso, qui melius esse duxit absolutè abnegare Mariam habuisse carnem peccati: quia si caro Christi, propterea quod ex conditione sua, & iure suæ originis innocens fuit, peccati caro dici nõ debet, cum de Virgine Deipara suprà à nobis decretum sit, illã iure originis suæ legem transfusionis non fuisse ingressam, quatenus tunc cum lex pro futuris Adæ filijs lata fuit, ipsa necdum fieri decreta erat, atque adeò ei legi nequaquã subiacuit: consequenter asserere cogimur eam immunitatem à peccato ex iure suæ originis, & primæ conditionis sortitam fuisse. Nam licet ea habuerit, quæ in alijs transfundendæ culpæ fundamenta sunt, scilicet ex concupiscentia genitam, & ex sontibus parentibus ortã fuisse: tamen hæc eatenus tantùm culpæ fundamenta esse creduntur, quatenus legem, & pactum adnexum habent: atque adeò cũ Virgo à pacto, & à lege extranea fuerit, in ipsa ne fundamenta quidem culpæ nisi remotissima quadam ratione appellari debent. Quapropter nihil subesse videtur, propter quod eius caro, peccati caro dici propriè, & germanè debeat.

Ergo S. Illephonsus non semel aliàs negat Virginem habuisse carnem peccati: sed tum maximè in eo lib. de Virginit. & Partur. Mariæ, vbi sic ait. *Quod si ita peperit* (scilicet cum dolore, ac sordibus) *ergo adhuc ac si in massa primæ damnationis esset, contra Angeli vocẽ maledictioni subiacuit, & Verbum Patris de carne peccati, quod absit, vt caro fieret, hominem assumpsit.* Quibus verbis perspicuè negat Virginis carnem fuisse carnem peccati. Quod si semel huic modo dicendi annuere videtur, non loquitur absolutè, sed ex suppositione: sic enim habet. *At verò B. Virgo, licet ipsa de carne peccati sit nata, & procreata, ipsaque quamuis caro peccati fieret, &c.* Sensus autem est conditionalis, id est, licet hoc etiam daremus, Virginem carnem habuisse peccato infectã, oporteret sanè ex consequenti affirmare ipsã, Spiritu Sancto superueniente, ita detersã, & mũdatam, vt nihil in illa veteris contagij remaneret: ne cogamur fateri Christum ex carne peccati suã assumpsisse: hoc enim dicere nefarium esse putat D. Illephonsus eo loci, vt legenti constabit. Itaque Illephonsus non illud ex proprio sensu concedit, sed quid, eo dato, consequenter dicendum sit, aperit. 26 *Ildephon.*

CAN. IIII.

27. *Plures ex Patribus aiunt B. Mariam mundatam, purificatam, & purgatam tempore Incarnationis.*
28. *De purificatione, & mundatione rigorose sumpta explicari non possunt sine errore.*
29. *Purificari apud dictos Patres perinde est ac non infici, mundari est non pollui.*
30. *Ista locutiones Patrum efficaciter probant originalem Virginis innocentiam.*
31. *Roboratur amplius hæc assertio.*

SVNT

27 SVNT Prætereà quædam alia
Patrum testimonia, quæ Virgini
Deiparam mundatam, purgatã,
defęcatam, & expiatam asserũt,
ex quibus authores oppositæ sentẽtiæ ita cõ-
ficiunt. Emundata est, ergo sorde non caruit.
Naziar. Subijcio Patres. D. Greg. Nazianz. orat. 38.
de Christi Natiuitate, sic habet. *Atq; humana
omnia excepto peccato suscepit: cõceptus quidem
ex Virgine corpore, & animo præpurgata.* D.
Ildeph. Ildephon. in lib, de Virginit. & Parturitione.
*Quando Spiritus Sanctus in eam aduenit, totã
defæcauit à sordibus Virginem, & decoxit, vt es-
Damasc. set sanctior, quam astra cœli.* Damasc. orat. 1. de
Dormitione Deiparæ. *Spiritus Sancti vis san-
ctificans superuenit, ac purgauit, velutq; prærri-
Anselm. gauit.* Anselm. de Concep. Virg. & de pecca-
to originali, c. 18. *Qualiter autem Virgo per fi-
dem ante ipsam conceptionem mundata sit, &c.*
Et in lib. de excellentia Virginis. *Nimirum
tenemus fide ab omni, siquid adhuc in illa origi-
nalis, siue actualis peccati supererat, mundatum
Ambros. cor illius, &c.* D. Ambros. in Lucam, qui cita-
tur à S. Thoma in 3. dist. 3. quæst. penult. ar. 2.
q. 2. *Spiritus Sanctus superueniens in Virginem,
mentem ipsius ab omni vitiorum sorde castifica-
Richar. uit.* Richar. de Sancto Vict. sępè admodum
hoc modo loquendi vtitur in Psal. 71. ad illa
verba. *Descendet sicut pluuia in vellus. Quid ope
ratur aqua in lana, vnda in terra? Profectò absq;
ambiguo lanam lauat, terram rigat. Sic profe-
ctò vna, eademq; aqua sapientiæ salutaris, vna,
eademque gratia saluatoris Virginem matrẽ fæ-
cundat, & rigat, mundat mentem. fæcundat ven-
trem.* Et infrà. *Mundauit mentem, & carnem,
fæcundauit mentem, & carnem, vna eademq; gra
tia Saluatoris extersit ignorantiam mentis, &
extinxit omnem concupiscentiam carnis, &c.* Et
in lib. 2. de Emanuele c. 27. & in Cant. p. 2.
cap. 26. & alibi eodem modo loquẽdi vtitur.
Ephren. Addendus etiam D. Ephren. in tract. de Mar
garita pretiosa, vbi confert primum Mariam
cum arbore, in qua Deus Verbum suum ceu
surculum inseuit: & in accommodatione hu-
ius comparationis Spiritum Sanctum cum
agricola componit, ac sic demum ait. *Agrico-
la falcem habet, qua mundat, & expolit Virgi-
nis animo prius, & corpore praparato.* Possem
alia plura eiusdẽ argumenti conflare, sed hęc
sufficiant: ex quibus aduersarij sic cõficiunt:
Patres Virginẽ mundatam, & purgatam affir
mant; ergo aliquid sordis in ipsa fuit: non
actualis culpæ, qua prorsus vacauit: ergo ori-
ginalis.

Cæterum si præscripta testimonia libræ
committantur, tantum abest, vt præfati Pa-
tres aduersarijs patrocinentur, vt nostræ po-
tius sententiæ adstruere putem. Præmitte-
re autem oportet id, quod alias nõ semel ob-
seruaui, omnes Sanctos Patres ad vnum tria
in Virgine postulasse, vt Diuini Verbi con-
ceptio in ea perageretur. Hæc sunt, munditia
carnis, quam virginitas illi contulit: mũditia
animi, ita vt ab omni sorde peccati, siue
actualis, siue originalis prorsus vacaret: extin
ctio fomitis, ac concupiscentiæ. Frustrà hic 28
testimonia conflem, cum sint obuia.

Hoc posito, aio primum Sanctos Patres
non loqui de purgatione rigorosè accepta,
ita vt significent aliquid sordis in Virgine,
superueniente Spiritu Sancto, emaculatum.
Quod pluribus argumentis comprobari po-
test. Primò, quia in præscriptis locis aliqui
Patres dicunt non solum animum, sed etiam
corpus Virginis ab Spiritu Sancto depura-
tum, & mundatum fuisse: nefas autem est di-
cere in corpore Virginis aliquid libidinis,
aut immunditiæ vnquam fuisse, quod purga-
tione indigeret. Secundò, quia aliqui etiam
ex præmissis Patribus Virginem ab actua-
libus peccatis expurgatã dicunt, imò à vitijs:
sic enim habet Ambrosius. *Mentem ipsius ab
omni vitiorum sorde castificauit.* Virginem au-
tem aliquo propriæ actionis peccato vnquã
sorduisse, vel vitij aliquid contraxisse, quod
detergi, aut elui deberet, asserere nefandum
est. Tertio nonnulli etiã ex prææallegatis Vir
ginem à concupiscentiæ fomite mundatam
affirmant. Verior autẽ sententia fert in Vir-
gine nihil vnquam concupiscentiæ, aut fomi
tis fuisse, quod expurgabile esset, vt supra
c. 32. decreuimus. Quarto demum alio ex ca-
pite testimonia infirma sunt ad probandum
Virginem originis macula infectam fuisse:
nam supra adscripti Patres hanc purgationẽ,
& emundationẽ tempore Incarnationis per-
fectam esse dicunt, tunc cum Spiritus Sãctus
in Virginem superuenit, & Angelus illã *Gra-
tia plenam* appellauit: & tamen fides Ca-
tholica docet Virginem ante suam natiuita-
tem, & ortum sanctificatam fuisse: atq; adeò
ex eo saltem tempore prædictam purgatio-
nem, & emundationem deriuare oportebat.
Quapropter, aut præscriptos Patres perperã
aberrasse, aut de vera, & rigorosa purgatione
accipi non posse dicendum est. 29

Quid ergo (inquies) sibi voluerunt tot gra
uissimi Patres, cum Virginem carne, & men-
te, à vitijs, ab originali peccato, ab actualibus
culpis, & à concupiscentia, alijsque sordibus
emaculatam dixere? Aliquis sanè posset ita
comminisci Patres non loqui absolute, sed
facta suppositione: ita nimirum, vt si aliquid
prædictarum sordium in illa præfuisset, illud
quidẽ Spiritus Sancti in ipsam illapsus pror-
sus expiaret, atq; detergeret: sic enim locu-
tus videtur Anselmus: *Ita enim* (inquit) *tene-
mus fide ab omni, siquid adhuc in illa originalis,
siue actualis peccati supererat, mundatum cor il-
lius.* Quã suppositione vsus est etiàm D. Ilde
phon. in lib. de Virginit. & Partur. Mariæ ab
illis verbis. *At verò B. Maria licet ipsa de car-
ne peccati, &c.* vt in superiori Canone præfa-
ti sumus. Sed tamen huic interpretationi nõ
acquiesco: plures enim ex Patribus absolute,
& nulla præmissa suppositione loquuntur.

Quaprop.

Quapropter ego præmissos Patres, & alios, apud quos similes sententiæ occurrunt, hunc ad modum interpretãdos esse reor, vt quemadmodum supra c.24. diximus ad redemptionem proprie dictam non esse necessarium, vt is, qui redimitur, culpam aliquam prius contraxerit, sed præstantissimam, & dignissimã redemptionẽ esse illam, quæ seruat à culpa: ita etiam nunc de emundatione, & purgatione iudicandum sit. Itaq; vt aliquid emundari, & expurgari dicatur, nõ est opus, vt sordes aliquas prius habeat, quas per expurgationẽ deponat. Sed quemadmodũ nobilissima redemptio est, quę pręseruat à culpa: ita etiam optima, & dignissima purgatio, & purificatio est illa, quæ à sordibus, ac fęcibus rem defendit, ac præseruat. Qui modus loquendi non est insolens apud Patres. D. Ambros. in Epist. ad Rom. c. 8. sic habet: *Expiata est à Spiritu Sancto caro Domini, vt in tali corpore nasceretur, quale fuit Adæ ante peccatum.* Ergone in Christi carne sordes aliquæ adhæserunt, à quibus expiari deberet? Minimè gentium: sed expiata dicitur, id est, ab omni piaculo, & sorde seruata, & protecta. Qui modus loquendi obuius valde est apud sacros Doctores, cum agunt de carne Christi. Plęraq; huius rei exempla supprimo. Quoties igitur Sancti Patres dicunt Virginem ab Spiritu Sancto purgatam, mundatam, expiatam, & defęcatã, hunc ad sensum alliciendi, & de hac præstantissima, & dignissima purgatione capiendi sunt: vt scilicet per Spiritus Sancti illapsum ab omnibus sordibus, ac fęcibus seruata, & vẽdicata sit. Dicitur autem ad hunc modum ab Spiritu Sancto purgata, id est, à sordibus, vitijs, & peccatis seruata Virgo eo tempore, quo Incarnatio Verbi peracta est: non quia ante Incarnationẽ ab eodem Spiritu ab omni etiam sorde, ac labe præseruata nõ fuerit: sed quia tunc purissimum in mulieribus, ac puerperis multa sordida euenire solent, scilicet concubitus, libidinis ardor, corruptio, & alia eiusmodi, quorum aliqua ex peccato promanarunt, alia verò vix sine peccato exercentur: atq; adeò tunc maximè Virgo ea purgatione, vel potius præseruatione à sordibus opus habuit, cum nimirum contrahendæ alicuius immunditiæ instabat occasio. Hanc nostram interpretationem commendat, & illustrat alia valde adsimilis sentẽtia D. Cypriani in serm. de Natiuit. Christi, vbi sic habet. *Spiritu Sancto obumbrante, incendium originale extinctum est.* Incendium autem originale appellat concupiscentiæ libidinem, vt alibi monuimus. Ergone arsit aliquando libidinis incendio Virgo sanctissima, vt proinde in ipsa incendium hoc restinctum dicatur? Minimè verò: sed extingui dicitur, id est, prohiberi, & arceri eo modo, quo loquutus est D. August. in Epist. 57. ad Dardanum: *In sanctã concipiendo prolẽ sub tali umbraculo Spiritus Sancti nullo ardore concupiscentiæ huius æstuauit.*

Ambros. | Cyprian. | August.

Et eodem sensu donandus D. Ambros. in lib. de his, qui mysterijs initiantur, vbi ait: *Spiritus Sancti vmbra ardorem libidinis in Virgine refrigeratum.* Quemadmodum ergo in his locis restingui est non æstuare: & refrigerari est non ardere: ita etiam in alijs purgari est non infici: & mundari est non pollui.

Ambros.

30 Non solum autem puto pręmissas Patrum sententias contra puram Virginis Conceptionem perperam produci: sed vlterius existimo ex illis perpetuam Virginis sanctitatem efficacissime cõprobari. Nam primo id suadet modus loquendi: quia cum simul, eodemque verborum tenore dicant Virginem à peccato originali, & ab alijs vitijs purgatam, emaculatamque fuisse, sentire videntur eodem prorsus modo à peccato originali emundatam, quo ab alijs vitijs, sordibusq; purgata fuit. Sed cum agunt de alijs vitijs, ac sordibus, mundari apud ipsos perinde est, ac non pollui: ergo pari ratione cum de peccato originali sermo est, apud eosdẽ purgari ab illo perinde erit, ac non infici.

Ad hęc si rationes spectemus, propter quas Sancti Patres tam seriò affirmant Virginem à peccato originali, & omnibus eius reliquijs ab Spiritu Sancto præpurgatam, & præmundatam fuisse: duæ sunt, quæ (me iudice) Sanctorum Patrũ de pura Virginis Conceptione sententiam mirum in modum illustrant. Prima est, quam alias non semel obseruauimus, ne si Christus ex matre infecta nasceretur, cogerentur fateri ipsum sub peccati maledicto fuisse. Frustrà multos ad id comprobandum accersam, cum non pauca Patrum testimonia in hanc sentẽtiam supra sparserim. Sed accipe vnũ Ildephonsum in lib. de Parturitione, & Virginitate Mariæ. *Alioquin si non eodem spiritu sanctificata est, & emundata, quo modo eius caro non caro peccati fuit? Et si caro eius de massa primæ præuaricationis venit, quo modo Christus Verbũ caro sine peccato fuit, qui de carne peccati carnem assumpsit?* Et infrà sæpius eandem rationem accommodat. Cuius mentem nuper exposuimus, affirmãtes, Beatũ Ildephonsum nequaquã existimasse Christum Dominum, si ex matre peccato infecta originem suam recenseret, peccato inficiendum iri: nam in eodẽ libro tum ratione, tum etiam Patrum testimonijs euincit Christum Dominũ esse filium Dei naturalẽ: atq; adeò sanctitatẽ cũ natura ipsa accepisse. Sic enim ait: *Ergo non illum, vt cæteros adoptio in proprium Dei filium exaltauit.* Et infrà: *Non ex dono gratiæ renascendo, vt cæteri, sed salua proprietate vtriusq; naturæ, &c.* Sed necessarium putauit, vt ipsa Christi humanitas immunitatem à peccato non modo ex diuinitatis societate, & commercio, sed etiam ex proprio iure caperet: ita vt nihil in ipsa inuenire liceret, ratione cuius peccato subiacere videretur: nihilq; cum alijs hominibus cõmune haberet ex his, quæ illos peccato originali ob-

Ildephon.

noxios

noxios reddunt. At inquies D. Ildephonsum ita dixisse. *Quomodo Christus Verbum caro sine peccato fuit?* Quibus verbis innuitur futurũ, vt Christus non vacaret peccato, si ex matre peccatrice nasceretur: certè aliqui (nec iniuria) mendum suspicantur, aiuntque in alijs codicibus sic legi: *Quomodo Christus verbum caro sub peccato non fuit?* Quam lectionem libens amplector, quia concinit cũ alijs eiusdem Doctoris verbis: nã infrà sic habet. *Quia si maledictio illa adhuc in Maria viguit, adhuc & ipse Christus sub maledicto fuit.* Itaq; non sentit Ildephon. Christum, si ex matre polluta originem traheret, peccato etiam polluendum, sed sub peccato, & sub maledicto aliqua ratione futurũ ex humana conditione, quatenus aliquid in ipso foret, in quantum homo, quod in alijs hominibus culpæ fundamentũ continet. Quid illud? Certè ex peccatoribus nasci: ideò enim censuit Ildephon. nos peccatores procreari, quia ex peccatoribus ortũ ducimus, quod in Christo concedere nefas putauit.

His ergo suppositis ex hac prima ratione pro Immaculata Virginis Cõceptione sic argumentor. Ideò Patres Deiparã Virginẽ ab originali peccato, & ab omnibus eius reliquijs Sancti Spiritus obumbratione, & illapsu mundatam docent, ne si Christus ex matre immũda nasceretur, ipse etiam dicto modo, inquantum homo, immũditiæ subiaceret: ergo sentiunt illam ab originali culpa ab initio liberam, & immunem fuisse. Ratio est in promptu, quia si semel dicimus Virginẽ ea culpa ab initio infectã fuisse, etiamsi ab eadẽ subinde per infusionem gratiæ purgata, & expiata foret, nullam inde illius proles à peccato immunitatem acquireret: nã aliæ matres, quamuis ipsæ per baptismum originalis culpæ sordes eluant, non ideò filios innocentes, & insontes pariunt: nam transfusio peccati originalis à parentibus in filios non pendet ex eo, quod parentes culpam illam actu habeant, cum generant, sed ex eo, quod tunc habuerint, cum ipsi geniti sunt. Quapropter, vt vera sit Patrũ ratio, atq; vt Christus Dominus immunitatẽ à peccato originali inde habeat, quod mater eius eo peccato caruit, necesse est dicere illã sine peccato originali ab initio conceptam fuisse.

31 Altera ratio Patribus multo familiarior, propter quam Virginem ab originali peccato Spiritus Sancti beneficio mundatam docent, ea est, quia ita oportebat, vt Virgo peccati originalis reliquias, & iniurias in partu non sentiret, scilicet libidinem, laborem, dolorẽ, & alias sordes: atq; adeò, vt ab his prorsus immunis esset, necessarium fuit, vt peccato illo careret, ex quo illæ promanarũt. Lege plura Patrum testimonia in hanc sentẽtiam, quæ nos conflauimus suprà, c. 39. §. 2. ad illa verba Angeli *Gratia plena.* Sed vt hæc præsto tibi sint, vnum, & alterum habeto. Cyprianus

Cyprian. in serm. de Natiuit. postquam in Virgine originale incendium, id est, libidinem ab Spiritu Sancto extinctam dixerat, sic statim attexit: *Ideòque innoxiam affligi non decuit. Nec sustinebat iustitia, vt illud vas electionis cõmunibus lassaretur iniurijs, quod plurimum à cæteris differens natura communicabat, non culpa.* Et Ildephon. loco citato. *Nullas* (inquit) *adscribant sacratissimæ matri contumelias intulisse, non gemitus, non dolores, non ærumnas, non vllas viscerum vexationes, non vllas corruptiones: quia hæc omnia (sicut sæpè dictũ est) in prima origine illata sunt vindictæ, & retributiones iustissimæ primæ præuaricationis: à quibus omnibus B. Virgo, quãtũ est aliena à culpa, tantũ proculdubio libera fuit à doloribus, & à pœna.* Ex hac ergo secũda ratione adhũc modu cõficio. Ideò Sancti isti Patres Virginẽ Spiritus Sancti opera mundatam à peccato originali voluerunt, vt sublata culpa auferrẽtur illius pœnæ: sed istiusmodi iniuriæ, ac reliquiæ peccati originalis, non tantum sunt pœnæ peccati originalis præsentis, ac necdum purgati, sed etiã præteriti, & iam detersi: cõstat enim puerperas post iustificationem prædictas pœnas pro peccato originali non secus experiri, ac sustinere, quam si iustificatæ non fuissent. Ergo vt Virginem eo iure quia nimirum peccato originali caruit, originalis peccati reliquias effugisse dicamus, asserere oportet illam ab initio mundam, ac puram fuisse. Luculentius dicam. In alijs puerperis, etiamsi peccatum originis per baptismum deterserint, permanent tamen, ac vigent illius pœnæ, & effectus: quia scilicet isti effectus non sequuntur ex eo, quod culpa illas actu inficiat, tunc cum generant, ac procreant: sed ex eo, quod illas olim polluerit, cum genitæ ipsæ, ac procreatæ sunt. Ergo vt dicamus B. Virgini ex eo, quod culpa originali caruerit, ius aliquod quæsitum fuisse, vt culpæ reliquias, & pœnas minimè experiretur: necesse est asserere illam ab initio, sine peccato conceptam, & procreatam fuisse. His rationibus vsque adeò tribuo, vt putem Sanctos Patres non posse aliter bonum ad sensum allici, nec à pluribus erroribus vendicari, nisi hoc modo interpretentur.

CAN. V.

32. *Cum Patres appellant Virginem immaculatam, inculpatam, irreprehensam, & c. originalem eius innocentiam profitentur.*

33. *Suadetur hoc efficaci argumento.*



OCCVRRVNT Etiam passim apud Patres quædam testimonia, in quibus Virginẽ Deiparam *Immaculatam, intemeratã, inculpatam, & irreprehensam* affirmant: atque 32

adeò operæpretiū videtur decernere, an hæc ad puram Virginis Conceptionē comprobādam adduci possint. Frustrà multa subscribā, cum sint obuia. Aliqua tamen digniora ex multis subijciam. Conciliū Toletanum 11. in Professione fidei sic habet. *Solam filij personā pro liberatione humani generis hominem verum sine peccato de sancta, & immaculata Maria Virgine credimus assumpsisse.* Sexta Synodus Constātinopolit. Actione 8. *Cōfitemur Iesum Christum incarnatum esse de Spiritu Sancto, & sancta, immaculataq; Domina nostra Deigenitrice, semperque Virgine Maria.* Et rursus Actio. 18. *Confitemur Iesum Christum in vulua illibata, Deiq; genitricis Virginis Mariæ habitasse, & animam, & corpus per Spiritum Sanctū, ex sancta, & immaculata carne eius in propria subſtātia carnem sumpsisse nobis consubstantialem.* Et Synodus Nizena 2. act. 6. *Igitur cū timore Dei omnia agamus, postulantes intercessione incontaminatæ Deiparæ, & sēper Virginis Mariæ, &c.* His similia occurrūt passim apud Cōcilia, & Patres. Et sanè de hac cōtrouersia aliquid supra diximus c. 26. ad illa verba Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula nō est in te.* Vbi non obscurè mōstrauimus, eiusmodi locutiones ad probandam Cōceptionis puritatem, & sanctitatē magnā vim habere: lege ibi plura. Hic verò aliquid etiam vlterius obseruatione dignū adnotare lubet. Nimirum ea attributa duplici modo à Patribus Virgini dari: vel absolute, ita vt ipsamet Deipara Maria immaculata, inculpata, & irreprehensa, sine restrictione dicatur: vel relate ad Virginitatem: ita videlicet vt immaculata, & intemerata Virgo appelletur. Quoties ergo Sancti Patres absolute, & sine restrictione, nec relate ad virginitatem, illibatam, immaculatā, intemeratam, inculpatam, & irreprehensam Mariam appellitāt, haud dubitandū est illos omnem labem, etiam peccati originalis maculam ab illa remouere voluisse. Quod efficaci quodam argumento suaderi potest. *Cant. 4.*

33 Quia nemo inficiabitur, tūc cū Patres Virginem immaculatā appellant, illam ab omni actualis culpæ sorde, ac næuo perpuram esse eo attributo significare voluisse: ergo eodem modo illam etiam à culpa originali immunem fuisse adsignificare voluerunt. Huius cōsequutionis vim habes supra c. 25. vbi ex immunitate ab actualibus etiā leuioribus peccatis, eiusdē Virginis munditiē ab originali efficaciter probauimus. Nunc autē pro re nata sic argumentari æquū est. Ex his, atq; alijs eiusmodi loquendi modis tam Conciliorum, quā Patrū Ecclesia deduxit sanctissimā Virginem omni etiam leuissima actuali culpa vacare. Ergo eadē loca à fortiori suadebunt eādem Virginem ab originali immunem esse: si enim prædictæ loquutiones leuiores peccatorum venialium maculas excludunt: ergo potiori iure originalis peccati lethalem luem excludere, ac remouere debebunt.

Quod si obijcias aliquos immaculatos dici in Scriptura sacra, quos constat sordibus aliquando non caruisse. Psalm. 118. *Beati immaculati in via.* Et Psalm. 36. *Nouit Deus dies immaculatorum*, & sæpè alias. Non inficior: sed aio nominum significationem, & vim ex personarū, quibus attribuuntur, conditione pensandam esse: nam illud attributū *immaculatus*, cum alijs accommodatur, nō significat illos ab actualibus etiam grauioribus præteritis, nec à venialibus præsentibus culpis puros, & mundos esse: cum autem Virgini tribuitur, puritatē quandā sonat ab omni actionis etiā leuissimo peccato, seu præsenti, seu præterito expertē. Id ergo contendo, eas voces in Maria etiam peccati originalis maculam excludere: quia si leuiores alias maculas, & sordes ab illa arcēt, à fortiori eas, quæ grauiores, & deteriores sunt, excludere debent. Inepte enim admodū immaculata, & impolluta diceretur, quia carebat leuioribus maculis, si ab his, quæ turpiores sunt, non erat immunis. *Psa. 118.* *Psal. 36.*

CAN. VI.

34. *Aliqui Patres, qui contra puritatem Conceptionis B. Mariæ aliquando pronunciarūt, aut sententiam postea mutarunt, aut quadā cū priori assertione pugnantia dixerūt.*
35. *Ex singulari Dei prouidentia hoc accidit.*
36. *Ex eadem etiam factum, vt quidam Patres Virginis studiosissimi de eadem puritate addubitarent.*



AD Extremum pro his, quæ in sequenti cap. conscribenda sunt, in quo Patrum testimonia per sua sæcula digesta exhibere est animus, obseruandum est cum Catherino lib. 2. 5. *Ad hæc sicut.* in plerisq; Patribus, non equidem in antiquis illis Ecclesiæ Doctoribus (in his enim nihil omnino occurrere existimo, quod aduersarijs aliquo modo faueat) sed in alijs Recētioribus à Ruperto, Bernardo, & deinceps aliquos reperiri, qui Virginē in peccato originali conceptam expresse docuerunt. Cæterū Cather. obseruauit ex his aliquos in ea sentētia mobiles satis, & inconstātes fuisse, ita vt quę modo aiebāt, iterū facilè abnegarent. Numerat ipse D. Tho. qui nō semel Virginē in originali conceptā asseruit; eandē verò ab originali immunē iterū, atq; iterū seriò affirmauit. Possumus autem nos multos alios in censum cogere, scilicet, Rupertum, Bernardum, Bonauenturam, Alexandrum, Albertum, & alios, qui cum Virginem non sine peccato conceptam alicubi docuissent, ab ea sententia alibi prorsus labarunt. Imò 34 *Catherin.* *D. Tho.* *Rupert.* *Bernar.* *Bonauen.* *Alexan.* *Albert.*

illud

illud affirmare audeo, nullum fuisse grauioris notæ Doctorem, qui sua authoritate de pia opinione aliquid detrahere posset, qui sicubi contra puram Conceptionem pronunciauerit, à se ipso dissentiens, & secum pugnans suam ipse authoritatem hac in thesi, non extenuauerit, vel potius ad piam opinionem non traduxerit. Quorum dissidia infrà dabo, cum in sua quemq; sæcula retulero.

Nec nouū hoc, aut insolēs in grauioribus, ac dignioribus rebus, Dei prouidentia verioris doctrinæ incolumitati consulente. Quod perbelle adnotauit noster Grethserus in Machabæorum historiam, vbi probat Liuium, & alios authores humanæ historiæ, qui quædam scripsere aduersaria his, quæ in sacris libris traduntur, in his omnibus, in quibus à sacra historia discesserūt, pugnantia dixisse, adeò vt eorum à se ipsis dissidia admirari cuilibet liceat. Quod sanè diuinæ prouidentiæ adscribi debere docet Grethserus: nam cum aliquando addubitandum esset, an Machabæorum historia esset satis locuples, & canonica: ne illorum scriptorum authoritas de fide sacræ Historiæ aliquid demere posset, magno Dei consilio factum, vt ipsi in eisdem rebus per inconstantiam, & intestinas suorum scriptorum contradictiones omnem sibi fidem abrogarent. Quinimò ex eo sacris libris authoritas maior comparata est: quia quantum eorum, qui contraria dixerunt, extenuabatur fides, tantum sacræ accrescebat Historiæ. Ad eundem modum in hac nostra thesi ex Dei prouidentia, & consilio aliquid simile euenisse puto: nam cum aliquando etiam de perpetua Virginis sanctitate magna controuersia inter fideles esset futura, ne quorundam Patrum eximia authoritas piam opinionem in suspicionem vocaret, consultè admodum à Deo prouisum est, vt qui aliquando oppositæ verbis quomodolibet adfauerunt, ea in re minimè constantes essent: vt & per hanc inconstantiam fidem sibi ipsis in hac re adimerent, & maiorem fidem nostræ sententiæ compararent. Tum vel maximè, quia vt suis posteà locis dicemus in sæculorum censu, constat ex prædictis Patribus, qui oppositam sententiam tradiderunt, vix aliquem fuisse, qui tandem aliquando eam deserēs ad piam

Grethser. Titus Liuius.

doctrinam non se receperit. Itaque habet aduersariorum factio (liceat ita loqui) desertores plurimos, & transfugas, qui ad nostram tanquam ad tutam magis, ac fortem cohortem accurrerunt: ex nostris autem ne vnus quidem ad illos vnquam confugit.

Obijciunt nobis, studiosissimos quosdam Virginis amatores, scilicet, Rupertum, Bernardum, Albertum, Bonauenturam, quos constat erga Beatam Virginem cumprimis beneuolos extitisse, sanctæ Conceptioni contrariam opinionem; si non semper, saltem aliquando, & tenuisse, & docuisse: vt propterea suspicari liceat, eam sententiam parum tutam esse, quam vel illi, quos pietas, & studium maximopere vrgebat, vt de Virgine maxima quæque sentirent, ac dicerent, repudiandam, & refellendam putarunt. Vt propterea neque piam appellare illam fas sit: quandoquidem illi, qui pietate excellebant, vix ac ne vix quidem adduci potuerunt, vt illi acquiescerent. Hæc illi. Ex quibus sententia de Conceptionis sanctitate (me iudice) amplius roboratur. Nam nequis posset ita causari sententiam istam esse piam tantum, sed non solidam, quam nimirū illis studiosissimis Mariæ amatoribus non ratio, sed beneuolentia, & pietas suasisset: Dei consilio factum, vt alijs eam tenacissime amplectentibus, ipsi addubitarent, & conniuerēt. Quorum prima addubitatio (aut si fas est dicere) negatio non parum nobis vtilis fuit. Nam quemadmodum ad fidem resurrectionis Thomæ addubitatio plurimum contulit, quando cōtactis Christi vulneribus incredulitatem deponere coactus est: ita etiam nobis non modo Thomas alter, sed etiam plures alij ad bene de Conceptionis sanctitate sentiendum conducerent, dum omnes illi nō dubitationem modo, sed cōceptam primum sententiam, & opinionem mutare tandem certiorum rationum momentis, ac (si fas est ita loqui) ipsius rei experimento, & contactu quodam compulsi sunt.

Reliquum ergo est, vt iuxta hos Canones, quos iam præmisi, Sanctorum Patrum dicta examinemus, & per sua quæque sæcula digeramus: qua in re breuitatis studiosus excursorem potius velocem agam, quam libellatorem morosum.

DE ECCLESIASTICA IMmaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ traditione per singula Ecclesiæ sæcula.



CAP. XXXXII.





ROTVLIMVS Celebriores aliquas sacræ paginæ figuras, quæ Sanctorum accedente luce, immaculatam Virginis Conceptionem haud obscure declarant: nonnulla etiam Prophetarum oracula aperuimus, quæ tantum ipsa mysterium nobis aperuerunt: aliqua præterea è sacris voluminibus, ac præsertim è nouo instrumento deprompsimus, quæ eandem piam illam sententiam confirmant. Reliquum est, vt à Christi Domini ortu ad nostram vsque tempestatem sedecim interiecta sæcula percurramus, Patresque, & Doctores, qui in vnoquoque floruerunt, consulamus, eaque, quę de Mariæ puritate profati sunt, breuiter, & seorsum proponamus, vt quam *omnes generationes* Mariam hac etiam in re *beatam dixerint*, omnibus constet.

SAECVLVM I.



RIMVM Igitur sæculum ab anno primo vsq; ad centesimum Natiuitatis Christi Domini plurimos habuit Marianæ huius gloriæ non assertores modo, sed & egregios prędicatores. Atque vtinam, aut hominum incuria, aut temporum iniuria non intercidissent plurima, quæ de singulari Mariæ puritate ab Apostolis ipsis, Apostolicisque eius ætatis viris prodita sunt, & aut verbis, aut scriptis posteritati commendata. Haberemus vtique maximam nobis impositam nubem testium, qui præclaris ea ipsa de re doctrinis, quasi cœlestibus quibusdam imbribus, mentes nostras irrigarent, ac contra aliarum opinionum æstus, ardoresque protegerent, atq; recrearent. Sed quia non omnia, imò nec plura ad nos peruenerunt, ex his, quæ peruenerunt, cæterorum præstantiam, & quasi è ruinis ædificij molem colligamus.

Sãctus Iacobus Maior Apostolus.

Primus igitur in medium prodeat, primusque huius rei proferat testimonium Maior Iacobus, qui quid de Marianæ Conceptionis puritate senserit, suisque Hispanis, ac cęteris vsq; tradiderit, docuit, ac prodidit beatus eius discipulus Thesiphon in ijs libris, qui nuper nostra memoria Granatæ in Montis sancti antro quasi copiosi quidam thesauri reperti sunt: quorum quanta sit fides, & authoritas, non adeò meum est explorare, cum id iam alij diligenter, ac fœliciter præstiterint. Thesiphon ergo ex Beati Iacobi doctrina asserit, Beatę Mariæ à peccato originali immunitatem ab Apostolis ipsis definitam fuisse: & decretum Apostolicum his verbis subijcit: *Illa Virgo, illa Maria, illa Sancta præseruata fuit à peccato originali in primo instanti suæ Conceptionis, & libera ab omni culpa: & qui ita non senserit, non consequetur salutem æternam.* Quæ verba adeò sunt manifesta, vt aure, & fide, non interpretatione, aut explicatione indigeant. Idem etiã B. Iacobi auditor in altero volumine ista scripsit. *Nequaquã Angelus Virgini diceret: Aue gratia plena: si in originali peccato fuisset concepta.* Cuius porrò sententiæ, & rationis vis (quæ tam multos deinde in omni ætate prudentes, & rationis plenos viros in piam sententiam, & in eandem ratiocinandi formam traxit) ex ijs, quæ nos supra cap. 39. latè disseruimus, petenda est. In eodem prætereà libro aurea illa Iacobi nostri sententia inuenitur. *Mariam non tetigit primum peccatum.* Non tetigerat videlicet Maria cum illis, neque in illis primis transgressoribus, neque comederat pomum noxiale: atque adeò Mariam non tetigit noxa, quæ ex illo esu illorum posteritatem peruasit vniuersam.

Sãctus Iacobus Minor Apostolus.

Iacobum sequatur Iacobus, Maiorem Minor, cum in celebranda, ac prædicanda Beatæ Mariæ omnimoda puritate nequaquam illo minor extiterit. Is enim in Sacra sua liturgia sæpius meminit sanctissimæ Mariæ, & eiusdem munditiam, splendoremque luculentissime celebrauit. Nam post lectiones vtriusque testamenti, & post preces aliquas ita Beatæ Mariæ opem inclamat: *Commemorantes sanctissimam, immaculatam, gloriosissimam Dominam nostram matrem Dei, & semper Virginem Mariam.* Et iterum inferius. *Commemorationem agamus sanctissimæ, immaculatæ gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ matris Dei, & semper Virginis Mariæ.* En præclara Beatæ Virginis cognomina, & certissima omnimodę puritatis illius testimonia. Ac nequis de huius Apostoli mente addubitet, audiat eundem post consecrationẽ, postque alias preces ita exclamantem, mentemque suam hac de re, vel clamoribus aperientem: *Præcipua sanctissima, immaculata, super omnes benedicta, gloriosa Domina nostra Deipara, semperque Virginis Maria.* Audi rursus Iacobi Cantores ita respondentes. *Dignum est, vt te vere Beatam dicamus Deiparam, semper Beatam, & omnibus modis irreprehensam, & matrem Dei nostri honorabiliorẽ, quàm Cherubin, & gloriosiorem, quàm Seraphin, quę sine corruptione Deũ Verbũ peperisti, te renera Deiparã magnificamus.* O dulcis chorus! O suauis cãtus! O cœlestis melodia! *Semper beata* canitur Maria: quod nequaquã verè proferretur, si aliquando in summa peccati illius miseria, & calamitate sorduisset.

Neque

Neque enim tu semper honestam alicuius vitam appellabis, cuius primum spatium in turpitudine actũ fuisse cognoueris. Deinde *omnibus modis irreprehensa* Maria celebratur, vt plane intelligamus, nequaquam in eam cadere primam illam fœminæ reprehensionem, quæ totum genus humanum reprehensibile reddidit, imò & reprehensum. Eam verò à communi reprehensione immunitatem Maria comparauit ex eo, quod *Mater Dei nostri* futura erat, *& sine corruptione DeumVerbum paritura*: atque adeò maiorem, quàm Cherubin, & Seraphin gratiam, & gloriam adeptura. Ad quam Virginis præstantiã comprobandam aliquid ex hoc loco deprompsimus supra.

Sãctus Marcus Apostolus

Eiusdè quoq; mentis fuit B. Marcus Euangelista Petri Discipulus, & Ecclesiarũ Ægypti Magister, quãdo in sua quoq; liturgia eadem fere verba interserit: *Imprimis sanctissima, intemerata, & benedicta Domine nostra Dei genitricis, & semper Virginis Mariæ.* Illi autem voci *intemeratæ* in Græcis respondet, ἀχράντου, idest, *illibatæ*, aut *immaculatæ*. Preclaris per se verbis quid addam lucis, nihil habeo, nisi quod nolim quenquã aliquo modo damnare, temerare, aut maledicere Virginem illam, quam Marcus ex cõmuni Apostolorum sententia *sanctissimam*, & *intemeratam*, omnino pronunciauit.

Ante verò quã à beatis ijs Apostolis, pijsque eorũ liturgijs descendã, nonnihil immorabor in Æthyopum liturgia: tum quod eius (quæ antiquissimæ quidem venerationis est) ætatem admodum exactè non scio: tum quod eã aliqui, aut Iacobi, aut Marci opus esse, aut certè ab eius schola, & doctrina prodijsse scripserunt. In hac ergo B. Mariæ puritas non semel adstruitur: ita enim inter alia in oratione ad Virginem Dei matrem: *Lætare immaculata verè Regina, lætare gloria nostrorum parentum.* Quasi dicat: tu, quæ vtpote vera Regina, & Augusta durę seruorum pœnæ, seuereq; legi de macula contrahenda non subiacuisti, atq; ita humanigeneris amissũ decus restaurasti, primorumq; parentũ collapsam gloriã restituisti, tu domina gaude, & lætare. Et infrà: *Domine omnes eos, quorum recordamur, custodi in recta fide, & in gloria omni tempore, & fac vt ferueant ineffabili, & inexcogitabili charitate, per preces, ac intercessionem, quam pro nobis facit domina nostra sancta, & immaculata Virgo Maria.* Item post eleuationẽ sacramẽti: *Hoc est corpus, & hic est sanguis Domini, & seruatoris nostri IESV Christi, quod, & quem assumpsit ex domina nostra sancta, & immaculata Virgine Maria.* Quibus sane verbis toties repetitis perpetuã B. Virginis sanctitatẽ, integramq; puritatẽ haud dubiè decãtari animaduerto. Ac nequis dubitet id in illis liturgiæ verbis, *Sancta, & Immaculata Virgo*, Æthiopes intelligere, ipsi in suo ordine baptismi (quem ab eodè Marci fonte promanasse nonnullis visum ...) mentẽ suam manifestius aperiunt. *Intercessi...* (inquiunt) *plena gratia Virginis genitricis De... Mariæ, quæ in omnibus est sancta.* E quibus loqu... di formulis omnimodam etiam in cõceptu ... riæ gratiam, & perpetuam in omni tempore ... ctitatẽ, quis non eruat? Sed conferẽda sunt ... c omnia cũ his, quæ diximus supra c. 41. can. 5.

Sãctus Andreas Apostolus

Extremum hoc sanctissimæ quadr... æ latus teneat is, qui primus ad currum gloriæ Christi gestandum vocatus est, beatus scilicet Andreas, quem ideò post Marcum reieci, ne liturgiarum ordinem abrumperem. Is igitur morti iam proximus quasi extremum legatũ suam fidelibus de Immaculatę Virginis perpetua puritate sententiã his verbis tradidit: *Sicut primus Adamus formatus fuit ex terra, antequam esset maledicta: ita secundus formatus est ex terra virginea nunquã maledicta.* Quam deinde sententiam non pauci, neq; ignobiles è Patribus vsurparunt, ac celebrarunt: quam etiam quia nos non semel attigimus supra, nec oscitanter tractauimus, hic nequaquam amplius versabimus.

Sãctus Ignatius Antiochenus.

Addam ex multis duos Apostolicos viros Ioannis, & Pauli Discipulos, Ignatiũ, & Dionysium, qui suorũ magistrorum vestigia egregiè presserunt, & quid alij fideles Apostolorũ tempore de miranda Mariæ puritate ab illis acceperint, ipsiq; tenuerint, aperte nobis tradiderunt. Et Ignatij quidem inter alia opera duas ad Ioannem Epistolas, & aliã ad Christipherã Mariam habemus, quæ iam tempore Bernardi suam authoritatem obtinebant, vt ipse testatur ser. 7. in Psal. 90. Et meminit etiam Dionysius super Dionysiũ de diuinis nominibus: itemque Marcus Michael Carnotensis in lib. de viris illustribus, & alij prætereà non vulgaris authoritatis. Et sanè earum stylus vetustatem simul, & pietatem tãti viri exprimere videtur. In illarũ igitur prima ad Ioannẽ inter alias egregias Christipherę Mariæ laudes, quibus se ad eam conuisendã excitari, ac prope rapi confitetur, hęc habet. *Et quidam notificauere eandem matrem Dei omniũ gratiarum esse abundantem, &c.* Quibus verbis nõ obscure innuitur rumor, qui serpebat, aut potius constans fama, quæ inter eius tempestatis fideles longè, lateque ferebatur de perpetua B. Virginis puritate, & gratia originali. Hanc verò mentem suam Ignatius paulò inferius in eadem epistola grauioribus quibusdam verbis exponit: *Sicut nobis* (inquit) *à fide dignis narratur, in Maria matre IESV humanæ naturæ natura sanctitatis Angelicæ sociatur.* Quæ verba imprimis eam, quam dixi, de insigni Mariæ puritate opinionem inter fideles, & inter eorum peritiores, & integriores passim vulgatam esse planè confirmant. Nescio autem qua ratione verba ipsa lucem queant à quoquam accipere, nisi Beatam Virginem quasi in Angelica quadam puritate, & sanctitate conceptam fuisse fateatur.

naturę sanctita-
Quo enim alio modo in[illegible]manæ sanctitas socia tis Angelicæ naturæ [illegible] Maria quoque ab initio ciari potuit, nisi quo[illegible] cta extitit? An natura tio in sanctitate [illegible]elicæ, & humanæ alio distra sanctitatis A[illegible]tur, nisi quod illa facta, hæc crimine [illegible] ab initio integra, hæc deinde refecta: i[illegible] redinte[illegible]ta? *Si ergo in Maria humana natura [illegible]ura sanctitatis Angelicæ sociata est*: pro[illegible]cto nō est alio modo sociata, nisi quod Mariæ quoque sanctitas ab initio integra, & inuiolata processit. Creata igitur Maria est in Angelica puritate, & gratia: imò tunc gratia, & sanctitate supra omnes Angelos lōgè emicuit. De huius loci energia alibi non pauca diximus.

Sāctus Dionysius Areopagita.

Eodem fere modo illustrandus mihi videtur alter Apostolorum Discipulus, & Apostolicus ipse vir Dionysius Areopagita, qui in Epistola ad Paulum præceptorem suum (quam etiam grauissimi viri suscipiunt) quid ipse coràm intuitus, miratusque fit, ita commemorat. *Perspexi* (inquit) *atque proprijs oculis intuitus sum Deiformem, atque super omnes cœlicos Spiritus sanctissimam matrem Christi IESV Domini nostri.* Et iterum: *Ductus fui ad Deiformem præsentiam altissimæ Virginis, & tantus me, tamque immensus diuinus splendor circumfulsit exterius, & plenius irradiauit interius: tanta etiam in me omnium odoramentorum superabundauit fragrantia, vt nec corpus infœlix, nec spiritus posset totius, ac tam æternæ fœlicitatis insignia sustinere.* Et post pauca: *Testor, qui aderat in Virgine, Deum, si tua diuina concepta mente non me docuissent, hāc ego verum Deum esse credidissem: quoniam nulla videri maior esse posset gloria beatorū, quàm fœlicitas illa, &c.* In quibus præclaris testimonijs (ne hic diutius immorer) illud imprimis adnoto, Beatam Mariam *sanctissimā super omnes cœlicos spiritus* dici: non solùm quia in reliqua vita, sed etiam quia in primo quoque vitæ exordio longè maiore emicuit sanctitate: nisi enim primam etiam illam integritatem adepta fuisset, non modo non super Angelicam, sed ne Angelicam quidem sanctitatem attingeret. Deinde cur Mariæ fœlicitatem *æternam*, seu *perpetuam* vocat: si aliquando Maria fuit, & fœlix non fuit, imò peccati infœlicitate miserrima? Vel cur prętereà toties Mariam quasi speciali quodam titulo *Deiformem* pronunciat, nisi vt eam expressiore quadam ratione clarissimā esse Dei imaginem, & (vt Hieronym. & August. appellant) *pulcherrimam Dei formam*?

Cæterum si cui ista non satis robusta videntur, grauioris cuiusdam viri iudicio grauius aliquod, & firmius eiusdem puritatis Marianæ monumentum in eodem Dionysio reperio. Is est noster Francisc. Turrian. vir nequaquam nostræ indigus laudis, cum eum sua ipsius scripta satis commendent, ac prædicēt. Is igitur hanc, quam astruimus perpetuā Mariæ puritatem egregie confirmat ex illis verbis Dionysij cap. 3. de Diuinis Nominibus, quibus corpus Virginis (ad quod videndum, se, Hierotheum, atque etiam Apostolos conuenisse commemorat) θεοδόχον καὶ ζωαρχικόν, appellat. Quæ verba ipse Turrianus ita interpretatur. *Corpus, quod fuit Dei receptaculum, & dedit principium vitæ*: in qua interpretatione parum abit à Damasceno sermo. de Dormitione Beatæ Mariæ ita eundem edisserente. *Corpus, quod vitę principium dedit, & Deum suscepit.* Postquam ergo Turrian. prioris illius appellationis rationem reddidit: ac deinde etiam posterioris (asserens scilicet corpus Virginis ζωαρχικόν, ex eo dici, quod principium dedit carni Christi, quæ facta est viuifica, & dedit vitam mundo) in hunc modum ratiocinatur (iuuat enim tanti viri non solum rationes, sed etiam verba proferre) *Quando ergo decebat, vt illud corpus Virginis, postquam habuit animam, fuisset vnquam mortuum peccato, si dedit principium vitæ illius, qui cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos? Vt sicut Eua secundum nomen, quo eam vocauit Adam fuit mater cunctorum viuentium, sic esset Virgo mater omnium vere viuentium: dum mater est eius, qui est omnis vitæ author, & vitæ ipsa, ac supra vitam.* Ex his igitur non obscure liquet, immunitatem Beatæ Mariæ ab omni peccati morte à Beato Dionysio vere, & valide stabiliri. Hinc patet, quid primum illud Ecclesiæ sæculum (quod vere aureum queas appellare) de Mariæ puritate senserit, atque tradiderit, & quàm eandem Beatam hac etiam in re prima illa generatio dixerit, ac prædicarit.

SAECVLVM II.

ÆCVLVM Hoc passionibus Christianorum, quàm scriptoribus nobilius fuit. Ideò pauci in hoc sæculo Marianæ puritatis, sicut & aliarum veritatum, assertores extiterunt, & ex ijs, qui extiterunt, pauciores, abolitis iniuria temporum monimentis, ad nos peruenerunt.

Iustinus Martyr.

Iustinus Martyr floruit anno 150. Hic ergo Mariæ innocentiam non obscure descripsit in quæstionibus ad orthodoxos. q. 136. vbi cū obiecisset sibi à Christo Domino asperius cū matre actū videri, cū denunciantibus sibi matrē, & fratres adesse, & illū quærere, sic occurrit. *Quæ est mater mea, & qui sūt fratres mei? &c.* Ita respondet. *In alijs* (inquit) *nō ita locutus est, quasi matrem priuaret honore debito, sed ostēdit quanā maternitate beatior dici debeat Virgo: si enim qui Dei sermonē audit, is Christi frater, soror, & mater est, & eius mater habeat*

vtriq; perspicuū est eius matrē debuisse hac maternitate Beatam prædicari: nam Dei sermonem audire, & exequi virtutis est, animæque puræ, quæ tota ad Deum spectet: & quia non quamlibet fœminam elegit Deus, sed omnium fœminarum virtutibus excellentissimam: propterea Christus volebat ob hanc virtutem prædicari matrem suam, per quam virtutem illa id assequuta fuisset, vt virgo mater fieret. Obseruanda sunt illa verba: *Animæque puræ, & quæ tota ad Deum spectet*. Ita enim putandum Beatum Iustinum, cum ait: *Audire verbum Dei, & exequi esse eximiæ virtutis, & animæ puræ, &c.* loqui de perfectissima exequutione verbi, quæ omnem vel leuissimam excludat transgressionem, qualem in sola Virgine reperire licuit ex originali innocentia profectam. Nam omnes alij quotquot originale labe infecti fuerunt, saltem leuioribus culpis, ac delictis Dei præcepta in dies violant. Itaque sanctissimi Martyris mens est, Diuinam legem ea perfectione exequi, vt omnis absit vel leuis illius transgressio, animæ esse per omnia puræ, quæ tota ad Deum spectet, quæ scilicet ab omni delicto permunda sit, & quæ tota ad Deum referatur. Si igitur aliquid illius excipis, non erit Dei tota: si Conceptionem illius excipis, maximam, & dignissimam illius partem Deo eripis. Sed præcipuam huius loci energiā habes suprà c. 39. Aliqui hoc opus Quęstionum ad orthodoxos Iustino auferunt: sed quisquis sit illius autor, certè grauissimus, & antiquissimus est.

Minimè verò prætereundus est locus alter eiusdem Iustini in expositione fidei de Trinitate. *Verbum* (inquit) *illud animaduertit creaturam suam opus habere instauratione, & luendas esse pœnas, quas Adam per transgressionem incurrerat. Tunc de cœlo ad nos descendit, non corporali descensu, sed diuina voluntatis efficacia, & ad eam dispensationē vsum est sequestra Virgine stirpis Dauidicæ, sicut illi Regi promissum fuerat, &c.* Appellat ergo Iustinus Virginem sequestram nostræ reparationis: est autem sequester ille, apud quem plures rem, de qua contentio est, deponunt. Cum igitur de salute, & gratia esset tota hominum cum Deo controuersia, huius gratiæ sequestram Virginem Deiparam instituit Iustinus: vt nimirum inter hominem, ac Deum mediatricem ageret. Si igitur sequestra fuit, non ergo aduersaria, neque cum illa lis suscepta est: nam litigator ipse sequester esse non potest. Nos igitur aduersarij Deo litem intendimus, Virgo sequestra est. Eodem sensu Tertullianus in libro de Resurrectione Carnis de Christo Domino sic scribit: *Hic sequester Dei, atque hominum appellatur ex vtriusque partis deposito commisso sibi.* Sed huius loci momenta petenda sunt ex his, quæ diximus supra cap. 21.

Sāctus Irenæus. Alter autem in altero hoc sæculo Marianæ puritatis assertor sanè est Beatus Irenęus Episcopus Lugdunensis. Missam facio præclaram Euæ, & Mariæ comparationem, quam habet lib. 5. contra Hæreses cap. 19. quia in huius etiam Defensionis cap. 9. illam versaui, sed tum maximè illa verba persequutus sum. *Adhuc protoplasti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens, & serpentis prudentia deuicta in columba simplicitate, &c.*

Supra quoque cap. 20. explicatum est à nobis libri tertij caput 33. vbi post egregiam etiam Euæ, & Mariæ comparationem, duas quasi colligationes constituit: alteram ex Adamo, & Eua peccati, & humanæ corruptionis authoribus: alteram verò ex IESV, & Maria gratiæ, & humanæ salutis assertoribus: ac denium ita subijcit: *Euenit primam quidem compaginem à secunda coniugatione soluere: secundam verò coniugationem primæ solutionis habere locum. Et propter hoc Dominus dicebat: primos quidem nouissimos futuros, & nouissimos primos. Propheta autem hoc idem significat dicens: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* Cæterum cum supra dicto in loco ea, quæ ad Virginis perpetuam puritatem statuendam aliquod momentū habent, à nobis pensitata sint: non est, cur hic actum agamus, maximè cum in sequentibus sęculis negotij, quod agamus, plurimum restet.

SAECVLVM III.

HOC Quoque sæculum scriptorum pauperius fuit, quia Martyrum ditius: non defuere tamen aliqui, qui inter persecutionum tela stylos pro pietate stringerent, & qui B. Mariæ puritatem ab omni culpa suis scriptis commendarent.

Luculentior huius sæculi testis, clariorque Marianæ puritatis assertor est Sanct. Hippolytus Episcopus Portuensis, & Martyr, qui floruit anno 220. in oratione de Consummatione mūdi, in qua illustribus titulis omnis puritatis indicibus Virginem passim exornat: statim enim ab initio hæc habet. *Dei, qui ex impolluta, ac Deipara Maria ortum sumpsit, atque incrementum.* Et deinde: *Cum Dominus IESVS Christus secundum carnem aduenerit ex sancta, & Immaculata Virgine, tribumque Iuda assumpserit, &c.* Ac deniq; paulò inferius: *Cum Saluator mundi genus humanum saluare decreuisset, ex Immaculata Maria Virgine natus est, & in figura carnis hostem conculcauit suæ diuinitatis propria potentia.* Vbi lector, cū Mariam impollutā, & immaculatam audis, cur non de integra puritate, munditia, & sanctitate capias, atque adeò de perpetua? Vide quæ supra diximus cap. 41. can. 5. *Sāctus Hippolytus Martyr.*

Origenes.

Eisdem titulis Mariam ornat Origenes, qui vixit anno 226. & inter eiusdem puritatis assertores, ac prædicatores numerandus est. Nam homilia 1. in Matthæi cap. 1. prope in exordio sic loquitur. *Huius itaq; vnigeniti Dei dicitur hæc mater Virgo Maria digna digni, immaculata sancti, & immaculati, vna vnius, vnica vnici.* In quibus verbis eam puritatem, & sanctitatem de Maria prædicat, quę aliquo modo vnigeniti sanctitati, & puritati dignè, vniceq; respôdeat: atq; adeò, sicut iste semper purus, semper sanctus: illa etiam nunquam non pura fuit, nunquam nô sancta: ista quidem ex gratia, ille ex natura. Vt autem intelligas Origenē loqui de omnimoda Mariæ integritate, sanctitateque etiam originali, audi egregia eiusdem verba in eadem Homilia: ita enim Angelum ad Ioseph loquentem facit: *Accipe ergo eam* (id est, Mariā) *sicut commendatum cœlestem thesaurum, Deitatis diuitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam iustitiam.* Vbi iam multa habes, quæ notes, lector: nam si Maria cœlestis thesaurus est, quis ferat in eo carbones esse? Quis in ea peccati vllius nigredinem? Qua verò ratione plenissima dicatur Mariæ sanctitas, si aliquando eam gratia vacuam fuisse constituamus? Qua ratione illius iustitia perfecta, si peccato eam asseramus fuisse aliquando infectam? Nec illud perfunctorie notandum: Mariam scilicet non solum sanctitate, & iustitia plenam dici, sed etiam sanctitatē ipsissimam, & plenissimam ab Origene appellari, vt vel sic innueret ipsam nullius peccati consortium admisisse. Sed pergit Origenes, aut potius Angelus. *Accipe eam, sicut vnigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut domum Dei, sicut creatoris omnium propria, sicut Regis cœlestis sponsi domum immaculatam.* Hæc igitur cum Maria sit, ne quæso nos vnigeniti mansionem peccati stercore deturpemus, ne honorabile templum prophanemus, ne Dei domum fœdemus, ne creatoris propria diabolo abalienemus, ne supremi Regis aulam, cœlestisque sponsi purum thalamum violemus, aut temeremus.

Item etiam Origenes homil. 3. in 2. Matthæi, Angelum ad Ioseph, vt in Ægyptum pergat, ita inducit loquentem: *Hic puer non indiget patre super terram, incorruptibilem enim habet Patrem in excelsis: non indiget matre in cœlis, immaculatam, & castam habet matrem in terra, hanc multum Beatam Virginem Mariam.* At verò vt pateat, de qua puritate, & beatitudine hoc in loco author hic loquatur, dabo etiam eiusdem alia quædam verba, quæ à Iodoco Clichtoueo in libro illo de Conceptione, cap. 13. & quod maximum est, à Breuiario Romano Quignonij in 3. lectione de Conceptione ex Origene citatur. *Beata Virgo Maria, neque serpentis persuasione fuit decepta, neque eius venenosis afflatibus infecta.* Si ergo antiqui serpentis persuasio, quæ omnes decepit, eiusque venenosus afflatus, qui omnes infecit, Mariam neque tetigit, neque læsit: cur eam cum reliquis omnibus in miseriæ casum trahamus? Cur nô potius immunem ab ea infœlicitate, atq; adeò fœlicē super omnes, & beatam asseramus?

At prodit Bandellus ingeniosus ille Patrum compilator (ni verius depilatorem appelles: ita eorum locos depilat, mutilat, decurtat) & multa congerit Origenis testimonia, quibus Mariæ peccati notam inurat. Sed quia omnia communes quasdā loquendi formulas côtinent, de quibus nos supra cap. 41. Can. 1. & 2. latè sumus loquuti, propterea illa parum curo.

Diuus Gregorius Neocæsariensis.

Inter præcipuos Mariæ commendatores, & Marianæ innocentiæ vindices censendus est Diuus Gregorius Neocæsariensis Episcopus, qui floruit huius sæculi anno 233. & de Annunciatione eiusdem Virginis tres sermones conscripsit. In primo verò hæc habet verba. *Conuenienter igitur Sanctam Mariam ex omnibus generationibus solam gratia elegit: nam prudens reuera, ac sapiens in cunctis erat, nec similis ei ex omnibus generationibus vlla vnquam est reperta.* Pende illud: *solam gratia elegit*: electi quidem alij à gratia, & per gratiam, sed communi, ac solemni eligendi modo post culpam, & labem: Deipara verò ideò sola electa dicitur, quia singulari modo selecta, & à culpa seruata. Subdit statim Gregorius. *Non sicut anteà virgo Eua sola in Paradyso chorum agens, atque tripudians relaxata mente per incuriam ab authore omnis mali serpente verbum suscepit, & sic sensu mentis corrupta est, ac per ipsum fraudulentus venenum effundens, mortemq; admiscens in omnem mundum introduxit, ac propterea omnis Sanctorum ærumna nata est.* Inde scilicet peccatum natum est, quod sanctos omnes côtaminauit. Quid tum postea? Subinfert. *Verum in sola sancta Virgine eius lapsus reparatus est.* Quomodo autem lapsus primæ mulieris in sola Maria reparatus est, si eam communis casus prostrauit? Quod si dicamus eam à lapsu, quo prius iacuerat, excitatam, non erit certè ea in re sola, ac singularis. Sed qua in re sola, & singularis Maria fuerit, luculētius infrà exprimit Gregorius. *Angelus* (inquit) *Sancta Maria primo omnium illud Aue gratia plena præsignificauit: quoniam cum ipsa totius gratiæ thesaurus reconditus erat: ex omnibus enim generationibus, hæc sola Virgo sancta corpore, & spiritu extitit, solaque fert eum, qui verbo omnia portat.* Quomodo ergo totius gratiæ thesaurus in ea reconditus, si ea, quæ inter gratias longè ditior est, scilicet originalis iustitia, in ipsa desiderabatur? Deinde cū corpore, & spiritu sanctā dicit, id sibi vult, quod alij Patres suprà adscripti, c. 40. §. 3. qui eandem Virginē corpore, & animo Virginē appellitant: qua in re

solam

solam esse Mariam dicit, quia sola originalem animi innocentiam cum perpetua corporis incorruptione coniunxit. Sed iterum etiam clarius in quo sita sit hæc solitudo, & singularitas Mariæ, exponit Thaumaturgus. *Ad Mariam autem Virginem solam sanctam Gabriel Archangelus solo lumine venit, Aue gratia plena illi denunciavit.* Iam igitur id à te postulo, quonam sensu Virgo sola sancta dici queat? An non id de Christo Domino enunciat Ecclesia. *Quoniã tu solus Sanctus*? Quod iuxta interpretationem Sancti Thomæ significat Christum solum habere sanctitatem naturalem, necessariam, & quæ deficere nõ possit. Quomodo ergo hoc in Deiparam quadrare valeat? Non alio certe modo, nisi quia etsi non eodem iure, tamen simili ratione perpetuam, & indeficientem iustitiam sortita est: atque adeò sicut solus Christus sanctus, ita etiam per quandam analogiam sola ipsa sancta.

Sed excutiamus alia Gregorij loca. In eodem serm. 1. de Annunciatione sic fatur. *Sed ipse sanctificationis Dominus, Pater castitatis, incorruptionis author, & libertatis dator, salutis procurator, qui ex terra virgine creauit hominem, & ex illius latere, & costa Euã assumpsit, hic Dominus tecum, & rursus ex te.* Quæ verba pro pura Virginis Cõceptione ita expendit Gregorij scholiastes Gerardus Vossius. *Satis* (inquit) *aperte magnus hic author significat, & ostendit, quod vt fuerunt Adam, & Eua omnis maculæ expertes creati, ita sancta hæc Virgo ab omni peccato libera concepta, & nata fuit.* Sensum autem eorũ verborum sic instituit præscriptus author; sicut Adamus ex terra virgine conditus, sic Christus ex te procreatus: & sicut Eua ex Adami costa formata fuit cum originali iustitia, sic etiam Virgo Deipara in sua formatione originalem iustitiam accepit. Sed licet hæc verba non sine lepore ad perpetuam Virginis sanctitatem notandã asciscì possint, sunt tamen alia longe digniora, & clariora.

Nam in eodem sermone 1. sic ait. *Aue gratia plena intelligibilis solis oriens, flos vitæ immaculatus.* Vitæ, inquam, id est, gratiæ: tu es sane primus vitæ, id est, gratiæ flos: hic verò flos non alius fuit, nisi gratia, & iustitia originalis, qua naturæ nostræ primitiæ Adamus, & Eua ab initio insigniti fuerunt. Hunc vero florem immaculatissimum in Maria quasi repullulasse dicit Gregorius: & subinde attexit. *Aue gratia plena vitis semper vigens, quæ animas glorificantium te lætificas.* Pende illud *semper vigens*, id est, nunquam non gratia, & iustitia virens, ac vernans. Sed vide energiam huius similitudinis: id enim viti inter alias arbores maxime proprium, quod palmes ab illa exsectus non statim interit, sed in terra defossus, è vestigio radices agit, & gẽmas profert. Iam ergo intelligis Gregorium. *O vitis* (inquit) *semper vigens*, quæ nimirum ex Adami propagine excisa nunquã interijsti, sed palmitis in morem ab initio tuæ plãtationis viguisti, & viruisti: in alijs certe arboribus, quæ semine pullulant, moritur primo semen, vt in se arbos progerminet. In omni enim sementi id accidit, quod Christus de frumento in Euangelio dixit. *Nisi granũ frumenti cadens in terram mortuũ fuerit, ipsum solum manet.* Mens igitur Gregorij talis est: reliqui Adæ filij in sua procreatione arbores illas imitantur, quæ ex semine progerminantes prius moriuntur per culpam, deinde reuirescunt per gratiam: at Virgo Deipara quasi vitis semper vigens eius nimirum prima formatio vitis plantationem imitatur nõ ex semine, sed ex palmite, quia nunquam demortua fuit, sed viruit semper, ac viguit. Addit Gregorius. *Cum ancilla Rex gloriæ, cum speciosa speciosus forma præ filijs hominum, cum impolluta, qui sanctificat vniuersa.* Et infra. *Dominus noster Iesus Christus inconfuse, & immutabiliter ex pura, & casta, & impolluta, ac sancta Maria Virgine progreditur, in deitate perfectus, & in humanitate perfectus, patri per omnia similis, & nobis per omnia consubstantialis, omnis peccati expers.* Sẽsus est: Christus omnis peccati expers ex impolluta, sancta, & ab omni culpa immuni Virgine nasci debuit, ne si mater alicuius peccati compos esset, ex illius peccato aliquid filio opinione nostra adhæresceret. Et iterum in eodem sermone. *Surge Domine in requiem tuam tu, & arca sanctificationis tuæ. Vere enim arca est sanctissima Virgo intrinsecus, & extrinsecus deaurata, quæ vniuersum sanctificationis thesaurum suscepit.* Ne ergo tu illi aliquid sanctificationis opinione tua detrahas, quæ vniuersam sanctificationem suscepit. Nec caret emphasi illud, *intrinsecus, & extrinsecus deaurata*: significat enim Virginem totam vndique intus, & extra, corpore, & animo sanctam, & innocentem, nec à suo, nec ab alieno peccato læsam.

Rursus in sermone secũdo multa serit Gregorius, quæ hanc Virginis perpetuam sanctitatem commendant. *Aue* (inquit) *gratia plena. Tu enim, quæ re vera gaudio sunt digna, agis, quoniam immaculatam induta es vestem.* cuius loci energiam habes supra cap. 39. §. 2 Et infra sic attexit. *Cumque puritatis, atque integritatis simul acrum esset, aspectum ipsa Angelicũ, sicut plures ex Prophetis non reformidauit.* At inquies, in hoc loco per puritatem nõ quidem innocentiam ab omni labe immunẽ, sed Virginitatem illibatam notari. Hoc tibi non grauate cõcedo: sed tamen accipe ea, quæ subinde sermone decurrente subnectit Thaumaturgus. *Quoniam & tu sancta, & omni humana creatura gloriosior, ac purior, sanctior effecta, ac niue quidem candidiorẽ habes mentẽ, quouis autem auro quantumuis probato purificatum magis corpus.* An non hæc sanctitatẽ perpetuam, & innocentiam ab omni macula li-

beram sonant? Sed illud perpetuæ sanctitatis testimonium valde præclarum. *Hæc*, ait, *semper vigens immortalitatis paradysus*. Pēde illud *semper vigens*, eo modo, quo nuper similia verba librasti.

Nec parcit Gregorius in serm.3. sed eandem Virginis innocentiam identidem adstruit. *Missus est* (inquit) *seruus incorporeus ad Virginem inuiolatam, atque immaculatam, missus est à peccato liber ad corruptionis, seu labis expertem.* Quibus verbis nō secus insons, innocensque asseritur Maria, quam Angeli, quos originalem maculam ignorasse certum est. Missa facio plura alia verba, quæ Gregorium piæ sententiæ,& immaculatæ Conceptionis assertorem semper fuisse testantur: vt propterea grauiter feram illū ab Ægidio nobis eripi, quasi nihil puræ Conceptioni adsa uere videatur.

Sāctus Cyprian. Anno huius sæculi 250. sanctitate pariter, ac eloquentia floruit Cyprianus Episcopus Carthaginensis, qui, persecutionum licet perflāte turbine, pręclara pietatis, & ingenij monumenta excitauit, in quibus perpetua hæc Mariæ sanctitas clarissime elucet. Nam in oratione de Christi Natiuitate inter alias eximias Mariæ laudes hanc miscet. *Nihil in hac* (scilicet in Maria) *repetijt vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetijt pœnarum vsuram. Spiritu Sancto obumbrante, incendium originale extinctum est: ideoque innoxiam affligi nō decuit: nec sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus lassaretur iniurijs, quoniam plurimum à cæteris differens natura communicabat, non culpa.* Vides lector, cur Maria communibus hominum ærumnis inuoluenda non sit. *Vas electum* est, cur sordibus cæterorum abijciatur, aut subijciatur? *Plurimum à cæteris* differt, cur eorum miserijs inferatur? *Natura tantū cum illis communicabat, non culpa*, cur seueras eorum leges subire? Cur eorum casibus subiacere dicatur? Quid cum illis nisi naturam humanam haberet commune? Cæterum, quia nos supra non semel locū hunc accurate pensitauimus, nouum hic rationum, aut verborum momentum nequaquam addendū putamus: sed ex illis, quæ inibi serutmus, perstringēda Patris Ægidij crysis, qui nobis etiam Cyprianū adimere conatur, & tam hæc, quam alia eiusdem verba eludit.

Pergit tamen Cyprianus cumulatam Mariæ gratiam explicare. *Erat ei* (inquit) *propriū priuilegium, quod nulla mulierum, nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quod erat simul mater & virgo singulis titulis insignita.* Sed quid inde ad gratiā, & puritatē Conceptionis? Audi. *Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & virgini abundantior gloria, quæ carnis, & mentis integritate insignis spirituali, & corporali, intus, & extrà Christi præsentia fruebatur.* Si ergo tali *matri plenitudo gratiæ debebatur*, cur Deus illi primā gratiam corripuisse, aut decurtasse: cur gratiam diminutam, & quasi dimidiatam præstitisse dicamus, aut existimemus? Deinde si *carnis* æque, *& mentis integritate insignis fuit*, cur, qui perpetuam, & super Angelicam carnis puritatem libenter illi concedimus, non etiam simili modo perpetuam, & super Angelicam mentis munditiam concedamus? Sed huius etiam loci exactam interpretationem dedimus supra c.40. §.4.

Vix me contineo, quin stylum hic stringam in Bandelum locum quendam proferentem è Cypriani Epistola de infantibus baptizandis: ita enim eum mutat, contrahit, protrahit, deque suo confingit, vt si vtriusque codices confetas, non possis non mirari tantam hominis istius licentiā. Sed quia locus ille, quantumuis à Bandelo ad arbitrium compositus, nullam contra Mariæ puritatem habet vim, eum prorsus omittam.

Huius sæculi gloriam auxit Dionys. Alexandrinus, qui floruit prope annum salutis 250. & multa quidē eruditissima opera scripsit: sed ex multis vix vna aduersus Paulum Samosatenum Epistola ad nostram ætatem peruenit, quam noster Franciscus Turrianus in suam primū Opplothecā ex vetustis Græcorum scrinijs deprompram, & in latinā linguam translatam coniecit: nunc autē habetur in 2. tom. Auctarij Bibliothecæ veterum Patrum. Hic ergo in præfatione illius Epistolæ pro Virginis innocentia hæc habet verba. *Deus enim apparuit in carne natus ex muliere, qui erat ex Patre Deo genitus ex vtero ante luciferum, tanquam ex corde verbum ex patre editum, & simplex, atque expers partium verbum caro factum est: non diuisum in carnem, & verbum, quasi in homine habitet verbum: hęc enim fuga generationis est, siquidem iā inde habitat, in quibus multæ reperiuntur matres: vna autem, & sola Virgo filia vitæ genuit verbum viuens, & per se subsistens, increatum, & creatorem, &c.* Hęc melius vt capias, puta, Samosateni dogma fuisse, verbū Dei in Virgine quidem fuisse, & ex illa apparuisse, non tamen ab illa genitum, & procreatum. Non ita, inquit Dionysius, nam eius generis matres, quę verbum Dei spiritualiter conceperint, & Deum per gratiam in se morantē habuerint, permultæ sunt: de his enim matribus Christus in Euangelio. *Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est*: vna autem, ac sola est Virgo, quæ illum non spiritualiter tantū, sed etiam corporaliter procreauit. *Vna* (inquit) *& sola Virgo filia vitæ.* Pende energiam horum verborum *vna*, & *sola*, socium habet neminē: reliqui enim natura ipsa sumus filij iræ, vt ait Apostolus, ipsa vero *filia vitæ*: ita enim decebat, vt illa Dei verbum viuum gigneret, quæ nihil eius mortis haberet, quæ peruuum hominem subintrans in omnes homines pertransijt,

Dionysius Alexādrinus

Rursus

Rursus idē Dionysius in solutione quæst. 5. de Virginis impolluta innocentia iterum hæc attexit. *Nec in tabernaculum eius verum alius introiuit, neque exiuit, nisi solus Dominus, & signata porta tabernaculi, & digito eius signata est: neque manu hominis sacerdos noster electus est, neque tabernaculum eius ab hominibus fabricatum, sed Spiritu Sancto firmatum est, & virtute altissimi protegitur illud semper laudatissimum Dei tabernaculum Maria Deipara, & virgo.* Hæc Dionysius, in quibus aliqua occurrunt digniora. Mariam summi Sacerdotis Christi tabernaculum esse dicit: atque adeò soli ipsi peruiū, cuius claustra, & seras neque ingrediēs, neq; egrediens violauit. Hæc ad impollutam virginitatem spectanr. Deinde attexit. *Hoc Maria tabernaculum non manibus hominum fabricatum, sed ab Spiritu Sancto firmatum.* Hominum manus arcet ab hac fabrica, vt significet eas maculas, quæ ab illo naturæ fōte Adamo, qui manum ad vetitum pomū misit, quasi per manus ad nos vsque venerunt, illi minime adhæsisse: vel potius, vt innueret ipsam non esse ex priori illo filiorum Adami censu, qui illi secundum naturalem generandi rationē ab initio adscripti sunt, atque adeò transfusioni obnoxij erant. Notus autem est modus loquendi Hebræis perquam familiaris, apud quos ædificare domum, aut familiā perinde est, ac filios procreare, & filij dicuntur בנים *Benim*, quasi ædificia, ex radice בנה, id est, *ędificauit*. Ait ergo Dionysius, no est Maria ædificium commune hominum manibus fabricatum, atque adeò sordidum: non est inquam filia aliqua communis naturæ ipsi debita iuxta communem propagandi rationē, sed in eius prima conditione, & creatione Christi gratia intercessit, per cuius merita ab initio formata, & sanctitate donata fuit, vt diximus supra cap. 22. Ideo ait. *Sed ab Spiritu Sancto firmatum*, id est, fundatum, nā ædificij firmitas in fundamento sita est: firmatum inquam, id est, firmiori, & immobili illa gratia ab initio donatum, quā soli Virgini propriam esse docui etiam supra cap. 32. §. 2. Addit prætерea. *Semper laudatissimū Dei tabernaculum*, ergo semper purum: nam si illi aliquando sordes, aliquando culpa infuit, ergo aliquando vituperabile, & execrandum fuit.

Vlterius etiam in solutione quæst. 7. Marianæ puritatis defensor Dionysius illustriorem aliam sententiam nobis obtulit. *Non in seruo inhabitauit, sed in sancto suo tabernaculo, non manu facto, quod est Deipara Maria. Illic enim in ipsa Rex gloriæ factus est Pontifex, & manet in æternum simul ingressus in sancta æterna redemptione inuenta: ex ipsa exiuit verbum factum Pontifex, non secundum legem carnalis mandati, sed secundum virtutem vitæ indissolubilis.* Obiecerat quidem Dionysio Samosatenus illa Pauli verba. *Formam serui accipiens.* Ipse vero matris contendit accepisse quidem serui formā, sed ab ipsa seruiture peccati prorsus alienum fuisse: vt ergo Christum ab omni huius vitiosæ seruitutis suspicione vendicaret, addit. *Non in seruo, sed in sancto suo tabernaculo inhabitauit.* Illud vero nomē *seruo* est adiectiuum, atq; adeò hunc sensum reddit: non in tabernaculo seruili, sed sancto moratus est. Quasi dicat, tantum abest, vt seruus ipse fuerit ea seruitute, quæ peccatū includit, vt etiam matrem ab omni peccati seruitute alienam sibi delegerit, vt in illa tanquam in tabernaculo sancto, & non manu facto Pontifex initiaretur: atque adeò in illam *ingressus est, tanquam in sancta æterna redemptione inuenta.* (Hæc tu te tibi ad comprobandam Virginis perpetuam sanctitatem, & innocentiam, vt voles, contingе) & ex illa exiuit factus Pōtifex ad pontificalia exercenda. Ergo ne putandum est, tantum Pontificem ad sui initiationem tabernaculum delegisse, quod aliquando sordidum, ac immundū fuerat? Absit, vt ille se ipsum, vel ea ratione pollueret, ac temeraret.

Nondum explicit Dionysij laus in Virginem: nam ad calcem illius Epistolæ in solutione quæstionis 10. Mariæ perpetuam sanctitatem nouo schemate adornauit. *Qui nunc nouissimis diebus propter nos venit non in figura ignis, sed conceptus in ventre Virginis Mariæ, superueniente Spiritu Sancto in eam, & matrem incorruptam à pedibus vsque ad caput benedictam seruauit, sicut ipse solus nouit modum conceptus, & ortus sui. Hæc enim est, quā Isaac præuidens dicebat Iacob: Det tibi Deus benedictionem terræ habentis omnia. Qui enim de cœlo descendit vnigenitus Deus Verbum gestatum est in vtero, & genitum ex paradiso virginali habente omnia.* Illustrissima sunt hæc, adeò vt hæc tibi diluenda, & euoluenda permittere malim, quam breuiori aliquo commentario obscurare. Suadeo tamen interim, vt illud potissimum expendas, *à pedibus vsque ad caput benedictam seruauit.* Quæ verba integrā, perfectissimam, & absolutissimam quandam benedictionem adsignificant, iuxta modum loquendi apud nostrates solennem: verbum etiā *seruauit* specialē energiā habet. Itaque perinde, ac si dicat, *la guardò bendita de pies a cabeza*: Si autem sapis, facile agnosces hāc loquendi rationem esse figuratam, per caput enim rei initium, per pedes eiusdem finis adumbratur. Itaque perinde est, ac si dicat, à principio, vsque ad finem benedictam, sanctam, & immaculatam adseruauit. Simile quidpiam cecinit Petrus de Riga nobilis Poeta, qui floruit tempore Bernardi.

Vnā nec maculam natura reliquit in ista
Ad caput à planta transfuclat iste decor.

Rursus illud quoque notatione dignum, *genitum ex paradiso virginali habente omnia.* Quomodo ergo Mariæ paradisus omnia continebit, si id, quod paradisi maxime propriū fuit,

& quod in ipsa maxime viguit, ac floruit, scilicet iustitia originalis, in Maria desideratū est. Hactenus Dionysius.

Chrysippus.

Claudat hoc sæculum alius author vetustus quidem ille, sed cuius vitæ tempus non plane constare mihi potuit, sicut neq; Phocio constitit, qui tamen eum in hæc prima sæcula reiecit. Is est Chrysippus Hierosolymitanus presbiter, qui in sermone de laudibus Mariæ inter alia præcipua eius elogia, hanc quoque puritatem non obscure videtur celebrare. Omitto autem locum illū fere à principio. *Tecū est conditor omnium, tecū inquam, vt ex te gignatur, tecum Conceptione, vt ex partu tuo generetur.* Nam vti aliàs dixi, author hic *Conceptionis* nomine eam intelligit, qua Maria Christum concepit, non eam, qua ipsa concepta est. Nisi quis locum hunc ab alto petat, atque ita in nostram quoque rem adducat, ab illis scilicet verbis. *Tuum est verissime audire istud, gratia plena, quia tecum est vniuersus lætitiæ thesaurus, totius lætitiæ, & gratiæ: Rex cum ancilla, cum speciosa inter mulieres, speciosus forma præ filijs hominum, cū puella impolluta is, qui sanctificat omnia, &c.* Nam cur tātopere prædicetur opulenta illius gratia, lætitia, pulchritudo, munditia, si aliquando in summa peccati inopia, tristitia, deformitate, & fœditate iacuit? Rursus in eodem sermone pulcherrima ista verba sunt (quæ tamen ego quoque supra per otium adnotaui cap. 31.) *Obliuiscere populum tuum ò Virgo: populus enim, à quo cognationem contraxisti, nequam est, ignominiam tibi affert, populus imprudēs tibi irreprehensæ naturæ, propaginis familiaritate iunctus est, & cultura spinarum ferax rosam tuam producit, &c.* Vbi in primis, vt sententia aptè constet, sic legendum suspicor, nō *naturæ propagine*, id est, populus ille arcte, & familiariter tibi iunctus est communione naturæ: neque *natura propaginis*, id est, iunctus est tibi generis, seu propagationis humanæ natura: nisi forte retineas *natura propaginis* in eo sensu, vt Virgo propago quędā, siue surculus trunci illius populi dicatur. Sententia igitur loci illius hæc est. *Obliuiscere Virgo populum tuum*, abijce è memoria gentem illam, vnde progenita es: si enim fœdam maiorum tuorum naturam consideres, cum illis natura communices, ignominiam inde trahere videberis: nam cum eis adeò familiariter, arcteque coniuncta sis, vt ex eodem trunco, eademque propagine producta, & procreata fueris: inde factum, vt stipitis vitium, tuum quodammodo videatur. Sed euge mea Virgo, gaude, & lætare: quia sicut è spinosa plāta mollis nihilominus rosa solet existere: ita etiam tu è pessimo trunco optimum germen extitisti, è populo nequam, & imprudente, fœmina sancta, & irreprehensa. Quasi apertius dicat: natura quidem cum populo tuo communicas, sed non culpa, natiuitate, non asperitate, carne non crimine: inter pa-trum tuorum spinas rosa extitisti.

At non deerit fortasse aliquis, qui spinas etiam, vt nos, imo vt Mariam nostram pungat, ex eodem Chrysippo colligat (Christo grates, quod Bādelus in hunc agrum non incurrit) nam paulo ante prædicta verba sunt alia, quæ Mariam non solum natura, sed etiā culpa populo suo coniunctam videntur indicare. *Surge Domine (inquit) in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ: cum enim tu inde surrexeris, sigillabis arcam sanctificationis tuæ, tumq; arca cum omnibus exurget à lapsu, in quo vel illam constituit Euæ cognatio.* Sed & nota, vnde Dominum surgere hortetur. *Surge Domine* (inquit paulò supra.) *Nam nisi tu exurgas è sinu paterno, genus nostrum quondam lapsum non resurget.* Itaque hic author humanæ non solum naturæ, sed etiam culpæ participē planè videtur efficere Mariam, dum Deum Dauidicis verbis hortatur, vt è cęlorum arce sublimi se se decliuet, vt humanum genus à lapsu: imò nominatim vt Mariam à lapsu, in quem illam Euæ cognatio deturbarat, erigat, atque confirmet. En nodus (bone lector) quē non ipse magnus Hercules, magnus inquam Bandelus arctius constringeret. Eius tamen solutionem habes suprà cap. 41. §. 1.

SAECVLVM IIII.



SVB Hoc quarto sæculo multi floruerunt Ecclesiæ Patres, & Doctores, qui Virginis immaculatā Conceptionem, alij clariùs, alij obscuriùs adstruxerunt, & eius innocentiæ subscripserunt.

Magnus Athanasius Alexandrinus Præsul sub Constantino Imperatore anno Domini 340. Arrij mastyx, reliquorumque hæreticorum acerrimus profligator tom. 3. serm. de Sanctissima Deipara Maria sub finem Virginem ipsam alloquens, sic ab omni peccato liberam confitetur. *Decet te matrem, regeneratricem, dominam, atque heram cognominari, eo quod ex te prodijt Rex, Dominus, ac Deus noster, assistentem illi nobis quidem terribili, tibi autem dulci, omnemque gratiam largienti: qua de causa factum est, vt gratia plena appellata sis, vt pote, quæ omni gratia abundares.* Ex quibus verbis illa sunt præcipue pendenda, quibus docet Athanasius omni gratia Beatam Virginem abundasse: quod quidem ita verum non esset, si ea gratia à peccato præseruante careret. Sed luculentius idem Athanasius paulò ante. *Itaque Spiritus Sanctus in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus imbuens eam gratia, vt in omnibus grata esset: atque id circo gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus Sancti omnibus gra-*

Sāctus Athanasius.

tijs

tijs abundaret. Quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuisse confido, & post conceptum eam retinuisse. Cęterum horum verborum Athanasij quanta sit vis, & momentum, deducendum est ex cap. 4. vbi explicuimus qua ratione Maria, si in peccato originali cōcepta esset, plena gratia ab Angelo compellari non posset.

Titus Bostrenus. Eodem sæculo claruit Titus Bostrenus anno 364. qui in cap. 1. Lucæ Virginis perpetuam innocentiam cōmendat his verbis. *Sacratissimam, Deiparamque dominam nostram viro de familia Dauidis desponsatam asserit Euangelista, per hoc vtique indicare volens ex eodem illo Dauidis genere, vnde Ioseph, qui illam duxerat, ortum trahebat, ipsam quoque inculpatissimā Virginem fluxisse.* Hæc extrema verba studiose dicta videntur ad significandum ipsam quidem ex Dauide generis initium, non vero culpę, aut criminis originem aucupari.

Sāctus Ephrem. Venio ad sanctum Ephrem Syrum Diaconum Edessenum sub annum 365. qui sermone de laudibus Beatæ Mariæ vocat illam, *intemeratam, & sincerissimam:* Et oratione sequenti ad eandem Deiparam, sic exorditur *Immaculata, intemerata, incorrupta, & prorsus pudica, atque ab omni sorde, & labe peccati alienissima, Virgo Dei, ac sponsa domina nostra.* Ex quibus ea præcipue animaduerte, quæ Deiparā ab omni sorde, & labe peccati *alienissimam* prædicant: neque enim alienissima ab omni peccato poterat dici, quæ maculam originalem reliquorum vitiorum matrem contraxisset: imo si vere alienissima iudicari debet, nō solum à peccato est vindicanda: sed etiam ab omni peccati debito excludenda: hoc enim debitum illam ipsimet peccato proximam, & affinem statuit.

Sāctus Basilius. Basilius Magnus anno 370. puræ Conceptionis Mariæ non immerito adstipulator censendus etiam est, in Liturgia, vbi Diaconus sic decantat. *Sanctissimæ, intemeratæ, dominatricis nostræ, Deiquegenitricis Marię cum omnibus sanctis commemorantes.* Et iterum idē Diaconus. *Custodi nos Deus gratia tua, sanctissimæ, & immaculatæ dominatricis nostræ, & Deigenitricis Mariæ cū omnibus sanctis, &c.* Eadem verba iterum, atque iterum vsurpat tum Diaconus, tū populus: & infra in actione secreta. *Quoniam per hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatū mors properauit, bene placuit vnigenito filio tuo, qui est in sinibus tuis Dei Patris factus ex muliere Sancta Deigenitrice, & semper Virgine Maria, factus sub lege condemnare peccatum, &c.* Horum verborum energia hæc est: vt peccatum damnaret, voluit ex sancta, & ab omni peccati experte progigni, vt vel ex hoc constaret ipsum contra peccatum causam suscepisse, quia peccatum omne in matre præcauendo vitasset. Et infra Pōtifex voce excelsa dicit. *Præcipue sanctæ, & immaculatæ, benedictæ Dominatricis nostræ, &c.* Aliqui etiam ex Basilio pro innocentia Virginis depromunt illa verba. *O Maria, tu cādoris, & decoris forma, cui in terris nō est æqualis, &c.* Habentur hæc verba in Breuiario Romano Quignonij in 3. lectione, atq; etiam producuntur ab Hilareto, Clichtoueo, & alijs passim. Sed neq; in ipso comperire potui, neque ad probandam Cōceptionis puritatem valde robusta sunt.

Ad hæc noster Valentia citat Diuum Basiliū in sermone de Incarnatione Christi, & ex illo eiusmodi verba producit. *Id sæculum, in quo Maria viuebat, nihil cum Mariæ puritate cōparandū habuit, quæ vt Spiritus sancti operationem susciperet, electa est.* Et infra. *Ex sanctitate igitur cōpacta caro digna erat, vt Deitati vnigeniti vniretur.* Quid est enim (ait Valentia) carnem Mariæ ex sanctitate compactam esse, nisi illam à prima sua conditione, tunc cum à Deo compingebatur, gratia, & sanctitate donatam: à qua reliqui in eo dissimiles sumus, quia nostra caro in peccatis compacta, in peccata pendet, ac prona est? Cæterū alij locū istum minime idoneum esse affirmant, quia non loquitur de carne Virginis, sed carne Christi, quam per Spiritum Sanctū compactam, & concretam verbum Dei sibi copulauit. Non reluctor: ita enim verba ipsa innuere vidētur. Locū aliū retulit Bernardinus de Bustos in Officio de Cōceptione, quod Sixtus quartus authoritate sua approbauit in lectione 3. cuius initium est. *Quid dulcius fratres, &c.* quorum verborum virtus petenda est ex cap. 21. can. 5.

Sanctus Epiphanius per idem tempus Mariæ purissimam Conceptionem celebrauit in sermone de laudibus B. Marię, vbi sic habet. *Gratia plena es Beata Virgo, solo Deo excepto, cunctis superior existis, natura formosior es ipsis Cherubin, Seraphin, & omni exercitu Angelico.* Nam qui potuit B. Virgo fœmina humana formosior Angelis natura vocari? Itane humanæ naturæ species in vnico B. Mariæ indiuiduo eam perfectionem adepta est, vt naturam Angelicam superaret? Minime gentium. Nam cōmune Philosophorum placitum est, indiuiduum alicuius speciei imperfectæ, quantumuis perfectius accrescat, geometrice quidem crescere, hoc est, intra limites propriæ speciei, ita vt perfectionem superioris attingere nequeat. Ergo cum Angelica natura, & species longe sit altioris ordinis, quam humana natura, non potest Beata Virgo, imo nec Christus Dominus, quatenus humanæ naturæ indiuiduum erat, in naturali, & essentiali perfectione naturæ minimis Angelis comparari. Cum ergo Epiphanius docuit, Beatam Virginem *natura formosiorem esse Angelis*, voce illa *natura* non substantiam, seu speciem substantiæ, sed natiuitatem accepit. Natura eim pro natiuitate accipi solet (teste Philosopho 2. lib. Physicorū) non solum autem origo ex vtero natiuitatis nomine censetur, sed etiam naturalis Con- *Sāctus Epiphanius.*

ceptio-

ceptio intra vterum proprio idiomate natura, siue natiuitas appellatur, vt docuimus supra cap. 36. Adeundus Vazquez 3. parte tom. 2. d. 114. c.4.num.35. Ergo B. Virgo à D. Epiphania natura ipsa, id est, natiuitate superior Angelis dicitur: ita nimirum, vt à sua Conceptione sanctior ipsa fuerit, quam illi à sua creatione, & prima conditione. Et quidem ipse sibi lux est Epiphanius, nam statim attexit. *Latabantur Angeli quasi ipsi duntaxat Deum haberent, quibus Beata Virgo superior nata Deum habitantem in cælis concepit in terra.* Sed de huius loci energia non pauca diximus cap.21.

Præterea idem Epiphanius post hæc Beatam Virginem vocat *lilium immaculatum.* Et deinde. *Ouem immaculatam, quę peperit agnum Christum, & iuuencam nunquam iugum expertam, quæ vitulum genuit.* Nunquam iugū experta fuit Virgo, iugum non traxit, non certe aliud nisi iugum peccati originalis, quod *impositum est super omnes filios Adam.* Ecclesiast. 40. iuxta ea, quæ eleganter docet Augustin. lib.5. Hypognosticon c.3. qui huius iugi nomine originale peccatum intelligendum esse docuit. Nec est dissimile illud, quod paulò post asserit. *O vterum habentem inextinguibile lumen septies lucentis gratia.*

Sanctus Ambrosius. Sanctus Ambrosius Mediolanensis Episcopus sub annum 374. immaculatam Virginis Conceptionem asseruit, vt explicuimus superiori cap. cum *virgę* figuram pro Beata Virgine exponeremus: docuit enim beatus Doctor Deiparam *virgam* esse, *in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpa fuit.* Quem locum citat etiam Clichtobeus lib.1. de puritate Conceptionis Beatæ Mariæ cap. 13. Hilaretus in sermone de Conceptione, Bernardinus de Bustis, & alij antiquiores. Alij vero propterea illud reijciunt, quia hodie in Ambrosij operibus non reperitur. Sed tamē alij rursus vēdicant, quia illud desumptum sibi persuadent ex Commentarijs eiusdem Ambrosij in Isaiam, quæ idem S. Doctor à se conscripta affirmat in Lucam lib.2. Adstipulatur etiam illius authoritati non paruus antiquorum Breuiariorum numerus, quæ præfata verba tribuunt Ambrosio, quorum fides magni haberi debet. Idem Ambrosius in Psal.118. ad extremum versiculum luculentius immaculatam Virginis Conceptionē asseruit. *Suscipe me in carne, qua in Adam lapsa est, suscipe non ex Sara, sed ex Maria, vt incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Quomodo autem caro Christi in Adam lapsa dicatur, habes supra cap.41. can. 3. Citatur etiam Ambrosius in hom. de Cain, & Abel, vbi ita scribit. *De hoc grege sancta & immaculata, & intacta illa ouis processit Sancta Maria.*

Sed obijcit Bandellus cap.10. non pauca ex Ambrosio, quibus innuere videtur Virginem in peccato conceptam: verum illa omnia iuxta Canones supra stabilitos, c.41. explicanda sunt, sed cū primis videndi Can. 2. & 3.

Sanctus Gregorius Nyssenus. Ambrosium insequitur Gregorius Nissenus, qui vixit sub annum Domini 380. hic ergo ad perpetuam Virginis sanctitatem probandam aliquid etiā non inelegans coniecit homil. 18. in Cant. ad illa verba. *Cādidus & rubicundus. Solus ex vniuersis hominum myriadibus de puritate Virginea electus est, cuius Conceptio sine duorum coniunctione perfecta, partus minime inquinatus, parturigo doloris expers, cuius thalamus altissimi potestas, quasi quædam nubes virginitatem ipsam inumbrans, fax nuptialis, Spiritus Sācti splēdor, cubile vitiorū expers conditio, nuptia puritas incorrupta.* Hæc ille. Quibus omnia, quæ in nuptijs intercedere solent, in verbi diuini incarnatione elegāter admodū expinxit. Sed illud imprimis adnotandum. *Cubile vitiorum expers conditio,* quod de Virgine omnino capiendum est, cuius vterus pro cubili fuit, in quo nuptię verbi, ac naturæ humanæ peractæ sunt. Conatur etiam horū verborū neruos incidere F. Ægidius, quod nimirū per *vitia* actualia tantum peccata, aut eorum habitus notantur, sed nō attigit prorsus germanam nominis vim: nam peccatum originale aptissime dicitur vitium naturæ, aut conditionis humanæ, atque adeò illud satis aperte excludit Nissenus. In Græcis est, Κοίτη δὲ ἡ ἀπάθεια. Quā vocem apte admodum interpres conuertit: proprie enim impassibilitatem ab omnibus malis notat. Sed illud cumprimis solidum: addit enim: *Nuptia puritas incorrupta.* Quæ verba nō possunt intelligi de virginitate: de hac quippe iam præmiserat: *partus minimè inquinatus,* & *nubes virginitatem inumbrans:* ergo de puritate, & munditia à peccato accipi debent.

Sanctus Hieronymus. Diuus Hieronymus Ecclesiæ maximus Doctor anno 390. immaculatam Virginis Conceptionem fassus est in Epistola de Assumptione B. Mariæ ad Paulam, & Eustochium, tom.9. quæ Epistola licet ab Erasmo, & alijs Sophronio tribuatur, tamen Cardinalis Bellarminius Hieronymianam esse nō abnuit. Ibi ergo Hieronymus Beatam Virginem vocat, *impollutam, & alienam à contagione peccati:* Et post pauca explicans illud: *Veni columba mea, immaculata mea,* de Virgine inquit. *Simplicitatem colūba in omnibus repræsentans, quoniam quidquid in ea gestū est, totum puritas, & simplicitas, totum veritas, & gratia fuit: & ideo immaculata, quia in nullo corrupta.* Expende illud, *quia in nullo corrupta,* quod quidem verum non esset, si peccati originalis corruptione contabuisset. Et in eadem Epist. rursus ita scrit. *Ante hoc ipsum sane vterus Virginis quanuis mundus, quanuis impollutus, & alienus à contagione peccati, quanuis sanctus: tamē adhuc vilitate carnis induitur, vt ita dicam, ac si lana candidissima suoque colo*

re de-

re dealbata: ad quam sane cum accessisset Spiritus Sanctus, quasi ipsa eademq; lana, cum inficitur sanguine conchilij, vertitur in purpurā, versa est & ipsa sine coitu in matrem. Quid illustrius? Sed illud mage illustre, quod sub eiusdem finem attexit his verbis. *Nam Angelorum quãuis celsior natura sit, non tamen gratia maior* (quam gratia Virginis) *Quia & ipsi gratuita gratia, ne corruerent, sunt saluati: Inde Dauid. Verbo*(inquit) *Domini cœli formati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorũ subsistit. Constat Beatam, & gloriosam Virginem Mariã, in quam superuenit Spiritus Sanctus, & à qua Deus totus illapsus portatur nouē mēsibus in vtero, vt credendum est, ampliora promeruisse virtutum priuilegia, & percepisse gratiam ab Angelis ipsis collaudatam: vnde etsi mirabilis est eorum firmitas, mirabilior tamen in Maria, quam obumbrauit virtus altissimi, vt vltra omnem virtutem sit Angelicam, quod factũ est in ea, & admirabile cunctis sæculis Sacramentũ.* Hæc verba supra etiam librani c. 25.

Idem quoq; Hieronymus ad ea verba Psal. 77. *Deduxit in nube diei. Nubes est Beata Virgo, quæ pulchre dicitur nubes diei, quia non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Ergo nunquã in peccato etiã originali, vt supra etiam cap. 42. librani. Denique Guillielmus Pipinus in sermone de Conceptione, hæc etiam recitat ex Hieronymo. *Nullum dubium est de matre Domini, quin talis debuerit esse, quæ de peccato redargui non posset, cum hoc ad improperium filij sui fuisset.* Sententiam hanc alias etiam expendi, cap. 25. Citatur etiam super Isaiam cap. 9. *In aula virginali, & nulla sorde maculata de Spiritu Sancto Dei sermo processit.* Alia etiam ex Hieronymo allegari solent testimonia non valde robusta, ex quibus nos aliqua dedimus supra cap. 37. §. 1.

Huius etiam sæculi gloriam non parum amplificat Thimotheus Presbiter Constantinopolitanus, qui in Oratione de Simeone Dei susceptore, de Virginis immunitate ab omni culpa luculenter admodum scripsit. Nam in eo ser. Simeonē, Virgine inter alias puerperas ad templum se se expiandi gratia venientes conspecta, hæc loquentem inducit. *Quid vos conditione ancillæ cum libera, atque adeò Domina incertatis?* Vnde ergo aliæ *ancillæ*? Nō aliunde sane, nisi quia omnes peccati seruitutem sustinebant. Nec caret emphasi vox illa *conditione*; significat enim seruitutem ex conditione, & statu naturali, non ex proprio delicto: hæc autem non est alia, nisi originalis peccati seruitus. Inde ergo Virginem liberam asseruit Thimotheus, quia nimirũ ab illa, quę per naturalem conditionem in omnes alias fœminas deriuatur peccati seruitus, prorsus immunis fuit, *atque adeò Domina*. Illud satis aperte insinuans, nequaquam Dominam, & Reginam esse posse, si aliquando peccati seruitutem experta fuisset.

Thimotheus Presbiter Cōstātinopolitanus.

Sed luculentius hanc Virginis perpetuam sanctitatem asseruit infra. *Vnde etiam supra omnes inculpata, & omnibus modis Sancta Virgo per illum, qui domicilium habuit in ea, esque adhuc immortalis est, &c.* Iterum etiam circa finem orationis sic habet. *Virginem supra quã dici potest inculpatam, omnibusque modis sanctam.* An aliquid vel dignius, vel apertius dici, aut excogitari posset? Supra omnes *inculpatam* appellat: ergo communi omnibus culpa vacasse illam sentit: imo, *& supra quam dici potest inculpatam* asserit. Certe non negabis hoc dici posse, imo fateberis communi omniũ pie sentientium celebrari sermone Virginem caruisse culpa. Tantum ergo abest, vt id, quod de Virginis innocentia dicitur, extenuare debeas: vt ex Thimothei sententia aliquid etiam supra, quam dicitur, aut dici potest, de hac innocentia suspicari, aut cogitare opus sit. Denique *Virginem modis omnibus sanctam* nuncupat. Quonam pacto verum hoc esse poterit, si illã originaliter sanctam abnegemus? Hæc oratio reperitur in Auctario Bibl. Patrum tom. 2.

Huius etiam sæculi censum auget Sophronius Hierosolymitanus Patriarcha, qui in oratione de Angelorum excellentia, Mariæ *impollutam innocentiam*, luculentis verbis semel, & iterum extollit: nam ad Gabrielē Angelũ hæc dictat. *O Gabriel, qui beatissimã, inculpatissimamque sacratissimã, purissimaq; Dominæ nostræ genitricis Dei Mariæ animam læta, salutarique annunciatione ingenti gaudio imbuisti, Euęque tristitiam, eiusdemque luctũ certæ salutis sponsione in lætitiã transformasti.* Et rursus infra ad Christum Dominum orationem conuertens. *O benefice* (inquit) *in storum numero me accense tuique gaudij inculpatæ matris tuæ, Angelorumque sanctorũ precibus intercedentibus consortes nos effice, &c.* Hæc verba libra non indigent. Sed rursus idem in Epistola ad Sergium Patriarcham Constantinop. quæ lecta, & probata est in sexta Synodo generali, de Virginis innocētia sic scruit. *Mariæ sanctæ, preclaræque, & quæ Dei sunt sapientis, ab omni contagione liberatæ, & corporis & animę, & intellectus.* Obseruat autē noster Vazquez in Vaticanis codicibus legi, *ab omni contagione liberę, &c.* Et paulò inferius. *Ideo Virgo sancta accipitur, & corpus, animaque sanctificatur, quę ita ministrauit incarnationi, vt munda, & casta, & incontaminata.* Et subinde non longo interstitio. *Ex inuiolabili*(inquit) *& virginali sanguine sanctæ, atque immaculatę Virginis Mariæ verbum vere factum est incarnatum, & in vtero virgineo deportatum, & tempus impleuit legitimi puerperij, & per singula naturalia, & peccatum non trahentia nobis hominibus similis factus est.* Et quidem Sophronij mens erat ostēdere, ac suadere Christum Dominum nullam ex parente sua labē reportasse, atque eapropter illibatam, & incontaminatam matrem sibi delegisse. Huius

Sophronius Hierosolymitanus.

verò

verò rationis energiam pete ex his, quæ diximus supra cap.41.Can.2.

Ioannes Hierosolymitanus. Floruit etiã hoc sæculo Ioannes Hierosolymitanus, & ipse etiam Marianæ immunitatis adstipulator in lib. de institutione Monachorum cap.32. vbi Heliæ nubeculam ad puritatem Virgineæ Conceptionis significã dam transfert, idque antiquissima sæculorum persuasione confirmat: sed de hac re nos supra cap.42. in figuris veteris testamenti non perfunctoriè diximus. Illud tamen hic scias velim, illustrissimos Cardinales Baronium, & Bellarminium serio affirmasse librum illũ de institutione Monachorum nõ esse Ioannis Hierosolymitani germanũ opus, ea ratione inducti, quia meminit Carmelitanorum, eorumq; habitũ graphicè describit, quos aiunt Ioanne Hierosolymitano longe posteriores fuisse. Sed absit, vt ego gloriam illam Carmelitanis Patribus inuideam, vt & dictum Ioãnem inter suos Protopatres numerent, & tam nobile, tamque antiquum pro immaculata Virginis Conceptione testimonium inter suæ Religionis ditissimas gazas ostẽtent. Vidi certe, atque euolui non pauca antiquitatis monumẽta, vt in hac cõtrouersia aliquid certo definirẽ. Nihil tamen comperi, quod non suaderet præmissum Ioãnem Carmelitanum fuisse, & dictum de institutione Monachorum librum ab ipso conscriptum: atque adeò hanc sententiam libentius amplector, & grauissimo, antiquissimoq; Ordini, quæ sua sunt, lubens restituo.

Cæsarius. Cæsarius etiam hoc sæculo clarus, cuius dialogi nuper lucem viderunt, tuendæ Virginis innocentiæ venit etiam suppetias: nam dialog.3. circa finem hæc promit verba. *Pro loco virginis nimirum Eua perpetuam Virginem sanctam matrem suam suscitauit, pro illius pœna huic salutem per proprium seruum Gabrielem misit, in hac sanans, quæ illa deliquerat.* Verba hæc libra non indigent: sed tamen obserua aliqua. Pro Eua Maria, sancta scilicet pro peccatrice supponi, & subrogari dicitur. Secundo pro pœna salutem illi per Angelum missam affirmat, quia quę culpam ignorabat, pœna etiam carere debuit. Extrema verba sunt: *In hac sanans, quod illa deliquerat*, non dixit sanans eã, quasi primum morbum traxisset, sed sanans Euæ delictum in ipsa, quasi dicat, delicti ipsius iniuriam, & pestem auertens. Vel certe sensus est *in hac sanans*, id est, per hanc ad sanitatem adducens, quidquid Eua delicto suo morbidum reddiderat, quod ipsius Virginis immunitatem à culpa, quam valide probet, ostendimus supra cap.22.

Chrysosthomus. Auream coronidem huic sæculo imponit Ioannes Chrysosthomus, qui anno 398. floruit, & tom.5. in sua liturgia immaculatam Virginis Conceptionem adstruit. *Memoriã* (inquit) *agentes sanctissimæ, incontaminatæ, super omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ* Et inferiùs *Præcipue pro sanctissima, immaculata super omnes benedicta Domina nostra Deipara.* Et statim. *Vere dignum, & iustum est glorificare te Deiparam, semper beatissimam, penitus incontaminatã matrẽ Dei nostri, honoratiorem Cherubin, & gloriosiorem incomparabiliter Seraphin.* Et in sermone de Annuntiatione vocat Mariam *immaculatam*, & inferius. *Maria desponsata Ioseph: dabitur hic liber obsignatus viro scienti literas, id est, Virgo plane immaculata Fabro Ioseph.* His ergo, & similibus verbis, quis neget Chrysosthomũ planè docuisse Virginẽ ab omni labe criminis liberam, quæ si peccati originalis culpa pollueretur, nec *immaculata*, nec *semper Beatissima*, nec *penitus incontaminata*, nec *honoratior Cherubin* foret appellanda?

SAECVLVM V.

Sãctus Augustinus. PRIMVS In hoc sæculo immaculatæ Conceptionis Virginis assertor fit D. August. qui sub annum 400. floruit: cuius ex pharetra aduersarij contra puram Virginis Conceptionem plurima spicula depromunt. Eorum tamen aciem hebetauimus, atque retudimus supra cap.41. Can.1.2.& 3.vbi non tãtum quasdam locutiones vniuersales, in quibus S. Doctor solum Christum à peccato liberũ, & ipso excepto, reliquos omnes peccati reos adstruit, bono sensũ donauimus: sed quædam etiam illius testimonia, quæ nos arctius premere videbãtur, exposuimus: ea nimirum, quibus Virginem *propter peccatum demortuam* asserit, & eidem *carnem peccati* tribuere videtur, quæ originalis culpæ infectionem sonare videntur. Quapropter reliquum est, vt ea, quæ pro Virginis originali innocẽtia idẽ Doctor diuersis in locis seruit, hic ad scribamus. Imprimis autem tribui solent August. illa verba. *Cum subiectio peccati originalis caput sit diaboli, tale caput Maria cõtriuit, quia nulla peccati subiectio ingressum habuit in animã Virginis.* Producũt autẽ hæc verba Ioannes Ekius in sermone de Conceptione, & Bernar. de Bustis in Officio de pura Conceptione, & ex his alij: sed tamen in Augustini codicibus hodie non reperiuntur.

Allegari etiam solet D. Augustinus ad Fratres in Eremo ser.20. vbi sic habet. *Quia vero genus humanum à corruptione liberandum erat: id circo pretium redemptionis incorruptũ esse debuerat: Propterea Maria mater electa est, & super omnes creaturas praelecta, omnibus gratijs fœcundata, omni virtute, & sanctitate in vtero repleta, vt de mundissima matre mundissimus filius nasceretur. Et sicut in cœlo filius*

habuit

habuit Patrem immortalem, & aeternũ: sic & in terra haberet matrem omni corruptione carentẽ. Igitur in cœlo qualis est Pater, talis est filius: & in terra qualis est mater, talis est & secundum carnẽ filius. Hoc testimonium S. Virginis originalem puritatem apertissimè etiam tradit: tamẽ sermones illi spurij sunt, & nothi, atq; inter germana Aug. opera à nullo locuplete authore censentur. Atq; adeò his omissis, subijcio proprios Aug. fœtus. Philippus Diaz in locis Com. verbo *Maria* hæc etiã Aug. tribuit verba. *Claritas fuisti, vt Maria non solùm non peccaret, sed nec peccatum cogitare posset, & super cunctos reseruasti ab omni labe peccati.* Illa tamen in August. nancisci nõ potui. Hic ergo in l. de nat. & gratia. *Excepta* (inquit) *S. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cũ de peccatis agitur, habere volo quaestionem: unde enim scimus* (Vel vt apte corrigit Vazquez) *Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatũ, quæ concipere, ac parere meruit eum, quẽ constat nullũ habuisse peccatũ. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos, & sanctas, cum hic viuerent, congregare possimus, &c.* Quem locum intelligendũ de peccatis actualibus, & originali, doctè probant Vazq. 2. tom. in 3. p. d. 117. c. 3. & Suar. eod. tom. 2. d. 3. sect. 5. Et Catherin. disp. de immaculata Cõcep. 1. p. c. 5. §. *Nec me latet.* Canis. lib. 1. c. 6. & alij quã plures, qui præscripta Augustini verba eruditè expendunt: ad quos, ne actum agere videar, lectorem refero.

Idem quoque S. Doctor tract. de quinq; hæresibus c. 5. de Virgine sic ait. *Vnde sordes in domo, quã nullus habitator accessit? Solus ad eam Dominus, & fabricator eius venit, vestem, quam non habebat, induit, eãq; sicut inuenit, clausam reliquit.* Et statim Christus ipse sic fatur apud eundem. *Ego matrem, de qua nascerer, feci, ego viã meo itineri præparaui, hanc, quã despicis, Manichæe, mater est mea, & manu fabricata est mea: si potui inquinari, cũ facerem, potui in illa inquinari, cum ex ea nascerer. Sicut transitu meo illius nõ est corrupta Virginitas: sic & mea non est ibi maculata maiestas.* Ex quibus verbis, qua ratione immaculata Virginis Conceptio colligatur, petendũ est ex dictis sup. c. 27. vbi hæc verba ex instituto perpendi.

Idem Augustinus in lib. de Simboli expositione, & Domin. Orationis serm. 2. (Quæ subdo, habentur in Mellil. Augustini Verbo *Maria*) *Secundum fidem* (ait) *Sanctarum Scripturarũ Maria Virgo, sine naturali semine concepit Deum: quia qui venerat abolere malum originale, quod trahimus omnes nati ex commixtione maris, & fœminæ, conueniens erat, vt lege peccati nostri, quæ per duorum concubitum verificatur in prole, Dei Mater non teneretur obnoxia.* Vbi apprimè notãdum est Virginem Deiparam legi peccati minimè obnoxiam ab Augustino dici: quod si lege communi, & pacto pro omnibus hominibus inito ipsa non tenebatur, non solum peccatum non incurrit originale, sed nec illius debitum contraxit: quippequæ mater eius erat, qui legem illam, & peccatũ aboliturus veniebat. Pende illa verba: *Vt lege peccati nostri Dei Mater non teneretur obnoxia.* Non enim non appellat Sãctus Doctor legẽ peccati, maris, ac fœminæ cõcubitũ: hęc enim naturæ ipsius stata lex ab initio humanæ conditionis fuit etiam ante peccatum: neque etiam loquitur de lege peccati, quatenus hoc à matre in filium promanare poterat: huius enim legis nõ mater, sed filius ipse reus est. Atque adeò fateri oportet, Augustinum de ea lege loqui, qua Mater ipsius Christi peccato originali alias obnoxia foret, nisi ab ea iure aliquo priuato eximeretur iuxta ea, quæ supra decreuimus. Subdit Augustinus in eodem Melliloquio. *Ad preciosissimum connubij thalamum electus est Virginis vterus, & quia ex se peccati sordibus squallidus effectus fuerat mundus: veniens creator mundi, ex mundis visceribus effusus est in mundũ, vt immundũ mũdus reddat mũdũ.* Quomodo igitur satis munda essent viscera Virginis, vt mundum immundum emundarent, si peccati originalis culpa priùs ipsa inquinarentur?

Deniq; idem Augustinus in sermone quodam de Natiuitate, quem citat Henricus Gandauensis nobilis author Quodlibeto. 15. *Ventum est* (inquit) *ad Virginem, quę mox vt in mundum per humanæ generationis lineam venit, tanta omnis boni virtute, atque constantia perfectè resplenduit, vt eam ipsa sapientia Dei verè dignam iudicaret, per quam in hominem veniens, non modo reatum priorum hominum, sed etiam totius mundi peccata deleret.* Et paulò inferius. *Puella de propagine nata Adę de peccatrice progenie orta, subito versa vice maledictionis Euæ, benedicta prædicatur super omnes mulieres.* Quo loco pendendę sunt duæ voces illæ *mox*, & *subito*. Statim enim, ac Virgo concepta fuit (id enim est in mundum venire) *mox*, & *subito* perfecta sanctitate & gratia resplenduit: non ergo peccati originis tenebris caligauit: *subito* inquam, id est, in instanti Conceptionis: ea enim, quæ subito fiunt, in instanti fieri dicuntur: loco *maledictionis*, id est, peccati originalis ex Eua deducendi B. Virgo præter aliorum ordinem, gratiæ, & sanctitatis benedictionẽ consequuta est. Quo modo autem intelligenda reliqua verba, quæ eo loco subdit Augustinus, pete ex dictis supra Canone 5.

Alia loca Aug. pro immaculata Concep. citat Clichtou. li. 1. de Concep. c. 13. *Quis* (inquit) *dicere poterit, sine peccato sum natus, aut mundus sum ab omni iniquitate dicere audebit, nisi illa Virgo prudentissima animatum Dei templum, quam Deus sic elegit, & prælegit ante mundi constitutionẽ, vt sancta, & immaculata Mater Dei, & filia esset reseruata incorrupta ab omni labe peccati?* Qui locus habetur etiam in Breuiario Romano à Cardinali Quignonio edito in festo Conceptionis in 3. lect. quam ex diuersis Patrum sententijs conflauit. Si autẽ Augustinus de sola natiuitate, & non de Cõceptione loqueretur, facile quis posset respondere Hieremiam, & Ioannẽ Baptistam sine peccato originali natos fuisse. Rursus alibi idẽ Augustin. *O Mater Domini, sicut in prima fœmina abũdauit delictum, ita & in te superabundauit in-*

nis ignara delicti.

His etiam adiungo illud ex serm.18.de Nati. Christi, vbi Aug. sic scrit. *Sēper Virgo est, quæ sem per sponsa est, & quæ vocabulo sponsæ non caruit, in æternū virgo permāsit.* Et infrà. *Quæ spōsa æterna dicitur, æterna virgo probatur.* Age igitur, quomo do Virgo semper sponsa Dei fuit, & spōsæ vocabulo, & nomine nunquā caruit, si aliquando originalis peccati labe aspersa non Dei sponsa, sed meretrix, & adultera, imò & tetrū Diaboli mancipium compellari debuit? Ad hæc in l.4. de Symbolo ad Catec.c.4. *Quod tanta matri contulit, & in sua carne seruauit, hoc etiam vobis donauit, Virgo mater sancta, caro Christi ab omni cōtagione libera.* In quibusdam codicibus hæc verba perperā dispuncta sunt. sed puncta, & apices eo modo figendos, quo locus à me perscriptus est, suadet ipse contextus, qui non aliter bono sensu donari potest, nisi extrema verba de carne Virginis accipiantur, quam sanctam, & ab om i contagione liberam prędicat Aug. id est, ab eo peccato immunē, quod per contagionem serpit.

D. Maximus.

Huic sæculo splendorem, & Marianæ puritati lucem attulit D. Maximus Episco. Taurinē. qui de Mariæ innocentia loquitur hom. de Dominica in Ramis. *Illum* (inquit) *inspiciamus versiculū, in quo ait: Ego autem sum vermis, & non homo, cur Deus vermiculo se voluerit comparare? Possumus hoc quidem humilitati primum assignare: sed magis illud accipiendū puto, quoniā vermis nulla extrinsecus admixtione alicuius corporis de sola, & pura terra procreatur: sic & ipse saluator de sola, & pura Maria procreatur. Legimus etiam in libris Moysi de Māna vermiculos procreatos: Digna sane, & iusta comparatio, siquidē de Māna vermiculus gignitur, & Dominus Iesus de Virgine procreatur: quin potius ipsam Mariam Māna dixerim, quia est subtilis, splēdida, & suauis, & virgo, quæ cœlitus veniēs cūctis Ecclesiarū populis cibum dulciorem melle desluxit.* Multa habes in hoc loco, quæ tu te tibi commentari possis: scilicet illud *de sola, & pura Maria*: item comparatio cum Manna, cui Virginem adsimilem esse dicit. Ad hęc Petrus de Morales de Christo, & Virgine lib.3.tract.1. quædam alia clariora verba ex D. Maximo producit, quæ sermones illius euoluens inuenire non potui. *Hæc porta* (inquit) *clausa, quæ fuit admirabilis Dei thalamus, cœleste templum, tabernaculum gloriæ, de quo speciosus prodijt sponsus, lux gentium, spes fidelium, et decenter, & congrue, nulla macula originali contaminata est.*

Sedulius.

Sedulium etiā Poëtā inclytum pro Mariæ puritate adstipulatorem amplector pro anno 413. qui lib.2. operis Paschalis de Virginitate sic ait.

Vt veluti spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens, matrē obscurat honore.
Sic Euę de stirpe, sacra veniente Maria,
Virginis antiqua facinus noua Virgo piaret.

Quod si peccati rea conciperetur, non mollis rosa, sed spinosa, & peccati sentibus aculeata orire tur. Sed antequam hic discedo, mirari libet ignorantiam, & licentiam Bandelli, qui c. 20. Sedulium nobis opponit contra B. Virginis Conceptionem immaculatam sic canentem.

At quoniam nata prior vitiata manebat
Sub ditione necis, Christo nascente renata.

Sed tamen Bandellus, vt Virginis aliquod peccati vitium affigeret, Sedulij versum vitiare non dubitauit. Sedulius ergo illustris Poëta, vt in 8. tom. Bibliothecæ refertur, post quatuor illos versus supra datos, quibus docet Virginem natam sine peccatorū spinis, vt Euæ facinus noua Virgo piaret, subdidit statim.

Vt quoniam natura prior vitiata iacebat
Sub ditione necis, Christo nascente, renasci
Posset homo, & veteris maculā deponere carnis.

Sensus est: oportuit Virginem sine peccato nasci, quia natura humana ante ipsam tota sub culpa iacebat, vt nascente Christo ex vtero Virginis, posset etiam homo renasci, & veteris vitiatæ naturæ maculas deponere. Et quidem ipse sibi lux est Sedulius: nam in opere Paschali, quod soluta oratione conscripsit, cap.1. præfata carmina hunc ad modum diluit, & clarius puritati Marianæ adstipulatur. *Et velut rosa suauis, atq; mollissima de spinoso cespite nascitur, nil lesura matrē, quam gratia iucunditatis obscurat: ita de stirpe nocentis Eua Maria sacro veniēte cū lumine, prima virginis luē sequens Virgo dilueret: vt quia prior naturę vitijs inquinata dura necis fuerat cōditioni subiecta, nascēte Christo per hominē, homo quoq; posset renasci per Christū, originalis maculę fœditatē, & vetustatē corporis innouatione positurus.* Et c.seq. *Grande mūdo spondebat auxiliū fœminei partus sine viro mysteriū, quæ nullius macula næuo fuscata tenso nutriebatur ventre præcordia, genitoris genitrix mox futura.*

Cyrillus Alexand.

Cyril. Alex. Præsul Virginis gloriæ cōtra Nestoriū vbiq; propugnator sub annū 430. immaculatæ etiā Conceptionis testis adest. Nā in Breuiario Romano edito à Cardinali Francis. Quign. in festo Concep. in 3. lect. ex dictis S. Patrū cōflata, Cyril. sic loquitur. *Post filiū temerariū est in Maria Virgine ponere culpā aliquā, vel peccatū.* Citatur etiā locus alter apertior ex li.6. in Ioā. cap.15. sed liber ille, non est Cyrilli, sed Iodoci Clichtobæi, vt alias obseruaui.

Procl.

Cyrillo. Alex. Synchronos fuit Proclus Episc. Cyzicen. qui hom. habita in Concil. Ephesino tom.6. c.7. satis aperte Virginis immaculatam Cōceptionē astruit. *Clemens* (inquit) *Deus ex muliere nasci nō erubuit: quod enim agebatur, vita erat, nullā illi inde cōtrahit labē, quod intra viscera, quæ citra omnē dedecoris notā cōdiderat, inhabitat.* Et statim addit. *Porro autē, vt architecto nullā maculā aspergit, si domū, quā fortè extruxerat, incoluerit: neq; lutū figulū inficit, dum vasculū, quod finxerat, ex eo refingit: ita ex vtero Virgineo prodijsse purissimū illud numē nihil quidquā polluit: quā enim citra vllā sui labē formauerat, ex hac quoq; nulla macula cōtracta processit.* Vis autē horū verborū pro immaculata Virginis Cōceptione tuēda petēda est ex dictis sup. c.27. Idē quoq; Procl. hom. de Virg. quā citat Turrian. noster in Epist. de peccato orig. B. Virginē vocat *carnem impollutam*, vtiq; quia peccati originalis labe nunquam sorduit.

Theodo-

Theodotus. Theodot. Episcop. Ancyranus Cyrilli, & Procli coætaneus Homil. de *Natiuit. seruatoris* in Concil. Ephesino habita eandē immaculatā Virginis Conceptionē tuetur. *Dic obsecro vtrū est vilius, rubusne, an vterus Virginεus ab omni peccati affectione immunis? Ignoras illa recētiorū, eorumq; quæ nunc contingunt, extitisse figuras?* Quæ & alia verba expendi supra, cū de figuris veteris testamenti tractaui. Alia eiusdē Theodoti verba dedi sup. c. 27. ex quibus Virginis puram Conceptionē non inepte argumentatus sum.

D. Basilius Seleucia Episcopus. Per id tempus viguit etiā D. Basil. Seleuciæ Episcop. qui in Oratione de Verbi incarnatione, aliquid etiā pro innocentia Virginis dixit: nā semel quidē sic habet. *Si enim sol per hæc sordida, & graueolētia loca transiens nullas puritati suæ sordes adsciscit: quanto magis iustitiæ sol impollutā (in Græcis est, ἀμώμητον, id est, irreprehensam) Virginē sua luce illustrans, sacrosanctum corpus ex ea sumens secūdū diuina in se ipso impatibilis manet.* Argumentum est à minori ad maius. Nā vt ostēdat, quā lōge absit, vt diuinitas ex natiuitate iniuriā aliquā sustineat, ita cōficit. Sol in obscœna, & impura loca radios suos vibrans nō inficitur: ergo multominus Dei puritas violari debuit, Virginem non quidē impurā, sed omnino irreprehensam, & ab omni sorde permundans adiēs, & ex illā carnē purissimā, & sanctissimā assumēs. Rursus infra sic attexit. *Quandoquidem tēplum es Deo vere dignum, vt pote suauissimum omnis sanctitatis, & puritatis odorem spirans.* Et iterum circa finem. *O ter sacrosancta Virgo, de qua qui omnia illustria, & gloriosa dixerit, nunquam quidem à veritatis scopo aberrabit, ac tamen dignitatis magnitudinem nulla vnquam oratione exæquabit.* Ter *sacrosanctā* appellat. Qui modus loquēdi ad sanctitatis exaggerationem pertinet: tamen nō insulse dicemus inde innui eius à triplici peccati specie munditiem, scilicet ab originali, mortali, & veniali.

Theodoretus. Succedat Theodor. huius etiā ætatis splendor, qui per annū 430. floruit, & ipse etiam puræ Cōceptionis vindex. Nam in caput 6. Cant. ad illa verba. *Vna est columba, &c.* sic cōmentatur. *Has (inquit) classes, atq; hos ordines Salomon ille prospiciens, & diuino afflatus Spiritu Sancto ante ternens Verbi purissimi incarnationem, & quæ ipsam sine semine genuit sanctissimam Deigenitricē Mariam, illam immaculatissimā, quam omnibus omnes omniū hominū generationes vocibus nunquā cessantibus beatissimā prædicant.* Et subinde breui verborū interstitio sic attexit. *Inter tot animas omniū hominū, qui saluantur, vt electa colūba est vna illa sola, quæ Christum genuit virgo, mater, puella Maria, quæ puritate profectō Cherubin, & Seraphin antecellit.*

Eusebius. Eusebius Emissen. Theodoretū excipiat, qui aliquid etiā ad perpetuā sanctitatē Virginis cōprobandā attulit: hic ergo in ser. de Natiuit. ad Auroram sic scribit. *Sed quid de Matre Domini dicam? Cuius odoris flagrantiā Rex sapientissimus Salomō admirans ait: Quæ est ista, quæ ascendit per desertū quasi virgula fumi ex aromatibus mirrhæ, & thuris, & vniuersi generis pigmentarij: Vbi enim omnium aromatum* (id est gratiarum) *fumus redolet, ibi fœtoris inditium esse non potest*, id est peccati. Sed occurrit Bandel. & ex eodem Emisseno in alia homilia de Nati. locum producit, qui me, cum primum apud ipsum legerē, facile exterruit. Sic enim iacet in eius libello. *Profundendū pro mundi vita sanguinē de corpore suo accepit, ac de te sumpsit, quod etiam pro te soluat: à peccati enim veteris nexu nō est immunis nec ipsa genitrix redemptoris.* Hæc cum legerem, ita mecū statuebam per nexum intelligi debere obligationem, aut debitum peccati, non peccatum ipsum: vt sensus esset, Virginem culpæ originalis debitū non declinasse, culpam autē minime cōtraxisse. Sed Homiliā illam in autographo relegens, Bandeli fraudem cōperi, omisit enim verbū, quod locum præfatum ipsi eripit, & ad nos transfert: sic enim ad verbum in codice Emisseni. *A peccati enim veteris nexu per se non est immunis nec ipsa genitrix redemptoris.* Quid est illud *per se*? id est, secundum se, & ex natura sua: adeo vt id studiose ab ipso additum videatur ad significandum illā ex Christi gratia obtinuisse, quod per se nō habebat. Ita vt iā inde existimare cæperim locū illum his etiam minime fauere, qui debitū originalis culpæ in Virgine agnoscunt: immunitatem enim à peccato nulla creatura habet per se, nisi solus Deus. Vide quæ scripsi sup c. 25. de modo, quo Virgo à Christo redempta, & asserta est.

Aurelius Prudentius. Aurel. Prudentius sæculi istius decor aliquid etiā Virgini dedit, quo suam innocentiā ab omni iniuria tueri posset in Apotheosi, cuius verba citat B. Ildeph. de Partur. & Virginitate Mariæ.

Innuba Virgo
Nubit spiritui, vitium nec sentit amoris.
Pubertas signata manet.
Grauis intus, & extra,
Incolumis florens de fertilitate pudica
Virginitas, & prōpta fides Christū bibit aluo
Cordis, & intactis condit paritura latebris.

In nōnullis codicibus ita dispungitur locus iste, vt reddat hunc sensum: *grauis*, id est, grauida, *intus* propter diuinum Conceptum, & *incolumis extra* propter sigillum pudoris. Sed alij melius illud: *Grauis intus & extra*, prorsus copulant, ita vt sensus fit: erat grauida corpore, & grauida mente: illa verò nomina, *incolumis. florens*, appositiuè subiciuntur, id est, vtrobiq; *intus & extra*, nimirum corpore, & animo Virgo inuiolata: corpore inquam virgo propter integritatem carnis ab omni libidine purissimæ: & mente similiter virgo propter incorruptionē animi ab omni peccato mundissimi. Hanc interpretationem suadent consequentia verba, quæ plane afferunt ex afflatu Spiritus Sancti illam tum corpore, tum etiam corde grauidam mansisse.

Christum bibit aluo
Cordis, & intactis condit paritura latebris.

Atq; adeò locus iste conferendus est cū his, quæ sup. diximus c. 40. §. 3. Lege Ildephō. in eo loco Prudentij verba expendentem, & eodem sensu donantem.

Sanctus Leo Papa.

Vixit etiã hoc sæculo circa annum 440. S. Leo Papa, qui aliquid etiã ad innocentiã Virginis faciens nobis accõmodauit. Nã in ser. 1. de Nati. Saluatoris sic ait. *Virgo Regia Dauidicæ stirpis eligitur, quæ sacro grauidanda fœtu diuinam, humanãq; prolẽ prius cõciperet mente, quam corpore.* Huius autem loci energiam dedimus supra cap. 25. & cap 40. §. 3.

Et in ser. 2. sic ait. *Oportuit, vt primam genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, & cõplacitum sibi claustrũ pudoris, & sanctitatis hospitium diuini spiritus virtus infusa seruaret: quæ statuerat deiecta erigere, confracta solidare, &c.* Æquali lege sanctitatis, & Virginitatis hospitiũ appellauit, tibi vt suaderet vtrãq; Virginitatem, & sanctitatem fuisse perpetuam, & vnã simulque illam à Spiritu Sancto seruatam.

Aliqui etiã ad cõprobandam puram Conceptionẽ Virginis ex D. Leone vsurpãt illud, quod in ser. 5. scribit his verbis. *Originem, quam sumpsit in in vtero Virginis, p(r)o)suit in fonte baptismatis, dedit aquæ, quod dedit matri.* Sed alienum est omnino: loquitur enim de humana Christi origine, quam puram, & ab omni peccati immunem fuisse dixerat. Itaq; sensus est. *Hoc dedit aquæ*: vt nimirũ ad sanctitatẽ iustos detersis sordibus regeneret: *quod matri dedit*, vt ipsummet Christum sanctũ, & iustum ab initio gigneret. Eũ sensum reddit locus alter ex ser. 4. de Nat. *Cuius* (inquit) *spiritalem originẽ in regeneratione quisq; consequitur, & omni homini renascenti aqua baptismatis instar est vteri Virginalis, eodẽ Spiritu Sancto replẽte fontẽ, qui repleuit & Virginẽ, vt peccatũ, quod ibi vacuauit S. Conceptio, hic mystica tollat ablutio.*

D. Petrus Chrisologus.

Adest nobis huius sæculi Leoni coetaneus testis alius satis locuples Marianæ innocẽtiæ Pet. Chrisol. qui ser. de Annuncia. qui est 140. adhuc modũ fatur. *Peruolat ad sponsã festinus interpres, vt à Dei sponsa humanæ desponsationis arceat, & suspendat affectũ: neq; auferat à Ioseph Virginẽ, sed reddat Christo, cui est in vtero pignorata, cum fieret.* Quid illustrius pro pura Conceptione, aut dici, aut excogitari possit? *Cui est in vtero pignorata:* aliqui sic exponunt, *destinata, ordinata, & velut in pignus data.* Sed ni fallor, Chrisologi mentẽ non attingunt. Metaphorã desũpsit à re nuptiali: *Pignorata* ergo Virgo dicitur, quasi pignore, & arrabone donata in futurarũ nuptiarũ sponsionem. Itaq; sensus est: vt reddat Christo sponsam suam Mariam, cui fuerat in vtero matris suæ Annæ *pignorata*, id est, pignore honestata, gratia videlicet, ac iustitia loco pignoris, & arrabonis donata. Ac ne id factũ post aliquam etiã breuissimã moram putares, adiunxit, *cum fieret*, id est, in ipsa cõditione, ac formatione prima: nã cũ ex tũc illam sibi destinaret in matrem, & sponsam, ex tunc etiam illam antenuptialibus muneribus cumulauit, vt habes supra cap. 31.

Quid plura? In ser. 144. *Merito ergo Virgini salua sunt omnia, quæ omnium genuit saluatorẽ.* Nam licet de Virginitate ibi sermonẽ haberet, tamẽ ex ea ad reliqua omnia deriuat argumẽti vim, & me iudice, probat, vel potius euincit, quod intẽdit: nã æquũ omnino erat, vt ei, quę Saluatorẽ pareret, salua omnia, & incolumia essent, ita vt nihil salutis, aut gratiæ esset, quod ab illo non hauriret, cui ipsa naturæ autrix erat.

SAECVLVM VI.

Sanctus Fulgentius.



FVLSIT Hoc ineunte sæculo S. Fulgen. Episcop. Ruspensis, qui quemadmodũ alia fidei arcana sapientiæ suę fulgoribus illustrauit: ita & in hoc pietatis mysterium aliquos doctrinæ radios trãsfudisse planè dignoscitur. Ita enim habet in ser. de duplici Christi natura, dũ Euæ confert, imo præfert Mariam. *In primi hominis coniuge nequitia diaboli seductã deprauauit mentẽ: in secundi autem hominis matre, gratia Dei & mentem integrã seruauit, & carnem.* Si ergo Mariæ mentem, seu animã integram seruauit Dei gratia, qua ratione tantum peccati detrimentum eam subijsse dicemus? Deinde si gratia Dei, & mentẽ, & carnẽ Marię integram æquè seruauit, sicut nulla vnquã ratione carnẽ eius violatã affirmamus, cur non etiam mentem eius nulla vnquam ratione labe factatam fuisse dicemus?

Sed illustrius adhuc hac in re micat idem Fulgentius ser. de laudibus Mariæ prope finem, vbi eandẽ Euæ, & Mariæ cõparationẽ longius prosequutus ita scribit. *Maria è cõtrario quam præclarissimis tribus bonis sublimetur, ausculta, salutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratię: sic enim eam legitur salutasse: Aue Maria gratia plena, benedicta tu inter mulieres. Cũ dixit Aue, salutationem illi cœlestem exhibuit: cum dixit plena, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenã benedictionis gratiã restitutã, &c.* Te iudicem huius causæ appello Bandele: licebit ne dicere iram primæ sententiæ ex integro à Virgine exclusam, si id, quod maximè graue Dei sententia continebat, quod scilicet peccante parente, culpa ad posteros transmearet, Virginem cõprehendit, & eam delicti paterni reã fecit? Minime vero. Rursus eritne integrũ dicere plenam antiquę benedictionis gratiã Virgini restitutã, quã Eua perdidit, si id, quod in ea benedictione dignissimum, & maximum erat, in ipsa desideratum fuit? Validum tamen telũ ex Fulgentij pharetra depromptũ in lib. de Incarnat. & gratia Christi contra Mariæ innocentiã aduersarij cõtorquẽt: ita enim habet. *Caro quippe Mariæ, quæ in iniquitatibus fuerat humana solẽnitate concepta, caro fuit vtiq; peccati, quæ filiũ Dei genuit in similitudinẽ carnis peccati.* Sed hoc tamẽ spiculũ, quod primò spectãtibus tã acre videtur, quàm leuiter retundi possit, videris tu suprà cap. 41. Can. 3.

Anastasius Synaita.

In eandem quoque sentẽtiam adduci potest Anasthasius Synaita Patriarcha Antiochenus Anno 544. qui initio ferè libri 2. Anagogicarum Contemplat. in Hexam. explicans illud. *Firmamentum in medio aquarum*: hæc habet. *Fecit Deus salutem in medio terræ, vt pote qui habitauerit in medio terreni vteri Virginis, & salutem mundi fecerit compacto firmamento sancti sui corporis in*

medio

medio incorruptę matricis fontis vitæ, puellæ Dei matris, & positosub aqua firmamenti, sub sole, inquam, eius diuinitatis. Hæc ille: vbi Christũ firmamentum quoddam inter duas aquas compactum, & concretum dicit: scilicet inter matris humilitatem, quã inferiores aquæ adũbrant: & inter Patris diuinitatem, quam supra cœlestes aquæ adsignificant: Virginem autem appellat fontem vitæ, quo nomine prorsus indigna esset, si in sui capite, & initio letheis, demortuisq; ab Adamo manãtibus aquis scaturire cœpisset. Sed libentius adhuc ad eandem Virginis puritatẽ confirmandã venit ipse Anastasius lib. 6. prope finem, vbi de illa sic profert. *Quis mihi dic quæso, aut ex hominibus, aut ex dæmonibus audebit dicere, quod ea, quæ est eiusdem simul cũ Deo essentiæ (quod ad carnẽ attinet) non sit ad imaginem, & similitudinẽ eius, qui est ex ipsa natus? Quomodo est enim mater eiusmodi filij, non ferens in se integram, & illæsam fœtus sui imaginẽ?* Quæ sane verba nos alias diligenter expendimus. Tu tamen bone lector obserua in primis posteriora illa verba, quibus integram, & illæsam filij sui imaginem Maria tulisse dicitur. An si labes originalis Mariæ accidisset, diuinæ illius imaginis integritas labefactata, an illius pulchritudo læsa non fuisset? Vt eam igitur integrã, & semper illæsam cum Anastasio constituas, illam de peccati originalis labe in Maria opinionẽ abijce.

Sed longe clarius idẽ Anastasius pro Virginis innocentia pronunciat, vbi postquã Euam cum luna deficiente, & ecclypsim patiente cõposuit, sic demum attexit. *Adã nõ fuit deceptus sicut dicit Apostolus, Eua autẽ decepta, cum à tenebricosi, & obscuri serpentis dominatu oppressum esset, & defecisset eius lumẽ. Eius tamen luminis defectum restituit lux vera, quæ ex ipsa processit, ex secunda, inquã, Eua Christus, tãquam ex quapiam plena Luna Maria, quæ numquam minuta aut defecit, aut priuata fuit essentiali lumine, nẽpe sua Virginitate: si quidem ei acclamauit Angelus: Aue gratia repleta: scilicet propter Euã, quæ est Luna, quæ fuit male habita, & vexata: & quæ ex suo defectu per inobedientiã fugerat, & se absconderat, & timuerat a ligno inobediẽtię, & trãsgressionis, gratia repleta à sole iustitiæ, nempe à Deo.* Huius tamen loci energiam habes supra cap. 40. §. 5 atque adeò hic supersedeo.

Huic sæculo coronidẽ addat Andręas Hierosolymitanus Cretensis Episcopus, qui floruit circa annum 600. Et licet serus in hoc sæculo, tamen in elucidanda, aperiendaq; perpetua Virginis sanctitate, & innocẽtia reliquos facile antecessit. In prima ergo homilia de Virginis Dormitione sic scribit. *Quæ cum esset immaculata, impolluta, & supra m[illegible]am plena puritati necastitatis, &c.* Priora illa verba *immaculata, & impolluta* ad innocentiam, & puritatem animi refero, posteriora ad corporis incorruptionem. Infra. *Magnificum, & longe maximum gratiarum Dei tabernaculum.* Et iterum. *Quæ vniuersam, quæ est in generatione, naturam superauit puritate.* Pende energiam huius orationis: sensus enim est. Quæ vniuersam naturam, quę ex generatione propagatur, atque adeò sordes ex generatione trahit, puritate antecellit, quia nimirum sordes propaginis ignorat.

4 *Andreas Cretensis.*

E vestigio sic attexit. *Mulier, quæ cœlorum superauerat naturam puritate, Virgo ipsorum Seraphin ipsam vincens naturam miraculo Dei generationis, prima natura proxime accedens ad Deum opificem omnium generationis.* Multa hic occurrebant libra digna: sed cõpendij studiosus illud tantum animaduerto, quod dicitur, Virginẽ natura sua superiorem esse, quam Seraphin, conferendum prorsus cum his, quæ supra scripsimus sæculo 4. in Epiphanio, vbi similia illius verba expendimus. Appellatur etiã *prima natura proximè accedens ad Deũ*: Ergo ne *prima natura* ea gloria carebit, quã aliæ posteriores adeptæ sunt? Minime verò. Sed tũ maxime, quia non dicitur prima dignitate ipsius naturæ. Constat enim (quod ad puram naturam attinet) Virginem Angelis facile cedere: sed prima appellatur prælatione gratiæ. Quomodo ergo in ordine gratiæ prima nuncupari debuit Maria, si id, quod maxime primum est in ipsa gratia, scilicet originalem esse non obtinuit? Certe si res ita se habuisset, Angeli illam post se relinquerent, atque adeò ipsa non esset prima. Cum his verbis concinunt alia, quæ postea subdit in secunda Oratione. *Ipsa est primitiæ communionis omnium genitoris Dei cum suo figmento.* Et breui interstitio. *Potentia, quæ nequit labefactari, quatenus nequaquam vincebatur ab animi perturbationibus, vt quæ erat puritate omnibus superior.* Quæ verba, me iudice, gratiã illam significant robustam, & immobilem, in qua Virgo ab initio offirmata fuit, quæ Angelorum, & hominum nutantẽ, & labilem in sui exordio gratiam facile superat. *Potentia* igitur hic vim, & robur significat: vide quæ diximus supra. cap. 32. §. 2.

Quid plura? Postquam pleraque alia immiscuit, quæ non parũ Virginis puritati fauere videntur, ad hunc modum subijcit. *Sola enim sola præter naturam fuit electa, ad naturam renouandã, sola seruijt opifici vniuersa natura.* Illud *præter naturã electa* perinde est, ac præter omnes ipsius naturæ leges: quasi dicat, non cõmuni aliorũ lege electa post naturæ vitium, sed præter naturã, antequã vitio fieret locus. Nec longo interuallo sic addit. *O nubes tota lucida.* Et subinde. *Tu enim vere es, quæ es reuera pulchra, & macula non est in te.* Et post pauca. *O sancta, & sanctis sanctior, & omnis sanctitatis sanctissime thesaure.* Et vt compendio dicam, duæ illæ orationes perpetuã Mariæ sanctitatẽ & innocentiam vbiq; spirant, eas tu per otiũ bone lector, adi: licebit enim inde alios hanc Virginis puritatẽ redolentes flores carpere.

SAECVLVM VII.

Hesichius Hierosolymitanus.

SÆCVLVM Hoc attulit etiam non paucos Mariæ encomiastas, & perpetuæ eius sanctitatis cōmendatores. Ex his primo loco numerãdus est Hesichius Hierosol. qui floruit per annũ salutis 601. & in Orat. 2. de S. Maria Deipara. *Turturem mundã, colũbam impollutam*, appellat: deinde vero sic scribit. *Ecce Virgo quædam mulierũ egregia, è virginibus electa, præclarũ naturæ nostræ ornamẽtum, gloria luti nostri: quæ Adamũ pudore, & Euam cõminatione liberauit, quæ audaciam serpentis abscidit, quam cũ cupiscentiæ fumus nõ attigit, neq; vermis voluptatis eam læsit.* Sed vt alia omittã, quæ tu tibi cõmentari poteris, id suadeo, ne abeat sine libra illud, *gloria luti nostri*, nec non illud, *quæ audaciam draconis abscidit*, vtrumq; enim idoneũ est ad hanc thesim: si enim Virgo luti nostri sordibus infecta est, vel si lutum nostrũ in ea prorsus sordidum, & pollutũ fuit, quonammodo ipsius gloria extitit? Rursus si serpens antiquus de more suo audacter in ipsam incurrens illam aculeo suo confixit, quonam sensu illius audaciam abscidisse, seu abrupisse dicenda est? Sed attexit infra Hesichius. *Verũ, quia munda es à concubitu nuptiali, quia templum incorruptum, & tabernaculum ab omni sorde liberũ conseruasti, & Pater hospitatur apud te, & Spiritus Sanctus obumbrat, & assumpta carne vnigenitus ex te nascitur.* Dices fortasse, Hesichiũ loqui de virginitate: sed cum ille Mariã ab omni sorde liberã prædicet, cur eius doctrinã vniuersalem in eas angustias cogas?

Synodus Secunda Nizæna.

Hoc sæculo celebrata est apud Nizæã secunda Synodus vbi Act. 6. Patres illi grauissimi de B. Virgine sic pronũtiarũt. *Siquis nõ cõfitetur sanctã semper Virginẽ Mariam vere Deiparam quauis visibili, & inuisibili creatura superiorẽ, & cũ sincera fide eius intercessiones, tãquã quæ libertatẽ apud eũ, qui ex se genitus est, Deũ habeat, nõ postulauerit: anathema sit.* Quæ verba non solum quatenus Virginem omni visibili, & inuisibili creatura superiorem adstruunt, Virginis puritati, & innocentiæ adstipulantur, sed etiam quatenus addunt ipsam omnimodã libertatẽ apud Deũ nactã fuisse. Nã quæ est libertas hęc? Aliquis fortasse nomine libertatis licẽtiã intelliget, qua Virgo iure materno preces suas filio offerre potest. Sed repugnat textus Græcus, nã vox, quæ ibi subest, *immunitatẽ* germane sonat, non aliã certe nisi à peccato, & cõmunibus naturæ vitiatæ legibus: propter quã cũ omni careat labe, ac peccato, apta est, vt pro nostris peccatis mediatricẽ apud Deũ agat. Et quãuis hæc Synodus nõ sit ex his, quas Ecclesia probauit, tamẽ multi in ea Catholici Canones sunt, ex alijs Synodis deprõpti. Lege quæ scribit P. Cani. de Virg. Deip. lib. 4. c. 20.

Sanctus Antiochus.

Post Hesichiũ circa annũ 630. floruit hac ætate S. Antiochus grauissimus Doct. qui in opere illo, quod inscribitur: Pãdectæ scripturæ diuinitus inspiratæ. Homil. 21. pro Mariæ impolluta innocẽtia clarissime admodũ pronunciat. *Nulli* (inquit) *possibile est ad tua virtutis pertingere fastigiũ, nisi præsidio iuuetur, & erga Deum charitatis, & animi de se quam moderatissime sentientis, iuxta testimoniũ Deiparæ omni laudum genere celeberrimæ, nulli obnoxiæ vitio, sed gloria omni dignissime, &c.* Et perbreui verborum intercapedine sic assuit. *His igitur clarissime explicatum reor, quia per summam humilitatẽ, & erga Deũ charitatẽ plena cũ esset gratia, promeruit sibi vestẽ pertexere virginitatis nulla ruga decolorẽ, nulli obnoxiã reatui.* Quæ verba non solum excludunt rugas, & reatus, qui Virginitatẽ cõmaculant, sed omnes alias culparũ labes cõplectuntur: quod plane agnosces, si animaduertas Anthiocũ hanc Mariæ eximiã puritatẽ, & innocẽtiam ex plenitudine gratiæ depromere. Gratia autem cum omnibus culpis pugnat.

Concilium Toletanum.

Hanc etiã Conceptionis puritatẽ adstruit Concil. Toleranũ 11. Nã in confessione fidei illius Synodi Patres ita profantur. *Solam filij personam pro liberatione humani generis hominẽ verũ sine peccato, de sancta, & immaculata Maria Virgine credimus assumpsisse.* Huius vero testimonij energiam habes supra c. 41. Can. 5.

Sanctus Eligius Episcopus.

Succedat S. Eligius Nouiomensis Episcopus, qui vixit anno Domini 640. hic enim Homil. 2. in die Purificationis habita inter alia sic scrit. *Numquam immũda iudicatur, quæ Sancto Spiritu obumbranti, totius mũditiæ, & sanctitatis authorẽ genuisse comprobatur.* Quod autẽ Elig us non loquatur de immunditia legali, vt quidã volunt, sed de immunditia, quæ ex culpa accidit, & ratio ab ipso cõformata aperte cõprobat, & quæ sequuntur verba, satis euincunt. *Et ipse* (inquit) *puer Iesu purus ab omni cõtagione peccati: cuius enim agni oblatione indigeret purificari, qui est agnus Dei?* Culpam igitur, quã nomine contagij à Christo statim repulit, eandem nomine immunditiæ à Virgine prius remouerat. Vnde eodẽ tenore conficit, neque filium, neq; matrem ei legi obnoxios esse, quæ in peccatores lata fuerat.

Sanctus Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus.

Adest etiã nobis hoc sæculo præcipuus Marianæ innocẽtiæ assertor, & adstipulator S. Illephõsus Hispaniæ nostræ eximiũ decus, cuius pleraq; testimonia supra per totũ hunc tractatũ sparsi, ex quibus hic pauca seligã, & si quid etiã omissum est, adscribã. Hic ergo in libro de Parturitione, & Virginitate Mariæ multa scrit, quæ ad cõprobandã Mariæ perpetuã sanctitatẽ faciũt. *Quid* (inquit) *legẽ naturæ requirũt in Maria, vbi totum, quidquid in ea fuit, possedit Spiritus Sanctus?* Quæ verba expendimus sup. c. 41. Infra vero multa subnectit in hãc sentẽtiã ab illis verbis. *Et quomodo Christus Verbũ caro, &c.* Vsq; ad illa. *Cõstat illã ab omni peccato originali fuisse immunem, per quam nõ solum maledictio matris Euæ soluta est, verum etiam, & benedictio omnibus condonatur.* Quem locũ exacte discussimus supra cap. 36. Deinde vero sic attexit. *Cum vero dicit, gratia plena, ex integro irã exclusam ostẽdit, & restitutã gratiã declarat.*

Hæc

Hæc quoque non perfunctorie transfegimus supra c. 39. Et subinde post pauca verba sic habet. *Ergo inquies per quem tanta benedictio efflоruit, & gratia manauit, non est credendū, quod eius puerperium doloribus, & gemitibus more fœminarum subiacuit: & quia tristitijs non subiacuit, & ærūnis, libera ab omni maledictionis nodo fuit, quā Spiritus Sanctus adimpleuit, & totam Domino dicauit.* Quibus verbis non solum à peccato, sed ab obligatione, & debito peccati liberam fuisse Virginem significat: nodus enim obligationē cōnotat. Vtitur autem sibi familiari argumento Ildephonsus, ex eo probans Virginem originali culpa vacasse, quia illius effectibus, ac reliquijs omnino caruit. Quod argumentum identidem repetit circa finem huius libri. *Nullas adscribant* (inquit) *sacratissimæ Matri contumelias, non gemitus, non dolores, non ærumnas, non vllas viscerum vexationes, non vllas diræ tristitiæ corruptiones: quia hæc omnia sicut sæpè dictum est, in prima origine illata sunt vindictæ, & retributiones iustissimæ primæ præuaricationis. A quibus omnibus Beata Virgo Maria quantū est aliena à culpa, tantum procul dubio libera fuit à doloribus & pœna.* Huius etiam argumenti est, quod pauló ante scribit. *Quæ nec Adā ad se admisit, nec ex Euæ colluuione filium suscepit, nec sub maledicto in doloribus, & angustijs Dominum peperit.*

Sed reliquis testimonijs facile præferendum est illud, quod habetur in eodem libro circa medium. *Vnde interrogemus istos sequaces Heluidij, qui etsi virginem eam non denegant permansisse, pudicitiam tamen commaculant, & gratiam, qua plena predicatur, quando communi lege naturæ vitiatæ dicunt eam peperisse. Quia si ita peperit, ergo adhuc, ac si cum massa primæ dānationis cōtra Angeli vocem, maledictioni subiacuit, ac Verbum Patris de carne peccati (quod absit) vt caro fieret, hominem assumpsit. Sed quia contra fidem Catholicam est sic sapere, Beata Virgo plena gratia, nec dolorem sensit, nec corruptionem viscerum pertulit: quia quantum aliena fuit à culpa, Spiritu Sancto in ea cooperante, & virtute altissimi, qua obumbratur, in totum extranea à maledicto primæ damnationis.* Horum autem verborum exactam explicationem præscripsimus suprà cap. 39. §. 2. Mitto alia testimonia eiusdem argumenti, quæ in eo libro valde obuia sunt.

Denique in sermone 1. de Assumptione cū Arca testamenti Mariam componit, & inde illius immunitatem ab omni culpa comprobat: cuius verba sup. c. 37. in figuris veteris testamenti adscripsi, & expēdi. Alia etiam, quæ ex sermonibus ad eandem thesim probandam asciscere licet, libens prætereo, ac supprimo, quia sanctissimi istius Patris mens ex iā præscriptis perspicue admodum deprehenditur.

Diuus Venātius Honoratus. Per idem tempus floruit sanctus Venantius Honoratus, qui in expositione Symboli nonnihil etiam pro innocentia Sanctissimæ Deiparæ pronunciat. *Illi* (ait) *qui ante secula natus est, postea de Spiritu Sancto templum in Virgine fabricatum intelligendum est: nam sicut in sanctificatione spiritus nulla fragilitas extitit, sic nec in partu eiusdem nulla causa corruptionis apparuit.* Confert vtique Venantius Virginitatem cum sanctitate Virginis, atque ita concicit. Quemadmodū semper sancta, ita etiam semper Virgo: sicut enim (inquit) sanctitas ab Spiritu Sancto Virgini refusa nunquā ex fragilitate aliqua impulsa, aut labefactata est, sic etiam virginitas semper integra fuit, adeo vt nec partus ipse illam violauerit. Hanc vero collationem sanctitatis, & virginitatis in Mariæ habes supra non semel, sed tum maxime cap. 29. & 40. §. 3.

Cosmas Hierosolymitanus. Huius etiam sæculi extrema tempora, & perpetuam Mariæ sanctitatem illustrauit Cosmas Hierosolymitanus in sua Theogonia, quā tredecim elegātissimis Hymnis prosequutus est. In primo enim Hymno sic habet. *In Virgine verò habitans Verbū, & carne accepta transijt, seruata incorrupta: quā enim non sustinuit à lapsu* (id est quam non sustinuit labi) *enixam continuit innocuam.* Est autem verborum sensus. Ex Virgine natus Christus eius integritatem non violauit, quam enim non permisit labi communi peccato, ab omnibus partus iniurijs seruauit incolumem. Et rursus Hymno 5. ad hunc modum occinit. *Animis puris, & insordidis labris eia magnificemus immaculatā, & perpuram matrem Emanuelis.* Et infra Hymno 6. *Defensionē tuam habens, perquam pura, non timebo.* Et sub finem istius Hymni sic habet. *Pete à filio tuo, & Deo meo, dari mihi remissionem, quæ feci, malorum, sola sancta, & sola benedicta.* Quasi dicat: tu quæ sola ab omni culpa, & delicto vacas, meorū mihi delictorū remissionē exora.

Mahometus. Magnam quoq; fidem faciunt aduersariorū testimonia, quoties ab illis ipsa veritatis potētia, & vis aliquid extorsit, quod in hostis commendationem redundet. Hac igitur ætate teterrima illa mundi pestis Mahometus in Ecclesiæ pernitiem excitata sæuire, & grassari cæpit, sub annum scilicet 624. Hic ergo in suo Alcoramo Virginis innocentiæ non parum fauet: sic enim habet. *Nullus de filijs Adami nascitur, quem non tangat Satan, & ideo plorat voci ferans ex eius tactu, præter Mariam, & filium eius.* Rursus in codē Alcoramo Angelos Virgini Deiparæ ad hunc modum acclamantes inducit. *O Maria cunctis viris fœminisq; præclarior: O Maria, Deus vtiq; elegit te, & purificauit te, elegit te, claram super mulieres seculorum.* Ad sequentia sæcula excurro.

SAECVLVM VIII.

Germanus Patriarcha Constantinopolitanus. HOC Sæculum plures etiam Virgini dedit commendatores, qui eius innocentiam, & impollutam sanctitatem celebrarunt, & illu-

ſtrarunt. Ex his alter Germanus Patriarcha Hieroſolymitanus, qui in Theoria rerum Eccleſiaſticarum ſemel quidem ita fatur. *Deinde etiã oſtẽdente Pontifice per ſtolã ſuã carnis Chriſti ſtolam rubrã, & ſanguineam, quã geſtauit immaterialis ille, & Deus, vt purpuram tinctam ex immaculato ſanguine Deiparæ.* Et iterũ ſic ait. *Dei ſapientia, & virtus ſuam carnem ædificauit ex virũ non experta caſta matre, & Virgine præpurgata anima, & corpore.* Cum præpurgatam audis, ne putes aliquid immũditiæ abſterſum: ſicut enim in carne nihil ſordidæ libidinis vnquam præfuit, quod expiatione indigeret, ſic etiam neque animæ aliquid vnquam ſordis adhæſit, quod elui deberet: ſed *præpurgata* dicitur, id eſt, pura facta, vt habes ſupra c. 41. Canone 4.

Eiuſdem Sancti Germani Epiſtola quædam ad Ioannem Synnadon relecta eſt in ſecundo Concilio Nizeno. Et in altera Epiſtola ad Thomam Epiſcopum Claudipoleos, quæ in eadem Synodo recitata eſt, iterum, atq; iterũ intemeratam appellat. In Græcis autem eſt, ἀμώμην, id eſt, irreprehẽſam, quod ad innocẽtiam, & puritatem ab omni culpa, non autem ad Virginitatem ſpectare videtur.

Sexta Synodus. Originalem Mariæ innocentiam conteſtatur etiam Sexta Synodus Generalis ſub Agathone celebrata: nam act. 8. ſic Patres denũtiant. *Confitemur Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum incarnatum eſſe de Spiritu S. & ſãcta, immaculataque Domina noſtra, Deigenitrice ſemperque Virgine Maria.* Vim horum verborum habes ſupra cap. 41. Can. 5. Et Act. 18. ſic ſcribitur. *Confitemur Chriſtum in vulua illibatæ Virginis Deigenitricis habitaſſe, & corpus per Spiritũ Sãctũ, & ex ſancta, & immaculata carne eius in propria ſubſiſtentia carnem ſumpſiſſe.* Et alia etiã inibi occurrunt his ſimilia, quorum robur ex eo Canone petendum eſt.

Sãctus Ioannes Damaſcenus. Per id tempus fuit etiam celebris apud Græcos S. Ioannes Damaſcenus, qui Virginis Deiparæ perpetuam ſanctitatem, & mundiſſimam Conceptionem mirum in modum illuſtrauit. Huic ergo tribuit Galatinus Menologium Græcorum, cuius iudicium probãt Bocius, Caniſius, Vazquez & alij, atque in dicto Menologio Conceptionis feſtũ reperiri adſtruũt ſub inſcriptione illa περὶ σύλληψι & ἁγνῆ, id eſt, *in Conceptione pura*: voluntque iã tunc eo tempore Conceptionis ſolennia apud Græcos agitari cœpta: ſed noſtram hac de re ſententiam habes ſupra cap. 35. § 3. vbi huius coniecturæ infirmitatem declarauimus. Quapropter omiſſis his, ad ſolida contendamus.

Ad puram ergo Virginis Conceptionem comprobandam multa nobis accommodauit teſtimonia Damaſcenus. Primo loco ponendũ eſt illud orationis primæ de Natiuitate Deiparæ, quod ſic auſpicatur. *Quid eſt autem, quod Virgo mater ex ſterili orta ſit? &c.* Eius tenorem, nec perfunctoriam expoſitionem habes ſuprà cap. 20. Et infra Mariam appellat *ſolam Virginem, & ſemper Virginem, ſolam & mente, & animo Virginitatem perpetuo colentem.* Vbi per Virginitatem mentis innocentiam intelligit: nam ſi de ſola Virginitatis virtute ageretur, inepte diceret ſolam Mariam animo, & corpore Virginitatem coluiſſe, cũ plures alij extiterint ea virtute, tum animo, tum corpore eximie prædití. Rurſus in eadem oratione ſic habet. *O ſanctiſſima Ioachimi, & Annæ filia, quæ principatus, ac poteſtates feſelliſti, quæ in ſpiritus thalamo verſata es, atque immaculata conſeruata in Dei ſponſam.* En tibi præſeruationem à culpa, & ſorde, quam toties inclamamus. Et infra. *O Deo digna filia, humanæ naturæ venuſtas, primigenæ matris Euæ correctio.* Si ergo naturæ iam vitiatæ iniurias pertulit, quomodo naturæ venuſtas in ea reſplenduit? Et ſi Euæ vitia contraxit, quomodo ipſius correctio, & reſtitutio? Et in 3. Oratione de Natiuitate Mariæ, circa finem, *naturæ Reginam, & noſtræ maſſæ primitias* appellat. Quorum verborum ſenſus exquirẽdus eſt ab illis, quæ ſupra diximus c. 32. Lucem etiam accipit ex his, quæ idem Damaſc. ſcripſit in Orat. 1. de Dormitione. *Cuius naturæ primitias ex puriſsimis, & illibatis, ac prorſus immaculatis ſanctæ Virginis ſanguinibus ſuſcipiens, &c.* Confer igitur hæc verba cum ſuperioribus: Chriſtum enim naturæ primitias hoc ſenſu accepiſſe dicit, quia naturã induit ab omni culpa immunẽ, ea ſcilicet puritate præditam, qua primum à Deo condita eſt: ergo cum Virginẽ ſupra *naturæ* quoq; *primitias* appellat, ſimili ſenſu puram, & ab omni peccato alienã, iuxta primæ conditionis ſtatũ, fuiſſe innuit. Ad hæc in huius orationis decurſu *ſacram, & prorſus immaculatam* non ſemel dicit. Sed illud cumprimis illuſtre, ac luculentum, quod expendens illa verba. *Inueniſti gratiã apud Dominum*, ſubnectit. *Gratia (inquit) abyſſum inuenit, quæ duplicis Virginitatis nauẽ incolumem ſeruauerat, animãque non minus, quã corpus incolumẽ cuſtodierat.* Quæ verba ad ſenſum eorum vocanda, quæ nuper dedimus, vt ſcilicet animi virginitas innocentiam omnis labis expertem adſignificet. Quod ſatis etiam liquet ex alio eiuſdẽ Damaſceni loco in lib. 4. de fide orthodoxa c. 15. *Cũ Virginẽ inquit vna cũ corpore animũ conſeruaſſe, vt eã decebat, quæ Deũ in ſinu ſuo exceptura erat: Sanctus enim ipſe cũ ſit, in ſanctis requieſcit. Ad hũc igitur modũ ſanctitatẽ colit ſanctiq; & admirabile, & ſummo Deo dignũ tabernaculũ exiſtit.* Vbi nullum ſubeſt dubium, quin animi Virginitatem pro ſanctitate perpetua, & labis experte acceperit Damaſcenus. Nec omittenda ſunt illa, quæ ad finem Orationis ſubdit. *Diuinum (inquit) tuum & ſanctum, ac maculæ prorſus expers corpus.*

Quid plura? In orat. 2. de Dormit. eiuſdem Virginis ſic fatur. *Hodierno die ſacratiſsima columba, & ſimplex, atq; innocens anima, Spirituiq; diuino conſecrata, ex arca, hoc eſt, ex corpore, quod vitæ initium dedit, euolans, pedibus ſuis requiem inue-*

inuenit. Et perbreui interstitio. *Hodierno die ædem spiritualem noui Adami Paradysum suscipit, in quo condemnatio abrogata: etenim ad hunc Paradysum serpens aditum non habuit.* Et plura inibi subtexit, quæ Virginis impollutam innocentiam mirificè commendant. Et rursus circa medium illius Orationis. *Etenim Rex ipse ad matrem suam venit, vt diuinis suis, ac purissimis manibus sanctã, ac puram, & labis expertem ipsius animã susciperet.* Deniq; in Iambo de Natiuit. *puram labis*, & in sententijs de Virginis Annunciat. *reprehensionis expertem* appellat, & alibi alijs nominibus insignire solet, quibus Virginis munditiem ab omni culpa, & perpetuam sanctitatem perspicue declarat.

Concilium Francofordense actũ anno 780. in epistola ad Episcopos Hispaniæ, & omnes alios Christi fideles, sub finem ad probandam Christi immunitatẽ ab omni seruitute hęc verba infert: *Meliore quidem terra* (quam ea, ex qua conditus fuerat Adam) *animata, & immaculata, Spiritu Sãcto operante factus est homo, dicente Apostolo: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Huius tamen sententiæ energiam sæpe alias aperuimus. ✠ *Conciliũ Francofordense.*

Hoc etiam sæculo sub annum 787. celebrata est septima Synodus, in qua tum ab Adriano Papa in epistola ad Tharasium Patriarchã Cõstantinopolitanum data, quæ relecta est in Cõcil. Act. 2. tum etiam ab ipsa Synodo passim *intemerata, immaculata, incontaminata*, adde etiam *inculpata* Virgo Deipara nuncupatur: quarum appellationum quanta sit energia, diximus supra c. 41. can. 5. ✠ *Septima Synodus.*

Floruit etiam hoc tempore Paulinus Aquileiensis Episcopus, qui in lib. 30. contra Fœlicem sic adstruit: *Maria eiusdem est nobiscum naturę, sed non eiusdem gratię.* Si autem Maria nõ habuit originalem iustitiam, sed communem illam obtinuit, quę à peccato animum expiat, non modo eiusdem naturæ, sed etiam eiusdem gratiæ nobiscum esse comprobatur. Rursus in lib. 6. circa fin. *Mulctata est* (inquit) *prima mater humani generis dolore, tristitia, seruitute. Tribus è contrario clarissimis bonis Maria Virgo honorata est, salutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ. Nã primus homo de terra virgine consilio sanctæ Trinitatis formatus est, dicente Domino. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostrã: secundus verò Adã, id est, Christus de terra Virginalis vteri operatione eiusdẽ Trinitatis creatus est.* Horũ verborũ pondus eadẽ libra examinãdum est, qua supra alia his perquã similia expendimus. Sed illud cũ primis adnota, contra *seruitutẽ*, quæ tertio loco inter Euæ mala recẽsetur, adstrui à S. Paulino in B. Virgine *plenitudinem gratiæ*, nimirum contra seruitutem primi peccati libertatem gratiæ originalis. ✠ *Paulinus Aquileiẽsis Episcopus.*

Deniq; subijcere libet Pseudo septimã Synodũ Cõstantinopolitanã, quæ acta est sub Copronymo anno 754. & licet impia prorsus, & hæretica fuerit: tamen de Virginis innocẽtia bene aliquando pronunciat: nã vt tradit Ioannes Sagittarius in Compendio Concil. *Iterũ atq; iterũ sanctissimam, & ter inculpatã*, collecti ibi Iconomachi Deiparã Virginẽ appellarunt. Et quidem appositum illud *ter inculpata* exaggeratione innocẽtiæ adsignificat, quemadmodũ illud: *O terq; quaterq; beati.* Potest tamen non inepte ad quasi tripartitã Mariane innocentiæ puritatẽ notandam asscisci, quæ ex immunitate ab originali, mortali, & veniali peccato coalescit. Et eodem quoq; sensu donari possunt duo alia epitheta, quibus in alijs Cõcilijs gaudet Virgo Deipara, scilicet *ter sancta*, & *trilucida*: de quibus alibi diximus. ✠ *Pseudo Septima Synodus.*

Ad extremum circa sæculi huius metã anno 780. floruit Albinus Alcuinus, qui in lib. 3. de Sanctissima Trinit. cap. 14. sic scripsit. *Maria fuit lana mundissima* (scilicet innocẽtia) *& virginitate clarissima, & incomparabilis vniuersis, quæ erant sub cœlo, virginibus: erat q; talis, ac tanta, vt sola digna fuerit, qua nullus alius indueretur, nisi augusta præditus dignitate. Ita Spiritus Sãctus superueniẽs in B. Virginem, & virtus altissimi obumbrauit eam, vt lana fieret diuinitate purpurata solũmodo æterno Imperatori indui dignissima.* Est autem Alcuini perspicua mens ex comparatione lanæ, quæ vt purpuræ colorem trahat, debet esse munda, & candida. Quasi dicat: Maria erat prius per omnimodam innocẽtiam munda, & per virginitatem candida: atq; adeò Spiritus Sancti virtus superueniens, & obumbrans illam diuinitatis suæ purpura imbuere facile potuit, vt ex ea æternus Imperator Deus vestẽ sibi gloriosam cõcinnaret. Sed clarius id ipsum tradit lib. 6. contra Fœlicem Vrgelitanum, vbi sic scribit. *Antequã Spiritus Sãctus veniret in Mariam, & virtus altissimi obumbraret, & hoc cõciperet, quod sanctum vocaretur filius Dei, ipse vterus Mariæ, quamuis mũdus esset à peccato, & sanctus, tamen vilitate humanitatis erat vt lana optima, & incomparabilis vniuersis, quæ erant sub cœlo, virginibus.* Quid illustrius? Et statim assuit verba ex S. Paulino Aquileiensi deprompta. *Tribus his malis mulctata est prima mater generis humani, dolore, tristitia, seruitute: tribus è contrario clarissimis bonis B. V. Maria honorata est, salutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ.* ✠ *Albinus Alcuinus.*

SAECVLVM IX.



HVIVS Sæculi minor gloria, pauciores enim scriptores tulit, atq; adeò, nec tam multos, nec tam illustres Virgo Deipara commendatores habuit: nõ tamen omnino desiderati, qui acceptã de perpetua Virginis sanctitate à maioribus sententiã ad minores trãsmitterẽt.

Præeat S. Nizephorus Cõstantinopolitanus Archiepiscopus, qui floruit per annũ 811. Hic ergo in epistola, quam misit ad Leonem III. Pontificẽ Maximum, in cõfessione fidei sic de ✠ *Sãctus Nizephorus Cõstãtinopolitanus.*

Virgine fcribit. *Inhabitans enim in vtero fanctiſsima, incontaminata Dei genitricis Virginis Mariæ, & in animo, & in carne præmundata ſpiritu.* Quam epiſtolā ſic demum abſoluit. *Intercessionibus immaculatæ, & incontaminatæ eius matris, & omnium Sanctorū, &c.* Sed ne te exterreat vox illa *præmūdata*, lege, quę ſcripſimus ſuprà c.41. can.5. atque intelliges, quod ſicut præmundari in carne perinde fuit, ac nō polluiſſe ita etiam premundari in anima idem fuit, quod labe carere.

Ionas Aurelianēſis Epiſcopus. Hac ætate vixit Ionas Epiſcopus Aurelianenſis anno 820. ſcripſit tres libros pro defenſione ſacrarum imaginum, & in 1. lib. circa medium Deiparam Virginem *ſanctæ, intemeratæ, & inculpatæ* nominibus cohoneſtat.

Theophanes. Huic proximus Theophanes Græcus, qui hymnum cōpoſuit de Annunciatione Sāctiſſimæ Deiparæ, & inter alia ſic occinit. *Inueniſti gratiam apud Dominū, quā inuenit nunquam alia quæpiam, ò immaculatiſsima.* Et infrà: *Tibi gratia eſt data, ò Deigenitrix diuina: Tibi omnis creatura clamat, ò Dei nympha: tu enim ſola mater filij prælecta es immaculata*, id eſt, tu ſola immaculata fuiſti, & ab omni labe pura, quam Deus ſibi in parentē non modo eligeret, ſed præligeret. Et rurſus ita ſubijcit: *Aue Domina Virgo: Aue immaculatiſsima: Aue receptaculum Dei, Adæ reuocatio, Euæ redemptio, mons ſanctus, manifeſtum, ſanctuariū,* id eſt, non clauſum, & obſeratum, ſed cunctis adapertum, & peruiū. Hęc omnia ad verbū ex Græcis reſtituta ſunt. Sed qualē habeant extrema verba energiā, petendum eſt ex his, quæ ſupra diximus, c.23.

Strabo Fuldenſis Hac etiam ætate celebris fuit Strabo Fuldenſis Monachus Author Gloſſæ, quā Ordinariam vocant: hic ergo in c.25. Exodi de Arca Teſtamenti ſic ſcribit: *Facta verò fuit hæc arca de lignis ſethim, quæ ſunt imputribilia, ad ſignificandam puritatē B. Virginis Mariæ, quæ fuit puriſsima mente, & corpore, & etiam poſt mortem conſeruata à corruptionis putrefactione.* Quæ ſit autem virtus illorum verborū, *pura mente, & corpore*, habes ſupra, cap.40. §.3.

Ambroſius Anſbertus. Ad ſæculum iſtud libet etiā reuocare authorē illius ſermonis, qui reperitur in Homiliario Alcuini, & à quibuſdam tribuitur Bernardo, ab alijs Bedæ, ab alijs demum Ambroſio Anſberto (quibus libentius aſſentior) incipit autem. *Creatoris matrē omnis creatura magnificat.* Ac deinde in decurſu Virginē cum Luna componens hæc fatur. *Tu ergo pulchra es, vt Luna, imò pulchrior Luna, quia tota pulchra es, & macula non eſt in te, neq; viciſsitudinis obumbratio.* Et iterū Virginem Deiparā omnibus inferni poteſtatibus terribilem eſſe adſignificans, ſic addit. *Timor, & tremor venerūt ſuper eos, ita vt dicerēt: Ecce pluſquam Eua hic.* Et à ſanctis Angelis ita de eadem Virgine cautum ab initio dicit. *Ne præparatum æterno Regi hoſpitium alienus hoſpes intraret.* Quid plura? Ex ſimilitudine auroræ, quam ibi verſat author, aliquid etiā pro immaculata Virginis Cōceptione depromere licet: ſic enim habet. *Ipſe enim Sol Iuſtitiæ de te proceſſurus ortum ſuum quadam matutina irradiatione præueniens in te lucis ſuæ radios copioſiſsime transfudit, quibus poteſtates tenebrarum, quas Eua induxerat, in fugam conuertiſti:* Præmiſerat autem: *Sicut aurora valde rutilans in mundum progreſſa es, ò Maria, quando veri ſolis ſplendorem tantæ ſanctitatis iubare præcurriſti, vt verè diem ſalutis, diem propitiationis, diē, quam fecit Dominus, à tua claritate initiari dignum fuerit.* Itaq; Anſberti mens ea eſſe videtur, vt ſignificet Virginem propterea auroræ nomine inſigniri, quia ſanctitas eius ante Chriſti ſanctitatem præluxit: ſed dum ait illud ſanctitatis iubar à Chriſto effuſum, quod Mariā illuſtrauit, tenebras, quas Eua induxerat, diſſipaſſe, & in fugam vertiſſe, facilè innuit ſe loqui de peccato originis. Dices ita prorſus fatendum ſermonem fieri de peccato originali, non quidem de Virginis proprio, ſed de communi totius generis humani delicto: nam circa finem huius ſermonis id gloriæ Virgini tribuit hic author, quod ipſa cum Chriſto conſpirans originalis delicti luem à nobis auerterit, ab illis verbis: *Vides hanc tunicam pelliceā, &c.* vt habes ſuprà cap.21. Sed tamē quid vetat, vt de ipſius etiam Virginis propria culpa ſermonem factum dicamus? Et quamuis illud aduerſarijs demus, non tamē propterea de huius loci robore ad impollutā Virginis ſanctimoniā confirmandā aliquid adimitur: nā vt in eo ca. 21. latiùs præſcripſimus, nulla eſt ratio, quæ Virginem originis peccato liberā firmiùs cōprobet, quam ea, quæ ex illo principio ducitur, quod nimirū Virgo ad expiandum commune totius generis humani delictum ſuas Chriſto operas adiunxerit.

SAECVLVM X.

HVIVS Sæculi dignior laus: id enim glorię ſibi arrogare poteſt, vt cū ipſo immaculatæ Cōceptionis feſtum fœliciſsimis auſpicijs peragi cœperit. Nam vt miſſa faciam ea, quæ de Gundiſaluo Archiepiſcopo Toloſano, qui ſub finem ſuperioris ſæculi noſtris Hiſpanis celebrandæ puræ Conceptionis primus author fuit, vt ſuprà cap. 31. §. 6. latiſsimè proſecutus ſum. Profecto vt conſtat ex Epiſt. D. Anſelmi, viſio illa, quæ Hungariæ Regis filio, ac poſtmodum Aquileienſi Archiepiſcopo exhibita eſt, per quam illi hoc demandatum fuit, vt feſtum Conceptionis ageret, & agendum alijs prædicaret, vel in finem ſuperioris ſæculi, vel in huius exordium incidit, ſcilicet Carolo Craſſo, aut Carolo Caluo Gallis imperante. Itaque ab hoc tempore in Eccleſia Latina, tū Aquileiæ, tum etiā Hungariæ Conceptionis ſolēnia peragi cœperunt, & forraſſe etiam alibi. Addo etiā ſub idem tempus Græcos puram Conceptionem colere cœpiſſe, vt in eo cap. prælusimus.

Ergo

Leo Imperator.

Ergo sæculi huius gloriam mirum in modū commendat Leo Philosophus Imperator sapientissimus, qui, vt alias non semel obseruauimus, luculentam orationem de pura Virginis Cōceptione composuit, quam Cardinalis Baronius in Bibliotheca Sforciana adseruari dicit: cuius vtinam nobis exemplar suppeteret: nam pleraq; testimonia ad eandem Conceptionem comprobandam inde haurire liceret. Et meæ quoque infœlicitati hoc tribuo, quod alias illius orationes Ingolstadij nuper editas lustrare hactenus non licuit: atq; adeò ex altera, quam tantū peruidere integrū fuit, suppetunt illa verba iam supra à me præscripta. *Cum adhuc in lumbis paternis contineneris, genitor tuus clamabat. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui. Audisti verè, ò filia, commonitionē, & oblita es populi tui, & fortis, & domus paterna: fortis videlicet illius, quam Eua progenitrix toti generi humano distribuit, infinito illo affectuum, passionū, & animi perturbationū cumulo hæreditario relicto: at nihil horum tu in domum tuam intulisti, &c.* quorum verborū energiam habes suprà cap. 19. & cap. 31.

Georgius Nicomediensis.

Huic etiam sæculo annumerare libet Georgium illum Nicomediensem, qui alteram orationem de Virginis Conceptione conscripsit, quæ habetur etiam in Bibliotheca Sfortiana, vt ex eodem Baronio diximus supra c. 35. §. 5.

Idiota.

Per id tempus floruit Idiota vir sapientissimus, qui inter præcipuos puræ Conceptionis vindices, & assertores meritò cēseri debet, cuius verba per superiora capita non semel sparsimus, & expendimus: sed tamen pauca seligā, & hic adscribam, vt hæc sæculorum series contexatur. Hic ergo in contēpl. de Virgine Deipara c. 3. sic habet. *Tota pulchra es Maria, & macula non est in te: Tota pulchra es in tua Conceptione ad hoc solum effecta, vt templū esses Dei altissimi.* Et infrà breui interstitio. *Tua gloriosa anima nihil vnquā affuit turpitudinis, vitij, aut peccati, & nihil defuit spiritualis pulchritudinis, gratiæ, & virtutis.* Et rursus. *Tota igitur pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati, siue mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te, nec vnquam fuit, nec erit.* Et subinde in eodem capite circa finem. *O præbenedicta, cumbenedicta, & postbenedicta Virgo Maria.* Quæ verba omnium temporum differentias complectuntur. Hæc omnia testimonia habes suprà suis quæque locis versata, & expensa.

Rursus c. 4. sic scribit: *Sed quia corrupta erant omnes animæ, & peccato vacillauerant, ideo te gloriosam Virginem Mariam ædificauit in domum solidam, & fortē, quæ nullo modo vacillare posset, &c.* &c. de cuius loci virtute multa habes supra cap. 32 §. 2.

Et cap. etiam 6. *Inuenisti gratiam apud Deū, ò dulcissima Virgo Maria: inuenisti gratiam cœlestē, quia fuerunt in te ab originis labe præseruatio, &c.* Et subinde: *Sicut Eua gratiam amisit per superbiam, sic tu è diuerso gratiam inuenisti, quā nunquam amisisti.* Hæc omnia testimonia, quia supra diuersis in locis in libram venerunt: & quia luculenta sunt, expensore non indigent.

S. Fulbertus Carnotēsis.

Claudit hanc ætatem Fulbertus Carnotensis Episcopus, qui vixit circa finem huius decimi sæculi. Ex hoc igitur Doctore aliquid depromi potest, ex serm. de Natiuit. Sanctissimæ Virg. *Hoc igitur (inquit) cum primis adstruere fas est, quod anima ipsius, & caro, in qua elegit habitaculum sibi sapientia Dei Patris, ab omni malitia, & immunditia purissima fuerunt, affirmante scriptura. Quod in maleuolam animam nō introibit sapientia, neq; habitabit in corpore subdito peccatis.* Fulberti sententiam, & verba pene transcripsit D. Tho. ad probandā sanctissimam Deiparam ab omni delicto actuali vacuam fuisse: sed tamen eius immunitatem à peccato originali ex eisdē confici habes supra non perfunctoriè cap. 26. Idem verò Fulbertus infrà sic scribit: *In huius cōceptione necessaria haud dubiū est, quin vtrūq; parentē viuificus, & ardens Spiritus Sāctus singulari munere repleuerit, quodq; ab eis Sāctorum Angelorū custodia, seu visitatio nūquam abfuerat.* Falsa profectò, & commentitia est quędam vulgi persuasio, quod putat Virginem Deiparā ex complexu Annæ, & Ioachim, Spiritu Sancto superueniente, & obumbrante cōceptam fuisse: nam reuera ex carnali concubitu, sicut alijs infantibus solenne est, in aluo matris suscepta fuit. Illud tamen verū, & omnino asserendū ait Fulbertus, Ioachim, & Annā, vt ad generationem huius sanctissimæ prolis purè, & sanctè venirent, Spiritu Sācto affatim impletos, vt plenam etiā gratia, & Spiritu Sancto puellam gignerent. Nam statim post pauca sic artexit Fulbertus. *Quanta, putamus, prouisio fuerit Sanctorum Angelorum circa tam Deo gratissimos parentes ab initio procreationis, & excubatio super tam ingentē sobolē: nunquid abfuisse credēdus est Spiritus Sanctus ab ista eximia puella, quam sua obumbrare disponebat virtute!* Quasi dicat: omnis illa Dei prouidentia circa parentes, & eorū generationem eo spectabat, vt filiam sanctissimam producerent, cui ab initio suæ Conceptionis Spiritus Sāctus semper prę̄sto affuturus, nunquā abfuturus erat. Ita enim omnino credendū, eā, quæ Spiritu Sancto obūbrante, Dei filium suscipere oportebat, nunquam ab eodem spiritu destitutam. Itaq; licet naturalis Mariæ generatio ex viri, atq; fœminæ congressu perfecta fuerit: tamen Spiritus Sanctus, tàm parentibus, quàm soboli in ipsa generatione præsto fuit, & ipso præside facta est, vt naturalis procreatio cum supernaturali generatione congrueret, dum Patres naturæ, Spiritus verò Sanctus gratiæ partes ageret. Citatur etiam Fulbertus in salutationem Angelicam, vbi hæc adscribit verba. *Electa insignis inter filias, quæ immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras creatorem totius sanctitatis.* Quid illustrius?

SAECVLVM XI.

HOC Sæculum aliquid etiam ad Conceptionis puræ confirmationem dedit. Et quidem, quod ad festũ attinet, eius celebritas amplificari cœpit apud Normandos, & Anglos. Per id tempus Helsimus Abbas cœlesti reuelatione admonitus ad illud agendum tum Anglos, tum Normandos excitauit circa annum 1066. quod paulò post sub annum 1081. Anselmus epistola ad Angliæ Episcopus data, obseruari, & coli seriò persuasit. Adde etiã: in id sæculum incidit illud aliud cœleste prodigiũ, quo Gallus Canonicus ad idem festum celebrandum confirmatus est: quod narrat Anselmus in ea epistola. Quem Canonicum aliquid etiam apud suos profecisse, vt festum hoc actitarent, minimè ambigendum est. Lege plura supra, cap. 35. §. 4. & 5.

Petrus Damianus. Hoc seculo illustris fuit Petrus Damianus impollutæ Conceptionis præclarus assertor. Hic ergo in serm. de Annunc. sic scribit. *Cum enim fecerit Deus omnia opera sua valde bona, hoc melius fecit consecrans sibi in ea reclinatoriũ aureum, in qua sola se post tumultus Angelorum, & hominum reclinaret, & requiem inueniret.* Productionem Virginis cum prima rerum omniũ effectione, & conditione ante peccatum componit: tũc enim valdè bonæ res erant, quæ post peccatum in deterius abierũt. Itaq; sententia Petri hæc est, Virginem ab initio meliorẽ, & digniorẽ à Deo effectam, quàm quæ optima, & dignissima in prima formatione condiderat: scilicet meliorem, quàm vel Angeli, vel homines in prima sua conditione fuerant: Mariam verò ideò Angelis, hominibusque à prima formatione præfert, quia eorum gratia prima tumultuosa (vt ita dicam) fuit: nam pro eo instanti, quo viatores Angeli fuerũt, quamuis alij in gratia constantes, alij inconstantes, ac decidui extiterint: nullus tamẽ fuit, inter quẽ bonæ, ac malæ cogitationes non conflixerint, & seditiosum (si fas est dicere) tumultum non excitauerint: omnes enim à superbia, & fastu impugnati, quamuis nõ omnes expugnati fuerunt. Nec dispar ratio est de illis naturę nostrę fontibus Adamo, & Eua, qui in priori illo superbiæ conflictu, & tumultu debellati, & prostrati omnibus posteris ruinę authores fuerũt. Igitur post hos tumultus Angelorum, & hominũ, quasi belli, ac pugnæ pertæsus Deus, Mariam sibi ad requiem delegit, in qua nullus interior conflictus, nulla seditio, aut tumultus: gratia enim, quæ ab initio illi donata fuit, nullis inquam tentationibus impetita, aut impulsa est, sed firma semper, immobilisq; permãsit.

Idem verò Petr. Damian. infrà Virginis innocentiam luculentius deprædicat: *Germinat ergo virga Iesse de tortuosa radice generis humani, & de Patriarcharum arbore in altitudinẽ, & rectitudinem erumpẽs omnẽ ignorat nodositatem, filiorum tenebras nescit, fructicosaq; non habet.* Confer ista verba cũ his, quæ supra scripsimus c. 38. de Virga Aaron. Vlterius Virginẽ cum Paradyso confert ab illis verbis. *Hic locũ voluptatis vterum Mariæ intelligo.* Sed hũc ser. plures Bernardo tribuendũ censent: atq; adeò hæc testimonia ad illum transferenda: quæ sequuntur, Damiani propria. Hic ergo in serm. de Assumpt. Virg. Mariam de verbis Cant. 4. affatur ad hunc modum: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te: Tota pulchra, quia tota Deificata: & macula non est in te, quia Spiritus Sanctus superuenit in te, qui te mundauit.* Neq; verò tibi scrupulum inijciat verbũ *mundauit*: debet enim ad eũ sensum reuocari, quẽ habes supra c. 41. can. 4. Et subinde serm. de currente sic infit: *Sola illa mater, & filia creatoris nec descendit, nec cecidit, sed de virtute in virtutẽ ascendẽs cõsumatione virtutũ vestita est.* Et perbreui interstitio. *Caro enim Virginis ex Adam sumpta maculas Adæ non admisit, sed singularis continentię puritas in candorem lucis æternæ cõuersa est.* Pende illud, *nõ admisit*: non solũ enim significat Adæ maculas à Virgine Dei beneficio prohibitas, quibus alioqui imbui, ac tingi deberet: sed in ipsa ius aliquod sonant, ratione cuius exempta fuerit.

Quid plura? In serm. 3. de Natiuit. Virg. sic scribit: *Quid enim sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, & perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gloriæ charismate plena fuit?* Non ergo defuit illi iustitia, & sanctitas originalis, quæ inter alias sanctitatis, & iustitiæ partes cum primis nobilis est. Attexit. *Quid, rogo, vitij in eius mente, vel corpore vẽdicare sibi potuit locum?* Non ergo illi adhæsit originale peccatum, quod naturæ vitium maximè tetrum existit.

Sæculi huius gloriam amplificauit D. Anselmus, qui præcipuus fuit immaculatæ Conceptionis vindex: floruit autẽ per annũ 1080. Sanctus Anselmus. Præmittere autem oportet D. Ansel. aliquando contra Conceptionis puritatẽ pronunciasse. Nam in lib. 2. *Cur Deus homo*, c. 16. hæc verba præscribit. *Nam licet ipsa hominis eiusdẽ conceptio sit munda, & absque carnalis delectationis peccato: Virgo tamen ipsa, vnde assumptus est, in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam mater eius, & cum originali peccato nata est, quia & ipsa in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt.* Et deinde in eodem capite crebrius affirmat, Virginem per merita Christi *mundatam, & purgatam à peccato originali.* Ita vt de mente illius in eo libro addubitare fas nõ sit. Occurrit Bustos affirmans eiusmodi verba ab aliquo erga conceptionem parũ beneuolo forsan in illud caput coniecta fuisse. Sed tamen hæc responsio idonea non est: nam locũ istum ad oppositam sententiã roborandam antiquissimi authores producunt, Albert. Magn. Alexand. Alensis, D. Tho. D. Bonau. & ex his omnes ferme scholastici, ita vt de illius fide ambigere nõ liceat. Alias verò interpretationes,

quibus

quibus alij hûc locum donant, vt manifestam illius vim declinare possint, merito refellit noster Vazq. 3.p.disp.116.c.11. Ergo S. Anselm. eo in loco Virginem in peccato originali cóceptam sensisse pro certo habeo.

Existimo tamen illum ex his fuisse, qui deinde digniora de Virgine meditantes sententiã mutarunt, de quibus suprà c.41.can.6. Nam certo certius est illũ alijs in locis puram Virginis Conceptionẽ docuisse, & commendasse: percurram illa. Aliqui proferũt Anselmum in epist.2.ad Cor.c.5.ad illa verba: *Si vnus pro omnibus mortuus est*, vbi ad hũc modũ scribit. *Omnes itaq; mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, dempta matre Dei, siue originalibus, siue etiam voluntate additis*. Sed tamen hæc Commẽtaria plures Anselmo adimunt, & Herbæo illa adscribunt, quibus ego assentior.

Secundo producitur etiam passim ab antiquis Scholasticis pro immaculata Virginis Cóceptione idem Ansel. in lib. de Concep. Virg. & de peccato originali, c. 18. ab illis verbis: *Sed quia decebat, vt illius hominis conceptio de matre purissima fieret: nempe decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, &c.* Huius etiam loci neruos conatur elidere noster Vazq. disp. illa 116. cap. 11. quasi hoc solum cõtendat Anselmus, tunc Virginem ea puritate enituisse, cũ incarnatio peracta est: sed non anteà. Cęterum locus iste (me iudice) ad probandam purã Virginis Conceptionem valde idoneus est: nam inter alia, quæ ibi conficit Anselmus, certè per superiora capita illud decreuerat, potuisse quidem Christum de matre peccatrice sanctum nihilominus, ac iustum nasci: sed tamen nequis putaret ita factum, subiungit, non ex necessitate, quasi aliter non posset, sed ex decentia de Virgine iusta, & sancta procreatum. Quapropter cum prius de originali peccato sermonem habeat ostendens fieri quidem potuisse, vt ex Virgine in peccato cõcepta originem suam trahens ab omni ipse peccato mundissimus foret: cũ statim infert non de peccatrice, sed de sancta, & iusta ob decentiam progenitum, haud dubitari debet ipsum loqui de iustitia illa, quę originale peccatum excludit. De qua etiam loquitur c.27. *Quapropter quoniam de iusto patre secũdum diuinam: & de iusta matre secundum humanam naturam, iustus ab ipsa origine, vt ita dictũ sit, natus est: non incongrue pro originali iniustitia, quam omnes filij Adæ habent à sua origine, iustitiã originalẽ habuisse dicendus est.* Quibus verbis Anselmus id concludit, nihil deesse Christo Domino ad hoc, vt sanctus, ac iustus nasceretur: nam præter quã quod ex eo solum à peccato originali immunis erat, quia de Virgine procreatus fuit: id etiam ad eius sanctitatem contestandam accessisse dicit, vt ex sancto Patre, & ex sancta matre nasceretur: vt eius iustitia originalis esse crederetur. Hæc autem Anselmi ratio prorsus inepta esset, nisi in Virgine sanctitatem, & iustitiam originalem agnosceret: nam vt supra, c.41.can.4.latè docuimus, iustitia illa, quam parentes post deletum in ipsis originale peccatum assequuntur, ad filios eodem peccato liberandos nihil præstat: atq; adeò ex eo, quod Virgo ea ratione peccato originali prius deleto, sancta, & iusta foret, filij sanctitas nulla idonea ratione cõprobari posset. Quod verò eandem Virginẽ ante Conceptionem verbi mundatam, & purgatam inibi affirmat, exponendum omnino per ea, quæ diximus supra cap.41.can.4.

Tertiò idem Anselm. puram Virginis Conceptionẽ expresse tradit in ea Epist. ad Episcopos Angliæ, de cuius fide, & authoritate multa diximus supra c.35.§.4.& 5.

Quartò Ioannes Bachon in 4.dist.2.q.3.ar.3 adducit testimonia Anselmi ex quodam lib. de Concept. cuius initium est. *Principium, quo salus mundi processit, mihi considerare volẽti occurrit hodierna festiuitas de Conceptione Mariæ matris Dei*: ex quo lib. cap.4. illud producit: *Nux enim, castanea, vel liliũ nasci potest inter spinas, & ab illis non pungi: ergo mater Christi potest cõcipi inter peccatores, & peccato nõ tangi*. Omisit Bachon verba, & sententiam tenuit: nam locus iste à plerisq; alijs hoc verborũ tenore citatur. *Si quid originalis peccati in propagatione matris Dei extitit, illud certè propagantium, nõ propagatæ fuit: Deus enim, qui castaneæ confert, vt inter spinas, & ab spinis remota cõcipiatur, alatur, formetur, non potuit hoc facere matri suæ? Planè potuit, & voluit, quod si voluit, & fecit.* Deinde verò Bachon quasdam subinducit rationes ex eodem Anselmo petitas hisce verbis. *Probat* (inquit) *Anselmus contrariæ opinionis falsitatem c.4. illius libri de Cõceptione: quia potuit Virgo fieri sancta ordinabiliter, & acceptabiliter: aut ergo ex speciali priuilegio voluit eam tunc sanctã esse, & factum est: aut noluit: sed hoc esset irrationabile, quia ordinare ad cõcipiendum Sãctum sanctorum, & non esse sanctam ordinabiliter, & acceptabiliter, includeret cõtradictionẽ. Itẽ c.6. idẽ Anselmus probat hoc per comparationẽ ad totam mundi machinam. Deus prædestinauit matrẽ suã concipiẽdam, vt esset vniuersorum, scilicet cæli, & terræ, & omnium, quæ in eis sunt, domina, & imperatrix, & hoc totum opus ex priuilegio singularis gratiæ: sed ordinare Conceptionem Mariæ per gratiam ad hanc singularem præcellẽtiam, vt esset futura mater Sanctisanctorum, & regina omniũ Sanctorum in cælo, & in terra, & negare conceptionem eius, quæ Christum erat cõceptura corporaliter, mox sanctam, & Deo acceptam, est cõtradicere loco arguẽdi à maiori, quo vtitur omnis ars. Item c.6. idem Anselmus probat per cõparationem ad naturam diuinam sic. Deus est artifex sapiens, & præpotens, & Sanctus sanctorum: ergo primordialia fundamenta incarnationis suæ voluit habere sancta ordinabiliter. Sed cõceptio Mariæ carnalis, vt prædestinata ad cõceptionem filij Dei fuit vnum fundamentum, & Spiritus Sanctus aliud, de quibus Psal. 86. Et fundamenta eius in montibus sanctis, & hoc totum fuit priuilegium, ex pri-*

uile-

uilegio enim carnalis eius cõceptionis fuit sancta ordinabiliter. Ad hoc ponit exempla: nam quidam Angeli præsciti reprobati ceciderũt, quidam prædestinati perstiterunt: ergo si unus ex prædestinatis fuisset in natura sua ex Dei priuilegio præuisus, vt à Deo esset assũptus pro salute populi eius, creatio ex eodem priuilegio fuisset dicenda sancta ex eo, quod ordinata ad salutem omnium. Sicut in opposito tota cõceptio filiorum Adæ dicitur esse in peccato ex hac lege priuata statuta, quod deordinata est, vt in omnibus generantibus caro concupiscat aduersus spiritũ. Igitur conceptio Mariæ ex priuilegio Dei dicenda est sancta, quia ordinata ad singularem præcellẽtiam cõcipiendi filium Dei in Spiritu Sancto, in quo Christi caro obediuit spiritui. Cõfirmat Anselmus omnia, quia secundũ Philosophum 5. Physicorũ, motus specificatur ex termino ad quem, id est, à fine, ad quem ordinatur: vt motus ad albedinem dicitur dealbatio. Sed finis Cõceptionis Mariæ fuit ex priuilegio ordinatus ad concipere filium Dei, super quem requieuit Spiritus Sanctus: nam de eius Conceptione dicit Propheta: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Ergo &c. Hactenus Bachon. qui præclaras rationes, quibus B. Ansel. Marianæ Conceptionis sanctitatẽ comprobat, in eo libro conflat, & seligit: quæ omnes reuocãdæ sunt ad ea, quæ diximus suprà cap. 22. vbi illud probare adnixi sumus, creationem, & primam conditionẽ Virginis Deiparæ ad Christum, & ad salutem humani generis ordinatã, & propter illam intentam: vnde Virginis immunitatem à culpa, & à debito illius perspicuè (ni fallor) euicimus. Alias eiusdem Anselmi sententias inculcat Bachon, quas vtinã in autographo legere, & obire liceret. Sed tamen hic tractatus, aut liber de Conceptione Virginis inter alia Anselmi opera hodie non reperitur: de illius tamen fide dubitari non debet: primo, quia ita suadet grauissimi Bachonis authoritas, & antiquitas, qui ante annos trecentos floruit Parisijs. Secũdò, quia illã castaneæ similitudinem, quam Bachon. producit ex 4. c. illius tractatus, plures alij grauissimi, ac locupletissimi authores proferunt, & Anselmo adscribunt. Hi sunt Bernardin. de Bustis ser. 4. de Concept. & in Offic. Cóceptionis, quod à Six. 4. probatum fuit, Salmeron in Epist. ad Rom. Canis. & alij quàmplures. Ac deniq; quia in Breuiario Ebor. tres lectiones leguntur ex hoc tractatu (vt videre est) carptim depromptæ, ex quibus aliqua etiam carptim hic appingam.

Principium, quo salus mũdo processit, mihi cõsiderare volenti occurrit hodierna festiuitas, quæ de Conceptione Beatissimæ Matris Dei Mariæ multis in locis recolitur. Tantorum namq; bonorũ cõsummatio, quæ per ipsã Domini matrẽ toti creaturæ prouenerunt, videtur admonere omnem humanam creaturam, pietatis affectu exordium sui considerare, quàm sublime, quam diuinum, quàm ineffabile fuerit. Nec mirum: fundamentum siquidẽ, & quasi quoddam sacrarium ciuitatis, & habitaculi summi boni in eo ponebatur, & mansio lucis æternæ corporalis, quam corporaliter inhabitaret ille incorporeus, & incircumscriptus, creãs simul, & viuificans omnia spiritus parabatur. Sancta igitur Virgo Maria vera mater Dei futura, sicut eum, qui supra omnia est incomprehẽsibilis, verum erat hominẽ ineffabili modo de sua substantia Virgo paritura, ac per hoc in Deitatem illius transitura, ita non absurdè credi potest, primordia Cõceptionis eius tanta diuinitatis sublimitate præsignata, vt humanarum conceptio mentium ea plenè penetrare nõ valeret. Et ideò eiusdẽ Cõceptionis dies festiuis laudibus à cũctis fidelibus meritò celebratur. Et post pauca. *Sed cum ipsa conceptio Mariæ fundamẽtum fuerit habitaculi summi boni, si peccati alicuius ex primæ præuaricationis origine maculam cõtraxit, quid dicemus? Vtiq; diuina voce dicitur ad Hieremiam: Priusquam te formarẽ in vtero, noui te, & antequam exires de vẽtre, sanctificaui te. De Ioanne quoq; Angelus, qui eũ nasciturum prænunciabat, asseruit, quòd spiritu repleretur adhuc ex vtero matris suæ. Si igitur Hieremias, qui in gentibus erat Propheta futurus, in vulua est sanctificatus, & Præcursor Domini Ioãnes Spiritu Sancto ex vtero matris est repletus: quis dicere audeat, totius sæculi propitiatoriũ, & vnici filij Dei omnipotentis verum, ac dulcissimum reclinatorium, mox in suæ conceptionis exordio, Spiritus Sancti gratiæ illustratione destitutum? Testãte verò scriptura. Vbi Spiritus Dei, ibi & libertas. A seruitute igitur omnis peccati libera fuit, quæ olim peccatorum propitiatori aula, in qua, & ex qua personaliter homo fieret, Spiritus Sancti præsentia, & operatione cõstruebatur.*

Ad hæc Bernardin. de Bustis in suo Mariali serm. 4. superioris tractatus meminit, & ex illo prætereà, quæ hactenus præscripsimus, quædã alia verba producit hoc tenore. *Et quidẽ quidquid dignum vnquam de aliquo extra suam personam voluit, perperam es de te ò beatissima fœminarum noluisse. Matrem te fecit suam ille rerum omnium factor, & gubernator Dominus, omnium inquam intelligibilium, & intellectum transcendentium, & te dominã, & imperatricem cœlorũ, terrarum, & elemẽtorum cõstituit. Et vt ita esses, in vtero matris tuæ à primordijs Cõceptionis operante Spiritu Sancto crearis. Numquid igitur in tanta futura gloria summi valet Dei mater vnica, & omnium, quæ sunt, fuerunt, & erunt post filium tuum, imperatrix prudens, & nobilis? Numquid in exordio tuo talis esse debuisti, vt omnium, quorum te dominium gerere certissime nouimus, aut paritati, aut subiectioni possis addici?* Et subinde ex c. 5. illius tractatus alia verba excepit Bustos. *Ille* (inquit) *assertor puræ veritatis, & à filio tuo iam cœlo præsidente vas electionis nominatus omnes homines in Adã peccasse fatetur. Vera vtique sententia est, cui contradicere nefas esse pronuncio: sed cum eminentiã gratiæ Dei in te considero, sicut te non intra omnia, quæ facta sunt, inæstimabili modo contueor: sic nec lege aliorũ in tua Conceptione demerita fuisse opinor, singulari, & humano intellectui impenetrabili diuinitatis virtute, & operatione ab omni peccati adiunctione liberrima.*

berrima. Et post pauca ex eodē c.5. sic attexit Bustos. *Peccatum fuerat, quod homines à pace dirimebat, & vt illud filius Dei euacuaret, sicq; ad pacē reuocaret humanum genus, homo fieri voluit, & talis, vt nihil in eo aliquatenus remaneret, quod non concordaret ei, vnde homo à Deo discordabat. Quia ergo ita fieri oportebat, matrē, de qua talis lis tolleretur, mundam ab omni peccato esse decebat: aliter quo pacto illi tam summæ puritati tanta coniunctione vniretur, vt indifferenter, quę sunt hominis, essent Dei, & quæ Dei, hominis essent?* Et ex 6.c. eiusdem tractatus ita subiungit. *Adhuc tibi propone palatiū, quod specialiter suis vsibus aptum existat, construere volentem, in quo & ipse frequentiori, & festiuiori concursu cōuersetur, & omnibus ope eius, & auxilio indigētibus mitiori, & lentiori vultu respondeat. Patereturne in principio palatij fundamentum inualidum, & structuræ, quæ foret ædificanda, incongruum, & non cohærens? Non puto, si saperet, & propositum suum ad effectum perducere vellet. Ergo sapiētiam ante omnia sæcula proposuisse sibi habitaculum, quod specialiter inhabitaret, construere indubitata fide tenemus. Quod autē habitaculum illud fuerit, iamdudum innotuit: hoc enim habitaculū, illud sacrariū Spiritus Sancti esse fatemur, in quo, & per quod eadē sapientia humanæ naturæ cōiungi voluit, & incorporari, & omnibus se pura mēte confitentibus parcere, & misereri. Quomodò sacrarium aulamue vniuersalis propitiationis Spiritu Sancto cooperante cōstrueret, si fundamentum illius, scilicet initium, siue primordium Conceptionis B. Mariæ corruptum fuit? Ipsi certè structuræ non congruebat, nec cohærebat.* Et infrà in eodem cap.6. *Inscia ne fuit, & impotens sapientia Dei, & virtus mundum sibi habitaculum condere remota labe conditionis humanæ? Angelos, alijs peccantibus, bonos à peccato seruauit, & fœminā matrem suam mox futuram ab aliorum peccatis exortem seruare non valuit? In æternitate consilij sui fixum statuit eam dominatricē, & reginam fore Angelorum: & nunc inferiorem natam, in consortium acceptam esse credamus omnium peccatorum? Existimet hoc, & argumentis suis probet, qui vult. Ego donec ostendat mihi Deus aliquid dignius excellētiæ Dominæ meæ posse dici, quod dixi dico, quod scripsi non muto. Cæterum me, & intentionē meam filio eius, & illi cōmitto.* Huius tractatus fidem commendat, quod ex superioribus verbis non pauca habentur in lectionibus Breuiarij Romani antiquioribus, quod excusum fuit Venetijs anno 1550.

Vlterius ex eodem tractatu S. Anselmi c.7. alia verba subnectit Bustos. *Nihil tibi, Domina, æquale, nihil comparabile est: omne, quod est, aut supra te est, aut subtus te est: quod supra te est, solus Deus est: quod infra te est, omne quod Deus non est. Ad tuam tantam excellentiam quis aspiciet? Quis attinget? Et certè, vt ad hanc excellentiam perueniret, in humillimo loco, id est, in vtero matris tuæ purissima oriebaris, quia si tali modo concepta, & ordinata non fuisses, in tantam celsitudinem non succreuisses.* Et vlterius ex cap.9. alia quoque verba profert. *Quam in tantum culmen prædestinauit, atque extulit diuina maiestas, quam tot prærogatiuis dotauit cuncta disponens Dei sapientia, quam sibi matrem delegit ad mundo subueniendum ipsa omnia saluans ineffabilis Dei misericordia, dicere morte peccati, qua per inuidiam diaboli præoccupauit orbem terrarum, in suo conceptu prægrauari, vt taceam interea eas, quas commemoraui rationes, animus euitat, intentio abhorret, lingua fateri non audet. Qui aliter sapiunt, & melius approbant, credant: Ego, pijssima Domina, qualiscumque seruulus credo, & fateor, quod tu ex radice Iesse pulcherrima, ac per hoc ab omni, quod te decoloret, peccati vulnere aliena, integerrima permanens florem purissimum protulisti, &c.* Hæc omnia Anselmi testimonia produxit etiam Dominicus Bolanus in tractatu de Conceptione Virginis Deiparæ: quæ omnia mirificè concinunt cum illis rationibus, quas Ioannes Bachon ex eodem Diuo Anselmo deprompsit: vt propterea mihi persuadeam de ipsorum fide addubitari non posse: de quo tractatu sic præfatus Bachon. *Hunc librum vidi in multis locis, & ponitur in libro, qui est de vita Mariæ, qui vocatur Magnum Mariale.*

Rursus idem Bernardinus de Bustis in sermone nono de Conceptione citat Diuum Anselmum in Homilia de Conceptione Virginis, & ex illa hæc verba subnectit: *Sicut fratres charissimi in sancta Ecclesia Natiuitas sanctæ Mariæ colitur, sic debet coli eius Conceptio: nisi enim conciperetur, etiam nunquam nasceretur: sicut autem ad saluandum genus humanum olim necessaria fuit eius natiuitas, sic necessaria fuit eius conceptio, &c.* Sed tamen huius Homiliæ non minima pars legitur in Breuiario Segouiensi, ex qua aliquid etiam carptim hic adscribendum duxi.

Hodierna die, fratres charissimi, sanctæ Dei genitricis Virginis Mariæ Conceptionem celebramus, quæ omnium rerum nobis genuit creatorem. Et ideo cum summis præconijs, & summa deuotione huius est excolēda Conceptio, quæ salutē mundo perdito contulit. Quis non tantæ Conceptionis obstupescat miraculum? Hodie concepta est Virgo Maria, quæ altissimi Patris filium ex virginali vtero edidit nobis. Quisquis autem parui pendendum putat huius Virginis celebrare Cōceptionem, nec meretur esse cum fidelibus, nec postea cognoscere Saluatoris aduentum. Quæ enim festiuitas huic est præponenda, per quam omnium festiuitatum est exorta deuotio? Sciendū, quod sicut in Ecclesia Natiuitas eius colitur: sic debet & coli Cōceptio. Sicut enim ad saluandum genus humanū olim fuit necessaria natiuitas eius, sic fuit necessaria cōceptio eius. Nisi cōciperetur, minimè nasceretur: iussu Dei nascitur, & cōcipitur. Quæ nisi nasceretur, mundi redēptor ex ea nō nasceretur. Imò si diuina gratia prospiciatur, spiritualis Conceptionis eius dies maior fore approbatur, quàm Natiuitatis. Res enim maior extitit Adam à Deo creari, quàm filios eius de matre nasci. Quisquis

igitur Præsul, vel Abbas, aut Prælatus es, recole diligenter eius solennia, & cunctis iube eam coli: quia si eam toto corde amaueris, nunquam à gradu tuo depositus eris. In memetipso probabo, quod animo erubescant omnino insensati, qui tantum diem, tantaq; sacramenta, ac mysteria tenebris ignorantiæ respuunt celebrare: eo quod viri, & mulieris copula in Conceptione Virginis extitit. Et licet eius Conceptionē (eo quod carnalis extitit) stultis non placeat hodie celebrare: tamen diem illum, & noctem, quamuis sint multis incognita, & tēpus, & horam spiritualis Cōceptionis eius hodie celebrare delectat. Quia ipse, qui est animarū creator, animā suæ matris dignā sanctissimo corpori virginali eius, Angelis ministrātibus, copulauit. Iam quod duæ sunt Cōceptiones hominis, omnibus notū est peritis: vna scilicet spiritualis, & alia carnalis: vna qua carnalis copulatio viri, & mulieris, alia, qua spiritualis anima noua, & pura, Domino operante, corpori diuinitus datur, & coadunatur. Si non placet illis celebrare solennia Conceptionis carnalis Dominicę matris, placeat eis colere animæ eius spiritualem creationē, ac corporis, & animæ copulationem. O quanta est dies illa, qua nostræ reparatricis anima digna creatur, & sacratur, & sanctissimo corpori vnitur! Non est verus amator Virginis, qui respuit colere diē Conceptionis. Erubescant iterum infani, qui hanc diē colere nolunt, quoniam aliorum Sanctorum Conceptiones sancta minimè cōsueuit Ecclesia colere. Maximæ quippè rusticitatis est, eam alijs sanctis in hoc cōparari, in qua Deus humanam carnem assumpsit, quam super omnes Sanctos, etiam & Archangelos in cœlis sublimauit. Et quamuis cæteris sanctis dies Conceptionis non sit cōcessum vt celebretur: illi tamen ab Spiritu Sancto concessum est, qui maior, & excellentior est cunctis. Pulchrè, & dignè hanc nominationem super cæteros Sanctos illa debet habere: quia per eam omnes Sancti beatificantur, & sanctificantur. Quid longius? Conceptionē Dominicæ matris colere, Christi generationem est commemorare. Celebremus ergo hodie dignis Officijs vtramque Conceptionem eius spiritualem scilicet, & humanam: vt ipsius meritis, & precibus à sæcularibus curis, & à cunctis vitijs mereamur eripi, & ad æterna gaudia Paradysi perduci.

Vlterius ex eodē serm. alia verba citat Bustos. *Huius solemnitatis* (id est, puræ Cōceptionis) *celebratoribus datur à filio Virginis Domino nostro Iesu Christo pax, & longa salus, & post transitus huius vitæ requies æterna.* Et ser. 6. ex eadem Hom. hæc citat. *Hodie cōcepta est stella cœli, hodie concepta est palma virtutum, hodie cōcepta est ianua cœlorum.* Cuius etiā Homiliæ fides farta, tectaq; esse debet: nam illius etiā meminit Bachon. loco citato, & Ioannes Gerson in serm. de Concept. consid. 3. alijq; plures.

Deniq; item Bernardin. ser. 4. de Concept. Virg. & Pelbart de Temesuar in Stellario Virginis p. 2. aliud Anselmi opus producūt ita inscriptum, *De exordio humanæ salutis*, atq; inibi etiam similitudinē illam de castanea intra spinosum calicem nascente reperiri dicit: quod identidem repetit Bustos in Officio de Pura Conceptione Virginis in septima die lect. 1. Hactenus de Anselmo, cuius hæc opuscula inter eius opera desiderantur: tamen cum adeò locupletes, & antiquos testes produxerimus, qui eadem se vidisse, ac legisse testantur, de ipsorum authoritate ambigere non licet.

Hoc sæculo etiā floruit Petr. Abb. Cellensis, qui in libello illo de Panibus, Virginis puram innocentiā perspicuè docet. Nam c. 21. scribit ad hunc modum. *Clibanus vterus est Virginis, ignis gratia Spiritus Sancti, panis incarnatio filij Dei. Oportuit nempè hunc prius clibanum nō vili stēmate, neq; more cōsuetudinario fabricari, quatenus in plenitudine tēporis panis, qui dat vitam mundo, de cœlo descēdens pro dignitate sua cōgruū inueniret locum, vbi posset opportunè carnē assumendo decoqui.* Quid verò sibi vult illud: *nō vili stēmate, nec modo consuetudinario fabricari*, nisi reuerā à communi, & consuetudinaria, quæ in aliorū cōditione est, iniuria, & labe in sua formatione excipi, ac vēdicari? Subnectit autem Cellensis: *Virgo igitur virginum clibanus est ad panē suscipiendum, vel cōcipiendum, non consumendum, aut vrendū: ignem enim vrentē nunquam admisit, quæ carnis concupiscētiam nō sensit: ignem fumantē non suscepit, quæ non cōcepit iniquitatē: ignē consumentē non nouit, quæ rorem de cœlis in corde, & in ventre plenissimè accepit.* Quid illustrius? Sed illud luculentum magis, quod infrà subnectit. *Præterea de fœderis, vel potius sanctificationis arca quid aliud dicam, nisi quod & mater arca est fœderis cōtinens in se quidquid est sanctificationis, vel creaturæ, vel creantis:* id est, continens in se omnē sanctitatē increatam, & creatam, scilicet Deum ipsum vtero cohibens, qui est sanctitas increata, omnemq; gratiā animo cōtinens, quæ est sanctitas creata: omnem inquam gratiam, quia nulla alicui creaturæ gratia vnquam donata est, quæ Virgini non fuerit prius impensa. Et rursus infrà sic scribit. *Filius est Sanctus sanctorum, mater est Sancta sanctarū.* Et subinde. *Filius est altare de terra sancta, quia corpus habet de matre sine macula, in quo cremantur holocausto mala, dum condemnantur peccata.* Petrus Cellensis.

Per id tempus anno 1088. vixit Ivo Carnotensis Episcopus, qui in sermone de Natiuitate Domini præclara admodum verba pro Virginis pura Conceptione dedit. *Quomodo* (inquit) *matrem carnis suæ sanctificauerit, deinceps audiamus, vt inde lætetur Catholicus, immundus confundatur hæreticus: omnem quippè næuum tam originalis, quàm actualis culpę in ea deleuit, sicque carnem de carne eius sumens eandem in diuinam munditiam transformauit.* Cum audis *deleuit*, ne putes aliquid peccari in Virgine præfuisse, quod abstergi, atque mundari deberet; absit enim vt id sapientissimo, ac sanctissimo illi viro in mentem venerit. Lege quę de similibus Patrū locutionibus diximus supra. c. 41. can. 4. quæ in hæc Ivonis verba aptissimè quadrant: nam cum ita dicat. *Omnemq; næuum tam originalis, quàm actualis culpæ in ea deleuit.* Ivo Carnotensis.

Quemad-

Quemadmodum hic author nõ sensit aliquod actuale peccatum in Virgine præfuisse, quod sequens sanctificatio deleret, ita etiã, nec originale. Qui suam mentem sequentibus verbis aperit: ait enim: *Prima enim humani generis parens, quia serpentinæ persuasionis virus excepit, duplici maledicto succubuit, vt & cum viro mortem incurreret, & vt filios, quos cum carnis delectatione conciperet, cum dolore parturiret. Huius maledictionis filiæ Euæ hæredes successerunt, & omnes filios suos sub necessariæ mortis condemnatione genuerunt: sola hæc mater, quæ non sibilo serpentis credidit, benedictionem, quæ vtramq; maledictionem excluderet, audire promeruit.*

Sãctus Bruno. Eodẽ tempore celebris fuit vita Sãcti Brunonis dignissimi Carthusiani Ordinis Patriarchæ, qui in Psal. 105. ad illa verba. *Dominus de cœlo in terram aspexit*: ita subscribit. *Hæc est enim incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea contagione peccati libera, per quã vitæ vitã agnouimus.* Idẽ etiã in ser. de Natiuit. Virg. sic infit. *Hæc linea incipit ab Eua, & desinit in Mariam, in principio est mors, in fine vita consistit: mors per Euam facta est, vita per Mariam reddita est: illa à diabolo victa est, hæc diabolum ligauit, ac vicit.*

SAECVLVM XII.

HACTENVS (me iudice) apud antiquiores Patres de Virginis impolluta innocentia nulla concertatio fuit: adeò vt affirmare ausim (præter vnum Anselmum, qui huic sæculo proximus fuit, & in lib. illo *Cur Deus homo* semel de Mariæ Conceptione seuerius statuit, quam opinionẽ statim abiecit, & piam studiosissime amplexus est, vt ex nuper dictis cõstat) nullum vtriq; fuisse, qui clare, & aperte docuerit Virginem in peccato originali conceptam fuisse. Siquid enim apud Patres occurrit, quod aduersariorum sententiæ verbo tenus adstipulari videatur, explicatum à nobis est per regulas illas, & canones supra adscriptos c. 41. Ergo ab hoc sæculo cœpit res ista in controuersiam vocari: alijs quidem aientibus, & alijs negantibus. Occasionem autem huic controuersiæ administrauit (ni fallor) festi obseruatio, quæ iam tunc apud plerosq; inoleuerat: inde enim factum, vt dum res hæc libræ, & examini committitur, & quid in eo festo colerent fideles, exactius disquiritur, dissimiles sententiæ viros doctos in diuersa rapuerint: alijs quidẽ festum illud probantibus, alijs contra refellẽtibus, & repudiantibus. Hæc igitur dissidia, vt in eo capite, Canone vltimo præfatus sum, aliquos sanctissimos, & pijssimos viros in contrariorum agmen initio transtulerunt: eos tamen postmodũ profugos, ac reduces pia sententia recepit.

Rupertus Tuiciensis. In his numerari solet Rupertus Tuiciensis Abbas lib. 1. in Cãt. ad illa verba: *Meliora sunt vbera tua vino.* Vbi seueriori censura Mariæ Cõceptionem taxauit: *Et tu* (inquit) *veraciter dicere poteras: Ecce in iniquitatibus cõcepta sum, & in peccatis concepit me mater mea: cum enim esses de massa, quæ in Adam corrupta est, hæreditaria peccati originalis labe non carebas: sed ante faciem huius amoris peccatum, nec illud, nec aliud stare potuit, ante faciem huius ignis stipula omnis interijt, vt totum sanctum fieret habitaculum, in quo Deus totis nouem mensibus habitaret, tota omnino munda materia, de qua sancta Dei sapientia domum æternam sibimet ædificaret.* Hæc Rupertus: quæ verba non satis exploratum est, an intelligenda sint de peccato re ipsa cõtracto, an potius de illius incurrendi debito, quod plæriq; alij Doctores in Virgine agnoscũt: nã ibi loquitur de Incarnationis tempore, & de Spiritus Sancti in Mariam illapsu. Atqui dicere, ad Incarnationis vsque tempus originale, aut actuale peccatum in Virgine moratum fuisse, & tunc illud Spiritus Sãcti flamma abstersum, temerarium planè esset: à qua temeritate longè fuit Rupert. Sed licet id aduersarijs demus, Rupertum in hoc loco ita sensisse, & ad contrariam discessisse opinionem: quia nimirũ verba illius difficiles explicatus habent. Tamen paulò post lib. 6. eiusdem operis nostra illum sententia reducem excepit: nam ad illa verba: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.* postquam præmisit alias Euæ filias discalceatis pedibus in seruitutis argumẽtũ procedere, ita scribit. *Idcirco ancillæ* (id est, Euæ) *calcaneũ serpens momordit. Tu autem ò filia principis bene calceata caput serpentis cõtriuisti, tu maximè, ò Princeps, & Domina singularis dilecta, & sicut iam dixi, vna columba mea, vna genitrici suæ, videlicet generationi libera generationi non carnis, sed fidei: quæ me virum non de carne viri, sed de Spiritu Dei concepisti, & peperisti, patrem non carnis, sed fidei, vel repromissionis.* Hæc Ruperti verba expendi supra c. 19. Sed ad ea, quæ inibi dixi, vlterius adde appellari hic Virginem *solam liberam inter ancillas*: cum autem idem nuper aliarũ fœminarum seruitutem originali peccato adscripsisset, planè sensit, illam eo caruisse. Imò & debitũ huius peccati ignorasse non obscure innuit, quãdoquidem ait, illam ex generatione sua præfatam libertatem indeptam fuisse. *Vna* (inquit) *genitrici suæ, videlicet generationi libera, generationi nõ carnis, &c.*

Et infra in eodẽ lib. ad illa verba: *Duo vbera tua, sicut duo gemelli capræ. Collum tuum sicut turris eburnea.* de hac Virginis libertate ab omni culpa præclare admodum rescribit. *Ergo tu, ò libera Sunamitis, tu maximè, cuius duo vbera sunt gemella, sæculis omnibus inaudita virginitas, atq; fœcunditas: tu inquam ò dilecta. Singularis libera es ab omni iugo peccati secundum istas similitudines hinnulorum, capreæ, atq; eburnea turris.* Dũ Virginis hoc singulare, ac proprium esse dicit, quod libera, & ab omni peccati iugo immunis fuerit, haud dubitari potest, ipsum loqui de præseruatione à peccato: hæc enim sola libertas Virgini propria, & cũ alijs

minimè cõmunis est. Quid plura? Idē Rupert. lib. 3. in Cant. super illa verba: *Oculi tui columbarum.* sic habet. *Columba in petris nidificat, & tu in solitudine fidei permanens euasisti serpentis antiqui venena.* Et subinde. *Columba gemitū pro cantu habet, & tibi gemere dulce fuit, eo quod prę cunctis mortalibus mente vulnerata esses.* Contēdit autē Rupert. in Virgine Deipara non fuisse causam aliā lachrymarum, ac gemituū, nisi solum charitatis, & amoris vulnus, quod altè animū transuerberabat: quia nimirum culpæ in ipsa suberat nihil, quod lachrymas, gemitusque cieret: eapropter ipsius gemitus non tam gemitus, quā cantum dici oportere. Sed hanc sententiā luculentius expressit in lib. 7. de gloria Trinitatis, & processu Sancti Spiritus, vbi cum præmisisset librum Canticorū de Virgine tanquā de præcipua sponsa interpretari debere, rationē attexit his verbis. *De ista duntaxat scriptura dicimus, quod tota est cantabilis: nam in cæteris scripturis multa sonant lamentabilia pœnitentis Ecclesiæ: in plerisque enim peccauit, pro quorum parte cum fructibus pœnitentiæ lamentatur, & gemit. Et hæc infra dignitatem sunt huius B. Virginis, cuius vita integerrima nō habuit, cur gemeret, nisi vulnus charitatis propter dilationem plenæ, atq; perfectæ beatitudinis in tempore huius peregrinationis.* Et sanè peccatum originale lachrymis, fletu, ac pœnitudine dignum esse habes suprà c. 28. Hactenus Rupertus.

Potho Presbiter Pruniensis. Ruperto coætaneus fuit Potho Presbiter Pruniensis, qui in lib. 1. de magna sapiētiæ domo non longè à fine hæc adscribit. *Verè magna domus pulchra, & altissima domus, septiformis spiritus in eadē domo plenarie habitat quietissime, nunquam ibi passus offensam alicuius culpæ.*

Diuus Bernard. Abbas. Bernardus huius sæculi præclarissimū decus vixit anno 1130. scripsit epist. ad Ecclesiæ Lugdunēsis Canonicos, in qua illos seuerius coercet, ac vellicat, quod festū de Cōceptione Virginis Immaculata solenni ritu concelebrare cœpissent, & non paucis rationibus contendit ipsam originalis peccati ream fuisse. De huius Epist. fide supra c. 35. §. vlt. plura diximus, eāq; Bernardi germanū opus fuisse multis argumētis cōfecimus. Et quidē plures conati sunt huius epistolæ verba bonum ad sensum allicere, sed frustra: apertissima enim est Bernardi mēs, ac decretū animi cōtra purā Conceptionē: ita vt nullus interpretationi locus reliquus sit: quemadmodum etiā interpretationi locū nō faciūt, quæ hac de re docet in ser. 2. de Assump. quæ habes supra in eodem capite citato.

Cæterum licet Bernar. his in locis à nostris ad aduersarios desciuerit: tamen ocyùs ad eorum turmas se se restituit. Et sanè haud infimę notæ authores narrant, illum post mortē cuidā viro religione cōspicuo visendum se prębuisse candida indutū veste, sed atra, turpiq; macula infecta, atq; ita adiecisse maculā illam ex eo sibi adhæsisse, quia in ea Epist. ad Lugdunens. docuerat Virginē nō sine originis macula fuisse conceptā, ac subinde eā, quā ibi tradiderat, sententiā recantasse. Sed tamen plures alij merito cēsent, id planè cōfictum, ac fabulosum esse. His assentior, & ex eo vel maximè præfatā visionē commētitiā esse mihi persuadeo, quia cum hæc propterea excogitata fuerit, vt illi epistolæ adimeretur fides, & authoritas: id certè multo ante idē Bernard. viuus, ac superstes effecerat, immaculatā Virginis Conceptionē alibi deprædicās: atq; adeò his, quæ in ea epistola scripserat, fidē abrogans. Quaprorer superuacaneū fuit id post mortē in angulis tentare, quod inter viuos è suggestu palam in omnium oculis, & auribus præstiterat. Et sanè memoria repetēda sunt ea, quæ diximus suprà in eo c. 35. vbi ex aliquorū sentētia docuimus sermonē illū de Natiuitate Christi, qui de Cōceptione potius B. Virginis inscribi deberet, vt obseruarunt Parisienses: & alium de B. Maria, quē (me iudice) simili titulo decorari oportebat: adde etiam sermones in *Salue Regina*, & sermones de cęna Domini opera esse Bernardi propria, & germana. Atqui in his immaculatā Conceptionē, & perpetuā Virginis sanctitatē perspicue admodū tradit sanctissimus Abbas.

Nam ex ser. illo 2. de Natiuit. Domini suprà aliqua produximus in Petro Damiano, cui aliqui illū immerito dedunt, quæ in hunc potius locum transferēda reor. Rursus ex sermone altero, qui inscribitur de B. Maria nō pauca excepi supra c. 37. cum veteris testamenti figuras colligerē. Habes enim ibi tria testimonia Bernardi, & ex illis perpetuā Mariæ sāctitatē similitudinibus mundi, arcæ Noe, atq; arcæ testamēti non perfunctorie demonstratā: sed vt sæculorū ordo texatur, ex pluribus, quæ ibi præscripsimus, id tantū habeto. *De lignis* (inquit) *Setim condita est arca, quia licet Maria de Patrū natura per peccatū vitiata duceret originē, praelecta tamen est per Spiritum Sanctū, & præseruata ad purum.* Et in ser. 4. super Salue sic ait. *Libanus mōs, qui dicitur dealbatio, signat altam prę omnibus innocētiam tuam. Innocens fuisti ab originalibus, & actualibus peccatis: nemo ita præter te. Vnde authoritas Augustini, cum de peccatis agimus, nullam de B. Maria volumus fieri mentionē. Ex eo enim maiorē credimus ei collatam virtutē ad vincēdum ex omni parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit, eum, qui nullum habuit peccatum. Ex omni (inquit) parte, hoc est, ex parte originalis, & ex parte actualis peccati.* Hæc ille. Et ser. 13. de Cœna Domini sic fatur. *Non est in filijs hominum, magnus, vel paruus, qui non in peccatis fuerit cōceptus, præter matrē immaculati peccatum nō facientis, sed peccata mundi tollentis: de qua cum de peccatis agitur, nullam prorsus volo habere quæstionem.*

Sed quia fortasse nō satis hactenus tibi persuasi hæc opuscula à me citata esse Bernardi, alia eiusdem testimonia ex his, quæ omnium opinione germana sunt eius opera, producam. Bernardin. de Bustos in serm. 4. & in Officio de Conceptione Bernardo adscribit sermonē illum de Natiuitate, qui incipit: *De gaudijs ad.*

gaudia.

gaudia. Vbi isthæc verba iacent. *Caro Mariæ ex Adam assumpta maculas Adæ non admisit.* Sed tamen sermo iste non est Bernardi, sed Petri Damiani. Aliqui ergo, vt Bernardum rectè de pura Conceptione sensisse euincant, obseruãt illum in ser.4. de Assumpt. vbi sic habet. *Quæ, nam Angelica puritas Virgini illi audeat cõparari, quæ digna fuit sacrarium fieri Spiritus Sancti, & habitaculum filij Dei.* Sed tamen hæc lõgiora sunt. Illud propius accedit, quod in serm. de Verbis Apocal. ait: *Candidissimus sanè, & calidissimus huius mulieris amictus: cuius omnia tam excellenter irradiata noscũtur, vt nihil in ea, nõ dico tenebrosum, sed obscurum saltẽ, aut minus lucidum: sed ne tepidum quidẽ aliquid, aut minus feruentissimum liceat suspicari.* Cẽset ergo Bernardus, peccati originalis tenebras à Virgine omnino fugatas: nam eos, quos originalis culpa inficit, cum primis tenebrosos, imò & tenebras ipsas esse suadẽt illa verba Pauli ad Ephesios 5. *Eratis enim aliquãdo tenebræ: nunc autem lux in Domino.* Vide Petr. Damian. in serm. de Natiuitate Mariæ, ad illa verba. *Tenebræ factæ sunt super vniuersam terram.*

Hugo de Sancto Victore. Hoc etiã sæculo celebris fuit Hugo Victorinus, qui vixit anno 1130. Hic ergo in Eruditionis Theologicæ ex Miscellaneorũ 2. lib. 3. tit. 125. de decem præconijs Virginis ita serit. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Hodie Domina nostra insigni circumdata corona ostẽdit Angelica dignitati sua celsitudinis priuilegia. Primum priuilegium est, quod sine sorde, & sine viro cõcepit: in hoc enim immunẽ se in conceptu ostendit ab illo præscripto prophetico: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Hactenus Hugo, qui ex eo, quod Virgo effectibus, ac reliquijs originalis peccati caruit, probat ipsam ab eo peccato prorsus immunem fuisse. Cuius rationis energiam habes supra c.39. Rursus institutionis Monasticæ serm.47. in Assumpt. B. Mariæ. *Benè (inquit) Beata Dei genitrix se veluti palmã exaltatam in Cades gloriatur, quia spiritualibus hostibus potenter, & victoriosè subactis, non dolore criminum, sed amore præmiorum cõpuncta suauissime potabatur.* Est autẽ Hugonis talis mẽs in hoc loco. Palma certæ victoriæ, ouationis, & lætitiæ significationem continet: ideò ergo palma in Cades, id est, in sanctitate (id enim sonat nomen *Cades*) exaltata dicitur, quia ob perpetuam sanctitatẽ semper victrix, semper ouans, & lætabunda: nullum enim crimen habuit, cuius dolore animus illius sauciari vnquam posset, sed si qua animi eius vulnera, ex amore, &c. Qualis verò, aut quantus de peccato originali dolor, ac pœnitudo concipi debeat, habes supra cap.28.

Richardus Victorinus. Hugoni synchronos fuit Richar. de S. Victore, qui etiam Virginis Immaculatam cõceptionem non semel tradidit. Imprimis ergo citari solet Richard. in sermone quodam, cuius initium est. *Necdum erant abyssi, & ego iam concepta erã.* Vbi sic habet. *Non decuit, vt caro Mariæ qualicumq; foret obnoxia culpæ: nam dum sapientia indignum credimus, vt quem ad luẽ gentiũ destinauit, prauitatibus, & illecebris sineret inuolui. Neq; enim ingratus fuit matri, qui Patri, matriq; præcepti honorẽ exhibuit.* Locum istum citat Bernardin. de Bustos in ser.4. & in Offic. de Concept. & Ioann. Bachon. in 4. dist.2. q.4. art.1. & alij nõ pauci, qui hodie non reperitur inter alia eius opera. Idem ergo expositionis in Cant. c.26. de B. Mariæ integra, & perfecta pulchritudine Immaculatæ Cõceptionis præclarus assertor fuit. Nam imprimis ita decernit illam sanctam fuisse in vtero, & extra vterum: ac demum sic infit. *Tota ergo fuit pulchra, quam totam possedit gratia: quia nullum in ea locum habuit peccatũ.* Et infrà. *Obtenebrantur enim stellæ, id est, sancti caligine humana culpa: sed B. Virgo tota pulchra fuit, quam totam illustrauit, & perfudit Sol Iustitiæ, vt nec maculam habuerit, nec tenebras culpæ.* Et alia multa serit, quæ perpetuam Virginis sanctitatẽ confirmant. Illud tantum aduersari videtur, quod inter alia ita scribit. *Tota ergo fuit pulchra, quia mundata in vtero.* Cæterum hunc loquendi modum, & alios illi adsimiles bonum ad sensum euocauimus sup. c.4. can.4. Vbi hæc & alia eiusdẽ Richardi verba in Ps.61. nõ perfunctoriè discussimus: vt propterea grauiter feram Fratrẽ Ægidium de Richardo aliter definire.

Pro Cõceptione etiã immaculata pronũciat idẽ Richard. de Emanuele lib.2. postquam illud quæsiuit, quid causæ foret, quod in Virgine remanserint quædam, quæ originalis peccati pœnæ sunt. Sic obijcit è cap.25. *Quæ quæso est causa, quaue iustitia, vt remaneat pœna, vbi iam nõ est culpa?* Cui facile quispiam occurrere posset, dicens, peccati originalis effectus, & reliquias ita pœnas esse peccati, vt etiam deleto per baptismum, aut per pœnitudinẽ peccato, ipsæ nihilominus permaneant. Postquam alia, & alia intermiscuit, sic demum propositæ obiectioni in c.31. occurrit. *Hoc fuit in B. Virgine supra modum mirabile, & præ cæteris sanctis omnibus singulare, quod in ea simul cõuenire potuit tãta corruptibilitas cum tanta incorruptibilitate: corruptibilitas in his, quæ pertinent ad pœnam: incorruptibilitas in his, quæ pertinent ad culpam: sed sibi ad futuræ gloriæ cumulum: nobis autem ad patientiæ documentum profuit, quod passibilitatis nostræ iugum cum tanta impassibilitate portauit.* Itaq; non alia de causa iustè, & conuenienter morti, & alijs huius vitæ ærumnis, quæ à peccato fluxerunt, Deo annuente, locum in Virgine factum fuisse dicit, nisi vt ipsi præmiũ locupletius, nobis autem nobilius patiẽtiæ exemplum inde suppeteret: peccatum verò, quod propria, & germana illarũ causa esse poterat, ab eadem prorsus arcet.

Petrus de Riga. Hac etiam ætate floruit Petrus de Riga, qui Euangeliũ Christi carmine prosecutus inter alia de Virgine sic serit.

Vnam nec maculam natura reliquit in ista,
Ad caput à planta transuolat iste decor.

libens credo. Addo tamen Petrum sententiam mutasse: extat enim peteruditus illius libellus de pura Cõceptione Virginis, cuius meminit Tritemius, & Posseuinus, in quo præclare admodum opinionem nostram propugnat: cuius aliqua testimonia supra dedi cap. 38. & alibi.

Arnoldus Carnotensis.

Celebris etiam hoc sæculo fuit Arnol. Carnotens. qui vixit anno 1177. Bernardiq; discipulus, & familiaris cũ primis fuit. Hic ergo in tract. de Laud. Virg. sic primum fecit. *His accessionibus gradatim sibi officinam purgatissimã Spiritus Sanctus præparabat.* Et subinde sic habet. *Nihil doloris, nihil clamoris ibi erat: nullam ibi vsuram pœnarum pro voluptate vltio repetebat. Neq; enim erat Christus in peccato conceptus, cuius solius est donare peccatum.* Pende energiã huius testimonij: illud enim compertum est, dolores, & molestias, quæ fœminis ex partu eueniunt, nõ esse pœnas peccati illius, quod in filium ex generatione transmittitur, sed illius, quod mater in se proprium habuit à suis progenitoribus hæreditarium, vt alias non semel animaduerti. Arnoldi ergo mens sic se habet: quod Virgo dolores, & molestias partus nõ est experta, duplex omnino ratio suppetit. Prior est, quia filium absq; libidinis sensu concepit: atq; adeò nõ erat illi ex partu dolendum, quia dolor partus pro delectatione coitus præscriptus videtur. Posterior ratio est, quia Christus nõ fuit ab illa in peccato cõceptus, id est, quia ipsa peccatũ non habuit, quod in Christum ex generatione trãsfunderet: nõ enim prolis peccatum, sed matris ipsius propria culpa dolores illos, & molestias ipsi adducit, vt nuper diximus. Itaq; ait: propterea Virgo dolores, & molestias partus vitauit, quia Christum peperit: *Cuius solius est donare peccatum*, id est, quia eum pariens, qui solus peccatum delere potens est, id beneficij ab ipso retulit, vt illam ab eo peccato seruaret, quod alijs doloris, & angoris causa existit.

Petrus Blessensis.

Ad extremum huic sæculo splendorẽ attulit Petr. Blessens. Bathoniens. Archidiac. qui Arnoldo coætaneus fuit: qui in instructione fidei ad Soldanum nõ parum huic opinioni adfauere videtur, vbi inter alia sic fatur. *Cõcepit nempe sine pudore, peperit sine dolore, & hinc migrauit sine corruptione iuxta verbũ Angeli, imò Dei per Angelum, vt plena, non semiplena gratia esse probaretur: & Deus filius antiquum, quod pridẽ docuit, mandatum fideliter adimpleret, videlicet matrem honore præuenire, ne caro Christi virginea, quæ de carne matris Virginis assumpta erat, à tota discreparet.* Sed horum verborũ potestatẽ, & virtutẽ habes supra c. 28. Idem in ser. de Magdalena perspicue admodum tradit Virginis immunitatẽ ab omni culpa. *Indubitanter* (inquit) *verum est, quia singulare est B. Virginis auxiliũ, quia plus omnibus potest mater apud filium.* Rationem autem subinfert ad hunc modum. *Sed quia nõ nouit peccatũ, sensit in se fomitẽ extinctũ, nec experimẽto sciuit, quam intolerabile certamẽ est, cum accingitur homo cõtra se ipsum, quam difficilis victoria, vbi idem vincit, & vincitur: ideò quasi èquodã sublimi fastigio pro nobis intercedit.* Et quidem ipsum loqui de peccato originali perspicuũ est: nã fomes, quo propterea caruisse dicit, quia peccati expers fuit, originalis culpæ proprius effectus est. Rationem autem ex Officio mediatricis petitam, quam hic attingit Blessensis, habes supra cap. 21.

Sed absolutissime, & elegantissime perpetuã Virginis sanctitatẽ tradit Blessen. in ser. 2. de Assumpt. *Vir* (inquit) *& vxor duo sunt in carne vna. Expressius autem mater, & filius sunt vna caro. Sanè Patres, qui Spiritu Sancto dictante, decreta promulgarunt, hoc ius cõiugibus sanxerunt, vt si alter deserens sæculũ adhæreat Deo, alter nõ remaneat in sæculo: vnius enim carnis partes tam violẽter distrahi ius non esse visum est eis. Sic & indecẽs videri debet, si altera pars carnis virgineæ sit in cœlo, & pars altera reddatur solo: parti alteri datum sit nõ videre corruptionẽ, & altera soluatur in cinerem* (Rationẽ quidẽ istã ad peccatũ originale translatã vide, si libet, supra c. 28.) subnectit Petrus. *Sicut enim B. Virgo à maledictione mulieris, cui dictum est, in dolore paries, facta est immunis, quia peperit sine dolore: sic & à cõmuni viri, & mulieris maledictione facta quoq; immunis est, qua dictum est, in cinerem ibis. Vnde & ab Angelo benedicta esse dicitur, quasi à primordiali maledicto liberata, & sic decorCarmeli, id est, integræ circũcisionis datus est Virgini, &c.* Quid ergo sibi vult *primordiale maledictũ*? Culpam certe originalem eo nomine censuit: hæc enim primam benedictionem in maledictionem commutauit.

SAECVLVM XIII.

IN Superiori sæculo de pura Virginis Cõceptione altercari cœptũ diximus: hęc cõsequens ętas altercationẽ adauxit. Sed quamuis alij aliter de Virginis Cõceptione illibata decreuerint: id tamen ex Dei prouidẽtia factum, vt cũ hoc sæculũ grauissimos, ac doctissimos viros tulerit, qui oppositam sententiã docuerũt, ipsi nihilominus sibi hac in re fidem abrogauerint, à semetipsis passim diffidentes.

Concilium Oxoniense.

In huius ergo sæculi initio celebratum est apud Anglos Concil. Oxoniense, quod can. 1. festi Conceptionis mentionẽ fecit his verbis. *Statuimus, quod festa subscripta sub omni veneratione seruentur: videlicet omnes dies Dominici, quinque dies natalitij, Circumcisio, Epiphania Domini, & omnia festa B. Mariæ, præter festum Cõceptionis, cuius celebrationis non imponitur necessitas.* Quod certè intelligẽdum est de cessatione, seu feriatione à seruilibus: nã quod ad alia omnia spectat, id festi iã olim demandatũ fuerat ab Anselmo, & vulgò celebre erat apud Anglicanas Ecclesias, vt habes supra c. 35. §. 4.

Beatus Dominicus.

Hoc sæculo floruit B. Dominicus Patriarc. Ordinis Prædicatorũ anno 1210. qui in libello illo de Sacramento corporis Christi, quem

dem S.Tho.se se illi visendum dedisse,atq;ita cum fuisse alloquutum. *Scias Domine Episcope, quod quando talē opinionē posui solum habui respectum ad diuinum statutum,quo B.Virgo peccatum originale contrahere debuerat, nisi per filium suum fuisset præseruata.* Sed longissime absum, vt huic visioni fidē habeam: tum quia nullū illius satis locuples testimonium affertur : tum etiā quia tradit D.Tho.debitum contrahendi originale in Virgine agnouisse , quod falsum omnino reor:tum demum quia hæc interpretatio illi articulo aptari nequaquam potest. Quapropter (me iudice) cōmentitia prorsus, ac vana est hæc reuelatio.

Illud certū,S.Doct.alijs in locis oppositam sententiā docuisse. Bernardin.de Bust.in Offi. de Concept. Octaua die lect. 1. ex opusc. 8. S. Tho.de expositione Angelicæ salutationis hęc verba producit. *Maria purissima fuit quantum ad omnē culpā,quia nec originale,nec mortale,nec veniale peccatum incurrit.* Eundē locū citat Canis.noster lib.1.de Maria Deip.c.6.Salmer.in epist.ad Rom.disp.51. qui affirmat Cardinalē Ioan.à Turrecrem.nobilē satis Thomistā verba illa agnoscere,& D.Th.propria esse,calculo suo cōfirmare.Quapropter putandū est opusculū illud ab his posteà vitiatū , qui ęgrè ferebant D.Tho.piæ sentētiæ toties adfauere. Nā codices illi,quibus hodie vtimur, peccatū originale Virgini affigunt. Solet etiā pro Immaculata Cōceptione citari D.Th.in c.3.epist.ad Galat.c.3.ad illa verba, *Non dicit in seminibus,* lect.6.Nā Henriquez noster lib.3. de Sacram. Confirm.c.11.in Glos.lit.M.in antiquissimis codicibus hæc verba se deprehēdisse affirmat. *Excepta B.Virgine,quæ omnino à peccato immunis fuit originali,ac veniali.* Quapropter eodem modo locus iste , vt hodie in nouis editionibus iacet,vitiatus apparet.

Sed tamen hæc litigiosa sunt : subijciamus certa,atq; rata. Ergo idem Angelic.Doct. in 1. dist.45.q.1.art.3.ad 3.ita scribit: *Puritas intēditur per recessū à cōtrario,& ideo potest aliquid creatum inueniri,quo nihil purius esse potest in rebus creatis , & nulla cōtagione peccati inquinatū sit: & talis fuit puritas B.Virginis,quæ à peccato originali,& actuali immunis fuit: fuit autem sub Deo,inquantum erat in ea potentia ad peccandum.* Horum verborū luculentā expositionem habes sup.c.10.Et in eodē 1. dist.17.q.2. art.4. sibi perquā similis S.Doct.cū sibi obiecisset illa verba Anselmi: *Decuit B.Virginē ea puritate nitere,qua maior sub Deo nequit intelligi.* in solut.3.ita occurrit: *Ad illud, quod obijcitur de B. Virgine,dicēdum est,quod differt puritatis augmētum,& charitatis:augmentum enim puritatis est secundum recessum à cōtrario:& quia in B.Virgine fuit depuratio ab omni peccato , ideò peruenit ad summum puritatis: sub Deo tamen , in quo non est aliqua potētia deficiēdi,quę est in qualibet creatura,quātum in se est.* Hæc ille. Iam illud igitur à te quæro, quid huic sanctitatis, ac sapientiæ portento magis credendum putabis ? Dicunt aduersal.j maiorē illum fidē mereri in Summa, quam in Sentētiarijs, quia summam natu grandior maturius scripsit:at in libros sententiarū iunior , & Bachalarius commentaria cōiecit. Ego verò aliter sentio : illic; in his locis,quæ purā Conceptionē adstruunt,magis,ac magis credo.Primò,quia ita mihi persuadeo sanctissimum Doctorē vtramq; opinionem probabilem putasse:atq;adeò nunc vnā,nunc alteram, prout occasio sese dabat,vsurpasse,ac docuisse: nec enim omnino præcox fuit pia sententia. Nam si verū est,id,quod tradit Henric.noster, S.Tho.in Epist.ad Galat. Virginis à peccato originali immunitatē affirmasse: certum satis est,ea cōmentaria à D.Tho.natu grādiori fuisse edita. Obijcies,Sanctū Pręceptorē in 1.2.q. 27.art.2.piam opinionem graui censura sugillasse his verbis: *Dicēdum,quod secundum fidē Catholicā firmiter est tenēdum, quod omnes homines præter solum Christū ex Adam deriuati peccatum originale ex Adamo cōtrahunt,& c.* Cæterum ex hac sanctissimi Doctoris cēsura colligere mihi videor oppositū,scilicet illi his in locis minus deferēdū,quā in alijs. Quia cū per decreta Six.4.Pij 4.& Trid.Synodi ratū sit,eam sententiā,quæ docet, Virginē ab originali culpa mūdam, & purā fuisse, nō esse grauiori aliqua cēsura dignam:afferendū omnino videtur S.Th. cum eam notā illi imposuit,nō leuiter errasse: [redacted] atq; adeò putandū eum errorē reliquæ doctrinę abrogasse potius fidē,quàm conciliasse. Nā iure ipso cōparatum est,vt testis illius nulla sit fides,qui suo testimonio aliquid mendacij , & erroris manifesti inseruit, etiāsi de cætero vera pronunciet. Adde etiam testis varij,eius scilicet , qui modo ait , modo negat, nullam esse fidem in iure.

S.Doct.Bonauen.hanc ætatē attigit: floruit enim anno 1265. Hic ergo in 3.dist.3.& in Speculo.contra Virginis purā Cōceptionē decreuit. Non tamen huic sentētiæ ita adhęsit , vt in oppositam tandē aliquando nō discesserit. Sanè in libello illo , qui appellatur *Dormi secure,* quidpiam,neq; pium,neq;graue refertur. Parisijs , quidam Frater Ordinis Minorū Virginis Deiparę apprimè studiosus , ac beneuolus nocte profundissima orationi, ac precibus vacabat in choro. Hic ergo inter orandū mussantis muscæ dissonū bombū sępius audiuit. Cū ergo quādam nocte absurdū illum strepitū super altare Virginis Deiparæ accepisset, adiurationē adhibens per Deū percōtatus est,sibi vt quisnā esset,ediceret,qui eiusmodi bōbum toties iteraret. Tunc ille. Ego(inquit)sum Bonauē. Frater verò cōtrà: ò eximie,ac sapiētissime Magister, edissere, si iuuat, quid bōbus iste à me toties exauditus portēdit? Cui Bonauē. Quia doctrinam illam, quæ tradit Virginē in originali conceptā sustinui, ac sęriò defendi: eapropter super hoc B. Virginis altari purgatorij angores sustinere,ac tolerare cogor,& inde paulò post, vbi huius delicti pœnas luero,ad cœlum excoctus euolabo. Hæc author illius libri: quæ (me

4. *Diuus Bonauentura.*

iudice) commenticia sunt: tum quia sanctissimo illi Doctori indecora prorsus, ac turpia, tũ etiam quia præfatam sententiam eo tempore docere, ac tradere non erat delictum ea pœna dignum. Deniq; sine vsu aliquo prædicta reuelatio conficta est: nam si quis illius vsus, is potissimum, vt illis, quę in 3.d.3. contra immaculatam Conceptionẽ tradiderat, fidẽ adimeret. At longè meliùs eam fidẽ abrogauit à se ipso dissentiens, & oppositã sententiam alibi apertè tradens. Nam in ser. 2. de B. Virg. Maria inter alia sic scribit. *Dico primò quod Domina nostra fuit plena gratia præueniente in sua sanctificatione, gratia scilicet præseruatiua contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxisset ex corruptione naturæ, nisi speciali gratia præseruata, præuentaque fuisset: solus enim filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipsa mater eius Virgo. Credẽdum est enim, quod nouo sanctificationis genere in eius Conceptionis primordio Spiritus S. eam à peccato originali, non quod infuit, sed quod infuisset, redemit, atque singulari gratia præseruauit.* Hæc Bonau. quibus præclarè admodũ Virginis libertatẽ à culpa originali deprædicat, quamuis debitum illius contrahendi in ipsa haud difiteri videatur. Est qui dixerit eum sermonẽ nõ esse Bona. sed temerè, quia & stilus, & authoritas Sixti V. qui accuratè admodum Bonau. opera euentilari, & purgari fecit, præfatum sermonem Bonauenturæ germanum opus esse euincunt.

Raymundus. Piam sententiam docuit etiam hoc tempore Raymundus Lulius in speciali tract. de pura Virginis Conceptione. *Petrus de Tarantasia.* Citatur etiam pro hac sententia Pet. de Tarantasia Dominican. in 3.d.3. qui posteà ad Pontificatũ euectus appellatus est Innocen. V. floruit anno 1265. sed tamẽ hic apertè oppositam sententiã tradit in 3.d.3. *Ruper. de Rufsia.* Citatur etiam Rupert. de Rufsia Minorita in 3.d.3. floruit anno 1280. *Richar. de Media-villa.* Richar. de Media villa vixit anno 1290. Hic vero in 3.d.3.q.1. contra immaculatã Cõceptionem pronunciat: sed illam in tract. de expositione Angelicæ Salutationis, quem postea rescripsit, sententiam reuocasse docet Bustos de Concept. ser. 4. *Ioan. Parisiensis.* Citatur similiter Ioan. Parisiẽsis in 3.d.4. qui vixit anno 1296. sed tamen illum peruidere non licuit.

SAECVLVM XIIII

Scotus. HOC Igitur sæculum aperuit Doct. subtilis Ioan. Duns Scotus præcipuus, ac maximus puræ Cõceptionis vindex, qui tantam huic doctrinæ sua authoritate fidem cõparauit, quantam nullus alius ante ipsum, aut post ipsum. Hic ergo in 3.d.3.q.1. & in Repor. Virginem Deiparam à peccato orig. & à debito illius contrahẽdi immunẽ fuisse nõ solùm asseruit, sed euicit, piamq; sententiam Parisiensibus ita persuasit, vt censurã, quam tẽporę Magni Alberti Doctores, & Magistri illius toto orbe nobilissimæ Academiæ contra illam tulerant, prorsus resciderint, cassam, ac nullam effecerint. Quin imò perbreui tempore tantas pia hæc sententia vires suscepit, vt in hoc eodẽ sæculo ante annum 1345. Theologica Facultas almæ Academiæ Parisiẽsis seriò decreuerit, nẽ opposita publicè in scholis relegi posset. (Nã huius decreti meminit Bachon in 3.d.3.q.4.art.3. qui circa præscriptum annum decessit.) Et subinde paucorum annorum interstitio ab eadẽ Facultate demandatum, vt nullus gradũ, & lauream Doctoris deinde capesseret, qui immaculatam Virginis Conceptionem à se acerrimè defensandam iureiurando nõ promisisset: & insuper eadẽ Facultas sese huic festo quotãnis celebrando deuouit, atq; obstrinxit. Quod secundũ decretum factum puto intra hoc primum sæculũ anno 1383. Vt colligere licet ex Paulo Veneto in tractatu de pura Conceptione, & ex Bernardino de Bustos serm. 8. Vtriq; verò decreto causam obtulisse subtilem Doctorem docet Antonius Cucarus in Elucidario Virginis, parte 2.

Pelbartus lib. 2. stellarij par. 1. art. 3. refert Scotum à Facultate Theologica Parisiensi accersitum, & appellatum fuisse, vt suæ sententię coram sapientissimis Doctoribus rationẽ redderet. Cumq; ducentena argumenta illi obiecta fuissent, omnia memoria tenuisse, ac singulis tanta verborum, & sententiarum vbertate satisfecisse, vt omnes in suam sententiam facile traxerit, tãtamq; sui admirationem omnibus mouerit, vt *Victor* ab omnibus proclamatus exinde *Victoris* nomen tulerit. Huius verò nominis aliam illi post mortem occasionẽ oblatam fuisse narrat Bustos in Officio de Cõceptione 1. die lect. 4. lege ibi.

Ante Scotũ præmittendus erat Frater Guilielmus Varro Minorita, cuius auditor fuit Scotus, quem piam sententiam tenuisse docet Bustos de Conceptione serm. 4. *Guilliel. Varro.*

Scoto etiam coætaneus fuit Augustinus Anconitanus ex Ordine Eremitarum: qui floruit anno 1310. & in Commentarijs ad Canticum Beatæ Mariæ Virginis immunitatem à peccato originali perspicue tradit. *Augustinus de Ancona.*

Petrus Aureolus Minorita Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis vixit hoc sæculo anno 1317. scripsit libellum de Conceptione pura, cuius meminit Bustos de Conceptione ser. 4. & citatur etiam à Ioanne Capreolo in 3.d.3. *Petr. Aureolus.*

Antonius Andreas ex Ordine Minorum Scoti auditor puram Conceptionem docuit in 3. distinct. 3. & Aureolo synchronos fuit. *Antonius Andreas.*

Heruęus Natalis Ordinis Prædicatorũ Magister Generalis contra Immaculatã Cõceptionẽ pronunciauit in 3.d.3. Sed deinde re maturius perspecta, perpetuam Virginis sanctitatem asseruit in Epist. 2. ad Cor. c. 5. ad illa verba. *Ergo omnes mortui sunt.* Ita enim rescripsit: *Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine excepto (dempta Matre Dei) siue originalibus, siue voluntate additis.* Vixit anno 1320. *Heruæus Natalis.*

Francis.

Franc. isc. Mayron. Francisc. de Mayr. ex Ordine Minorũ, Scoti auditor docuit immaculatã Cõceptionẽ in 3. dist. 3. art. 3. Extant etiam illius de pura Cõceptione sermones 3. *OKam.* Guillielm. Okam Minorita, quẽ Bidellus suæ doctrinæ tutelarẽ aduocat, sed tamen eum illi eripiunt Bustos in ser. 4. de Concep. vbi illum ad piã sententiam accersitũ traducit, & alij non pauci. *Monald.* Id etiam tempus attigit Monald. ex Ordine etiã Minorũ, & Archiepiscop. Bonauẽti, qui piã sentent. tradidit in 3. dist. 3. ar. 1. & sermonem de pura Conceptione cõposuit: obijtq; martyr apud Sarrazenos, vt testatur noster Posseuinus in Apparatu sacro tom. 2. *Nicolaus de Lyra.* Eodem anno celebris fuit Nicol. de Lyra Minorita, quẽ sibi etiam Bandel. arrogat ad illa verba. *Spiritus sanctus superueniet in te*: vbi obseruare licet hominis dolos, & astus: nam verba Lyrani sic iacent in textu. *Bene dixit (superueniet in te) quia prius venerat Spiritus Sanctus super Virginem adhuc in vtero existentem, eam ab originali purgando, vt communiter dicitur: vel secundum alios illam ab originali præseruando, vt cõmuniter etiam dicitur, sed in conceptione filij Dei superuenit Spiritus Sanctus, &c.* Bandellus ergo illa verba supprimit: *vel secundum alios illã ab originali præseruando.* & Lyranum sibi vendicat. Sed hominis huius dolos aliàs detexi. *Adamus Goddan.* Anno 1330. Adamus Goddã Anglicanus in 3. dist. 3. q. 1. *Bar. Piss.* Anno 1335. Bartholomeus Pissanus ex Ordine Prædicatorum tractatu de Virgine Deipara, fructu. 3. *Ioã. Bac.* Anno 1340. Ioan. Bachon Carmelitanus, in 3. dist. 3. art. 1. 2. & 3. & in Quodlib. 3. q. 13. *Io. Taul.* Ioan. Taulerus Dominicanus in ser. de Purificatione Virginis: vixit anno 1350. *Paul. Ve-* Paul. Venetus tractatum edidit de immaculata Virginis Conceptione, quem citat Bustos ser. 4. *Landulp.* Landulphus Neapolitanus Minorita in 3. dist. 3. *Hugo de Castron.* Hugo de Castronouo in 3. sent. dist. 3. *Arman.* Armanus etiam in eleganti tractatu de pura Virginis Conceptione, quẽ citat Bustos ser. 4. *Ioan. Vit.* Ioan. Vitalis in defensorio B. Virginis. *Robertus Lincon.* Robert. Linconiensis in 3. dist. 3. *Ioann. de Basil.* Ioan. de Basilea in 3. dist. 3. *Gerardus Patriarc.* Gerard. Patriarcha Antiochenus in 3. dist. 3. omnes isti ex Ordine Minorũ, qui circa huius sæculi mediũ floruerunt, quos citat Bustos in præfato ser. 4. Citat etiam Caietanus Gerardum pro sua sententia sed perperam. *Robertus Holcot.* Robert. Holcotht Dominicanus anno 1345. in 3. sent. d. 3. & in l. sapiẽtiæ Salomonis c. 7. *Thom. de Argent.* Thom. de Argentinas Augustiniani Ordinis Generalis in 3. dist. 3. q. 1. vixit anno 1350. *Henricus de Hasia.* Henric. de Hasia Carthusian. anno 1350. sermonem scripsit de pura Conceptione, illamq; docuit in 3. dist. 3. quæst. 1.

Ioannes I. Aragoniæ Rex Hoc sæculũ clausit Constitutio Ioannis I. Aragoniæ Regis, qui anno 1394. pro immaculata Virginis Conceptione edictum vulgauit sui erga Deiparã studij præclarũ testẽ. In quo postquã præcipuas rationes, quibus eiusdẽ Virginis immũnitas à peccato originali cõprobatur, breuiter cõplexus est (ex quibus nos aliquid supra dedimus) statim perpetuũ oppositæ sententiæ in suis regnis silentium indicit: & in eos, qui eam vel in cõcionibus, vel in disputationibus in dubiũ vocauerint, seuerissimas exilij, & proscriptionis bonorum omniũ pœnas interminat. In quam Constitutionẽ ex nostris Doctoribus P. Ioannes de Pineda sapientissimas elucubrationes cõiecit.

Ad extremum circa huius sæculi finem floruit S. Brigitta, quæ reuelationum suarũ lib. 1. c. 9. sic de Virgine. *Caro mea ex patris, matrisq; congressu procreata, sed haud sine singulari diuinæ charitatis virtute cõpaginata fuit.* Et addit eiusdem Virginis animã à Deo peculiariter creatam, & cum illa simul gratiam concreatã fuisse. Sed luculẽtius in lib. 5. c. 4. *Maria (inquit) de radice Adæ processit, & de peccatoribus nata est, licet sine peccato concepta, vt filius Dei de ea sine peccato nasceretur.* Ad hæc lib. 6. c. 49. sic Virgo ipsa ad Brigittam *Veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali, & non in peccato.* Et subinde rationem attexit, propter quam hæc Virginis Deiparæ eximia laus tandiu latuit, & fidelium populorum concertationibus locus datus. *Scito quod Cõceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod sicut ante legem Christi scriptam præcessit lex naturalis, & electio voluntaria boni, & mali, vt postea veniret lex scripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus. Sic placuit Deo, quod amici sui pie dubitarent de Conceptione mea, & quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas claresceret tempore præordinato.* Hæc Brigitta, quibus aliqui fidem abrogare contendunt, sed frustra. Nam huius sanctissimæ fœminæ reuelationes delatæ primum sunt ad Concilium Basiliense, & ab eodem commendatæ, & probatæ, iterum Gregorij II. & Vrbani V. iussu recognitæ, ac demum à Bonifacio VIIII. & Martino V. examini, & libræ cõmissæ nunquam non laudatæ, & confirmatæ fuerunt. *Sancta Brigitta.*

Fuit etiam huic tempestati affinis sancta Elizabetha Hungariæ Regina, quæ vt ait Pelbartus in lib. 4. stellarij par. 1. art. 3. de pura Virginis Conceptione cœlitus per reuelationem edocta est. *S. Eliza.*

SAECVLVM XV.



VIVS Sæculi initiũ tenuit Petrus de Candia ex Ordine Minorum, qui ad Pontificatum assumptus appellatus est Alexãder V. de quo sic Bustos in serm. 4. de Conceptione. *Petrus de Candia ex Ordine Minorum ad Pontificatum Summum euectus, & Alexander V. denominatus immaculatam Virginis Conceptionem approbauit in 3. sentent. dist. 3. & existens in Pontificatu banc opinionem dicitur terminasse in ciuitate Pissarum anno Domini 1411. atque statuisse, vt ab omnibus teneri deberet: vnde Magister Ioannes Varzo in 3. distinct. 3. inquit. Sanctissimus Dominus Papa Alexãder Quintus* *Alexander Pa. V.*

approbauit opinionẽ Minorum, quoad immaculatã Virginis Conceptionẽ attinet. Hæc Bustos: quæ ego etiã in præfato Ioan. Varzone relegi. Cæterum existimãdũ non est prædictũ Pontificẽ piam opinionẽ definijsse, aut determinasse, sed tãtũmodo approbasse, ac sine iniuria fidei defendi posse Pontif. authoritate sanxisse.

Ioãnes Montesonus.

Circa initium etiã huius sæculi anno 1403. floruit Ioan. Monteson. insignis Dominicani Ordinis Theolog⁹, de quo Gaguinus in historia Frãcorũ in Carolo 6. sic scribit. *Per hãc tẽpestatẽ Ioan. Montesonus Ordinis sancti Dominici Theologus magni nominis Doctor ad populũ de Diua Mariæ Virginis puritate concionatus eã originali contaminatione reliqua humana propaginis instar fuisse infectam disseruit, quẽ alter eiusdem Ordinis Theologus imitatus, cũ Rotomagi de re ipsa sermonẽ haberet. Ego, (inquit) nisi palã ostendero Christi matrẽ paterna originis labẽ, dũ cõciperetur, cõtraxisse, Huetus appellari nõ recuso (est enim id apud Francos nomen ridiculũ) eam obrẽ diu in consuetudine fuit, vt eius Ordinis Fratres Hueti à pueris passim vocarentur* (Pende indignã illius nationis licentiam, aut hominis talia peccantis promeritam pœnam) *Discussa in præsentia Pontificis Innocẽtij septimi (qui circa annũ 1403. sedit) veritate, procurante maxime Parisiensi schola, Montesonus Parisiũ redire, & quæ de Virgine temere prædicauerat, retractare compellitur.* Hactenus Gaguinus. Et sane in calce operũ Magistri sentent. quæ excusa sunt Lutetiæ anno 1557. habentur errores huius Ioã. de Montesono, quos Theologica facultas Parisiensis damnauit, inter quos propositio. 10. 12. & 13. continẽt cẽsuras quasdã piæ sentẽtiæ, quas alma illa Academia pro veteri suo in Virginem studio notauit, & libertatem dicentis earum propositionum publica retractatione coercuit.

Conciliũ Bassiliense.

Hoc etiã sæculo, anno 1434. celebratum est Concilium Bassiliense, in quo Patres cõmuni suffragio Virginẽ Deiparã à peccato originali immunem fuisse decreuerunt, eiusq; festũ in tota Ecclesia solenniter peragi demandarũt, sess. 36. Aduersarij verò huic decreto nihil esse deferendum putant, quia Concil. illud, tũc cũ prædicta definitio præscripta fuit, ab obedientia Pontificis Romani desciuerat: atque adeò Canones, quos per illud schismatis tẽpus edidit, authoritatẽ non habent. Aliqui ergo, vt huic decreto authoritatẽ, & fidẽ aliquã cõparẽt, asserunt, eo tantum nomine maximi habendum, ac suspiciendũ esse, quia ostendit magnã eo tẽpore Ecclesiæ totius cõspirationẽ in hãc sententiã. Alij verò maius quid de hoc decreto meditantur, sed minus solide: asserũt enim post dissidia, & contentiones Concilij cũ Pontifice Maximo, cõposita pace, & cõcordia omnia illi⁹ decreta præter ea, quæ ad schisma spectauerant, ab Eugenio 1. recepta, deinde à Nicolao 5. cõmendata, & probata: atque adeò cũ hoc decretũ ex his sit, quæ prætatum schisma minime cõcernunt, suo quidem robore, ac vi nequaquã destitutũ. Ad hæc alij præter cõmunẽ illam prænissi Concilij confirmationẽ, & peculiarẽ aliã huius singularis decret. approbationẽ allegant. Nam Bustos de Cõceptione ser. 8. *Ist* (inquit) *decretum Bassiliensis Concilij pro immaculata Conceptione datũ anno Domini 1439. 15 Kalendas Octobris, de quo extat Romæ Bulla plumbata, & authentica, atq; nunquã reuocata.* Accedit etiã authoritas grauissimi Magistri Gabrielis Biel, qui in ser. 1. de Concep. hæc habet verba. *De hac veritate olim variè senserunt DD. sed aliter nunc opinari non licet, nec docere, postquam super hoc Ecclesia determinatio emanauit facta in Concil. Bassiliensi. sess. 36. anno Domini 1439. 15.* Kalẽdas Octobris, *quã determinationẽ vidi sub plũbo more Romanæ curiæ, licet nonnulli vsq; hodie non desinãt oblatrare.* Sane ex antiquis nõ pauci in ea sententia fuere, vt putarẽt ex eo tempore præfatam veritatem ad fidem pertinuisse.

Cæterum pro certo haberi debet, illud decretum Concilij Bassiliensis, quatenus Conceptionẽ Virginis Deiparæ immaculatam esse definit, hactenus in Ecclesia, neq; receptum, neq; authoritate Pontificia suffultum fuisse. Quod ex eo facile euinci potest, quia nondum 3 anni abierant, postquam huiusmodi Concilium celebratũ fuit, cũ Sixtus IIII. liberã in vtramq; partem sentiendi facultatem Theologis indulsit: cuius sanctionẽ denuo instaurauit Synodus OEcumenica Tridẽtina, & subinde Pius V. idẽ Cõstitutione sua denuò sanxit. Quapropter licet Bassiliensis Conc. censura plurimi haberi debeat, quatenus in ea spectatur magnus Patrũ consensus, tamen nihil vnquã cõtinuit ad fidẽ Catholicã spectãs.

Sanctus Vincentius Ferrer.

Ergo anno 1410. floruit D. Vincent. Ferrerius Dominicanus vir Apostolicus, qui puram etiã Virginis Conceptionẽ suo suffragio cõprobauit: nã in serm. de eadem Conceptione tũc deniq; sanctificatam fuisse dicit, cum primũ sanctificationis capax fuit, eadẽ die, atq; hora, qua in vtero matris concepta est. Vnde in ser. 1. de Natiuit. sic ait. *Quando corpus B. Virginis fuit perfecte organizatũ, & anima illi cõiuncta per creationem, altissimus sanctificauit tabernaculum suum.* Quæ verba simultaneã creationis, & sanctificationis coefficienciã sonant. Sed suam ipse mentem luculentius insinuat in 2. serm. de Natiuit. Nã expendens illa verba: *Fiat lux*, de Cõceptione sic fatur. *Non credatur, quia fuerit sicut in nobis, qui in peccatis cõcipimur, sed statim, atq; anima fuit creata. fuit sanctificata, & statim Angeli in cœlo fecerũt festum Conceptionis.* Et subinde sic fatur. *Lux dicitur illa benedicta generatio Virginis Mariæ, quia sine tenebra culpæ facta est.* Et statim. *Sed generatio fuit, vt lux.* Et tum demũ: *Sic ista coniunctio Ioachimi, & Annæ luminosa fuit.* Quid illustrius? Et tamen Bandel. solita licentia Vincẽtium sibi arrogat. Sub idẽ tẽpus scripsit Pet. Aliacen. Cardinalis amplissimus, qui puram Virginis Conceptionẽ docuit in 3. dist. 3. q. 1.

Pet. Aliacensis.

Sanctus

S. Bernardinus Senensis. S. Bernardus Senensis ex Ordine Minorum, sed sanctitate, & doctrina maximus, vixit anno 1438. Hunc ergo (quæ est aduersariorũ licentia) suæ sententiæ auxiliarem euocant in tractatu de B. Virgine serm. 4. sed in eo fet. luculentissimè illius immunitaté ab omni culpa tradit. Sed clarius in tom. 1. serm. 51. de salutatione Angelica c. 1. ad illud verbum *Aue*, ex quo elicit Virginem à triplici væ originalis, mortalis, & venialis culpæ perquã alienã fuisse. Et to. 2. ser. 52. feria 4. post Resurrectionem art. 1. 2. & 3. & tom. 4. serm. 49. feria 3. de Resurrectione, vbi citat etiam perdoctum virum Fratrem Bartholomæum de Sicilia, optimamq; illius rationẽ. Addit etiã Triremius illum de pura Cõceptione haud cõpendiosum libellum conscripsisse, qué Senæ ad hunc vsq; diem adseruari ferunt. Synchronos fuit Bernardino B. Ioan. Capistranus ex Ordine etiam Minorum, qui scripsit etiã tractatum de pura Virginis Conceptione, in quo vberrime, ac fœlicissime thesim hanc disceptat. Non prætermittendus nobilis Poeta Petrus Appollinaris, qui de Natiuitate Virginis carmine scribens, ita cecinit.

Bartbol. de Sicil. B. Ioann. Capistr. Pet. Apollinaris.

Salue Virgo parens, labes quam nulla vetusti
Per tot ducta gradus criminis implicuit.
Te, dum conciperis, culpa quicumque negarit
Immunem, brutis nil sapit ille magis.
Huic aut vipereo mens est infecta veneno.
Aut illum teter spiritus exagitat.

Alphonsus Tostatus. Huius sæculi gloriam amplificauit Alphon. Tostatus Episcop. Abulensis, qui in tam immenso suorũ librorum spatio de pura Conceptione semel, & iterum grauissime loquutus est: nam super Prologum D. Hieronymi c. 6. sic scribit. *B. Virginem sine originali macula cõceptam esse nullo modo nego, sed toto animo confiteor, licet oppositum dicere non sit magnus error, nisi pertinaciter dicatur volendo aliquid de perfectione Virginis detruncare.* Et in cap. 23. Exodi q. 8. piam sententiam alteri facile præfert, vbi contẽtiones, quæ ætate sua inter duos præclarissimos Ordines, Franciscanum, & Dominicanum exortas venusta oratione sopire contendit. Lege ibi. Vixit Tostatus anno 1440.

Panorm. Huic proximus fuit Nicolaus Tudescus Abbas Panormitanus, qui puræ etiam Conceptioni adstipulatur, quẽ citat Andr. Barbatias in Procem. Clement. in c. *Conquæstus*, dicentẽ se accepisse opinionem Fratrũ Minorum ab Ecclesia probatam.

S. Antoninus. Anno 1445. floruit S. Antoninus ex Ordine Prædicatorum, qui in summa tom. 4. titulo 15. c. 3. 4. & 5. docet Virginem in originali conceptam, vbi huic sententię penitus addictus plæraq; scripturæ loca parũ idonee Deiparæ accommodare videtur. Aiunt quidam illum eam sententiam tandem aliquando mutasse. Cæterum nullum huius rei solidum fundamentum hactenus cõperi. Illud certum, sanctissimũ virũ in eo titulo satis multa de Virgine enunciare, quæ cũ tradita sententia pugnãt. Vixit etiam hoc sæculo circa annũ 1460.

Andreas Barbat. Andreas Barbatias Siculus nobilis iuris peritus, qui in Procem. Clemen. & in c. *Conquæstus* immaculatam Deiparæ Conceptionem serio affirmat. Per idem tempus celebris fuit Ioan. Bassolis ex Ordine Minorum, qui pro immaculata Conceptione depugnat in 3. dist. 3. q. 1.

Ioannes Bassol.

D. Laurentius Iustinianus. Ante præmissos duos anno 1445. vixit Sanctus Laurent. Iustin. qui purę etiam Conceptionis assertor fuit. Hic enim in tractatu de casto connubio verbi & animę c. 7. sic habet. *Quotquot enim ex ipsa nati sunt propagine (exceptis duntaxat mediatore Dei, & hominũ homine Christo Iesu, & eius matre) sub hac peccati lege sunt cõditi.* Et in Fasciculo amoris c. 7. *Nemo* (inquit) *ab ipso mundi initio, vsque ad temporis plenitudinem (duntaxat mediatore, eiusq; genitrice exceptis) iugum dominationis eius euasit.* Et rursus in lib. de Perfectionis gradibus c. 1. *Ab originali delicto nullus excipitur, præter illam, quæ genuit mundi Saluatorem.* Et in serm. de Annuntiatione, vbi sic habet. *Ab ipsa namq; sui Conceptione in benedictionibus est præuenta dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo*, id est, ab obligatione, & debito peccati, id enim sibi vult chirographus.

Petrus Thomas. Sanctissimus quoq; vir Petr. Thom. Carmelitarum decus, qui sapientiam, & doctrinam martyrio exornauit, Conceptionem puram asseruit in tractatu de Conceptione, quem citat Bustos serm. 4. vixit anno 1468.

Sixtus Papa. IIII. In hoc sæculum incidit Pontificatus Sixti IIII. anno 1471. qui ex Ordine Fratrum Minorũ assumptus de pura Virginis Conceptione optime meritus est. Nã primũ anno 1476. tertio Kalendas Martij Extrauagantẽ edidit, quæ incipit. *Cum præexcelsa*, in qua fideles omnes ad festũ Immaculatæ Conceptionis quotannis agitandũ adhortatur, & studiũ erga Virginẽ magnis gratiarũ largitionibus exacuit. Deinde vero anno Domini 1483. pridie nonas Septẽbris aliã expediuit Extrauagantem, quæ incipit *Graue nimis*, ad sedãdas Minorũ, & Prædicatorũ discordias grauissimas pœnas statuens in eos, qui in vtramuis partẽ seueriorẽ aliquã censurã tulissent. Quã Extrauagantẽ iterũ innouauit aliquorũ hominũ audaciam coercẽs, qui asserebant non Conceptionẽ, sed sãctificationẽ B. Virginis ab Ecclesia celebrari: de qua diximus sup. cap. 33. Pontificatũ Sixti IIII. attigerunt præclari viri immaculatæ Conceptionis assertores: ex quibus alter est Leonardus de Noguerolis, qui præclarum Officium de pura Conceptione composuit, quod ab eodem Sixto IIII. probatum, & toti Ecclesiæ commendatum fuit. Aliqui etiam asserunt præfatum Leonardum libellum de eadem thesi typis mandasse, sed hactenus illũ non vidi.

Leonard. de Nog.

Bernar. de Bustis. Floruit etiã hoc tẽpore Bernard. de Bust. Minorita, qui in suo Mariali totis vndecim Cõcionibus de immaculata Concep. candidissime egit: cõposuit etiã aliud Officiũ, quod speciali suo decreto probauit, Sixtus

IIII.

IIII. in Bulla, quæ incipit. *Dilecte fili.* data Romæ anno 1480. die 4. Octobris: cui Officio, & his, qui illud persoluissent, postmodum ad instantiã Fratris Matthæi de Nauarra Ordinis Minorum Generalis Cõmissarij, idem Sixtus IIII. omnes gratias indulsit, quas recitantibus Officium Leonardi de Noguerolis prius cõcesserat in Extrauagãti. *Cum præexcelsa.* Per id tempus floruit etiam Pelbartus Themesuar ex Ordine Minorum præclarus etiam immaculatæ Conceptionis vindex in Pomerio lib. 4. Stellarij Mariani per totum. Petrus de Aquila Minorita dictus Scotellus non solum ob ingenij adsimilem subtilitatẽ, sed etiam ob minime disparem in defendenda pura Conceptione vim, & solertiam, quam singulari quæst. docuit in 3. dist. 3. Michael de Bononia Carmelitanus, qui libellum etiam de pura Conceptione conscripsit. Aliqui affirmant, hunc esse authorem incognitum, qui in Psalmos præclara commentaria edidit, atq; adeò sibi similis est in Psalm. 29. Alexander Nequam Minorita in 3. dist. 3. q. vnica de pura Conceptione. Baptist. de Ferraria ex eod. Ordine in 3. dis. 3. q. 1. Fridericus Nausea Carthusianus Episcopus Vienensis 1. Cent. hom. 85. de sanctis. Francisc. Martini Carmelitanus, qui (author est Tritemius) de pura Cõceptione volumen edidit.

Pelbart. Themes. *Petrus de Aquil. Scotel.* *Mich. de Bononia.* *Alexand. Nequam.* *Ferraria.* *Nausea.* *Francisc. Martini.*

Sub id tẽpus anno 1451. Ioan. Nauarræ Rex cum regnum administrat et loco Alphõsi Aragoniæ Regis II. in comitijs Cathalauniæ habitis, edito suo cauit, ne quis vnquam in cõcio nibus ad populum habitis, aut in disputationibus Conceptioni immaculatæ aduersariam opinionem vsurparet, seu defenderet, grauissimas in transgressores pœnas statuens. Quæ Constitutio habetur in compilatione constitutionum, & iurium illius regni fol. 10. lib. 1.

Ioannes Nauarræ Rex.

Hoc etiã anno, aut certe proxime in Academia Coloniensi facultas Theologica Parisiensem imitata sanciuit, neminẽ deinceps ad gradum Magisterij promoueri debere, nisi iuramento interposito priùs fidẽ dedisset, se aduersam opinionem, neq; animo retenturũ, neq; quouis modo approbaturũ, aut publice defensurum, vt tradit Surius in cõmentario rerum in orbe gestarum anno 1501.

Academ. Coloniensis.

Vixit etiam hoc tempore Ioannes à Turrecremata Dominicanus Presbiter Cardinalis, & Episcopus Sabinus, qui in 3. dist. 3. q. 1. & in libello speciali de Conceptione immunitatem Virginis à peccato originali prorsus diffitetur. Sunt qui dicant illum tandem aliquando sententiam labasse: sed nullum satis idoneum testimonium adducitur. Illud tantũ huic rei fidem facere videtur, quod in Meditationibus de vita Christi piæ sententiæ non parum adfauere videtur, quamuis nihil etiam ibi satis clarum occurrit. Obijciendus tamẽ illi alter Cardinalis per omnia par, ne dicam superior Nicolaus Cusanus, qui fuit æque doctus, & ingenuus. Hic ergò in lib. 8. exercitationum in ser. ad illa verba. *Sicut lilium inter spinas* immaculatam Conceptionem grauissimis verbis tradit: & in lib. 5. ser. ad illa verba: *Cœlum & terra transibunt.* Et alibi etiam non semel. Aliqua huius grauissimi Doctoris verba dedimus sup. c. 41. Can. 1. Obijt sub Friderico Imperat. anno 1464. Huic coætaneus fuit Dionys. Carthusianus vir sanctitate, & doctrina celebris, qui piam sententiam tradidit quidem in 3. dist. 3. quæst. 1. Sed vberius & splendidius in tractatu de laudibus Virginis Deiparę lib. 1. Cuius etiam extant sermones sex de immalata Conceptione. Obijt anno 1471. Per id tempus floruit Henric. Har. Franciscanus, qui in tractatu de Mystica Theologia puram Conceptionem asseruit lib. 2. Ambrosius Camaldulensis vixit anno 1480. Hunc aliqui etiam piæ sententiæ assertorem deprædicant, sed tamen illum peruidere non licuit. Gabriel Biel nobilis Theologus vixit anno 1490. docuit puram Conceptionem in 3. dist. 3. & super hac thesi tres perelegantes sermones dedit. Huic proximus Guillel. Borrillon ex Ordine Minorum, qui Virginis immunitatem à culpa originali solide admodũ contutatur in 3. dist. 3. q 1. Alius etiã Minorita dictus Borriton floruit hoc tempore, cuius de pura Conceptione extat nobile monimentum in 3. dist. 3. Marsil. ab Ingen bene de scholastica Theologia meritus, celebris fuit eodem anno, atq; piæ sententiæ adhæsit in 3. dist. 3. quęst. 1. Iacobus de Valent. Episcop. Christopolit. per idẽ tempus in Psal. 13. & alibi non semel, Virginis libertatem à culpa originali docuit. Hadr. Finus eandem tuetur in flagello cõtra Iudæos, vixit anno 1500. Robertus Guaguinus ex Ordine sanctissimę Trinitatis, eiusque Generalis hac tempestate scripsit pro Virginis Conceptione, tã carmine, quam soluta oratione: & in historia, quã texuit de rebus Francorũ, aliquid etiam inserit ad hanc thesim pertinens lib. 9. in Carolo sexto. Vixit etiam circa huius sæculi finẽ author libri, qui inscribitur *Dormi secure.* Qui de puta Virginis Conceptione sermonem non inelegantem contexuit. Bapt. Mantuanus Carmelitarum nobile decus, & Generalis Ordinis Prior, per idẽ tempus in Sãctorũ fastis de Festo Conceptionis, & de Virginis immunitate à culpa originali venusto carmine cecinit.

Ioannes à Turrecr. *Nicol. Cusan.* *Dio. Car.* *Henricus Harpius.* *Camald.* *Gab. Biel* *Guillel. Borrill.* *Borriton* *Marsil.* *Iacob. de Valentia.* *Hadrian. Finus.* *Rupert. Guaguin.* *Dormi Secure.* *Mãtuan.*

Incidit etiã in huius sæculi fines Cardinalis Thom. de Vio Caiet. ex Ordine Prædicatorum seuerus Marianæ Conceptionis censor: sed tamen si ea, quæ vir iste de hac thesi cõposuit, cuncta perlustres, facile agnosces eius ingeniũ alijs in rebus satis constans, & firmũ, in hac vna quæstione valde mobile, & inconstans fuisse. Quid vero de te, ò Vincent. Bandelle de Castro nouo, dicam? Tuam certe in Fratres minores bilem, & stomachũ (si fas est dicere) stomachabũdus detrecto. De libera aute censura, quam in Virginis Conceptionem

Gaietan. Vincent. Bandell.

tulisti,

tulisti, audi grauissimũ Theologum Iodocum Clichtobæum in libro de puritate Conceptionis Marianæ in Epistola ad lectoré. *Sane extructum est paulò ante nostra tẽpora nescio an supra firmam petram, aut potius super arenam castrũ nouũ in nostræ sacratissimæ Matris opprobriũ, unde venenata cuspide mortifera vibrantur tela in immaculatam Virgineæ Conceptionis puritatẽ, instructaq; acie impetitur candidissimus illius splendor. Verũ non vincet ipse (quanuis à vincendo nomen sortiatur) inexpugnabilẽ turrĩ Dauidicam, ex qua mille pendent ad veritatis profectionem clypei. Acuenda quidẽ sunt iacula, paranda rationum machinæ, aptandaq; tormenta ad castri illius noui demolitionem.* Hæc Clichtobeus. Ego autẽ verba opprimo, ne forte pro meo in Minores Fratres studio, & immaculatæ Conceptionis amore aliquid liberius in licentissimum hominẽ pronuntiẽ. A Reuerendissimo, & sapientissimo D.D. Francisco de Sossa Episcopo Oxomiensi petenda hominis istius digna censura in tract. recens edito de pura Conceptione.

Hac etiã tẽpestate floruit Ioan. Picus, scripsit inter alia libellum de arte Caballistica, & ibi Conceptionem purã asseruit. Francis. Lychetus Ordinis Minorum Generalis minister in Scotũ fœlicissima edidit cõmentaria, & lib. 3. dist. 3. Conceptionẽ puram pro marte defendit. Ioan. Maior grauis etiam illius tẽporis Theologus Conceptionis puræ assertor fuit in 3. dist. 3. q. 1. & in c. 1. Matthæi. Accinit etiam Iacob. Almainus Doct. Parisiensis in 3. dist. 3. q. 1. Ioan. Ekius primus ex his, qui cõtra Lutherum arma mouit, scripsit duos serm. de illibata Conceptione. Puræ etiam Conceptioni suffragatur Fran. Titelman. ex Ordine Minorũ nõ semel quidẽ in Cant. Salomonis, & sæpè alibi in suis operibus. Item Ioan. Rophensis Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, Martyrq; purpuratus immaculatã Conceptionem docuit. Nam in lib. contra Lacherũ art. 17. sic habet. *Et primum id ambiguum esse nemini potest, quantũ ad gloriosam Christi genitricem, quæ næuo quouis, & labe caruit tam originalis, quam actualis peccati.* Ad hæc sub finem huius sæculi anno 1480. Innocentius octauus conformauit religionẽ Monialiũ sub inuocatione immaculatæ Cõceptionis, quã postea Alexãder 6. Iulius 2. & Leo 10. non solum probarunt, sed etiã priuilegijs pluribus auxerũt. In qua Religione, vt omittã illius initium, quod diuina admonitione datum plures dicunt. Obseruari solet Professionis formula, quæ sic incipit. *Ego soror N. ob amorẽ, & seruitium Domini nostri, & immaculatæ Conceptionis eiusdẽ genitricis, voueo, &c.* Quin & Iulius 2. in Bulla, quæ huius Ordinis regulam præscribit, sic habet. *Dei genitricis immaculatam Conceptionẽ venerantes.* Vixit etiã hoc tẽpore Petr. Dore Dominicanus, ac Parisiensis Doctor, qui in lib. Gallico, qui Imago, seu idea virtutis inscribitur, piæ sententiæ apertissimè suffragatur c. 1. & 2. Guill. Pipin, & ipse Dominicanus nobilis sui tẽporis Ecclesiastes in ser. de imitatione sanctorũ eidẽ sententiæ adstipulatur, & de pura Concept. elegantẽ sermonẽ conscripsit, vixit circa annum. 1500.

Ioannes Picus. Francis. Lychetus. Ioannes Maior. Iacobus Almain. Io. Ekius Francisc. Titelm. Ioan. Rophensis. Innocent. VIII. Petrus Dore.

Deniq; circa finem huius sæculi anno 1497. facultas Academiæ Parisiensis in Magistrum Fratrẽ Ioan. à Veri, propterea quod in concione de Cõceptione seuerius statuerat, Bonauento cõprehensum, Lutetiamq; adductũ sententiam tulit. Sed vt cõstet, quid illa toto orbe celeberrima Academia de pura Virginis Conceptione tunc tẽporis sentiret, ex dicta sentẽtia, prout in processu autentico legitur, qui seruatur Murciæ in Cartophilacio Cœnobij Fratrum Minorũ, aliquid hic subscribere libuit. Ex qua cõstat dictũ Ioãnẽ omnia, quæ cõtra puritatẽ immaculatæ Cõceptionis pronũciauerat, in auribus totius Academiæ reuocare iussum: forma autẽ reuocationis, quæ illi ab Academicis oblata fuit, sic se habuit.

Io. à Veri

Ego Ioannes Veri Religiosus Ordinis Fratrũ Prædicatorũ Presbiter in Theologia Magister, accusatus fui, seu delatus apud matrẽ meã Vniuersitatem Parisiensem, & facultatẽ Theologiæ, prædicasse apud oppidũ Depe Diœcesis Rothomagensis in Festo Conceptionis purissimæ, & gloriosissimæ Virginis Mariæ matris Domini nostri Iesu Christi nouissime fluxo tres propositiones sequẽtes. Prima, B. Maria Virgo fuit purgata ab originali culpa. Secunda, per modũ quæstionis. Quomodo B. Virgo dicere poterat Orationẽ Dominicã & maxime quantũ ad illam partem: dimitte nobis debita nostra, non terminando quæstionẽ? Tertia, asserentes Virginem Mariam esse in peccato originali conceptã, nõ peccant mortaliter, neq; sunt Hæretici, imo omnes, qui dicunt ipsos sic dicendo mortaliter peccare, vere esse Hæreticos excõmunicatos à Sixto per quandã Bullã. Ex qua prædicatione mea, prout intellexi, tam à præfata matre mea Vniuersitate, & facultate Theologiæ, quã ab alijs ortũ fuit, & adhuc viget scãdalũ, tanquã intellexerint auditores, quod in illa mea prædicatione voluerim detrahere puritati Conceptionis beatissimæ, & gloriosissimæ Virginis Mariæ genitricis Domini nostri, & Redẽptoris Iesu Christi. Quas quidem tres propositiones sacra Theologorũ facultas, cuius ordinationi, dispositioni, & omnimodæ determinationi me submisi, & submitto, qualificauit in hunc modũ. Prima propositio est falsa, impia, & piarum aurium offensiua, à deuotione fidelium de immaculata Conceptione gloriosissimæ Virginis Mariæ matris Domini nostri Iesu Christi retractatiua, cultui Ecclesiastico, rectæ rationi, Sacræ Scripturæ, & fidei dissona, reuocãda publicè, & reparãda. Secũda pars est temerariè prædicata, & scãdalosa. Quantũ ad tertiã partẽ nõ est verisimiliter credidũ sanctissimũ Dominũ nostrum Papã Sixtum taliter dicentes excõmunicasse, præsertim ad sensum, quem prætendebam. Ego igitur quantum in me est, volens tollere omne scandalum, & esse filius obedientiæ, & pacis, & assertor veritatis, veram, sanamq;

doctri-

doctrinam prædicare, Deum, & Virginẽ eius matrem omni laude dignissimam honorare: matri meæ Vniuersitati Parisiensi, & facultati Theologiæ obedire semper: retracto prædictas tres propositiones cum earũ qualificationibus, vt sunt à matre mea sacra facultate Theologię declaratæ: firmiter adhærendo, & consentiendo, & in contrarium determinationis prædictæ nunquam veniendo. Quod eisdem Vniuersitati, & facultati per sacros Ordines meos promitto & iuro, & ita Deus me adiuuet, & mater eius gloriosissima perpetua Virgo, & immaculata. Datum Parisijs in nostra Congregatione generali apud sanctũ Martinum per iuramentum solemniter celebrata Anno Domini 1499. die 16. mensis Septembris.

SAECVLVM XVI.



ÆCVLVM Hoc extremum innumerabiles Marianæ Conceptionis vindices, ac cõmendatores tulit, quorũ censum facere impossibile esset: atq; adeò ea, quæ grauiora, & digniora sunt, perstringam.

Academia Maguntina. In huius sæculi initio Anno 1501. Facultas Theologica Academiæ Maguntinæ immaculatæ Conceptionis defensionem iurauit, statuitq;, vt omnes illius Magistri, & Doctores ei tutandæ Sacramẽto se deuouerent. Author est Surius de rebus mirabilibus in orbe gestis in præscripto annò. Nec longe etiam ab hoc tempore Hispaniæ in Valentina, & in Visaonensi Academia idem sacramentum præstari cœpit.

Alexan. Pap. VI. Eiusdem ætatis anno 15. vixit Alexander 6. qui noua Extrauaganti, quæ incipit *Illius qui se.* Sixti IIII. decretum innouauit, & transgressores grauioribus pœnis coercendos sanxit. Cuius Extrauagantis tenor habetur in libro, qui inscribitur Lucerna Minorum. Dataque fuit anno 1502.

Per idem tẽpus floruerunt multi Conceptionis Marianæ studiosissimi assertores, quos compendio colligam, & promiscue adscribã, ita vt temporum vix aliquam rationẽ habeã. *Sanctius Porta.* Sanctius Porta Dominicanus in Mariali, & proprio serm. de Concep. *Francisc. Petri.* Francisc. Petri ad Bobes Minorita sermones duos contexuit de pura Conceptione. *Nicolaus de Nissa.* Nic. de Nissa ex eodem Ordine duos alios sermones edidit, & eandẽ sententiam defendit in sent. tract. 3. p. 1, q. 2. *Oliuerius Mallard.* Oliuer. Mallard. eiusdem Ordinis Minister generalis ser. vnico. *Hugo de Pratoflorido.* Hugo de de Pratofl. Dominic. Conceptionem puram docuit in serm. de Annunciat. *Clichtob.* Iodoc. Clichtob. grauis Theologus, & Carnotensis Canonicus doctissimũ tractatũ edidit de immaculata Concep. & de eadẽ perelegantes 4. serm. cõpleuit, ac sibi semper similis in scholijs, quæ in Damascenũ coniecit, non semel eandem sententiã inculcat. *Illiric.* Thom. Illiric. de Auxino ex Ordine Minorũ immunitatẽ Virginis à peccato originali docuit ser. 3. de Icarnat. *Franc. de Osuna.* Francisc. de Osuna ex eodẽ Ordine de pura Concep. duos dedit serm. *Syluestr.* Christophor. Syluestr. Carmelita eidem sententiæ adstipulatur in 3. dist. 3. q. 1. *Mich. de Palacios.* Mich. de Palac. in 3. dist. 3. q. 1. & passim alibi per alia sua opera eandem sent. spargit. *Mabur.* Ioan. Mabburnus Bruxellensis tit. 24. alphabet. 56. *Dominic. Pico.* Dominic. Pico ex Ordine Minor. Claus. 3. ser. 23. de Prodigo p. 1. *Viguer.* Ioan. Vig. Dominic. de peccato originali c. 18. vers. 2 *Tartaret.* Tartaret. quoque ex Ordine Minorũ in 3. dist. 3. *Ouandus.* Ouand. ex eod. Ordine. ibid. *Nicol. de Orbelis.* Nicol. de Orbell. in 3. dist. 3. q. 1. & ipse etiam Minorita. *Ludouic. Carauaj.* Ludouic. Carauajalius etiã Franciscanus in pereleganti exclamatione expostulatoria pro immaculata Virginis Conceptione, quam duæ totius orbis celeberrimæ Academiæ Parisiensis, & Cõpluten. approbarunt. *Thom. de Villanon.* Thom. de Villan. Archiepiscop. Valent. in ser. 1. de Assumpt. vbi sanctissimus vir ita scribit. *Nihil vnquam alicui sanctorum speciali priuilegio concessum est, quod non à principio vitæ cumulatius præfulgeat in Maria. Ecce castellum fortissimũ, ecce turrim inexpugnabilem, quæ nunquã diabolo præstitit tributũ, aut fidem.* Alij etiã non pauci per idẽ tempus Conceptionis immaculatæ vindices fuerunt, quos, quia valde obuij sunt, libẽs prætereo.

Conc. Trident. Hi ferme, si vnum, vel alium excipias, ante Conc. Tridẽtinũ floruerũnt, quod anno 1545. coactum fuit, vbi post grauẽ hac super re deliberationem præmissam sess. 5. in calce decreti de peccato originali subiecta sunt cantatissima illa verba. *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatã & immaculatam Virginẽ Mariã Deigenitricẽ; sed obseruandas esse Cõstitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ IIII. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innouat.*

Pius V. Cle. VII. Expleto Concil. ad cõponẽda Prædicatorũ, & Minorũ iurgia nouã Cõstitutionẽ hac super re dedit Pius V. anno 1570. quæ incipit *Super speculã*, in qua liberã potestatẽ Catholicis Doctoribus facit in vtramq; partem sentiẽdi, & in eos, qui vtramlibet grauiori aliqua cẽsura hæresis, erroris, aut temeritatis notauerit, grauissimas pœnas statuit. Itẽ abrogato aliorum Officiorum vsu, quorum magnam copiã studiũ fideliũ erga purã Deiparæ Conceptionẽ inuenerat, Ecclesiã ad antiquiorem morẽ, qui ante Sixtũ IIII. semper viguerat, reuocauit, id demãdans, vt in die Cõceptionis diceretur Offic. ũ de Natiuit. eiusdẽ Virginis, Natiuitatis vocabulo in Cõceptionis nomẽ tãtũ modo demutato. Nõ est autẽ facile mente cõplecti, qualia, quamque diuersa de Conceptione pura Officia ante Piũ V. in vsu fuerant. Nulla ferme erat nobilis Diœcesis, quæ propriũ de hoc festo Officiũ non haberet, ex quibus aliquot supra enumeraui cap. 1. quæ mihi peruidere licuit: innumera omisi, quorum copia non fuit. Et quidem omnia hæc Officia mirabili quadã conspiratione Conceptionem

Virginis puram, immaculatã, & ab omni culpa originali liberam deprædicant.

Sed vt ad Doctores redeamus, qui hoc tẽpore purã Virginis Conceptionẽ docuerunt, difficile admodũ esset omnes colligere, paucos seligo. Celebris in primis hoc tempore fuit Dominic. Soto Dominicanus, qui in lib. de natura, & gratia lib. 1. c. 7. & in c. 5. Epist. ad Romanos immaculatã Virginis Cõceptionẽ, eiusq; exceptionẽ à cõmuni lege non modo boni cõsuluit, sed etiã serio perdocuit. Vixit anno 1550. Cornel. Mussus Episcop. Bitontinus ex Ordine Minorũ pro immaculata Cõceptione decernit in c. 5. Epist. ad Romanos, de cuius authoritate in Conc. Trident. alias egimus cap. 41. Can. 1. Ambr. Catherinus ex Ordine Prædicatorum grauem tractatum de Virginis pura Conceptione cõscripsit, illãq; idẽtidẽ docuit in Genesim. c. 3. & in opusculo de peccato originali, eandemque persæpè in alijs operibus inculcat. Gaspar Bellosil. Episcop. Segouiensis, cuius etiã in Tridentino enituit authoritas, piæ sententiæ assertor fuit in suis Aduert. Michael Hilaret. Franciscanus in sacris Enneadibus Homil. 30. de pura Conceptione, quæ (me iudice) doctissima est. Frãcis. Feuardent. ex Ordine Minorũ vir grauissimus, ac doctissimus piã sententiã vbiq; spirat, tã in Scholijs ad Irenęũ, quã in alijs operibus. Prætereo Ioã. Coclęum, Ioan. Fabrum, & alios recentiores, quos cõpendij studiosus hic adscribere nolui, quia eorum opera sententiæ vulgo celebrantur.

Dominic. Soto. — *Cornel. Mussus.* — *Ambros. Catherin.* — *Gaspar Bellosil.* — *Michael. Hilaret.* — *Francis. Feuardentius.*

Per id tẽpus circa annũ 1579. authoritate Pij V. & Gregorij XIII. emissa est Bulla cõtra Michaelem Baiũ Louaniesem, in qua plures dãnantur propositiones, quas Michael temere pronũciauerat. In his autem 69. sic habebat. *Nemo præter Christum est absq; peccato originali. Hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesq; eius afflictiones in hac vita, sicut & aliorũ iustorũ fuerũt vltiones, vel peccati actualis, vel originalis.* Et sane in hac Bulla, vt in illius calce videre est, aut censuræ, quibus oppositas sententias sugillat, aut doctrina ipsius damnatur authoris. Quapropter cum præmissa propositio aliquã censuram non contineat, fateri oportet doctrinã ipsam à duobus grauissimis Pontificibus dãnatã: atq; adeò aliquã illi notam impressam, & inustam ex illis, quibus omnes in vniuersum Michaelis enuntiationes Bulla cõfigit: sic enim habet. *Quas quidẽ sententias hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & impias auribus offensionẽ immittentes respectiuè authoritate præsentium damnamus, circumscribimus, & abolemus.* At dices, eam propositionẽ ex eo inter alias relatam, quatenus asserit afflictiones huius vitæ, quas Virgo experta est, *esse vltiones actualis, vel originalis peccati:* Videtur enim hoc innuere, Deiparam Virginẽ nõ modo originali peccato, sed etiã actualibus obnoxiã fuisse. Hæc tamẽ solutio infirma est: nã propositio Michaelis est disiũctiua, atq; adeò ne falsa sit, alterius partis veritas satis est. Et certe authoris illius mens erat, afflictiones, quas Virgo perpessa fuerat, culpæ alicui vel originali, vel actuali sub disiunctione adscribi debere: atq; adeò propositionẽ illã cũ dãnat Pontifex, vtramq; disiunctionis partẽ notare videtur. Neq; vero est animus suadere præfatam propositionẽ hactenus damnatam asserere: absit enim vt hoc sentiam (quamuis alicui videri posset eum, qui prædictam doctrinam in hac bulla prorsus dãnatam serio affirmaret, neq; contra Tridentini Concilij decretum, neq; cõtra Pij V. Extrauagantẽ venire: nã Bulla isthæc posterior est, atq; adeò indecisam antea doctrinam decidere, ac determinare potuit) Sed neq; huic placito assentior. Tantùmodo id cõtẽdo, Sũmos Pontifices suis decretis tantopere piæ doctrinæ semper adfauisse, vt quodãmodo ante decisionem quasi quodam præiudicio decisa sit: & authoritas Pontificia tot significationibus (vt ita dicam) fœta futuram definitionẽ iam iam parturire videatur.

Pius V. & Gregor XIII.

Antiquarũ Religionẽ studiũ, atq; industria ad constabiliendam immaculatæ Conceptionis doctrinam quantum contulerit, in enumeratione, ac censu sæculorum hactenus præscripsi. Quia igitur nostra Societas in extremum illud sæculum incidit, ad calcem huius tractatus subijcere libet, quantũ etiam ad hanc veritatem nouissime constabiliendam auxilij, opisq; ipsa contulerit. In primis illud nobile Ordinis nostri elogium, quod decem illi Societatis Protopatres in Academia Parisiensi Magistri nuncupati, & creati sunt: atq; adeò iuxta veterem illius scholæ morem ad puram Conceptionem vbique defensandam Sacramento se se obstrinxerunt. In his autem S. Pater noster Ignatius, qui sacramenti sui tenax Conceptionis puræ perquam studiosus assertor fuit, vt ex codice illo constat, in quẽ S. Pater illustrationes Dei, quas per 40. dies, quib• de paupertate nostræ Societatis deliberauit, coniecit, suum erga puram Virginis Conceptionem studium non semel professus est.

Societas Iesu. — *B. Ignatius.*

Fuit etiam ex decem illis Patribus Iacobus Laynius secundus nostræ Societatis Generalis præpositus, cuius in Virginis purã Conceptionẽ tuendam ardor, & conatus Tridenti tãtum valuit, vt appendicẽ illam, seu restrictionem, quæ ad calcẽ decreti de peccato originali subiecta fuit, illi acceptã referant nõ modo nostrates, sed etiam externi scriptores. Nam vbi Patres illum per tres horas de pura Conceptione perorantẽ accepere, statim exceptionẽ illam addendã suis calculis censuerunt. Aiunt etiã quidã quartanam febrim, quã in eũ diẽ, qui sibi ad dicendũ de prædicta thesi obtigerat, incidere oportebat, Layniũ perorantem deseruisse.

Laynius.

Fuit etiã ex nobili illo Patrũ denario Alphõsus Salmeron, cuius etiã in Concil. Trident. autho-

Salmeron.

authoritas plurimu enituit, qui præter quam Tridenti suam quoque de pura Conceptione sententiã dixit, eã certe tradit tom. 1. tracta. 12 de Infantia Saluatoris. Sed vberius tomo. 13. in c. 15. Epistolæ ad Romanos à disputatione 49. vsque ad 52.

Iste igitur tã constans primorũ Patrũ sensus posteriores vsq; adeò imbuit, ac tinxit, vt paulò post Cõgregatio quinta generalis, quę anno 9. acta est, decretũ eiusmodi ad nostros emiserit. *De Concep. B. Mariæ sequantur nostri sententiam, quæ magis hoc tempore cõmunis, magisq; accepta apud Theologos est.* Et cũ hactenus ex nostra Societate quadraginta, & his plures scriptores opera sua luci dederint, nullus fuit, qui de præfata veritate addubitauerit, nedũ contra senserit. Quin imo plures fuerunt, qui illã robustissimè, ac solidissimè contutati sunt. Atqui Ægidius de Præsentatione non sine tædio hoc nostræ Societatis elogium apud Pinedã nostrũ relegens dandum esse dixit hoc non laudi, sed fœlicitati horum temporũ, in quæ Societas nostra incidit, cùm doctrinã istã tanta animorũ conspiratione omnes fideles amplectuntur, vt ab his dissentiri vix liceat. Demus (si ita libet) hoc fœlicitati huius ætatis, illud saltẽ singulare, & quod nulla ætas hactenus tulit. Nã P. Pineda quadraginta numerauit: posset autẽ nonaginta, & his plures percensere (totidem enim mihi eorum monumẽta euoluenti, ac non pauciores occurrerunt locupletissimi scriptores ex nostra Societate, qui piã sententiã suis scriptis consignarunt.) Alijs verò plures fortassis nancisci licebit: neq; enim mihi librorũ omnium copia fuit. Si ergo nullũ est præconiũ extremis his octoginta annis, quibus Societas nostra floruit, dissensisse: illud saltẽ laude dignũ erit, intra eosdẽ octoginta annos tot consensisse. Quos vel ex eo suspicere, & adamare deberet Ægidius, quia eius eruditionis, quam in librum suũ coniecit, præcipuã, & maximè nobilem partẽ ab eisdẽ haustã, expressamque fateri omninò debet. Atq; adeò æquum erat, vt qui adeò pulchra, & venusta in eisdẽ deprehenderat, & probauerat, paucos næuos beneuolè potiùs excusaret, quàm accusaret. Colligã paucos, plures omittam, ne iterũ sapientissimo viro tædium, ac fastidium moueam.

Canisius. Turrian. Thedorus Peltanus Toletus. Bellarminius. Maldonatus. Pererius.

Petrus Canisius lib. 1. de Deipara à c 5. ad 8. Francis. Turrian. in Epist. ad Iacobũ Amiotũ Episcopũ Antisiodorensem de natura peccati originalis. Theodor. Pelta. de peccato originali tract. 6. Francis. Toletus Cardinalis in Ioan. c. 3. annot. 9. & in Lucã c. 1. annot. 119. & in c. 5. Epistolæ ad Romanos. Robert. Bellar. Cardinalis to. 3. lib. 4. de statu peccati. Ioan. Maldonat. in c. 9. Matthæi ad illa verba. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Benedictus Perer. in Danielẽ c. 4. ad illa verba. *Germẽ radicum in terra finite.* Gabr. Vazq. 3. p. disp. 117 Fran. Suar. 3. p. quæst. 27. art. 4. disp. 2. sect. 5. Greg. de Valen. tom. 4. disp. 2. q. 1. puncto 2. Martin. de Rio in Florina Mariana in Festo Cõcep. & lib. 4. Magic. disquisit. c. 1. q. 3. sect. 4 & in c. 2. Cant. sect. 4. & nõ semel etiam alibi. Henric. Henriq. lib. 2. de Missa c. 7. lit. S. in glossa & de fide hominis c. 10. lit. B. in glossa. Ioan. Fernan. in Thesau. scripturæ, verbo Calcaneus, num. 1. Sebast. Barradas tom. 1. lib. 6. concord. c. 3. Ioan. Lorinus ad Psal. 95. sup. illa verba. *Honor Regis iudicium diligit.* Benedi. Iustinia. in c. 2. Epist. ad Thimot. ad ea verba. *Qui dedit redemptionẽ suã, &c.* Et in c. 2. Epist. ad Hebręos ad illa verba. *Quid est homo quod memor es eius.* Cornel. à Lapide in c. 5. Epist. ad Romanos ad illa verba. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundũ, &c.* Ioan. de Pineda in c. 14. libri Iob, super illud. *Quis potest facere mundum de immundo conceptũ semine?* Et in sermone perelleganti, quem de hac thesi in vulgus dedit, & in tractatu illo peruenusto, quem ita inscripsit. *Aduertentiæ ad priuilegium vndecimum Ioan. 1. Aragonum Regis:* ac deniq; in responsis ad eorũ obiectiones, qui prædictas aduertentias arrodentes, ac vellicantes viri doctissimi ad retundendos ipsorũ morsus stilũ exacuerunt. Christoph. de Castro de vita Deiparæ c. 2. num. 5. Ioan. Bonifac. in eadẽ vita. Petr. de Riuadeneyra in flore sanctorũ 8. Decẽbris. Ioseph Acost. de Christo reuelato c. 1. n. 18. Car. Mangotius in Mon. Mar. Mon. 2. Petr. de Moral. in c. 1. Matthæi lib. 3. tract. 1. de Præseruat. Virginis. Ioan. de Salas tom. 2. in 1. 2. S. Thomæ, q. 81. tract. 3. disp. 11. sect. 5. nu. 68. Magallanus in Epist. 1. ad Thimotheũ c. 2. sect. 4 annot. 6. Francis. Costerus medit. 1. de Conceptione Virginis. Vincent. Brunus tom. 4. medit. 1. Ioan. Osorius in Festo Conceptionis. Francis. Labata in apparatu Verbo *Maria* propositione 3. Messa in sua Mensa spirituali verb. *Maria* num. 2. & 4. & 34. Iulius Mazarin. in Psal. 50. disp. 96. Ludouic. à Ponte tom. 1. p. 2 med. 3. puncto. 4. Petrus Ojeda in libello, quẽ inscripsit: *Informatio Ecclesiastica* de pura Virginis Conceptione, qui aliorum operũ, quæ author iste iã iam molitur, desiderium omnibus immisit.

Gabriel Vazquez. Suarez. Gregor. de Valen. Mart. del Rio. Henricus Henriq. Fernan. Barradas Ioã. Lori. Iustinia. Cornelius à Lapide. Pineda. Castro. Bonifa. Riuade. Io. Acost. Mangot. Morales. Salas. Magal. Costerus. Brunus. Ioã. Osor. Labata. Messa. Mazari. Ludouic. à Ponte. Petr. Oje.

Prætereo alios plures purę Cõceptionis assertores & vindices, quos nostra Societas Ecclesię dedit, quorũ in censum rescribi me impensius exoptaui, non quidem, vt ad eorũ gloriã adspirarem (omnibus enim me ex animo demitto & abijcio) sed vt Virgini Deiparæ, cui me omnia debere fateor, pergratum aliquid facerem, quod mei erga illam studij monimentum esset. Indulge, parce, & boni consule Sanctissima Maria.

DE

DE GRADV CERTITVDINIS, QVEM HABET PIA DE IMMVNITATE VIRGINIS DEIPARAE ab originali ſententia hoc tempore ante definitionem Pontificis.

 CAP. XXXXIII. 

Sententiam, quæ docet immunitatē Virginis ab originali, eſſe magis probabilē, magis piā, & magis tutam, definitum eſt ab Eccleſia.

NON Eſt facile in hac quæſtione aliquid definire, quod tutè, ac ſolidè enunciari poſſit: ea tamē, quæ cū veritate magis conformia eſſe intellexero, examinatis Theologiæ Sacræ momentis, per aliquot concluſiones aperire contendam.

Imprimis illa certè audaciæ, ac temeritatis plena vox, quā aliqui ex his, qui contrariā opinionē tuentur, vſurpare audent, affirmantes noſtrā ſententiā pietate quidē omni ex parte niti: tamē rationū robore prorſus fraudatā eſſe. Hāc (niſi fallor) mentē ipſis inſpirauit Caiet. qui in tract. de Concep. Virg. §. *Ex omnibus autem dictis.* de noſtra ſentētia audacter admodū ſic pronunciauit: *Opinio, quæ defendit immunitatē Virginis ab originali, non continet verā pietatē, ſed exiſtimatā.* Et iterū ait *pietatēquidem eſſe, ſed non ſecundū ſciētiā.* Et tunc cū maximè illi adfauere viſus eſt, aſſerit, *ſuā quidē eſſe probabilem, noſtram verò tolerabilē cenſeri poſſe.* Nam vſq; adeò parū valuit apud ipſū pietas, vt etiā probabilitatis nomē ipſi extorquere non potuerit. Liuorē iſtū cōtra piā ſententiam (ita enim appellare licet) hauſerunt à Caieta. Bandel. Medina, atq; Spina, qui omnes tunc cum valde propitios noſtris ſe ſe præbent, eorum opinionem *tolerabilem* eſſe decernunt. Et ſanè plurimum habet tolerantiæ noſtra ſentētia, quandoquidē tantā animis fideliū tolerantiā inſpirat, vt eos, qui talia iactāt, vel potiùs euomunt, tolerare, atq; æquo animo ferre poſſit.

Habet igitur pia ſententia non pietatem tolerabilē, ſeu ancipitem, ſed pietatem cum veritate coniunctam. Plagam verò noſtris à Caietano impoſitam retundo, atque in aduerſarios reflecto. Satis illis concedo, ſi id ex animo concedo. In hac re pietatem habent exiſtimatam, non veram: non veritatem, ſed veritatis vmbram & fucum conſectantur. Quod ſi Caietan. illud etiam noſtris probro dedit, quod pietatem amplecterentur, non tamen ſcientiam, illud verius ipſi exprobrari poſſe credo, quod, cum ita pronunciauit, pietati, ac ſcientiæ parum ipſe detulerit.

Iam igitur vt conſtet, quantū hęc à ratione & à veritate aliena ſint, accipe (lector candide) quid alij, quid etiam nos de certitudine piæ ſententiæ decernamus. Prima quidem ſententia, quam tradere videntur grauiſſimi viri ex noſtris, ſcilicet Bellarm. lib. 4. de Amiſſione gratiæ cap. 15. 16. & 17. Valentia 3. par. diſp. 2. q. 1. punct. 2. Suarez 2. tom. diſp. 30. ſect. 6. & Vazq. tom. 2. diſp. 117. cap. 5. affirmat doctrinam de immunitate Virginis ab originali nullam hodie maiorem habere certitudinem, quam probabilitatis maioris, neque poſſe facilè aliam digniorem notam ex aliquo capite ipſi comparari. Nam cum Summi Pontifices Sixtus IIII. Alexander VI. & Pius V. oppoſitam opinionem probabilem eſſe ſuis Cōſtitutionibus ſponte annuant, ipſi oppoſita nullam capit nobiliorem notam, quàm maioris probabilitatis. Quapropter præfati Doctores argumenta, quæ maiorem certitudinem ſpondere videbantur: ſcilicet feſti obſeruatio, indulgentiarum conceſsio, Officij approbatio, & alia id genus, ita temperant, vt ſolam, eam quam dixi, maiorem probabilitatē piæ opinionis euincant, aſſerentes hæc ab Eccleſia non quidem ea intentione, ac mente præſtita, aut demādata, quia Conceptionis ſanctitatem tanquam certam, & indubitatam à fidelibus obſeruari velit, ſed tāquā magis piā, & probabilitatē, veriq; ſimilitudinē maiorē habētē. Inde autē colligit P. Vazq. diſparē valde rationē, quæ inter feſtū Natiuitatis, & feſtū Conceptionis intercedit, cum ad probandam Virginis ſanctitatē aſſumūtur: quia feſtū Natiuitatis eo animo Eccleſia agere cœpit, vt Virginē cum ſanctitate natam, tāquam certū dogma profiteretur: Cōceptionē autē nō ita, ſed velut magis probabile, & magis piū, vt dictū eſt.

Et ſanè hāc grauiſsimorū virorū ſententiā, ſi ſermo ſit de certitudine, quę pię doctrinæ cōparatur ex his, quæ à Sūmis Pōtificibus in eius fauorē hactenus geſta ſunt: ſcilicet obſeruatio feſti, indulgētiarum cōceſsio Officij approbatio, vſq; adeò verā exiſtimo, vt vix inficiari poſsit; quod ex his, quæ infrà cōtra illos, qui ex dictis fauoribus maiorē aliquā certitudinē aucupantur, ſuggeremus, apertè cōſtabit. Interim autē antequā hinc ad alia greſsū faciā, illud inquiro: an per eiuſmodi fauores, quos Sūmi Pōtifices ad cōciliandā piæ doctrinæ authoritatē, & fidē hactenus exhibuerūt, illud decretū omnino, ac definitū eſſe voluerint: ſcilicet piam ſentētiam eſſe magis probabilem, ita vt qui oppoſitum affirmare auſint, erroris, ac temeritatis notam declinare non valeant.

Imprimis autē id pono, ac cōſtituo, Sūmū Pōtificē nō ſolū definire, ac declarare poſſe doctrinā aliquā eſſe certā, & de fide, ſed etiam eſſe magis probabilē, ita vt in hac declaratione errare non poſsit. Ita docet Sot. lib. 2. de Nat. & grat. c. 17. & *Sotus* 18. & in 4. diſt. 1. q. 3. art. 1. Canus de Sacrament. *Canus.* 4. par. poſt concl. 5. & lib. 7. de locis. c. 2. & ex noſtris P. Vazq. 1. 2. diſp. 86. Ludouic. Turrian. in 2. 2. D. Thom. diſp. 14. dub. vltim. & diſp. 56. dub. 5. *P Vazq. P. Turr.*

P. Arubal q. 11. circa art. 2. & alij non pauci. Cuius rei suppetunt non pauca exépla: sed illud notissimũ ex Clement. vnica. *De sũma Trinitate, & fide, &c.* vbi Pontifex approbat tanquã probabiliorẽ opinionẽ illorũ doctrinã, qui sentiunt paruulis in Baptismo habitus fidei, spei, & charitatis infundi. Postquam verò ad eũ modũ Pontifex declarauit, ac sanxit sententiam aliquã esse magis probabilem, qui oppositũ asserit, temeritatis saltem nota dignus est.

Secundò notandũ est Sũmos Pontifices in rebus tanti momenti, ac ponderis, qualis est institutio festi, indulgentiarũ concessio, Officij approbatio, & id genus alijs, quæ pro immaculata Cõceptione ediderunt, vt scilicet eius venerationẽ toti Ecclesiæ cõmendarent, opinionẽ magis probabilẽ, magis piã, & magis tutã sequi debuisse. Ita videntur tanquã certũ, atq; indubitatũ tradere authores suprà adscripti. Et ratio ipsa suadet. Quis enim nõ videat Sũmos Ecclesiæ Antistites perniciosè aberraturos, si in re tã graui ab aliqua opinione minus probabili, aut minus tuta abduci se sinerent.

Tertiò deniq; obseruandũ est, Sũmum Pontificẽ in exhibitione religiosi cultus, nimirũ cum aliquid populo Christiano religiosè colendũ proponit, nullomodo aberrare posse. Quod quidem ita intelligo, vt eum gradũ certitudinis res habeant, sub quo Pontifex Sũmus illas colendas populo offert. Si enim rei alicuius tãquã indubitatæ, ac certæ venerationẽ demandat, eo ipso illam certã omninò, & indubitatã esse determinat: Si autẽ eidem tanquã magis probabili, piæ, ac tutæ, cultũ religiosum decernit, eo ipso magis probabilem, piã, tutamq; esse definit, ac statuit. Nã vt seq. §. dicemus, ipsa exhibitio cultus à Sede Apostolica proficiscens tacita quædam definitio est.

Ex his ergo, quæ hactenus posuimus, propositæ quæstioni fit satis. Aio enim definitũ omnino, ac determinatũ esse hodie in Ecclesia, eã doctrinã, quæ docet Virginẽ ab originali peccato immunẽ, magis probabilẽ, magis piam, & magis tutã esse. Ita expresse docet Ægid. de Præsentatione loco infra citando, & videtur supponere omnes authores sup. allegati. Ratio vero petitur ex dictis, quia Sũmi Pontifices Conceptionis immaculatæ venerationẽ, & cultũ toti Ecclesiæ, aut sua ferunt, aut demandarunt. Sed quod eo modo venerandũ, colendumq; populis exhibent, veluti magis piũ, magis probabile, magis tutũ proponunt: ergo eo ipso magis probabile, magis tutũ, magisq; pium declarant, ac definiunt. Huius cõsecutionis vis liquet ex suprà dictis. Et confirmatur robusta ratione: quia Sũmi Pontifices piã sententiã magnis semper fauoribus prosecuti sunt, & oppositæ non modo nunquam adfauerunt, sed etiam per imperatum hoc tempore ipsius in publicis actionibus silentium non parum illi derogarunt. Ergo piam sententiam prætulerunt, ac iudicio suo in praxi, & exercitio præferendam esse definierunt, nimirũ in dicta probabilitate maiori: hæc enim sola Summos Pontifices adducere potuit, vt erga piã sententiam ea agerent, quibus maiorẽ fidẽ ipsi cõparaai necessum erat. Ex hac vero doctrina sic demũ cõficio. Omnes istæ propositiones, quas iã subijcio, temeritatis censura dignę sunt: *Doctrina, quæ tradit Virginẽ in peccato conceptã, est magis probabilis*: vel *est magis pia*: vel *est magis tuta*: aut quæ his æquiualentes sunt, nimirum si quis dicat: *Habet fortiora fundamenta, aut efficaciores rationes*: hæc enim non differt ab illa: *Est magis probabilis*: aut si quis asserat: *est magis honorifica Virgini, ac Christo Domino*: hæc enim similis est illi: *Magis pia, ac religiosa est*. Vel si quis pronunciet: *Huic opinioni inest minus periculum erroris*, quæ perinde valet, ac illa: *Magis tuta est*. Eodẽ vitio laborant Propositiones Caietani suprà adscriptæ: *Sententia docens Virginem sine originali conceptam, continet pietatẽ non veram, sed existimatam*. Nec non illa: *Habet pietatẽ sed non secundum scientiã*. Ac deniq; extrema illa: *Est tantũ sententia tolerabilis*. Omnes enim illæ positiones Caietani, aut maiorẽ pietatẽ, aut maiorẽ probabilitatẽ excludũt. Quapropter (nisi mea me fallit cõiectura) omninò iustè, atq; ex iure agerẽt S. Inquisitionis grauissimi, atq; integerrimi Cẽsores, si eiusmodi assertiones tã in cõcionib⁹, quã in priuatis, & familiaribus cõmertijs vsurpatas, tanquã temerarias, & scandalosas coercerent, atq; illas retractari, reuocari, ac recantari cogerent. Addo etiã illud fortassè cõsultissimum futurum, & ad arcenda scandala maximè expediens, si de his deferendis, sicut de alijs in edicto sacro fideles commonerentur.

§. II.

Opposita sententia per censuras Theologorum nomine opinionis fraudari non potest.

SED Virginis amatores aliqui Theologi non satis ducentes sententiam piã illis titulis decorari: *Magis probabilis, magis pia, magis tuta*: aliquid vlterius asseuerant: nimirũ tanta, tamq; præclara hisce diebus testimonia, & tã nobiles probationes ad eã confirmandã accessisse, vt iam hæc (nimirũ pia doctrina) absolutè, & sine addito *vera sententia* dici debeat: opposita verò ne *opinionis* quidẽ nomen promereatur. Ita docet ex nostris P. Iacob. de Granad. in li. de Immaculata Conceptione dis. 2. c. 30. Et cõsentire etiã videtur Emanuel de Roderic. tom. 1. qq. Regul. q. 57. art. 2. vbi affirmat satis indisertè agere Cõcionatores, qui è suggestu illã vocant opinionẽ, cũ potius vera sententia, & verum dogma compellari debeat.

Ego verò consiliũ Doctissimi Eman. Roder. probo, & commendo: & in concionibus omnino ab opinionis nomine abstinendum esse puto, ne imperitorum aures saucientur, & animi exulcerentur. Tamẽ si consideremus statum, quẽ vtraq; sententia, tam pia, quã quæ ipsi aduersatur, in Ecclesia hodie habent, & hactenus habuerunt ex declarationibus à Sũmis Põtificibus editis, secũdum quas de illis iudicare, & censuras suas Theologi ferre possunt: nec de pia sententia maius aliquid, quã probabilioris, & tutioris opinionis

P. Arubal

P. Gran.
Emanuel Roderic.

nionis nomen enunciari poſſe puto, nec oppoſitā opinionis nomine defraudari poſſe autumo. Id mihi perſuadent omninò Pontificum Conſtitutiones, non ſolùm illæ, quæ olim à Sixto 4. Alexandro 6. & Pio 5. emiſſæ ſunt: ſed illa etiam, quæ nuper à S. Patre noſtro denunciata eſt: quæ omnes cauent ſeriò, ne qui piam ſententiam propugnant, oppoſitam doctrinam grauiori aliqua cenſura hęreſis, erroris, aut temeritatis denigrare audeant. Atqui ſi res hodie eò deducta eſſet, vt in tam graui dogmate ea doctrina opinionis nomē iam non mereretur, nec tanquam opinio defendi poſſet: certè aut erroris, aut temeritatis notā declinare non poſſet. Sicut enim quidquid opinione maius, ac dignius eſt, in naturalibus euidētia; in his verò, quæ ad fidem pertinēt, certitudo eſt: ita etiam quidquid opinione minus, ac deterius eſt, error exiſtit. Addo etiam ab ipſomet S. Patre noſtro Paulo in nouiſſima Conſtitutione præfatam doctrinā opinionis nomine donatā, vt propterea illā eo titulo defraudare nō liceat.

Tertio alij, in quibus eſt etiam P. Iacobus de Granados loco cit. cui adſtipulatur D. Gundiſal. Lucero, & alij ex recentioribus graues Theologi ita pronunciant. Nihil prohibet, quominus hodie ſeriò profari, & affirmare poſſimus: *Pia ſententia eſt moraliter certa, & euidens*, Nec nō illud: *Moraliter impoſsibile eſt, vt falſa exiſtat.* De oppoſita verò doctrina id enūciari quoq; poſſe: *Moraliter impoſsibile eſt, vt vera ſit.* Huius aſſertionis probationē petunt ex eodē principio: quia rationū, & probationum efficacia piam ſententiā perſuadēs, talis, ac tanta eſt, vt moraliter videatur impoſſibile ei doctrinæ, quā tot, ac talia roborant fundamenta, veritatem non ineſſe. *P. Gran. Gundiſal.*

Huic ſententiæ libentius acquieſco: ego enim in ea etiam perſuaſione ſum, vt putem illa omnia, quæ ad piam ſententiam comprobandā accedunt, & cōſpirant, falſitati moraliter ſubiacere non poſſe. Sed quid eſt moraliter aliquid certum eſſe? Dicā libenter. Morale dicitur id, quod de more eſt: mos autem ex ſimilium cōparatione aucupari debet. Quapropter illa doctrina dici poteſt moraliter certa, quæ ſi conferatur cum alijs, quæ certitudinem, atq; infallibilitatem habent, nec minora, nec infirmiora fundamenta habet: atq; adeò ſimilem certitudinem præfefert: nihilominus tamē phyſicè non repugnat falſitatem illi ſubeſſe. Eiuſmodi igitur eſt ſententia, quæ tradit ſanctiſsimā Deiparā ab originali culpa immunē. Nam ſi conferatur cum alijs fidei dogmatibus, quę poſt definitionē Eccleſiæ certa, & infallibilia ſūt, nō videtur habere minores, aut imbecilliores probationes, vt proinde moraliter infallibilis, & indubitata haberi poſſit, quamuis phyſicè, & à parte rei non repugnet illi falſitatem ineſſe.

Sed obijcies fortaſſe ad hunc modum. Omnis certitudo opinionē excludit: ergo dum moralis certitudo piæ ſententiæ adſtruitur, oppoſita opinionis nomine defraudatur. Hanc conſecutionē facilè admiſit P. Granados, qui vt præiactā de morali certitudine aſſertionem tueretur, nō dubitauit aduerſariorū doctrinā opinionis nomine ſpoliare. Ego autem nomen opinionis abſolutè ipſi eripere nō audeo: ſed tamē aſſero omnis certitudinis propriū eſſe opinionem oppoſitam in ſuo genere excludere: certitudo enim, quæ eſt euidentia naturalis, in rebus phyſicis excludit opinionē naturalē, & phyſicā: certitudo verò in ſupernaturalibus, quæ eſt fides, opinionem etiā circa eaſdem nullo modo ſuſtinet: certitudo moralis arcet quoq; opinionē moralem. Iam me tenes. Dicimus ergo per certitudinem moralem, quam tot probationū pondere inducti huic opinioni donamus, moralem opinionē excludi. Cū vero ita dicimus, nequaquā illā omni opinionis appellatione priuamus: manet enim illi ſartū, tectūq; opinionis nomē, quod cū naturali euidētia pugnat, & illud etiam, quod cū fide ſimul ſtare nō poteſt: atq; adeò nihil cōtra S. Pontificum Conſtitutiones aſſerimus, quæ in duplici illo ſenſu opinionis nomen, quatenus ſcilicet euidentiam naturalē, ac fidē remouet, illi doctrinæ incolume ſeruari hactenus voluerunt. Fortaſſe etiam nobis concors eſt P. Iacobus de Granados ſuprà citatus, quamuis verba illius aliud aliquid tinnire videantur.

§. III.

Eccleſia non declarauit, aut definiuit hactenus piā de puritate Conceptionis ſententiam ita eſſe veram, vt non poſsit eſſe falſa.



SED Ecce in lucē prodijt Doctiſsimus F. Ægid. de Præſentatione, & in tractatu nuper edito de Conceptione lib. 3. q. 6. art. 1. de certitudine piæ ſententiæ ſublimius aliquid decernit. Nam §. 9. illius articuli concluſionē quandam præſcribit hiſce verbis. *Eccleſia Romana dū ex certa ſciētia Conceptionē B. Virginis ſub titulo immaculatæ celebrat, ſtatuit, & declarat ſententiam, quæ tenet B. Virginē ſine originali fuiſſe conceptā, non ſolùm ſimpliciter eſſe veram, ſed ita eſſe certam, vt à parte rei nullo modo ſit falſa.* Itaq; Ægidius non ſolum moraliter, ſed phyſicè certā, atq; indubitatā exiſtimat doctrinā iſtam, idq; ab Eccleſia declaratū, ac definitū autumat. Ad huius aſſertionis probationem plurima cōfert author iſte: ego verò neruos, quibus ipſam fulcit, breuiter extricabo. *Ægidius.*

Imprimis illud tanquā certū, & cōſtans Theologiæ principiū præmittit, Sanctā Dei Eccleſiā, cū Summorū Pontificum nutum ſequitur, in celebratione feſtorum, & in religioſo cultu Dei aberrare non poſſe. Id verò ſuadet primùm authoritate Sancti Leonis Papæ, in Epiſtola 4. decretali c. 2. D. Thom. 2. 2. q. 93. art. 1. ad 3. quem ſequuntur eius interpretes in eum locum. Confirmat etiā argumento ducto ex feſto Natiuitatis B. Virginis Mariæ, ex quo cuncti Theologi ad vnū certo certius confici putant, eandē Virginē in Natiuitate ſanctā, & immaculatam fuiſſe: & vſq; adeò certam, & infallibilē putant argumenti huius probationē, vt plures dogma

illud ad fidem referri debere affirment: nullus autẽ sit, qui saltẽ inter ea, quę fidei proxima sũt, & quibus non potest subesse falsum, numerandũ esse non credat. Certitudinẽ huius probationis, vt alios dimittã, aperte demonstrant verba S. Ildephonsi in libro de Perpetua virginitate, vbi sic habet: *Sed quia eius Natiuitas solenniter celebratur, constat ex authoritate Ecclesiæ, quod nullis, quando nata est, subiacuit delictis.* Verba illa. *Cõstat ex authoritate Ecclesiæ*, perinde sonant, ac si dicat. Constans omninò, ac certũ est, ita vt inficiari non liceat. Sed clarius certitudinem istam

Bernard. D. Bernardus in illa Epistola ad Lugdunenses (cuius fidem suprà vẽdicauimus) vbi ita asserit. *Ego quod ab Ecclesia accepi, securus & teneo, & trado. Accepi sanè ab Ecclesia illum diem, &c.* Subiungit Assumptionem, & Natiuitatem: & non lõgo verborum interstitio. *Nec fallitur omninò sancta Ecclesia sanctum reputans ipsum Natiuitatis eius diem, &c.* Habemus ergo in Bernardo certitudinẽ, atq; infallibilitatẽ, cui fas nõ sit refragari, & obluctari, & cui nulla falsitas, aut error subesse possit. Deniq; huius assertionis fidem facit Canonizatio Sanctorũ, in qua certissima Theologorum omnium sententia tradit Pontificẽ errare non posse. Frustrà hic numerẽ plures authores, cum possim omnes: facilius est vnum recen-

Caietan. sere Caietanum, qui oppositum asseruit, atq; eapropter reliquos Thologos contra se prouocauit, ac concitauit: ita vt nullus sit, qui eius doctrinam grauiori aliqua censura non confixerit. Sed vnde tanta certitudo canonizationi? Non aliunde certè, nisi ex cultu religioso, & veneratione, quæ sanctis exhibetur: nã canonizare nihil aliud est, quàm per vltimam, & declaratiuam sententiã Sanctum aliquẽ Ecclesiæ proponi adorandũ, & cultu religioso prosequendum.

Ægid. Sed quid inde? Inde conficit Ægid. illud mysteriũ, quod à Pont. toti Ecclesiæ, solenniter, & festiuè concelebrandũ, & venerandũ proponitur, per hoc ipsum quasi canonizari, & Sanctũ declarari, ac definiri, vt de Natiuitate Virginis, & Ioãnis Baptistæ, & alijs solennitatibus constat. Vt autẽ ostendat Doctor iste ad quantã certitudinẽ adducatur ea sanctitas, quã Pontifex eo modo per dictã canonizationẽ, & religiosi cultus exhibitionẽ declarat, ac contestatur, numerat aliorũ sententias, qui Theologos asserentes Pontificẽ in dicta declaratione posse errare, grauioribus notis sugillant. Ex quibus alij hæreticũ, alij erroneũ esse pronuntiãt: nullus non temerarium esse decernit. Quid plura? Repetit deinde illos gradus certitudinis, quos Theologi numerant in rebus, quæ fidẽ quomodolibet concernunt, ex quibus alia sunt *de fide*, alia *fidei proxima*, alia *fidei cõsentanea.* Addit verò inter dictos gradus tertiũ obtinere certitudinẽ illam, quæ ex festi obseruatione, & alijs fauoribus, quibus Virginis Cõceptionẽ Sedes Apostolica prosecuta est, colligi potest. Ea verò, quorum certitudo ad præfatũ gradũ pertinet, vsq; adeò certa esse dicit, vt illis falsitas subesse nullo modo possit: quia cum id, quidquid obtinent certitudinis, & infallibilitatis, non aliunde, nisi ex fidei lumine, cui consona esse dicuntur, mutuatum sit, nõ possunt falsitati, aut errori subesse: fieri enim nõ potest, vt fides illuminet aliquid, quod à parte rei verũ non sit. Cum hoc autẽ bene (inquit) constare potest, vt opposita sententia toleretur ab Ecclesia: nam quæ in eo tertio gradu certitudinis locata sunt, id habent sibi proprium, vt eos, qui contraria sentiunt, aut docent, non puniat, nec à gremio suo arceat Ecclesia, sed eorum dogmata ex tolerantia quadã sustineat.

Huic tamen doctrinæ acquiescere non possum. Admitto ergo, ac boni consulo præcipuum huius probationis fundamentum, scilicet Summum Pontificem in solennitatũ, ac festorum demandatione, & in alijs, quæ ad Ecclesiasticum Dei, & Sanctorum cultum pertinent, aberrare non posse. Illud etiam pro certo habeo, ipsam delationem cultus authoritate Pontificia demãdatam, esse tacitam declarationem, ac definitionem eius sanctitatis, cuius veneratio, ac cultus præcipitur, tunc cum talis sanctitas tanquam res indubitata, & certa coli, & obseruari à Pontifice iubetur. Cum verò ipsa Ecclesia declarauit suæ intentionis esse, vt dicta sanctitas, non tanquam certa, & indubitata res, sed tanquam magis pia, magis probabilis, magisq; tuta in veneratione sit: tunc quidem per eiusmodi delationẽ cultus Ecclesia tantum declarat, atque definit illam esse magis probabilem, magis piam, magisque tutam. Ita verò in casu nostro contigisse vna & altera ratio suadet.

Prima est à priori: quia nemo inficiari potest Ecclesiã eo modo probabilioribus, & tutioribus rationibus inductã ita præcipere potuisse, vt res aliqua in cultu, ac veneratione sit. Nã si quid obstare poterat, maximè illud, quod hactenus probauimus, nimirũ per delationẽ cultus religiosi Põtificis authoritate factã, sanctitatẽ definiri, ac declarari. Sed Põtifex potest definire, ac declarare opinionẽ aliquã esse magis probabilẽ, vt diximus: ergo integrũ etiam illi est, alicuius sanctitatis, quę magis probabiliter, ac piè creditur, cultũ præcipere sub ea intentione, vt eam magis probabilẽ esse declaret. Cũ igitur Ecclesia eo modo propter maiorẽ probabilitatem, B. Virginis immaculatã Conceptionẽ festiuè colere, & obseruare, atq; etiam Pontifices eius cultũ, & obseruationẽ præcipere potuerint, fas non est dubitare ita factũ, cũ tot sint eorundẽ Pontificũ Constitutiones, quæ id suadẽt, in quibus opposita sententia tanquã probabilis sustineri permittitur, & ab omni grauiori nota, aut censura vendicatur.

Hinc autẽ fluit secũda ratio ab inconuenienti: quia si demus Ægidio id, quod ipse contendit, scilicet per delationem cultus religiosi Virginis immunitatẽ ab originali tanquam rem indubitatam fuisse ab Ecclesia traditam, & declaratam: profectò nec opposita doctrina tolerari, nec à graui aliqua censura liberari posset. Quod exempla ab authore isto producta satis declarant. Nam ex eo, quod Ecclesia festum Natiuitatis colens, eiusdem in ipsa natiuitate

innocen-

innocentiam tanquã rẽ indubitatam profitetur, inde fit, vt affirmantes eandem in peccatis natam nequaquam toleret, nec à graui aliqua nota, aut hæresis, aut erroris liberos esse iubeat. Et quia similem ad modum in Canonizatione Sanctorum per delationẽ cultus tanquam rem certam, & nulli obnoxiam dubitationi Ecclesia eorundem Sanctitatẽ declarat, ac denunciat, oppositum affirmantes non sustinet, imo potiùs tanquã hæresis, erroris, aut temeritatis nota dignos seuerissimẽ punit. Et eadem ratio est de Beatificatione Sanctorum quæ Canonizationis quædam pars est. Itaque in eo mihi displicet Ægidij sententia, quia cũ affirmet Ecclesiam per festi Obseruationem, & delatum immaculatæ Conceptioni cultum Mariæ immunitatẽ à culpa originali tãquam rem indubitatam tradere, ac profiteri voluisse, oppositum asserentes ad tertiũ hominum genus refert: eorum nimirũ, quos contra ea, quæ fidei valde consentanea sunt, sentientes Ecclesia tolerat, & nihil in ipsos graue statuit: cũ potius ad primũ, vel ad secundũ genus referendi essent: eorum scilicet, qui contra ea, quæ sunt de fide, aut fidei proxima, aliquid pronuntiant, vt ex præfatis exemplis constat. Quapropter illud cõpertissimũ esse debet, nihil eorũ, quorũ certitudo ab Ecclesia declarata est, ad tertiũ illud genus dogmatũ referri posse, quod doctrinas tantũ cũ fide consentaneas cõtinet: sed in eo genere ea tantũ poni, quæ licet cũ alijs fidei prncipijs cohæreant, & ex eisdẽ non obscurẽ cõfici, ac deduci videantur, nec dum tamẽ eorũ cohærẽtia, & cõformitas sufficienter ab Ecclesia declarata, & denunciata est.

§. IIII.

Considerato præsenti statu, quẽ habet, probabiliter dici potest ita veram esse dictam sententiam, vt non possit à parte rei esse falsa.

EX Dictis liquet piã de immaculata Virginis Conceptione sententiã, si spectentur ea, quæ hactenus Ecclesia declarauit, & quæ in fauorẽ illius gessit, in gradu certitudinis nõ excedere nomẽ opinionis magis probabilis, magis tutæ, magisq; piæ atq; adeò nemini integrũ esse, tunc cũ docet, & quid alijs sentiendũ sit, præscribit, aliquid dicere, aut pronuntiare, quod ita deroget oppositæ, vt probabilitatem, aut nomen opinionis illi adimat.

Cæterũ nequis putet me his argumẽtis aliquid de piæ sentẽtiæ nobiliori cõditione detrahere, & oppositæ tribuere quidquam velle, aliqua subijciam, ex quibus constare possit, quam dissimilis sit vtriusq; status respectu definitionis: quantumque vna alteri in ea, quam vestigamus, certitudine præstet. Igitur dico primo illud ad piæ sententiæ maiorem certitudinẽ demõstrandam aptum, natumque videri, quod doctissimus P. Luys. Turrian. docuit 2. 2. disp. 56. dub. 5. scilicet Sũmum Pontificẽ, tunc cũ definit dogma aliquod esse magis probabile, circa veritatẽ illius aberrare non posse: quia nimirũ ad summã Dei prouidentiã pertinere videtur, vt illa doctrina, quã Pontifex præfert, & tanquã magis probabilẽ Ecclesiæ vniuersali amplectendã proponit, nõ sit à parte rei falsa. Subijcio verba, & rationẽ præfati Doctoris. *Existimo nõ posse Pontificem errare circa veritatem propositionis, quã declarat esse probabiliorẽ (loquimur autẽ de materia, quæ possit ad mores, vel ad fidem pertinere, licet res non sit de fide) Nam si in hoc posset Pontifex errare, magnũ detrimentũ posset sequi in Ecclesia: omnes enim amplecterentur, & defenderent eam opinionẽ, & putarent verã, & eius probabilitas in dies cresceret, ac proinde tota Ecclesia falleretur, quod nulla ratione admittendũ est.* Itaq; Doctor iste non solũ putat Sũmum Pontificẽ, cum declarat propositionẽ aliquã esse probabiliorẽ, nõ posse errare in qualificatione huius probabilitatis, præferẽdo eã partẽ, quæ ad ad speciẽ habet fortiora, & robustiora fundamenta, sed etiã in ipsa physica veritate ita nimirũ, vt quod Põtifex magis probabile cẽsuta sua declarauit, non possit non esse à parte rei verum, quamuis ad fidem non pertineat. P.Turrianus.

Ergo ex præmissa doctrina, quã tantæ autoritatis Theologus, & Magister meus inter eos, quos ætas nostra superstites habet, nulli secundus tradit, facilis, atq; expedita se se aperit nobis via ad defendendã maiorẽ certitudinẽ piæ sentẽtiæ: ex ea enim probabili cõsecutione deducere fas est dictã sententiã hodie ad eũ certitudinis gradũ adductã fuisse, vt nõ tantũ moraliter, sed etiam physicẽ, & à parte rei nõ possit esse falsa. Quia ex dictis in §. 1. liquidò cõstat, Põtifices Sũmos per institutionẽ festi, approbationẽ Officij, & alia, quæ in puræ Cõceptionis fauorẽ hactenus gesserunt, omninò declarasse, ac definijsse piam sententiã esse probabiliorẽ, atq; tutiorẽ: sed Põtifex declarans opinionẽ aliquã esse magis probabilẽ, circa veritatem illius errare nequit, nec fieri potest, vt quod ipse probabilius esse decreuit, falsum sit à parte rei: ergo per dictã declarationẽ, & finitionem maioris probabilitatis consequenter effectum est, vt pia sententia ita vera sit hodie, vt illi falsitas subesse nullo modo possit, quãuis ad fidem nõ pertineat, & alioqui Ecclesia eos, qui oppositũ sẽtiũt, meritò hactenus sustineat. Ad confirmationem autẽ huius doctrinæ accedit, quia specialis illa ratio, qua inductus est noster Turrianus, vt serio affirmaret Pontificem in ea definitione aberrare non posse, in hac doctrina præcipuè locũ habet: vt pote quę ex illis est, quæ partim ad mores pertinent, partim fidẽ concernunt. Nam quatenus ex ea fit, vt tota Ecclesia Conceptionẽ Virginis tã quã sanctã, & ab omni sorde permundã colat, & veneretur, ad mores spectat: quatenus verò in causa est, vt Theologi ad eã defendendã de originalis peccati transfusione, de occasio-

ne Incarnationis Christi, & de alijs grauissimis dogmatibus aliter, atq; aliter sentiât, ad fidē vtiq, pertinet. Quapropter si Pōtifex declarans, ac decernens eā esse magis probabilem, errare potuisset, & possibili ad effectum perducto, re ipsa, & de facto aberrasset, maximā certè, tā in moribus, quā etiā in his, quæ ad fidē attinet, doctrinis, errādi occasionem, & ansam omnibus fidelibus obtulisset: qui eā doctrinā, quam ipse magis probabilē esse declarauit, ne à capite suo dissentiant, oppositæ præferentes, in veneratione rei non sanctę, atq; in assensu tā huius dogmatis, quā aliorū, quæ ab ipso pendēt, & cū ipso cohærent, errores plurimos hactenus ebibissent. Indeq; fieret id (quod nunquam non vitari, & declinari debet) non solū maiorē, sed etiā longe maximā Ecclesię partē in assensu plurium dogmatū delusam, & deceptā fuisse.

Certè huic rationi, quā vir apprimè doctus, & Magister meus P. Luysius Turrianus mihi

P. Turrianus. suggessit, libenter acquiesco: est enim valde accōmodata, ad defendendā maiorem certitudinē piæ sentētiæ, sine aliquā iniuria, & notā oppositæ doctrinę, quā omni studio cauere, ac declinare est animus, vt Apostolicis constitutionibus pareā. Ceterū vt huius rationis robur cōpertū sit, obseruare oportet inter alia fidei dogmata illud esse valde constans, & cui aliorum certitudo maxima ex parte incūbit, scilicet Ecclesiam in his, quæ ad fidē pertinēt, aberrare non posse. Ita expressè trādit Paulus in 1. ad Timoth. 3. vbi Ecclesiā appellāt *Colūnā,*

1. ad Timoth. 3. *& firmamētū veritatis*: quia nimirū in eius sensu inest veritas solida, immobilis, & inconcussa. Habet autē Ecclesia illustres de hac re

Ioan. 14. promissiones, quibus diuinam fidē obstrictā tenet Ioan. 14. *Ego rogabo Patrē, & aliū Paracletum dabit vobis spiritum veritatis, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quacunque dixero vobis.* Et rursus c. 17. *Sanctifica eosin veritate, sermo tuus veritas est: & ego pro eis sāctifico me ipsum, vt sint ipsi sanctificati inveritate, &c.* Et iterū apud eundē Ioan. in 1. Can. *Sed vos vnctionē habetis à sācto, & nostis omnia.* Et infrà. *Et vos vnctionē, quā accepistis ab eo, maneat in vobis, vt non necesse habeatis, vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet de omnibus, & verū est, & non est mendaciū.* Quibus verbis continetur certa quædā Dei sponsio, qua Spiritus Sanctus ita Ecclesiæ affuturus dicitur, vt non sinat illam decipi, aut in errores labare.

Sed quia hæc promissio, vt verba sonant, nimis ampla videtur, qualiter, & in quibus teneat, examinare oportet. Imprimis autē omniū Theologorum cōmunis sentētia fert hanc promissionē nō ad omnē materiā extēdi: sed in his tantū rebus valere, quæ vel ad fidem attinent, ita vt in his præcise Ecclesia sponsionē acceperit non errandi. Deinde constans doctrina est inter Theologos dictam promissionē toti quidem Ecclesiæ factā, nō quidē mathematicè, ita vt illud tātū dogma, in quo omnes fideles ad vnū consentiunt, sit infallibile: sed moraliter, ita vt illa doctrina, in qua plures ita conspirant, vt pauci (qui respectu pluriū pro nullis æstimari possunt) dissentiāt, certa, & infallibilis sit. Deinde illud etiā Theologis omnibus compertū est, per Ecclesiā eā esse intelligendā, quæ quouis tempore superstes est: nā quouis omninò tēpore quasi quoddam perfectū, atq; absolutū corpus est, quod suos proinde oculos omni tēpore habet, suūq; spiritum veritatis instar animæ perpetuò secum manentē, mēbraq; ipsius pro conditione cuiuscunq; vegetantem, & animantē. Rursus nomine totius Ecclesiæ, cui dicta promissio facta creditur, non tantū intelligitur Ecclesia in Concilio Generali actu congregata, & collecta, sed etiā extra Cōciliū, quatenus ex omnibus fidelibus constat. In qua re nullū video Theologorū dissidium: omnes enim tanquā certum supponere videntur præfatam promissionē factam fuisse vniuersali Ecclesiæ vt sic. Nam cum inter ipsos non satis cōstet, an Patres in Generali Cōcilio collecti ante approbationē Sūmi Pontificis, aut omnes, aut plures deerrare possint: nullus tamen vnquā dicere ausus est totā Ecclesiā in assensu alicuius dogmatis errorē aliquē amplecti posse; atq; adeò longè certius putant Ecclesiam vt sic vniuersaliter acceptam falli non posse, quā eandē per suos Episcopos in Generali Concilio collectam (Ego tamē differentiam hanc Ecclesiæ in Cōcilio, & extra Conciliū minimè probo: quia vt infra §. 5. dicam, Episcopi in Cōcilio Generali ex Christi Domini institutione, repræsentant totā Ecclesiā, & cū ritè, ac legitimè sub Pontificis obedientia, & secundū illius directionē sententiā dicunt, ipsius Ecclesiæ nomine pronuntiant: atq; ideo ipsorū, atq; Ecclesiæ diuersa, aut dispar ratio esse nō potest) Quapropter optimè docuit Card. Bellar. *Bellarm.*

de Eccles. l. 3. c. 16. P. Valent. 2. 2. disp. 1. q. 1. *P. Valen.*

punct. 7. §. 17. omnes Episcopos, & pastores Ecclesiæ etiā extra Conciliū nō posse erroneam aliquā doctrinā amplecti. Et infra §. 45. similē ad modū omniū Doctorum Catholicorū pro quolibet tēpore viuentium concordē sententiam etiam extra Conciliū esse infallibilem. Rationē autē hanc reddit: quia Episcopi, & DD. cum sint in Ecclesia primarij, & ad quorū sensum reliqui fideles se se cōponūt, quasi tota Ecclesia censentur. Vnde cum Scriptura Sacra 3. Re. 8. narrasset omnes Principes filiorū Israel per suas tribus in vnū collectos fuisse, statim subiunxit. *Tūc conuersus Rex benedixit vniuersæ Ecclesię, omnis enim Ecclesia adstabat.* *3. Reg. 8.*

Adstipulatur Philos. 9. Ethic c. 9. vbi ait ciuitatem id esse, quod est in ciuitate præcipuum. *Arist.*

Deinde id ipsum persuadetur, quia si Pastores, & Doctores omnes à veritate excidere possent, consequenter omnes in vniuersum fideles deerrare potuissent: hi enim instillata sibi ab illis dogmata sine discrimine arripiūt: atq; adeò consectariè fateri oportet ideò vel

maximè cũctos Ecclesiæ fideles falli, & decipi non posse, quia nimirum omnes Episcopi, & Doctores falli, ac decipi nequeunt. Itaque consensus fidelium ex consensu, & concordia Doctorum, & Pastorum fluit. Cuius etiam cõsensus in definitionibus fidei magna habetur ratio, quoties de illo constare potest: ita vt quod fidelium omnium concors persuasio tenet, id quoque infallibile censeatur, si de isto consensu aliquo argumento omninò constet. Cõstare autẽ aliquando potest. Subijcio verba nostri Gregorij de Valentia, quæ ad eam, de qua nunc disceptamus, thesim valde accõmodata sunt. *Si quando de re aliqua in materia religionis controuersa constaret fideliũ omnium concordem esse sententiam (Solet autem id constare vel ex ipsa praxi alicuius cultus communiter apud Christianos populos recepta: vel ex scandalo, & offensione communi, quæ ex opposita doctrina oritur) meritò potest, ac debet Pontifex illa niti, vt pote quæ esset sententia Ecclesiæ infallibilis.* Cum verò audis terminos illos, *communes, omnes, cunctos, vniuersos*, non mathematicè accipere debes: sed ita vt multò plures Ecclesiæ Pastores, & Doctores in errorem aliquẽ rapi non possint: quod ex his, quæ statim de Concilio generali dicemus, liquidum fiet.

P. Valẽt.

Interim autem sic rationem instituo. Episcopi, & Patres in Concilio suffragium ferentes nõ ideo aberrare nõ possunt, quia in Synodum congregati, & collecti sunt: sed quia totius Ecclesiæ vocem portant, & tunc cum ritè, ac legitimè sententiam dicunt, nomine Ecclesiæ pronunciant: sed extra Concilium eodem modo vniuersam Ecclesiam repræsentãt, vt nuper dicebamus: ergo si longe maior Episcoporũ pars in Cõcilio deerrare nequit, eodẽ modo extra Conciliũ falli, ac decipi nõ potest. Quis ergo Cõciliorũ vsus, & quæ illorũ authoritas? Audiendus P. Gregorius de Valentia locis citatis, qui authoritatẽ Cõcilij in duobus ponit: alterũ est, quia omniũ Episcoporũ, & Pastorũ extra Conciliũ sententias exquirere, audire, & cõferre difficile esset: & ideò ad sensum Ecclesiæ addiscendũ Synodi necessariæ sunt. Alterũ verò, & longè præcipuũ est, quia cũ neq; omnes Ecclesiæ vniuersalis per totũ orbẽ diffusæ Pastores, & Episcopi orthodoxi, imo neq; plures ad Cõciliũ euocati accedere possint propter distãtiã regionũ, & difficultates viarum: illi quotquot ex præscripto Pont. siue paruo, siue magno numero protẽporũ ratione collecti fuerint, Ecclesiã repræsentãt, & totius Ecclesię fides, & authoritas ad ipsos redigitur: ita vt quod longè maior illorum pars ritè, ac legitimè pronunciat, non possit non esse sensus maioris Ecclesiæ partis.

Sed illud in hac re magis difficile est, qualis esse debeat iste cõmunis sensus Ecclesiæ, vt veritatẽ infallibilem contineat. Aliqui seueriores Theologi affirmãt tunc tantũ pro infallibili habendũ esse cõmuniorẽ Ecclesiæ sensum, cũ cõmunis iste sensus aliquid tanquã certũ, & indubitatũ amplectitur, vel ad fidẽ, vel ad mores pertinens: ita nimirũ, vt illud non solũ verum, sed etiã reuelatũ à Deo, certo, atq; indubitato assensu teneat. Hãc sententiã aliqui recentiores tribuunt Bellarminio, sed nusquã illã expressè docuit. Potest tamẽ efficaci ratione fulciri: quia per Ecclesiæ cõmunẽ sensum nihil maioris certitudinis dogmatibus ipsis deferri posse videtur, quã quod in ipso sẽsu Ecclesiæ habẽt: ergo si cõmunior Ecclesiæ sensus aliquã doctrinã tanquã magis probabilẽ tantũmodo amplectatur, nõ poterit illi inde alia certitudo dignior quã maioris probabilitatis cõparari. Atq; adeò vt aliquid per istũ Ecclesię sensum infallibile efficiatur, necessum erit, vt illud concors Ecclesiæ sententia tanquam infallibile ducat, atq; æstimet. Confirmatur hæc assertio: quia vt ex aliquo medio certitudo, atq; infallibilitas deduci, ac deriuari queat, debet illud esse infallibile, ac certũ: ergo vt cõmunis Ecclesiæ sensus in aliquã doctrinã infallibilitatẽ influere queat, debet esse ipse infallibilis. Rursus ab inconuenienti argumentari sic licet: quia constat satis multas esse opiniones, quas longè maior Ecclesiæ pars præfert, & illis ceu verioribus probabiliter assentitur: & tamen nullus affirmare ausit eas ex hoc communiori sensu infallibiles reddi.

Cæterũ alij longè melius absolutè affirmãt ea dogmata, quæ cõmunis Ecclesiæ sensus tenet, infallibilẽ veritatẽ continere, quoties illa tanquã vera amplectitur: siue assensus sit probabilis cũ aliqua formidine erroris: siue certus, & infallibilis. Ita docet P. Greg. de Valentia 2.2. disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 45. Canus li. 7. de locis. Vualdẽsis li. 2. doctrinalis fidei antiquę c. 22. & 23. Et videtur esse expressa mẽs P. Luysij Turriani loco supra citato, quatenus ex eo colligit Pontificẽ, tunc cũ definit aliquã doctrinã esse magis probabilẽ, circa veritatẽ illius aberrare non posse: quia nimirũ inde fieret, vt tota Ecclesia eã doctrinã, quã Pontifex censura sua probabiliorem esse declarauit, spõte arripiens deciperetur, ac deluderetur: hæc autẽ deceptio non in certo, & indubitato, sed in probabili assensu contingeret. Hinc autem fluit huius assertionis robustior, ac firmior ratio: quia per suprà scriptas promissiones constat Ecclesiã falli, ac decipi non posse: sed si tota Ecclesia, aut longe maior illius pars alicui doctrinæ tanquã veræ per assensum probabilẽ acquiesceret, quæ à parte rei falsa esset, verè, ac propriè decipi, ac falli diceretur: ergo in his etiã, quæ per assensũ probabilẽ amplectitur, deerrare non potest. Confirmatur hæc ratio: quia si in probabili totius Ecclesiæ assensu error, ac deceptio euenire posset, nullũ ferè esset dogma, quod propter communem eiusdem Ecclesiæ sensum ad definitionem venire posset: quia vix aliquod esset, quod ante Pontificis definitionem eadem Ecclesia tanquam certum, atq; indubitatum absq; aliqua erroris formidine concordi sensu æstimaret.

Quapropter extremam sententiam omninò certam, & exploratā existimo. Illa verò argumenta, quę priori fidē facere videntur, diruere pronum, ac procliue est. Ad primū enim sic respódeo, quod licet singuli fideles, imò & omnes probabilibus inducti principijs, alicuius dogmatis assensū probabilē habeāt: tamen ex hoc probabili assensu propter assistētiā Spiritus S. qui vniuersam Ecclesiam ad veritatem informat, & ipsam falli, ac deerrare nō finit, rectē deduci infallibilitatem eius doctrinæ, quam tota Ecclesia, aut maior illius pars concordi amplectitur consensione. Ad secundum argumentū dico ad hoc, vt ex communi Ecclesiæ sensu etiā probabili colligatur infallibilitas alicuius dogmatis, non satis esse, vt Ecclesia habeat assensum veritatis propter principia intrinseca, quæ illā suadent: sed necessum est, vt eodem probabili assensu teneat esse reuelatam ab ipso Deo, propter Scripturæ Sacræ testimonia, aut Apostolicas traditiones, quibus id conuici videtur: nā cum promissio illa nunquam errandi nō fuerit Ecclesiæ facta in qualibet materia, sed in his, quæ ad fidem spectāt (vt ex cō muni Theologorū sententia nuper statuimus) cumq; fides tantum versari possit circa reuelata, sensus Ecclesiæ communis, vt ex illo infallibilitas depromi possit, ita conspirare debet, vt de reuelatione ipsa probabilē saltē assensum conceperit: eorum autē dogmatum, quæ Eclesia tota, aut longe maior illius pars tanquam reuelata à Deo amplectitur, non magnus, sed exiguus est numerus.

P. Turrianus. His præsuppositis, satis ex illis innotescit vis illius rationis, qua noster P. Luys. Turrianus probat summum Pontificem, tunc cū definit opinionem aliquam esse magis probabilem, circa veritatem illius deerrare non posse: nam cum eam opinionem, quam Pontifex eo modo probabiliorem esse decreuit, tota Ecclesia, aut longe maior illius pars præferat, & eidem tanquam veræ acquiescat saltē probabili assensu, nisi esset vere à parte rei, sequeretur Ecclesiam Dei falli, ac deludi, quod in nullo casu admittendum est. Hęc autem assertio, aut consecutio eatenus vera est, quatenus ex dicta declaratione summi Pōtificis, qua doctrinam aliquam in materia fidei magis probabilem statuit, morali necessitate consequitur, vt eam Ecclesiæ fidelis longe maxima pars tanquam veriorem amplectatur. Quia nimirū indecorū, & alienū protsus à veritatis indagatoribus creditur, id quasi data opera sectari, & amplecti, quod, velint nolint, minus probabile, minusque tutum esse fateri debent. Et quidem ratio ista aduersarios nostros non parum vrget. Nam cum constet ex dictis eam doctrinam, quæ immunitatē Virginis ab originali tradit, tanquam magis piam, magis probabilem, magisque tutam Pontificum authoritate declaratam, ac definitā fuisse, absurditatis nescio quid cōtinere videtur, & quod viros amatores veritatis non parum dedeceat, oppositam sententiam de industria sectari, quam (velint nolint) minùs piam esse minùs tutam, minusq; probabilem, quam oppositam diffiteri non possunt.

Sed tamen quod caput est, ex prædicta ratione maiorem certitudinem, quā habet hodie pia sententia, depromere procliue est. Nā vt suprà demōstrauimus, per institutionē festi, Officij approbationem, largitiones indulgentiarum, & alia eiusmodi, quæ Summi Pōtifices in fauorem illius gesserunt, ipsam magis piam, magisque tutam esse decreuerunt, ac definierunt. Inde autē factū est, vt eā Ecclesiæ pars longè maxima, tanquam veram, & reuelatam à Deo probabili tantum assensu offirmatissime teneat, ac doceat: siue per Ecclesiam intelligas Pastores, & Doctores, qui ipsam repræsentant: siue omniū fidelium cœtū, ex quibus tāquam ex membris coalescit: qui quali, ac quanto studio huic adhæreāt sententię, duplici illo argumento perspicuè hactenus testati sunt: scilicet cultu communi, quo immaculatam B. Virginis Conceptionē prosequuntur: & scandalis, quibus ex sola commemoratione oppositæ doctrinæ grauiter exturbantur, & offenduntur. Sed totam Ecclesiam, aut longe maximam illius partem in assensu rei, quā eo modo veram reputat, falli, & deludi nō potest. Ergo ex his principijs probiliter satis deducere licet eo modo, quo vir Theologus priuato sensu definire potest, prædictam sententiam ita certam esse hodie, vt a parte rei falsa esse non possit. Quomodo autem id pronuntiare liceat sine nota, aut cēsura oppositæ doctrinæ, infra subtexam. Sed quorsum hæc ad definitionem?

§. V.

Sententiam definitiuam habent in Concilio: & quæ sit materia huius sententiæ.



VT CONSTET, Quàm parata, & expedita sit dicta sententia ad eam, quam omnes expetimus definitionem, audi, quæ iam subijcio, ex præiactis in superiori §. fundamentis deprōpta. Prius autem, quam mentem, ac sensum exprimam meum, circa authoritatem Concilij generalis aliqua præmittere operæ pretium est, quę inter Theologos comperta sunt: ex his enim ad nostram thesim doctrinam deriuare pronum erit. Primò illud certum, ac ratum est, authoritatem Generalis Concilij legitimę congregati, & sub obedientia Summi Pontificis manentis, in eo sitam esse, quod Ecclesiæ totius vocem portat. Quapropter omnes ad vnum Theologi inde quasi à prio-

ri col-

ri colligunt Concilia aberrare non posse: quia fieri nequit, vt Ecclesia, cuius nomine Episcopi sententiã in Concilio dicunt, in materia fidei errorẽ aliquẽ sponte amplectatur. Quamobrẽ ideò Concilia ab initio nascẽtis Ecclesię per Christi institutionẽ coguntur, vt Episcopi dictis inibi sentẽtijs Ecclesię sensum renũciẽt: qui sensus ad definitiones condendas præcipuum fundamentum est, quatenus per illum reliqua capita, ex quibus definitiones Synodicæ petuntur, regulare, ac metiri oportet. Nam interpretationes locorũ Sacræ Scripturæ, traditionum certitudo, & alia id genus nõ aliunde melius exquiruntur, quam ex prædicto sensu Ecclesiæ, vt docet P. Valentia, & Cardin. Bellarm. loco citato.

Hinc autem (nisi fallor) petenda est decisio cuiusdam controuersiæ, quæ in materia de Fide circa authoritatem Conciliorum grauissima est. Nam constans est omnium Theologorum doctrina, Episcopos in Concilio ritè, ac legitimè congregato suffragium non tantùm consultiuum, sed etiam decisiuum, ac definitiuum habere: & alioqui etiam fide Catholica certum est, neque plures Concilij Patres, neq; omnes efficere posse doctrinam aliquam de fide, nisi accedat eorum suffragijs approbatio Summi Pontificis: quæ duo specie tenus inter se pugnare videntur. Quomodo enim Episcopi Synodicè congregati in definitionibus fidei vocem decisiuam, & definitiuam habent, si postquam plures, imò & omnes suas sententias concordes super dogmate aliquo dixerũt, necdum illud decisum, ac definitum est, donec Pontifex illud approbauit, & toti Ecclesiæ credendum proposuit?

Aio igitur Episcopos in legitimo Concilio sub obedientia Pontificis manentes, & directionem ab ipso acceptã per omnia sequentes, in declaratione sensus Ecclesiæ vniuersalis decisiuam, & definitiuam sententiam habere: ita vt quod omnes, aut plures ibi dicunt, ac sentiunt, is totius Ecclesiæ, aut maioris partis illius sensus infallibiliter censeri debeat. Ratio est in promptu, quia Episcopi in Concilio Generali congregati ex ipsius Christi institutione gerunt vices totius Ecclesiæ, & illius vocem portant, ita vt tota Ecclesiæ fides ad illos redacta sit: ergo quidquid ipsi ritè, ac legitimè pronunciant, in nomine Ecclesiæ pronunciãt: & ex consequenti quidquid omnes, aut eorum pars maxima dicit, id tota Ecclesia, aut maxima illius pars dicere, ac sentire infallibiliter putanda est.

Sed contra hanc positionem sic argumẽtari libet. Id, quod tota Ecclesia, vel maior illius pars tanquam verum in materia fidei reputat, non potest esse falsum, vt in superiori §. dicebamus: ergo dogma illud, quod maxima Episcoporum pars eo modo suffragijs suis declarauit, ante approbationẽ Summi Pontificis habet veritatem infallibilem, ac per consequens ante illam definitum, & determinatũ iam est. Ergo Pontificis approbatio vlterius necessaria non erit.

Aliqui respondent approbationem Summi Pontificis requiri tanquam vltimum suffragium, quod cæteris Episcoporum suffragijs vim, ac robur addit, quatenus eo prolato caput cum membris, & membra cum capite consentire, & concordare incipiunt. Hæc tamen doctrina, prout asserit approbationem Summi Pontificis habere vim suffragij vltimi in Concilio, mihi nunquam probari potuit. Nam vel est suffragium cæteris infallibilitatem formaliter donans: ita vt ante illud aliorum etiam ritè, ac legitimè congregatorum, & sub obedientia ipsius Pontificis manentium Episcoporum suffragia, & voces falsitati obnoxiæ sint. Vel est suffragium quoddã simile alijs, quod nimirum in censum aliorum veniens, ideò ad definitionem præstat, quia auget numerum. Neutrum certè dici potest. Nõ prius: quia sequeretur inde Episcopos in Concilio non habere sententiam definitiuam ad declarandam certitudinem dogmatum ad fidem spectantium. Nam si à suffragio Summi Pontificis formaliter infallibilitatẽ accipiũt; ergo ante illud ex natura rei deceptioni, & falsitati subiacẽt. Igitur veritas, ac certitudo per dicta suffragia regulari, ac metiri non potest: medium enim quod ex natura sua fallibile est, ad certitudinem, & infallibilitatem declarandam præstare non potest. Adde etiam quod præfata suffragia perinde se haberent, ac si dicta, & prolata non essent: quandoquidem sola vox, ac suffragium Pontificis ex certa scientia pronunciatum, etiam sine Episcoporum suffragijs, eodem modo rem definiret, ac determinaret. Illud etiam posterius dicere nefas est: quia si Pontificis suffragium æquali cõditione cum alijs in numerum veniret, non magis esset necessarium, quàm aliorum alia singularia suffragia; atque adeò sine illo definitio transigi posset.

His igitur, atq; alijs aliorum sententijs reiectis, dico approbationem Summi Pontificis duos valdè nobiles effectus habere in Concilio. Primus est, non quidem dare formaliter infallibilitatẽ Episcoporum suffragijs (si enim hic esset effectus approbationis, non maneret eorum sententia definitiua) sed eorundem infallibilem certitudinem declarare, ac demonstrare. Quia vt non semel adnotaui, Episcoporum suffragia non aliter ad definitiones dogmatum ad fidem spectantium præstare possunt, nisi ritè, ac legitimè procedant, & directionem à Summo Pontifice acceptam tenentes sub obedientia illius in omnibus, ac singulis maneant. Nam si aliter se gerant, non possunt loqui nomine totius Ecclesiæ, quæ nunquam non capiti suo subiecta, ac demissa est. Quapropter postquam omnes Episcopi, aut maior ipsorum pars in aliquo dogmate concordes sentẽtias dixerunt, antequam id, quod ita suffragijs suis præferendum putarunt, pro

certo,& infallibili habeatur, de legitimo procedendi modo,& de eorum obedientia constare debet. Huius autem rei iudicium ex natura rei ad solum Pontificem spectat: nam in causa eius subiectionis,quam omnes fideles ipsi debent,ipse solus sententiam dicere potest. Vlterius etiam vt tota Ecclesia aliquod fidei dogma recipiat cum obligatione credendi illud, necessaria est sufficiens denunciatio,& propositio legitima:& hæc etiam cum sit actus superioris,à nullo alio,nisi à Summo Pontifice perfici potest. Duos igitur hos effectus præstat approbatio Summi Pōtificis in Concilio:declarat scilicet Episcopos ritè, ac legitimè sententias suas dixisse,per quam declarationem non donat illis infallibilitatem,sed eam,quam habent,demonstrat. Item proponit toti Ecclesię credenda ea dogmata,quorum certitudo,& infallibilitas reperta est.

His ita constitutis,optimè constant ea omnia,quæ de authoritate Patrum in Concilio,& de suprema potestate Pontificis supra Concilium communis Theologorum sententia tradit. Nam iuxta superiorem doctrinā facilè intelligimus, quomodo Episcopi in causis fidei definitiuas sententias ferant: scilicet in declaratione sensus cōmunis Ecclesiæ, cuius nomine loquuntur in Cōcilio: qui sensus est vltimū fundamentum Synodicę definitionis. Quapropter illo iam comperto, nō requiritur vlterius alia diligentia ad definitionem quamprimum à Pontifice denunciandam. Ratio est in promptu:quia extrema,atq; vltima diligētia ad definitionem condendam est fundamenti certi, atque infallibilis adinuentio,in quo definitio inniti possit: eiusmodi autem est sensus cōmunis Ecclesiæ, cui nulla potest subesse falsitas. Ergo hoc adinuento nihil vlterius requiri debet. Rursus rectè etiam intelligimus, qua ratione sola Episcoporum suffragia ante approbationem Summi Pontificis non efficiant aliquod dogma de fide:quia nimirum non prius Episcoporum suffragia infallibilia,& nomine Ecclesiæ prolata putantur,quàm Pontifex declaret esse certa, & rata, ritè, ac legitimè pronunciata:neque fideles tenentur aliquid ex fide credere,nisi ex authoritate eiusdem Pontificis sufficiens ipsis propositio fiat: quę duo definitionem complent. Itaque iuxta nostram sententiā sic affirmare licet. Maior pars Episcoporū cum Summo Pontifice definiunt dogmata fidei in Synodo: quia nimirum ad definitionem aliquam Synodicam condendā tria omninò necessaria sunt: primum est inuestigare sufficienter veritatem: secundum est declarare,an inuestigatio sit sufficiens, ac legitima: tertium est veritatem iam inde repertam vniuersali Ecclesiæ proponere. In primo quidem Episcopi definitiuam sententiam habent, quatenus communem Ecclesiæ sensum renunciant, cui falsitas inesse non potest (inter quos etiam Pontificem æquali iure cum alijs suffragium suum dicere nihil prohibet.) In secundo verò,ac tertio solus Pontifex definire, ac sententiam dicere potest. Atque adeò integrum est affirmare Summum Pontificem cum maiori Episcoporum parte Synodicas definitiones condere.

Ex hoc etiam principio diri mere licet quæstionem illam. Vtrum omnes Patres Concilij in dogma aliquod conspirantes ante confirmationem Pontificis errare possint: & vtrum etiam maior, aut longè maxima eorum pars ante dictam cōfirmationem decipi queat. De qua re sunt discrepantes Theologorum sentētiæ. Alij enim aiunt non modò maiorem partem, sed etiam omnes ad vnum Patres ante confirmationem errare posse: quia non satis assequuntur, quam vim habeat confirmatio Pontificis, si ante ipsam sit infallibile, ac certum id,quod omnes,aut plures amplectuntur. Rursus alij docent omnes Concilij Patres nō posse errare: quia nimirum impossibile prorsus videtur tantam vim Patrū vniuersam Ecclesiam repræsentantium in errorem aliquem vnanimiter discedere. Secùs verò sentiunt de maiori parte Patrum: hanc enim ante dictam confirmationem decipi posse annuunt: imò de facto deceptam probant ex Concilio Basiliensi,ex Ariminensi,ex Pseudo septima Synodo,& alijs. Denique alij affirmant, nec omnes Patres Concilij, neque plures aberrare posse. Et sanè si sermo sit de Concilio ritè, & legitimè congregato, secundum datam sibi à Summo Pontifice instructionem procedente, & sub illius obedientia in omnibus, & singulis manente,certissimum puto, neque omnes Patres Concilij,neque eorum maximam partem ante confirmationem Pontificis deerrare posse. Ratio petitur ex dictis, quia multo maior Episcoporum pars in Concilio legitimo legitimè sententiam dicens,multo maioris Ecclesiæ partis,cuius nomine sententiam dicit, sensum exprimit: id verò quod lōge maxima Ecclesiæ pars tradit,ac sentit,falsum esse non potest. Quapropter Theologi docent Pontificem eam sententiam,quam multo maior pars Cōcilij legitimis suffragijs suis firmauit, sine aliqua alia diligentia per solam approbationem definire posse. Omnes enim putant eam esse vltimam diligentiam, & nullam aliam ad definitionem requiri. Exempla autem omnia, quæ vulgò adduci solent ad probandum multò maiorem partem Episcoporum in Concilio aliquando de facto aberrasse, omnia sunt petita ex Concilijs spurijs,atque illegitimis, quæ vel à Pontificis obedientia iam desciuerant,vel eius authoritate non fuerant coacta. Id verò quod alij obijciunt, nullam scilicet in scriptura inueniri promissionem, ex qua deduci possit, Patres in Concilio legitimo, ritè, ac legitime sententiam dicentes non posse decipi,falsum est:quia reuera Ecclesiæ, cuius nomine loquuntur Patres in Concilio, absq; dubio facta est hæc promissio, vt constat ex locis suprà citatis. Et sane nisi id demus Concilijs

legitimis, ac ritè congregatis, non satis assequor, quis sit eorum vsus, & qualis authoritas in Ecclesia.

Ea, quæ hactenus diximus, eò spectant, vt intelligamus, quantam certitudinem communis Ecclesiæ sensus contineat, cum rem aliquã tanquã indubitatam, & infallibilem amplectitur, etiam extra Concilium. Nam vt hactenus confecimus, tota Conciliorum authoritas ad dogmata fidei constabilienda in hoc sensu nititur, & ad illum peruestigandum, ex Christi Domini institutione inuenta fuit: ita vt cum primum de illo legitimè constiterit, nihil vlterius requiratur, vt Pontifex Summus veritatem aliquam definiat, & vniuersæ Ecclesiæ diuina fide credendam proponat. Quapropter quoties sensus iste totius Ecclesiæ, aut longè maioris partis illius aliunde aucupári, & certò colligi potest, tunc quidem non est necessarium Concilium: sed Pontifex Summus, nulla mora, abruptis diligentijs, ad definitionem dogmatis procedere potest. Nam ex his, quæ diximus supra, constat, Patres in Concilio in eo tantùm sensu declarando iudices esse, & sententiam definitiuam habere: atque adeò si sensus iste Ecclesiæ totius, aut multo maioris partis illius satis aliunde exploratus sit, ita vt hæc res ante iudicium Concilij præiudicata videatur, non est necessaria Synodus.

§. VI.

Dicta sententia est vltimò disposita ad definitionem.



ADESTE Igitur animis, & mentem aduertite: quia (nisi fallor) ex his principijs de maiori certitudine piæ sententiæ, & de statu illius proximo ad definitionem decernere, & statuere, facile, ac pronũ est. Sic igitur statuo. Quamuis per definitionem, & declarationem Summi Pontificis, siue explicitam, & expressam in Constitutionibus hactenus editis factam; siue implicitam, & tacitam, in festi celebratione, approbatione Officij, & Indulgentiarum largitione præstitam, pia de Immaculata Virginis Conceptione sententia non sit euecta ad gradum digniorem certitudinis, quàm maioris probabilitatis: tamen si consideretur id, quod reuera declarationem maioris probabilitatis à Pontificibus factam insequi solet, & in præsenti causa reuera insequutum est: scilicet communis longè maioris Ecclesiæ partis sensus, quę dictam sententiam ceu veram hodie tenacissime amplexatur. Certè pia sententia statum quendam certitudinis habet, cui nõ possit subesse falsum, quamuis ad fidem non pertineat. Hæc positio ex his, quæ hactenus adnotaui, clarissima illatione depromitur.

Sed antequam vlterius procedam, placet animaduertere id, quod nullus non videt, per hanc nostram assertionem nullam notam affigi oppositæ sententiæ: tum quia præscriptam illationem probabiliter tantum ex acceptis principijs deduci iterum, atque iterum diximus: atque adeò cum nostra assertio maneat intra classem opinionis, non tollit, quominus opposita opinionis nomine gaudeat, quod nomen semper illi saluum, & incolume esse volumus: tum etiam, quia omnis grauior nota, aut censura consequitur Ecclesiæ declarationem: ex hac enim pendet, vt res ad fidem pertineant, vel fidei proxime censeantur: & catenus aliqua doctrina hæretica, erronea, aut temeraria dicitur, quatenus contra ea, quę explicitè, aut implicitè, expressè, aut tacitè ab Ecclesiæ declarata, & definita sunt, pronũciat. Ante omnem verò declarationem nihil eiusmodi esse potest, quod nota dignum sit: cuilibet enim integrum est aliter, atque aliter opinari: tamen cum hoc rectè congruere potest status aliquis certitudinis definitionem ipsam præcedens, & ad eam immediatè, ac proximè disponens, vt ei doctrinæ, quæ ad eum statum perducta est, non possit subesse falsum. Piam verò sententiam ad eum statum, & conditionem venisse, ea, quæ hactenus diximus, & quæ subinde dicemus, omninò persuadent. Sed ad rem nostram.

Certum, & constans est doctiorum hominũ placitum, dictam sentẽtiam esse definibilem. Ita expresse tradunt P. Franciscus Suarez, P. Gabriel Vazquez, & Ægidius Augustinianus locis suprà citatis, nec non Reuerendissimus DD. Sosa Episcopus Oxoniensis in relectione nuper edita. Et supponũt tanquam certum P. Pineda, P. Iacobus de Granados, Gundisaluus Lucero, P. Petrus de Oxeda, & alij, quotquot hac nostra ætate de immunitate Virginis ab originali scripserunt. Ita quoque senserunt olim omnes Episcopi in Concilio Basiliensi collecti, qui licet importuno tempore propter schisma, tamen ad definitionem huius dogmatis procedere non dubitarunt. Ac deniq; ista videtur fuisse mens summorum Põtificum in Constitutionibus hactenus editis, qui tamdiù partes dissidentes à censuris abstinere iubent, quoad Sedes Apostolica hanc controuersiam definierit, & quid toti Ecclesię tenendum sit, declarauerit. Nam facilè demõstrant id à se definibile iudicari, cuius non negant, vel auferunt, sed morantur, ac differunt definitionem. Deniq; is videtur esse hodie totius Ecclesiæ sensus, quæ propositis cunctorũ fidelium votis à sanctissimo Pâtre nostro Paulo PP. V. huius dogmatis extremam declarationem deposcit.

P. Suarez. P. Vazq. Ægidius. Sosa. P. Pineda. P. Granados. Lucero. P. Oxeda.

Sed tamen hæc conclusio duplicem sensum habere potest. Primùm enim pia sentẽtia definibilis dici potest remotè: quia nimirum valde prudenter ad definitionem illius condendam possunt adhiberi solitæ diligentiæ, & consueta fundamenta, principiaq; examina-

ri, ac discuti: an omninò persuadeant illam à Deo sufficienter reuelatã esse, vt proinde his examinatis, ac discussis, auditisque Catholicorum Doctorum sententijs, definiri tandem queat. Vel dici potest definibilis proximè: ita vt iam non indigeat exactiori aliquo examine, sed in vltima dispositione sit, vt omnibus abruptis diligentijs, quãprimum à Sede Apostolica definiri possit. Si conclusio accipiatur in priori sensu, ita certa est, vt nullo modo negari valeat. Nemo enim non videat, nisi sponte cæcutire velit, ad confirmationẽ huius sententiæ plura argumenta, & probationes robustiores nunc suppetere, quam quæ olim habuit Ecclesia ad alia Virginis priuilegia declaranda, & definienda, quę hodie, aut sine hæresi, aut sine graui errore diffiteri non licet. Hæc sunt, immunitas illius ab omni actuali culpa etiam veniali, partus mundissimus absque omni dolore, & secundinarum sordium infectione, natiuitas sancta, corporis extrema incorruptio, & gloriosa in cœlum assumptio, & alia id genus. Sed hæc olim examini subiecta, & tandem aliquãdo, aut expressè per Synodicas definitiones, aut tacitè per delationem religiosi cultus (quam tacitam quandam definitionẽ esse suprà demonstrauimus) ab Ecclesia declarata, & definita sunt. Quis ergo neget pro originali eiusdem Virginis sanctitate declaranda, ac definienda, examen hoc tempore prudenter effici posse? Accedit etiam, quia id examinis olim in Concilio Basiliensi re ipsa factum, & pro Virgine iudicatum fuit. Quamuis enim Sessio illa, in qua hoc iudicium prolatum est, legitima non fuerit: tamen Patres illi sententiam illam eò deductam censuerunt, vt de illius definitione, & declaratione iam tunc agi posset. Hanc autem probationẽ efficacem valde reddit id, quod scribit Gabriel in 3.d.3. scilicet legatos Summi Pontificis, qui illi Synodo præfuerunt, inter alia, de quibus à sanctissimo Patre instructi, & formati fuerant, id quoque accepisse in mandatis, vt pro sedãdis Ecclesiæ turbis, quæ tunc etiam Ecclesiam infestabant, controuersia hæc (si fieri posset) Patrum suffragijs terminaretur. Fortasse autem inde factum, vt cum idem Pontifex plæraque alia, quæ tempore seditionis, ac schismatis à Cõcilio contra ipsius nutum acta fuerunt, per literas sæpe, ac multis reprehenderit, atq; taxauerit: tamen de illo decreto, quod per idem tempus circa Virginis Conceptionem à Concilio emissum fuit, nullum verbum inseruit, vt propterea suspicari liceat cõtrouersiam illam non sine venia ipsius Pontificis examinatam: quamuis emissa definitio ideò non fuerit legitima, quia vigente schismate edita fuit. Accedit etiam Concilium Tridentinum, in quo etiam de hac thesi aliquid etiam actum est: & licet tunc à definitione abstinuerit, non ideò factum, quia principia ad definitionem firma, aut requireret, aut desideraret (vt aduersarij obijcere solent) sed quia præcipua controuersia non erat tunc de iustitia originali Beatæ Virginis, sed de peccato originali aliorũ hominum contra nostri temporis hæreticos, qui aut illud prorsus abnegabant, aut in assignanda illius natura plæraque absurda, erroneaque miscebant: atque adeò de Virginis originali innocentia id tantum Synodus adiecit, quod occasio illa, & decreti ipsius forma postulabat, suæ scilicet intentionis non esse in his omnibus, quę de peccato originali aliorum decreuerat, Virginem comprehendere, vel includere, sententiæ piæ mirum in modum per hanc exceptionem adfauens.

Cõc. Basi. *Gabr.* *Concil. Triden.*

Et licet per illud tempus, quo Concilia illa, Basiliense, ac Tridentinum celebrata fuerunt, sententia de originali Virginis innocentia non esset omninò idonea, & matura, vt de ipsius definitione ageretur: id tamen non prohibet, quominus lapsu temporis adaucta rerum notitia, idonea, & matura esse cœperit. Nam sine iniuria illarum ætatum id pronunciare fas est, Recentiores Ecclesiæ Doctores in confirmationẽ huius doctrinæ tantum operæ contulisse, vt omnium antiquorum industriam, & solertiam longo interuallo post se reliquerint: quorum diligentia tot, quæ olim latuerant, noua argumenta, nouasque probationes adinuenit, vt ad definitionem aliquid vlterius requiri, ac desiderari nõ debeat. Hæc autem assertio reuincit Canum, qui lib.7. de locis cap.3. concl.4. asseruit neutram sententiam definiri posse, idque extendit ad omnes temporis differentias: quia cum neutra hactenus definiri valuerit, haud sperandum est (inquit) posthac futurũ, vt definiri possit: si enim, ait, hactenus reuelata non fuit, vndenam deinceps reuelatio expectari debeat? Illud etiã pro confirmatione subnectit. Quia Ecclesia declarans vtramque sententiam esse probabilem, perspicuè definiuit neutram esse ex fide certam: ergo nõ potest iam statuere vnam, vel alteram ad fidem spectare. Hæc verò argumẽta futilia, & deridicula sunt. Non enim sentimus, aut dicimus reuelationem, cui inniti debet huius dogmatis definitio, nuper factam, aut postea decursu temporis faciẽdam iri: sed eam, quæ olim facta fuit, & quæ ex scripturis sacris, & Apostolicis traditionibus ad nos vsque defluxit, hoc potissimum tempore adaucta cognitione pluribus documentis, clarius, & apertius innotuisse: sicut in plærisque alijs dogmatibus contigit, quæ olim incerta, & dubia erant, nunc autem per succedentes definitiones, certa, indubitata, & infallibilia effecta sunt. Item id, quod assumit Canus, Summos Pontifices definijsse neutram sententiam hactenus ex fide certam, libens concedo: sed incuria istius viri non obseruauit eosdem Pontifices in suis Cõstitutionibus ita expressè demandasse, ne quis alterutram sententiam grauiori aliqua censura sugillaret, donec Sedes Apostolica aliquid certò definiret; ergo Summi Pontifices ad definitionem futuram, non

Canus.

tam

tam sibi obstruere, quàm aperire, ac sternere viam eo verborum tenore voluerunt.

Denique ista conclusio coarguit etiam Caietanum, & illius indiuiduos assectatores, Bandelum, Medinam, Spinamque, affirmantes nihil esse, cur ea pars, quæ sentit Virginē in originali conceptā, sibi aliquando timeat à damnatione Ecclesiæ: sed sperandum potius illi esse, si quando aliquid Ecclesia in hac controuersia certò pronunciauerit, ipsam fore constabiliendam, & oppositam, quæ Beatæ Virginis innocentiam originalem tradit, prorsus damnandam, & execrandam. *Quia nimirum* (verba sunt Caietani) *nostra sententia requiescit in sinu Sanctorum, & Doctorum priscorum: in eo autem sinu non est cur error timeatur.* Mētior ego, si animos istos, quos Caietanus fecit suæ sententiæ, ipsa iam non despondit. Metum damnationis suæ, quem illi Illustrissimus Cardinalis tam certa sponsione excutere curauit, nec abiecit hactenus, nec abijcere vnquam poterit. Illud enim omnino certum, atque exploratum est, dictam eorum sententiam ad statum quendam redactam esse, vt definitionis incapax prorsus sit. Ita docent omnes Doctores suprà allegati, & ratio etiā ipsa persuadet. Quia neque Scriptura sacra, neq; sensus, vel traditio Ecclesiæ, neque miracula vera, neque reuelationes certæ illi adstipulantur, quæ sunt sacrarum definitionum fundamenta. Quapropter necesse est, vt si quando ad definitionem Apostolica Sedes processerit, ipsa indemnis non maneat: atque adeò quandiù de futura definitione agitur, suæ damnationis metu liberari non potest, cum ex aduerso pia sententia interrita definitionem expectet.

Sed vlterius etiam dico præmissam conclusionem non in priori tantum, sed etiam in posteriori sensu acceptam veram esse. Itaque aio piam sententiam hoc tempore non tantùm remotè, sed etiam proximè definibilem esse: quia nimirum ita expedita, comparata, & quasi vltimò disposita est ad definitionem excipiendam, vt peractis omnibus diligentijs, quæ ad illam præmitti cōsueuerunt, nihil vlterius desideretur, vt quamprimum definiri, ac determinari queat. Hæc assertio grauissima est, & nisi fallor, inter ea, quæ hoc tempore de pia sententia sine iniuria Constitutionū (quibus Summi Pontifices censuras vtrinque interdicunt) affirmare fas est, maximè nobilis, ac gloriosa. Hanc fuisse reor mentem eorum Doctorum, quos suprà citaui: nam cum absolutè doctrinam istam definibilem esse asseuerent, non restringenda, sed amplianda potius est illorum assertio. Probatur autem ex his, quæ supra adnotauimus, quia tā propter efficacia argumenta, quæ dictam sententiam persuadent, quam propter declarationem Sedis Apostolicæ (quæ nimirum per festi institutionem, Offic.j approbationē, & alia, quæ in fauorem illius gessit) maiorem illius probabilitatem definiuit, factum est, vt longè maior Ecclesiæ pars eam verā esse affirmatissime sentiat: siue nomine Ecclesiæ Doctores, & Pastores illius intelligamus: siue etiam ipsorum fideliū multitudinem, quæ per cultum religiosum puræ Conceptioni exhibitum, & per scandala, quibus ex sola contrariæ doctrinæ commemoratione percellitur, suam mentem clarissime, & apertissime testatam habet. Sed quod ea ratione maior Ecclesię pars tanquam verum sentit, ac præfert, habet vltimam dispositionē ad definitionem excipiendam. Ergo pia sententia in eo statu est, vt proximè sine alio examine definiri queat. Confirmatur, quia vt aliquod dogma sit proximè definibile, tantùm requiritur cognitio, & deprehensio alicuius medij infallibilis, ex quo certò constet illud esse reuelatum à Deo: sed eiusmodi est sensus communis Ecclesiæ præfatis inditijs, ac documentis proditus, & contestatus, vt suprà etiam monstrauimus: ergo piæ sentētiæ nihil deest, vt proximè definitionem excipiat. Hæc omnia ex supra scriptis notationibus aperte conficiuntur.

Ex illis verò colligere licet ad doctrinæ istius definitionem edendam non esse necessarium Concilium. Qua in re nonnulli non boni rerum æstimatores prorsus deerrarunt asserentes tantam, & tam grauem controuersiam ad proximum Concilium differendam: aut pro illa decidenda Synodum vniuersalem quamprimum cogi, & euocari oportere: non solùm quia constans est fidei Catholicę dogma Summum Pontificem extra Concilium adhibito examine quamlibet doctrinam finire, ac terminare posse. Sed tū vel maximè, quia ex his, quæ supra §.5. tradidimus, liquet Patres in Cōcilio nihil aliud suis suffragijs præstare, nisi Ecclesiæ (cuius vocem portant) cōmuniorem sensum aperire, declarare, ac testari: & in hac tantùm declaratione sententiam definitiuam habent. Quapropter si de isto sensu Ecclesiæ aliunde certo constiterit, nullus omnino est vsus, aut necessitas Concilij. Cum igitur iste, quem hactenus aucupati sumus, sensus Ecclesiæ communior circa originalem B. Virginis iustitiam tam sit notus, atque compertus, vt de illo addubitare nō liceat, euocatio Concilij esset penitus superuacanea: quandoquidem res illa, de qua Patres in Synodo sententiam dicere, & iudicium ferre oportebat, ante ipsorum decisionem decisa, & ante eorundem iudicium præiudicata est.

Ex his autem per aliam consecutionē deriuatur illius assertionis, quam sæpius inculcauimus, veritas circa gradum certitudinis, quam habet hodie pia de immaculata Virginis Conceptione sententia. Sequitur enim valde probabiliter ex præhabitis dictam sententiam ita esse certam, vt non solùm moraliter, sed etiam physicè falsitas, & error illi subesse non possit. Hanc verò certitudinem nō habet ista doctrina ex declaratione aliqua Summi Pontificis: nam omnis, quæ hactenus à Sede Apostolica declaratio emissa est, maiorem tā-

tum.

tummodo illius probabilitatem demonstrat: sed ex manifestatione sensus maioris, aut longè maximæ partis Ecclesiæ, quæ declarationẽ maioris probabilitatis ab eadem Apostolica Sede factã insequuta est (vt supra docuimus) per quem effectum, vt in statu proximo, & dispositione vltima sit ad determinationem: sed fieri non potest, vt illud dogma, quod proximam, & vltimam dispositionem habet, vt Sedis Apostolicæ extremam definitionem excipiat, non sit verum à parte rei: Ergo ea est certitudo pię senteñtiæ, vt nullus illi error, aut falsitas inesse possit. Ea (inquam) est certitudo piæ sententiæ: habet enim sibi patrocinantem manifestationem illam communioris sensus Ecclesiæ, quæ proxima, & vltima ad quamlibet Pontificiam definitionem præparatio, ac dispositio est. Quomodo autem cum tanta certitudine cõgruat id, quod sæpè diximus, quod scilicet, quandiù res ita se habeat ante declarationem Summi Pontificis, nulla seuerior nota oppositæ sententiæ irrogari possit, in superiori §. prænotauimus.

Alias verò leuiores quęstiones, quas huiusce ætatis Theologi disceptare solẽt, de industria missas facio, quia offensionem potius legentibus, quam vtilitatem pariunt. Atque illud ad extremum seriò, & ex animo dico, nihil in hac Defensione à me depromptum eo studio, vt quempiam verbis læderem, aut quomodolibet prouocarem: sed vt immaculatæ, & supra quam dici potest, ab omni delicti labe mundissimæ Virginis Deiparæ obsequio aliquid exhiberem.

COMPLVTI:

EX OFFICINA IOANNIS GRATIANI.

ANNO M.DC.XVIII.



INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A.

Adamus.

Christi

F.

Festum Conceptionis.

Festum Natiuitatis B. Mariæ

Figuræ immaculatæ Conceptionis.

Maria Mediatrix.

Mariæ Maternitas.

Mariæ creatio, & existentia.

Virgo

Mariæ Conceptio.

Mariæ Redemptio.

P. Pactum

P.

Peccatum actuale.

Pœnitentia.

Possessio.

Prædestinatio.

R.

Redemptio.



INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE.

Genesis.

Numerorum.

Deuteronomium.

Regum III.

Iob.

Psalm.

Prouerb.

Cant.

Sapientiæ.

INDEX SCRIPTVRÆ.

FINIS.

